BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
28 I
2

M

Digitized by Google

K
VIII
23

Digitized by Google

8. 28. H. 2


FRATRIS
DIONYSII LEONIS
LYCIENSIS
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI
ORDINIS PRÆDICATORVM
IN PRIMAM PARTEM
DIVI THOMÆ AQVINATIS
SANCTÆ ECCLESIÆ ANGELICI
DOCTORIS
ARTICVLORVM FORMATIONE
COMMENTARIA
ET DISPVTATIONES
Ad Ill.mu et Re.m D. D.
Thomam Caracciolum
Archiep.m Tarentinu
et Reg.m Cons.m

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

THOMÆ CARACCIOLO ARCHIEPISCOPO TARENTINO,

AC REGIO CONSILIARIO.

F. DIONYSIVS LEO LYCIENSIS ORD. PRÆDICATORVM S.Theol.Magiſter, eiuſdemquè Theologus, ac obſeruantiſsimus ſeruus. V. F. P.

AD te clamat (Illuſtriſſime Præſul) hoc primum laborum meorum typis mandatum opus. Ad te, inquam, quia præclariſſimæ Caracciolorum familiæ, cuius ſplendentiſſimum ſydus effulges, permultum debet tota Dominicana Religio. Ille enim Theologiæ monſtrum, Theologorum meritò Princeps, Angelicus Sanctæ Eccleſiæ Doctor, Hæreticorum malleus, Regni Neapolitani decor, Italiæ ſplendor, ac diuinæ voluntatis Interpres, D. Thomas, ex a Theodora Caracciola ortus eſt.

a Ex capit. Matrimonialibus inter Landulphum, & Theodoram.

Deinde, Frater Nicolaus Caracciolus, eiuſdem Religionis, Generalis extitit Inquiſitor, mox Archiepiſcopus Meſſanenſis, ac poſtmodum diuina vocatione, in numerum Cardinalium, Diuæ Catharinæ Senenſis poſtulatione, vtpotè fulgentiſſimum Eccleſiæ Sanctæ lumen, ab Vrbano VI. titulo Sancti Ciriaci delectus eſt. Hic pro ſua, alijſquè Religionibus, ac totius Romanæ Eccleſiæ militia, in Legationibus, Peruſina, Veneta, Neapolitana, & alijs in peregrinatione Vrbani VI. cui ſemper adhęſit; in regimine Flaminiæ, & Emiliæ, Vicarius Apoſtolicus, & alijs in rerum magni ponderis prouincijs, per longa temporum ſpatia, plurimum certans, tanti animi fuit, vt admodum mirari oportuerit; ac tandem ob ſanctiſſimam eius vitam, inter Cœlites coronam gloriæ nactus eſt.

Celeberrimus quoquè Doctor Ioannnes de Neapoli dictus, ex eodem illuſtriſſimo Caracciolorum ſtipite, originem duxit. b

b Ex Priuilegio Regis Galliæ apud Archiuium Principis Abellini.

Hinc quoquè Religioſiſsimi heroes, Anaſtaſius, Marius, Ambuſtus, Forgerius, Nicefalus, vir Mariæ Primogenitæ Imperatoris Alexij

* Com-

c Sergius lib. 3. hiſt. Cōſtantinop. Zonera,

d Cedrenus, Theophilus, Simocrata in hiſtor.

e Quæ extant in Archiuio S. Seuerini, S Sebaſtiani & alibi.

Comneni, omneſquè Caraccoli; [c] Ita enim antiquitus, & in Argiuis, & in his Siculorum oris nuncupabantur, qui hodie Caraccioli appellantur; Cuius rei, & Sergij lib. 3. [d] Conſtantinopolitanæ Hiſtoriæ authoritas, & innumera in Parthenopeo regno publica monumenta fidem [e] faciunt perſpicuam.

f Sergius qui ſupra.

Ex his, Anaſtaſius Imperatricis Irenis, Summus militiæ Præfectus, & Moderator Imperij, Supremos à Leone, alijſquè Imperatoribus Iconomachis, dignitatum gradus oblatos contempſit, quod eorum dogmatibus de tollendis ſacris Imaginibus innuere renuit. [f]

g de quo Cedren. Zonera, Theophilus, & alij.

h In inſtrumento inueſtituræ, & fide Patriarchæ.

i Petrus Bellonius lib. 1. obſeruat. c. 39.

Ambuſtus, Michaelem Statioticum ob eamdem præcipuè, aliaſquè cauſas, depoſuit ab Imperio, in quo ipſe militum acclamatione fuit cooptatus, & in cuius ſublime ſubſellium, ad quod ipſemet illud renuens, Iſaacum Comnetum extulit, Regis Antiochiæ, Magiſtri, Protoſpatarij, Curupulatæ Imperialium titulorum contentus. Huius Religionis amor, ſummoperè celebratur, quippè cum [g] Regium Monaſterium in Monte Athos, qui nunc Mons ſanctus appellatur, funditus ædificauit, & familiæ nomine, Caraccolum nuncupauit, doteque ampliſſima dotauit, cuius patronatus, Ligorius Caracciolus Neapolitanus, vtpotè, ex deſcendentibus Ambuſti, publicis deſuper conſtructis documentis, à Patriarcha Conſtantinopolitano inueſtituram [h] obtinuit. Id ipſum Monaſterium, adhuc extat, idem retinens [i] nomen. His paucis ex innumeris in Græcia geſtis hactenus, quæ in Latio præſtiterunt Caraccioli Heroes, & operibus egregijs, & pijs elargitionibus, et litteris, & armis, pro Religionum, Chriſtianæquè fidei defenſione, ac ampliatione, efficaci potius ſilentio enarrari, quàm muta loquela, annui queunt.

Quæ non effecerunt quatuor Eminentiſſimi, ac Glorioſiſſimi Cardines, Berardus, Nicolaus, Curradus, Marinus?

k Ciaccon. in vita Innocentij IV.

Berardus, [k] inter Cardinales adſcriptus, anno Domini 1244. ab Innocentio III. pro Romana Eccleſia permulta cōmendabiliter egit.

Nicolaus, de quo ſupra memini.

Curradus, Cardinalis creatus anno 1405. ab Innocentio VII. Archiepiſcopus Nicoſiæ, Grandenſis Patriarcha, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius, Prouincias plures ſumma cum laude geſſit, nedum ſub eodem Innocentio, verumetiam ſub Gregorio XII. à quo maximam obtinuit poteſtatem, vt Apoſtolicæ Sedis nomine, Paulum Orſinum certis ſub conditionibus Romanæ Eccleſiæ ſtipendijs duceret, dum à Ladislao impiè vexata, duro ſeruitutis iugo præmebatur, necnō ſub Alexandro V. cuius comitijs interfuit; & à quo nobili Legatione in Galliam Ciſalpinam, vt pleraquè oppida nutantia, in Eccleſiæ Romanæ fidem confirmaret, honeſtatus, res proſperè geſſit. [l]

l Ciaccon. in vita Innocen. VII.

m Ciaccon. in vita Pauli III.

Marinus à Paulo III. anno Domini 1525. particulari promotione ad [m] Cardinalitiam dignitatem emeritam aſſumptus, ob innumera, & maxima ſeruitia Romanæ Eccleſiæ præſtita.

Marinus, Abpatruus Dominationis tuæ Illuſtriſsimæ, ad Gallos Ciſalpinos,

Digitized by Google

ſalpinos,ad Heluetios,ad Venetos,ad Regem Iberiæ,ad Regem Gallorum,ad Carolum Quintum Orator pro Mediolani Ducibus,Maximiliano, & Franciſco Maria,quos ſemel,atq; iterum reduxit [n] in eorum dominium. Marinus, in Alemania Nuntius, pro electione Regis Romanorum, ſumma cum Pontificis lætitia; atquè ſumma cum prudentia,& Solertia, eligi ſtuduit Carolum Quintum,Regem Catholicum, cui primùm,coronam in Aquiſgrano porrexit. Marinus,eiuſdem Caroli Quinti Conſiliarius, [o] Nuntius ad Venetos, & rerum Italiæ Arbiter, [p] in gratiam,& obedientiam Imperatoris,Franciſcum Mariam reduxit,& pacem cum Venetis,& in tota Italia conciliauit. [q] Marinus, pro Franciſco Maria, & pro Carolo V. Status Mediolani Gubernator, [r] & in eo Veſpolati,& Gallerati Comes. [s] Et ſi Sanſouino credimus, Prorex Parthenopei Regni,omnibus Chriſtiani orbis Principibus, ſummopere fuit acceptus. [t] Et [u] Cæſareæ Maieſtatis in Italia Vicarius Generalis. [x] Marinus, Nuntius Iulij Secundi,ad Maximilianum [y] Sforzam Mediolani Ducem, Leonis X. in Germania, [z] & apud Cęſarem Adriani Sexti, ad componendam pacem inter Imperatorem,& Gallorum Regem,Clementis Octaui ad Venetos [a] ad peragendam inter ipſos, & Pontificem confederationem, [b] & pacem. Et Legatus Pauli III. ad Carolum Quintum Imperatorem, & Franciſcum Gallorum [c] Regem. Qua in his functionibus,& Legationibus facundia,& prudentia vſus eſt? Qua fortuna, & dexter tate cuncta perfecit? Mente concipi,non verbis exprimi poteſt. Summus enim Orator, [d] & Sapientum illius tempeſtatis Princeps, [e] & præcęteris Felix [f] in rebus peragendis, à Scriptoribus magnæ authoritatis celebratur. Verùm,vnum illud quod ad rem attinet,non prætermittam. Hic cum apud Carolum Quintum, Apoſtolicæ Sedis Nuntius exiſteret, pro coercenda Lutheri prauitate,ipſum Hęreſiarcam Lutherum congreſſus, eius impietatē euicit,eius peruerſam doctrinam confutauit,eius deteſtari infame nomen, eius peſtiferos libros,in omnibus Imperij partibus combūri imperiali Edicto [g] effecit.

Quæ pijs largitionibus,pro Religionibus, Religioſiſquè viris, Caraccioli viri erogauerunt,non facile poſſunt recenſeri, & breui Epiſtolæ narratione comprehendi; Verùm ex permultis,pauca de paucis referam.

Magnoperè commendatur pietas Petri,Abbatis Sancti Georgij,qui anno ſalutis 844. Xenodochium [h] conſtruxit, & proprijs facultatibus amplè dotauit, pęnes eius Abbatiam in Eccleſia Sanctæ Mariæ à Selice,quæ nunc vocatur Sancti Seueri.

Petrus alter,ſub Imperio Ioannis Porficio genitus,magnam pecuniæ ſummam pro alendis Religioſis viris, Monaſterio Sancti Seuerini, & Soſij [i] donauit.

Eadem liberalitate vſa eſt Maria Domini Landulfi Caraccioli filia, poſſeſsionibus pluribus,in idem Monaſterium,eadem de cauſa [k] collatis;

n In inueſtitura Comitatus Gallerati fatetur Franciſc. Maria Sforza Dux Mediolani.

o Ammirat. vbi tractat de familia Caracciola. Franc. de Petris in Iconologia dictæ Familiæ. Idē Carolus V. in cōfirmatione inueſtituræ dicti Comitatus

p Angelus Fernius in eius panegirico.

q Burgatus lib. 6. Iuſtin. in hiſtor. Veneta.

r In litteris patentibus officij Gubernatoris. Ciaccon. in vita Pauli III. Morgia in hiſt. Mediol. lib. 1.

s Comitatus vtriuſquè inueſtituræ Angelus Fernius in dicto paneg.

t Sanſou. de famil. illuſt. vbi tractat da Caracciola.

u In Archiuio Principis Abellini.

x Angelus Fernius vbi ſupra.

y Zurita annal. aragon. p. 3. lib. 10.

z Litteræ Pontific. ad Car. Campeg. Legatū. 19 Iunij, & ad ipſum 22. Martij dicti anni

a Litteræ Pontific. 9. Iunij. & 12. Iulij 1519. ad ipsū.

b Burgatus lib. 6.

c Burgat. vbi ſup.

d Fonten. in hiſto. cath. lib. 3. Ciacco. vbi ſup.

e Angel Fernius in dicto panegir.

f Hier Perb. Marc. Inciſæ lib. de Sap. Fonten. vbi ſup.

g Fern in d. paneg.

h Burgatus lib. 6. Fonten. lib. 3.

i Conſtant. in hiſt. Neapol. lib. 6.

K Inſtrum. 493. in Archiuio S. Seuerini.

Digitized by Google

latis, nec non, & Teodonanda, filia Domini Theodori Caraccioli, quæ partem terrarum tenimenti, quod appellabatur Caracciolum, ſub Imperio Baſilij, tranſtulit in Monaſteriũ Sanctorũ Sergij, & Bacci. [l]

[l] Inſtrum. 790. in dicto Archiuo.

Galeatius Vicidominus, permagnum marmoreum, ſacellum in eccleſia D. Ioannis Carbonariæ [m] erexit, Sacratiſsimæque Deiparæ conſecrauit. Illudquè, paternam pietatem ſectatus, Nicolaus Antonius Vicimarchio, perfecit.

[m] Conſt. vbi ſup.

Ciarletta Attauus Dominationis tuæ Illuſtriſsimæ, magnificum illud pauimentum, quod in Archiepiſcopali Neapolitana extat eccleſia, ſterni effecit non modicis ſumptibus ſuis. [n]

[n] Sanſ. vbi ſupra.

Camillus Abellini Princeps, magnus Regni Cancellarius, aurei velleris Eques, Pater Dominationis tuæ Illuſtriſſimæ, glorioſæ memoriæ, duo perampla erexit Xenodochia. Alterum in Belgia, [o] quo militibus pro catholica fide certantibus, & quæ ad vitæ ſubſtentationem, & quæ ad ſanitatis recuperationem eſſent neceſſaria, vberrimè ſubminiſtrabantur: Alterum, Fratrum Beati Ioannis Dei, in Ciuitate Abellini, in quo, & Monaſterium Monialium Ordinis Carmelitantium ampliſſimũ, & alia pleraquè Monaſteria, & Eccleſias ædificauit, & ampliauit.

[o] Franc. de Petris vbi ſupra Scipio Ammirat. vbi ſupra.

Eaſdem Sacras ædes, & Abellini Xenodochium, Marinus, æquè Abellini Princeps, Magnus Regni Cãcellarius, & aurei velleris Eques, Frater Dominationis tuæ Illuſtriſſimæ, paternæ non minus dignitatis, & facultatis, quàm pietatis, & chriſtianæ hæres charitatis, mirificè decorauit, amplè dilatauit, & pijs largitionibus, legatisquè dotauit. Hic pro Religionum, Puellarum, & pauperum ſubſidijs, alijſquè operibus pijs, aureos ſex mille, anno quolibet impendebat.

Quæ ſcriptis non mandauerunt, perpetuæquè non commendauerunt memoriæ, pro Religionibus, et catholica fide, Gulielmus, Bernardinus, Landulfus, Robertus, Antonius, Triſtanus, alter Ciarletta, & alij permulti. [p]

[p] Ammirat.

Gulielmus [n] cognomento Caracciolus de Balzo, Religionis Sancti Benedicti, vir doctrina, et ſanctitate clarus, impuræ luis, et lęthalis anni. 1110. quæ accidit in valle Gaudina, & quam ipſe vidit, ad excitandam animorum deuotionem, miſera genera mortalitatis, pietatis ardore, deſcripſit.

Bernardinus [q] Caracciolus Ruſſus, Archiepiſcopus Neapolitanus, inter Philoſophos, & Theologos inſignis, et inter Iuriſcõſultos eximius, plura pro Religionibus, opera protulit.

[q] Franc. de Petris vbi ſupra. Camp. p. ȝ. lib. 2.

Landulfus [r] Franciſcanæ familiæ, mox Archiepiſcopus Amalfitanus, & Regni magnus Logoteta, pleroſquè edidit libros ſacra doctrina repletos, quos commemorant eiuſdem ſacræ Religionis hiſtoriæ.

[r] Franciſ de Petris vbi ſupra.

Hic Religionem nondum ingreſſus, in Pariſienſi Gymnaſio, Subtiliſſimi Doctoris Scoti Cathedræ ſucceſſit, & ita eius locum expleuit, vt quid amplius deſiderari poſſet, [s] non relinqueretur.

[s] Conſtan. lib. 6.

Robertus ex eodem Franciſcano Ordine, ad Epiſcopalem Aquina-

tam

tā dignitatē erectus, Epiſcopus deinde celeberrimę Regni Neapolis Ciuitatis Lycij, meæ inſignis patriæ, factus eſt. Permulta in lucē prodidit egregia volumina, ex quibus, id quod ſermonibus inſcribitur, vniuerſam ſacram ſapientiam, miro ordine, ac eloquentia edocet. Cuius apud Volateranum, mirabilia extant commendationis encomia.

Antonius, Principis Molfettæ Frater, Epiſcopus Campagiæ in Gallia, Phyloſophus, & Theologus eximius, plures pro fide pertulit labores, ac libros compoſuit. Huius Coetanei, Triſtanus, [t] & Ciarletta [u] Phyloſophi ſummi; alter de varietate fortunæ; alter de humana felicitate, non minus facundè, quàm piè ſcripſerunt.

Quæ deinde armis, virtutum, & virium robore, non fecerunt, pro Chriſtiana fide, & pro Catholica Eccleſia, Ioannes, Domitius, Phylippus, Ferdinandus, Marinus alter, Domitius alter, Camillus, & alij Regiæ Caracciolæ proſapiæ?

Ioannes Capuæ [x] Princeps, Regni Magnus Conteſtabilis, Magnuſquè Siniſcalcus, Neapolitani Regni Moderator, Summus exercitus Præfectus, à Ioanna II. miſſus in auxilium Apoſtolicæ Sedis, quæ bellis inteſtinis peruersè vexabatur, & Pontificem Vrbanum IIII. ab hoſtium fortiſſimorum armis, tutatus eſt; Idemquè præſtitit Marinus [y] Comes Sancti Angeli eius frater, qui in eadem Præfectura ſucceſsit.

Domitius [z] Proauus Dominationis tuæ Illuſtriſsimæ, Equitatus, Peditatuſquè Pręfectus, [a] ac Prorex Prouinciarum, Principatus, & Calauriæ quos reddidit à Turcarum armis illeſos.

Philippus [b] Vicimarchio aduerſus impios Belgas, pro catholica fide ſtrenuè certauit.

Ferdinandus, [c] Barlettam ab immanis Turcis aggreſſam, ſemel iterumquè defendit; Ioannem Auſtriacum in bellis contra Turcas, quæ ipſe eleganter deſcripſit, ſtrenuè ſemper ſectatus eſt.

Marinus [d] Comes Torellæ, mox Tripaldi Dux, ac Abellini Princeps, Auus Dominationis tuæ Illuſtriſsimæ, cum propria triremi eumdem Ioannem ſecutus, naualis victoriæ adeptioni, armis, & conſilijs, plurimùm profuit.

Domitius [e] Marchio Bellæ, Patruus tuus, in Belgia, ſub Bolduch pro tuitione loci, ſibi commiſsi, quem relinquere, etiamſi pollicita auxilia non aduentaſſent, vnquam noluit, & ſtrenuiſsimè certans, viginti quatuor vulneribus confoſſus, glorioſè occubuit.

Camillus de quo mentionem egi, Parens Dominationis tuæ Illuſtriſsimæ, ſibi, & familiæ, in bellis contra Belgas, & Turcas, ingentem comparauit gloriam, quæ ab æternitate euiget. [f] Hic in Belgia militans Belli conſiliarius, & armis inuictum, & conſilijs ſapientem ſeſe præbuit. Eius potiſsimum fortitudine, & prudentia, Ciapella, Ciappelletta, Dorlans, Cales, Andres, Huſth, fortiſsima oppida ab infidelibus oppreſſa, expugnata fuere, [g]

** Sub

t 1348. A, fol. 4. & 1347. fol. 117.

u Termin. in apologi 3. Sedill. Ill. Neapol.

x Ammirat & de Petris vbi ſupra.

y De quo Triſtan. in eius vita. Conſtant lib 12. 13. 14. Sum. lib. 4. comp Regni, l. 3. Pigna lib. 6. Caraf. lib. 7. 8. Ann. Arag. par. 2. lib. 13. 14.

z Ammir. vbi ſup.

a Ammir. & Franc. de Petris vbi ſup.

b 1483. 12. Aug. fol 33.

c Franc. de Petris in hiſt. Cara.

d Amm. vbi ſupra. Sanſ. de origine, ill. fam. vbi tractat de Caracciola. Idem Ferdinandus in hiſt. bellor. Io: Auſt. contra Turcas lib. 1

e Ferdinan Carac. in dicta hiſt lib. 1 Ammir. & Sanſou. vbi ſupra.

f Pomp. Iuſt. lib. 2. bell. Belg.

g Camp. par. 3. lib. 23. 4. Auguſtin. Thuar. hiſt. lib. 113. & lib. 117. Santori. in hiſt. Belgiæ.

Digitized by Google

Sub Dorlans,equitatum catholicum,cui præerat, non valens à fuga retinere, equo deſcendens,cum delecta Italorum manu, quam penes ſe habebat,hoſtium impetum,eouſquè inhibuit, donec Hiſpani ſclop-petarij ſubſidio miſsi, in tempore aduenere, quod egregium facinus Dorlans expugnationi cauſam præbuit. Ad Lyræ recuperationem cum exercitu ſibi commiſſo,quatuor mille peditum, & tercentum equitum properans, eius Belgæ hoſtes infidi,non expectauerunt aduentum, oppido deſerto Cambrai populus ſe ſe ei reddidit. Seditioſi milites in Areſchot eius pietate paterna,ac authoritate commoti,pacati fuerunt, & milites Hiſpani in Cales,eius veneratione ſe ſe à ſeditione abſtinuerunt. Calauriæ Prouinciarum Vicarius,cum ſuprema poteſtate, eas à Turcis perpetuis, nominis chriſtiani hoſtibus,tutas conſeruauit.

His Franciſcus Marinus Caracciolus Abellini Princeps, Illuſtriſsimæ tuæ Dominationis Nepos, veluti omnium ſucceſsit epilogus. Hic virtutem bellicam, litterarumquè præſtantiam,ſic in ſuo ſinu indiſſolubili reſtringit amplexu, vt à teneris annis agillimè cœperit arma tractare,ac ſitim legendi libros, nunquam extinxerit; & omiſsis multis, ſumma laude,atquè admiratione dignis,huius vnum inſigne non prætermittam opus. Hic in ſcelerata populi conſpiratione, populi promiſsiones,ac blanditia ſpernens,vt Regi noſtro catholico fidem (ſuorum veſtigia ſequens) integerrimam,illibatamquè ſeruaret, præterquamquòd in prætioſiſsimis proprijs,ac paternis bonis,quàm plurima mala perpeſſus; Quando Naualis Gallorum ingens exercitus, ad Regnum hoc, properauerat opprimendum, & Salernum vt expugnaret acceſsit; non militum copia,ſed corporis viribus,animi excelſitate, ac bellicis inſtrumentis armatus, cum paucis ſuis, ne exirent è Naui, tam validè impediuit, fugaquè diſtraxit,tamquè glorioſa eius geſta fuere, vt non abre,Regni conſeruator, voce vnanimi, nuncupetur.

Hanc,qua maximè fulget,bellicam facultatem, litterarum ſtudijs, die,noctuquè vacans, aſſociare non ceſſat. Et vt plurimas virtutes, nequè vulgare ſed ſingulare, imo diuinum ingenium taceam, ſolùm poeſis excellentiam, inſinuaſſe ſufficiat. Eius enim carmina ſicut præ nimia ſubtilitate, ac vetuſtate per vniuerſum vnica, ſic vniuerſis egregij ingenij viris, vnicè placent, cunctoſquè delectant, iure igitur optimo, non dum vigeſimum annum egreſſus, factus eſt vſquè ad ſydera notus,& in vtroquè Cæſar.

Et vt redeam vnde mea exiuit oratio; Nolo in tam præclaris recenſendis viris multus eſſe,ne dum inſignia facta expono tuorum, tuæ iniuriam faciam dignitati. In te enim tuorum hæroum ſplendidiſſima imago refulget. Religionis amor flagrat,virtutum omnium exemplum irradiat, Veræquè charitatis opera enitent, Morum grauitas, Vitæ ſanctitas, Animi lenitas, Maieſtas, & comitas, quaſi in propria domo ſimul,ac iucundè conuerſantur.

Tua Illuſtriſſima Dominatio, Adoleſcens, Theatinam Religionem,

arctiſ-

Digitized by Google

arctiſſimo nexu cum mea Dominicana coniunctam, ingreſſa , ibiquè ſanctiſsimè profeſſa, & ex ea, ad Epiſcopatũ Cyrenenſem aſſumpta, & mox ad Archiepiſcopatum Tarentinum, quàm meritiſſimè eſt euecta. In cuius paſtoralis officij cura, ea eſt vigilantia, ea magnificentia, vt prædeceſſorum præſtantiora excedens exempla, facta ſit futurorum exemplar. Sileat tamen mea hæc vox; quæ extant opera prædicent. Eccleſiarum ornamenta, Altaria, ac Sacella vndiquè expolita, munificè collocupletata, Picturis, Sculpturis, Marmoreiſquè inſignibus ædificijs ab egregijs Pictoribus, Sculptoribuſquè innouata, ſeminarium proprijs ſumptibus lautè erectum, & alia excelſa, quæ apparent opera. Ac tandem cum Tarentina Ciuitas, in irrationabilibus populorum reuolutionibus, diuerſis certationibus agitata, fluctuabat, Quid Quæ, & quanta operatus eſt, vt eam ab impiorum inſidijs, Regi noſtro beneuolum, firmiter cuſtodiret? Errantes reuocabat ad fidem, impauidè eis expendens, quàm impium ſit, tantum Regem deſerere: Fideliter verò certantes, nè fidem qua pollebant dirimerent, viuaciter illis imprimebat, quàm pium, imo quàm diuinum ſit, pro noſtri Regis fide tuenda, pugnare. Illis minabatur horrores, Iſtis pollicebatur præmia. Illos increpatione terrebat, Iſtos perhumaniter amplectebatur; Omnes tamen, ei alacriter obediebant, quia omnes eum amabãt, cunctis vixit, & viuit amabilis, taliter quòd & ſi Tarentinus populus, ſui muneris erga Regem eſſet oblitus, ſui verò Præſulis increpationibus, ac ſuaſionibus, alterius ſe non commiſit imperio.

Ad te clamat; Quia innumera ſunt in me, tua non dico officia, ſed merita, & tantùm tibi debere exiſtimo, quantùm perſoluere impoſſibile eſt· & niſi hoc meum qualecumquè opus tibi deuotiſſimè conſecrarem, meritò ingratitudinis vitio arguerer, ac proprio voluntatis pondere ſine dubio priuarer.

Ad te tandem Illuſtriſs. Thoma Caracciole, Sanctiſſimi tui Thomæ Aquinatis doctrina quam ſequor, vt defendatur clamat. Abyſſus enim abyſſum inuocat Sub tuæ enim protectionis clypeo, à calumniantibus, ac detractoribus, euadet immunis.

Suſcipe igitur benigno animo, hoc meum qualecumquè opus, quod tuæ Illuſtriſſimæ Dominationi humiliter dico, & in eo inſpice, non obſequij defectum, ſed deuotum offerentis affectum. Lycij ex Conuentu Sancti Ioannis de Ayme, die 20. Maij 1651.

F. Dionyſius qui ſupra, Prouinciæ Sancti Thomæ.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

SÆPE numero contueris (optime Lector) Religionis Dominicanæ Doctores, typis non paucos depromere libros; & fortaſſe miraris. At hæc, non immeritò faciunt; Non enim vltra ea quæ Diuus Thomas docuit, de ſuo quicquam addere, ſeù adinuenire præſumunt. Quandoquidem tam præclari, atquè Angelici opera, ſunt perfecta, omniquè ex parte apertam redolent veritatem. Eo ſunt igitur inſtigati, quia in dies nonnulli pullulare non ceſſant, procurantes claram, veridicamquè obnubilare doctrinam. Ac proinde fideles veriquè Thomiſtæ nunquàm calamo parcunt, donec tanti Doctoris irradiati fulgoribus, aduerſariorum ſomnia, cunctaquè phantaſmata euaneſcant. Continuò enim communem Magiſtrum connitentibus, continuò oportet obſiſtere, ac viriliter ſe opponere. Mæſto enim langueret fulgore Phœbus, ni ventorum bello, nebulæ fugarentur.

A quæſtione duodecima exordior, & non à prima, vt in votis erat, quia ſic rogatus ſum; & hoc, Deo duce, adhuc perficiam opus, poſtquam cõpleuero, quoſdam tractatus, qui ſolemniori conatu diſcutiuntur in ſcholis.

In hoc tomo hunc ordinem ſeruo, quem in reliquis polliceor quoquè ſeruaturum. Primò, Litteram D. Thomæ ſyllogiſticè formo, non ad modum compendij, ſed integrum textum adamuſſim ordino, nihil de proprio influam, niſi quaſdam propoſitiones implicitè ſub intellectas, ad formationem neceſſarias inſeram. Deinde erit ſuper articulum commentarium. ac tandem diſputationes.

Scio maledicos non deeſſe, ſicut nec aduerſus præſtantiſſimos prædeceſſores Scriptores defuiſſe. His tamen dico, quod Diuus Hieronymus ad Paulinam, & Euſtochium in tranſlationem Iſaiæ ex hæbraica veritate, præfatione 117. in Eccleſiaſtem, dixit. Legant, inquit, prius, & poſtea deſpiciant, ne videantur, non ex iudicio, ſed exodij præſumptione, ignorata damnare. Et deniquè rogo te benigne Lector, vt errores, qui ex impreſſionis inaduertentia accidere ſolent, corrigas, niſi apud errata, & correcta inueneris emendatos. Vale.

D. Hieronymus. ad Paulinam, & Euſtochiũ pref. 117.

Digitized by Google

FR. FRANCISCVS MARIA CAMPANIVS

SAC. TH. PROFESSOR, PROCVRATOR GENERALIS, & ad regimen Ordinis Prædicatorum deputatus.

CVM nobis expoſitum ſit, te R. Ad. P. Mag. F. Dionyſium de Lycio, compoſuiſſe diligenti ſtudio nonnulla Commentaria in primam partem Angelici noſtri Doctoris Sancti Thomæ. His noſtris, & auctoritate officij noſtri, ad maiorem Dei gloriam, & Religionis incrementum, facultatem tibi impartimur, vt ea typis mandare poſſis; dummodo prius approbentur ab Ad. R. P. Regente, vel Baccalaureo ſtudij noſtri Generalis Sancti Dominici de Andria, ſeruatiſque omnibus alijs, de Iure ſeruandis. In quorum, &c. Datum Romæ die 19. Iunij 1649.

Fr. Franciſcus Maria Campanius qui ſupra.

APPROBATIO AD. R. P. F. IO: BAPTISTÆ SERSALIS Regentis Studij Generalis Andriæ.

IVſſu Reuerendiſs. Patris Magiſtri Fr. Franciſci Mariæ Campaniæ Procuratoris Generalis, & ad regimen Ord. Præd. deputati à Reuediſs. P. noſtro Mag. Generali, accuratè, ac iucundè perlegi doctiſsima Commentaria, Articulorum formationes, ac Diſputationes in primam partem Sanctiſſimi noſtri Præceptoris Diui Thomæ, à Quæſtione 12. vſquè ad 50. à Sapientiſſimo Patre Magiſtro Fratre Dionyſio Leone elaborata; eaquè reperi, ne dum veram, ſanam, & catholicam doctrinam redolentia; verùm, & in ipſis, Aquinatem Solem mirabili fulgore ſplendeſcere, eiuſquè cœleſtem ſapientiam firmiſſimo ſplendore vigeſcere; & iure, nam Solis Regia LEO. In propria enim domo, & radios conglomerat, & vires acuit Titan. Vt ergo Reuerendiſſimi Patris noſtri me oſtendam nutibus obſequentem, opus hoc cenſeo Catholicæ Eccleſiæ in moribus, & doctrina incrementum, haud vulgare, ordiniquè noſtro decorem, non exiguum allaturum. Digna quidem ſunt Commentaria hæc, vt Typis mandentur, cuius Auctor in diuinorum indagatione nominum, arcanorumquè elucidatione, Magno illi DIONYSIO proximum ſe oſtendit, vt nomini. Digna, vt euulgentur, quæ vel ab inuitis vltrò extorquebunt elogia; Dulcis enim Tiranna Virtus. Digna deniquè, vt lucem aſpiciant, quæ tot claritate veritatum, coæua vtuntur Luce; Solemquè Aquinatem in propria domo patefaciunt radiantem. Datum Andriæ in ſtudio Generali Sancti Dominici die 29. Menſis Auguſti 1649.

Fr. Ioannes Baptiſta Serſalis Magiſter, ac ſupradicti Studij Generalis, Prouinciæ Sancti Thomæ Ordinis Prædicatorum Regens.

AD.

Digitized by Google

APPROBATIO AD. R.P. F. HYACINTHI DE SANARICA

Baccalaureij Studij Generalis Andriæ Ord *Præd.*

AD. R.P. Magiſtri F. Dionyſij Leonis Lycienſis, Articulorum Formationes, Commentaria, & Diſputationes in primam partem D. Thomæ à Quæſt. 12. vſquè ad 26. incluſiuè perlegi, atquè in eis, fidei chriſtianæ, aut bonis moribus contrarium reperi nihil; Imo ſi typis mandari contigerit, multùm vtilitatis, ſtudioſorum intellectibus cenſeo profutura. Datum Andriæ in ſtudio Generali Sancti Dominici, die 1. Septembris 1649.

Fr. Hyacinthus qui ſupra.

LICENTIA, ET APPROBATIO

AD. R. P. PROVINCIALIS

OPus hoc ſuper q 12. D. Thomæ ab Ad. R.P. doctiſsimoquè Magiſtro Dionyſio Leone de Lytio huius noſtræ Prouinciæ, elaboratum, vidimus, atquè à doctioribus eiuſdem Prouinciæ Patribus accuratè videri fecimus; dignumquè vt in lucem prodeat, iudicauimus. Quapropter, Nos F. Antonius à Martina Prouinciæ Sancti Thomæ Prouincialis, quantùm in nobis eſt, licentiam vt imprimatur, ſeruatis ſeruatiſquè ſeruandis, impartimur. Datum in Conuentu Sancti Dominici de Monopoli die 1. Iulij 1650.

F. Antonius à Martina Prior Prouincialis
Prouinciæ Sancti Thomæ.

F. Paulus à Martina Baccalaureus, & loco ſocij.

Regiſtrata fol. 1.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

COmmentarias in primam Angelici Doctoris partem diſputationes ingenioſè elucubratas ab Admodum Reuerendo Patre Fratre Dionyſio Leone Lycienſe Sacræ Theologiæ Magiſtro Ordinis Prædicatorum, Perlegi; & quem tua iuſſa Cenſorem perſcripſerunt, Authoris merita me volunt panegyriſtam, atquè vno faſce, laudum omnium colligere ſegetem, ſi Dionyſium commendaturus, dicam; Solem Aquinatem propè Leonem clariùs emicare. Serio igitur cenſeo, non modo nihil in hoc opere contineri ab orthodoxa fide, morumquè integritate alienum, *vel Regiæ Iuriſdictioni refragari, aut detrahere*. Verumetiam reperiri multa, quę fidem, & pietatem valeant excitare. Quamobrem, opus digniſſimum reor, quod & mandetur Typis, & in omnium oculis, animiſque verſetur, ad Auctoris ornamentum, ad eius Ordinis gloriam, ad poſterorum vtilitatem. Datum Lycij die 15. Menſis Decembris 1649.

Excellentiæ tuæ

Dediriſſimus ſeruus

Ioannes Leonardus Serſalis.

Viſa ſupradicta relatione, Imprimatur.

Zufia Regens.
Caſanate Regens.
Caracciolus Regens.
Garzia Regens.

Prouiſum per Suam Excellentiam, Neap. 21. Ianuarij 1650.

De Giorno.

Digitized by Google

APPROBATIO AD. R. P.

F. ANGELI MARIÆ

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO

Carmelitæ Diſcalceati.

DE mandato Illuſtriſsimi, & Reu. D. Aloyſij Pappacodę Epiſcopi Lycienſis, Sapientiſſima Commentaria ſuper q. 12. & 13. p. p. Summæ Theologiæ Doctoris Angelici, per R. Ad. Patrem F. Dionyſium à Leone S. Th. Magiſtrum Lycienſem Ord. Prædic. elucubrata, maturè, & magno animi mei gaudio perlegi: & in illis quod ſacris Orthodoxæ fidei decretis, ac moribus, nihil; quod eiſdem ſuffragetur, multùm planè reperi: Quæ ita ſtyli breuitate, quæſtionum varietate, doctrinæ veritate, rationumquè ſoliditate, & profunditate, Thomiſticam mentem, ac veritatem propalant, vt in eiuſdem munimentum, in ſuæ Religionis ſplendorem, & demum in Catholicæ Eccleſiæ vtilitatem ceſſura, ſi typis mandentur, cenſeam.

Fr. Angelus Maria qui ſupra, Conuentus Lycienſis Prioris munerum, ac Lectoris Sacræ Theologiæ munere fungens.

Imprimatur.

Aloyſius Epiſcopus Lycienſis.

Digitized by Google

FRATRIS DIONYSII LEONIS LYCIENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI ORDINIS PRÆDICATORVM,

IN PRIMAM PARTEM

DIVI THOMÆ AQVINATIS

SANCTÆ ECCLESIÆ ANGELICI DOCTORIS,

ARTICVLORVM FORMATIONES, COMMENTARIA, ET DISPVTATIONES.

QVÆSTIO XII.

In Tredecim Articulos diuiſa.

Quomodo Deus à nobis cognoſcatur.

1 IN primo huius quæſtionis exordio, texturam, verborumque proprietatem, aduerte. *Quomodo* (inquit, *Deus à nobis cognoſcatur. à nobis*, dicit, non à ſe, quia primum, hic, diffusè diſquirit: Secundum verò, infra quæſtione 14. affabrè complet. Non dicit videatur, ſed *cognoſcatur.* quia ſolum ea quorum cognitio ad exiſtentiam exercitam terminatur, propriè videri dicuntur, cognoſci verò, non ſolum ad hæc, ſed etiam ad abſtractiuè cognita ſe extendit. D. Thomas autem, hic, Deum, vt vtroque modo intuitiuè, ſcilicet, & abſtractiuè, cognoſcibilem contemplatur. Primum, per vndecim articulos, ſecundum, per duos vltimos diſertiſſimè perficit. Vnde huius quæſtionis adæquatum obiectum, eſt Deus, vt à nobis cognoſcibilis. Obiectum autem magis principale eſt Deus vt intuitibilis.

D. Tho.

Quia in ſuperioribus conſiderauimus qualiter Deus ſit, ſecundum ſe ipſum, reſtat conſiderandum, qualiter ſit in cognitione noſtra, ideſt, quomodo cognoſcatur à creaturis.

2 Dubium hic, de repentè occurrit. Nam D. Thomas ſupra quæſtione 8. ex profeſſo, & eruditè tractat, de exiſtentia Dei in rebus: hoc autem non eſt conſiderare Deum ſecundum ſeipſum, ſed in ordine ad alia à ſe. ergo non rectè in ſuperioribus, qualiter Deus ſit, ſecundum ſeipſum conſideraſſe dicit.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. D. Thomas ſupra quæſt. 8. ex profeſſo, & eruditè tractat, acceſſoriè, nec primaria intentione de exiſtentia Dei in rebus, concedo antecedens, Non acceſſoriè, ſed primaria intentione, nego antecedens. ergo, &c. nego conſequentiam. Nam D. Thomas ſupra de Dei intima in rebus præſentia differit, quatenus eius infinitati conuenit: Idque eiuſdem Sancti Doctoris verba in aggreſſu ad dictam quæſtionem, manifeſtè declarant, *quia verò*, inquit, *infinito conuenire videtur, quòd vbique, & in omnibus ſit, conſiderandum eſt, vtrum hoc Deo conueniat.*

Digitized by Google

Circa hoc quæruntur Tredecim.

¶ Primò, Vtrum aliquis intellectus creatus poſſit videre eſſentiam Dei.
¶ Secundò, Vtrum Dei eſſentia videatur ab intellectu per aliquam creatam ſpeciem.
¶ Tertiò, Vtrum oculo corporeo Dei eſſentia poſſit videri.
¶ Quartò, Vtrum aliqua ſubſtantia intellectualis creata ex ſuis naturalibus ſufficiens ſit videre Dei eſſentiam.
¶ Quintò, Vtrum intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam indigeat aliquo lumine creato.
¶ Sextò, Vtrum videntium eſſentiam Dei, vnus alio perfectius videat.
¶ Septimò, Vtrum aliquis intellectus creatus poſſit comprehendere Dei eſſentiam.
¶ Octauò, Vtrum intellectus creatus videns Dei eſſentiam, omnia in ipſa cognoſcat.
¶ Nonò, Vtrum ea quæ ibi cognoſcit, per aliquas ſimilitudines cognoſcat.
¶ Decimò, Vtrum ſimul cognoſcat omnia quæ in Deo videt.
¶ Vndecimò, Vtrum in ſtatu huius vitæ, poſſit aliquis homo eſſentiam Dei videre.
¶ Duodecimò, Vtrum per rationem naturalem Deum in hac vitā poſſimus cognoſcere.
¶ Decimotertiò, Vtrum ſupra cognitionem naturalis rationis, ſit in præſenti vita aliqua cognitio Dei per gratiam,

FORMATIO Articuli.

QVadripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponitur propoſitum quæſiti difficultatum motiuum. Secundò, opinio illi innixa adducitur. Tertiò, opinio adducta duplicìter refutatur; & quartò, propria, atque catholica ſententia ſtabilitur.

Quò ad primum. Motiuum ex ratione depromptum, eſt verum, reddens tamen difficilem cognitu catholicā veritatē. Nam in maxima Dei cognoſcibilitate ex vna, & in tenui intellectus creati intellectiua virtute, ex altera parte conſiſtit. idque duabus propoſitionibus expeditur.

Prima propoſitio eſt. Deus in quantum in ſe eſt, maximè cognoſcibilis eſt.

Secunda eſt iſta. Quod eſt maximè cognoſcibile in ſe, alicui intellectui cognoſcibile non eſt, propter exceſſum intelligibilis ſupra intellectum.

Prima propoſitio probatur ſic. Vnumquodque eſt cognoſcibile ſecūdùm quòd eſt in actu: ſed Deus eſt actus purus abſque omni permixtione potentiæ. ergo quantum in ſe eſt, maximè cognoſcibilis eſt.

Secunda, manifeſtatur exemplo. Nam Sol, qui eſt maximè viſibilis, videri non poteſt à veſpertilione propter exceſſum luminis.

Quò ad ſecundum, opinio eſt iſta. Quidam poſuerunt quòd nullus intellectus creatus eſſentiam Dei videre poteſt.

Quò ad tertium, relata opinio dupliciter impugnatur. Primò, D.33.
quia vltima hominis beatitudo in altiſſima eius operatione conſiſtit, quæ eſt operatio intellectus. ergo ſi intellectus creatus numquam eſſentiam Dei videre poteſt, vel numquam beatitudinem obtinebit, vel in alio eius beatitudo conſiſtet quàm in Deo. Primum relinquitur tanquam manifeſtè impoſſibile, ſecūdum eſt alienum à fide, nam in illo eſt vltima perfectio rationalis creaturæ, quod eſt ei principium eſſendi. Nam vnumquodque in tantum eſt perfectum, in quan-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliquis intellectus creatus poſſit Deum videre per eſſentiam.

AD primum ſic proceditur. *Videtur quòd nullus intellectus creatus, poſſit Deum per eſſentiam videre. Chryſoſtomus enim ſuper Io. exponens illud quod dicitur Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam. Sic dicit. Ipſū quod eſt Deus, non ſolum Prophetæ, ſed nec Angeli, viderunt, nec Archangeli. Quod enim creabilis eſt naturæ; qualiter videre poterit, quod increabile eſt? Dionyſius etiam 1. cap. de diu. nom. loquens de Deo, dicit. Neque ſenſus eſt eius, nec phantaſia, neque opinio, nec ratio, nec ſcientia.*

Secūdò præterea. Omne infinitum in quantum huiuſmodi, eſt ignotum: ſed Deus eſt infinitus, vt ſupra oſtenſum eſt. ergo ſecundum ſe eſt ignotus.

Tertiò præterea. Intellectus creatus non eſt cognoſcitiuus, niſi exiſtentium. Primum enim quod cadit in apprehenſione intellectus eſt ens: ſed Deus non eſt exiſtēs, ſed ſupra exiſtentia, vt dicit Dionyſius. ergo non eſt intelligibilis, ſed eſt ſupra omnem intellectum.

Quartò præterea. Cognoſcentis ad cognitum, oportet eſſe aliquā proportionem, cum cognitū ſit perfectio cognoſcentis: ſed nulla eſt proportio intellectus creati ad Deum, quia in infinitum diſtant. ergo intellectus creatus non poteſt videre eſſentiam Dei.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. Ioan. 3. Videbimus eum ſicuti eſt.

Reſpondeo dicendum. Quòd cum vnumquodque ſit cognoſcibile ſecundum quòd eſt in actu, Deus qui eſt actus purus, abſq; omni permixtione potētiæ, quantum in ſe eſt, maximè cognoſcibilis eſt. Sed quod eſt maximè cognoſcibile in ſe, alicui intellectui cognoſcibile non eſt, propter exceſſum intelligibilis ſupra intellectum. Sicut Sol qui eſt maximè viſibilis, videri non poteſt à veſpertilione, propter exceſſum luminis. Hoc igitur attendentes quidam poſuerunt quòd nullus intellectus creatus eſſentiam Dei videre poteſt. Sed hoc inconuenienter dicitur. cum enim vltima hominis beatitudo in altiſſima eius opera-

Digitized by Google

quantum ad ſuũ principium attingit.

Secundò, quia ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam cum intuetur effectum,& ex hoc admiratio in hominibus conſurgit. ergo ſi intellect⁹ rationalis creaturæ non poſſet ad primam cauſam rerum pertingere remanebit inane deſiderium naturæ, quod eſt præter ra.ionem.

Quo ad quartum, Propria, atque catholica ſentẽtia immediatè quęſito reſpondens, eſt iſta. Simpliciter cõcedendum eſt, quòd Beati Dei eſſentiam videant.

Hoc dictum probatur primò in argumẽto, ſed contra, authoritate Sacræ Scripturæ, ex illo 1. Ioan. 3. videbimus eum ſicuti eſt, ſecundò in corp. ex duplici relatæ opinionis reiectione.

Ad primum argumentum reſpõdet, omnes authoritates in cõtrarium adductas explicando de cognitione tantum intuitiua Dei. D.366.

Ad ſecundũ reſpondetur diſting. maiorẽ. Omne infinitum, quod ſe tenet ex parte materiæ, non perfectæ per formam eſt ignotum, cõceditur maior. omne infinitum, quòd ſe tenet ex parte formæ non limitatæ per materiam eſt ſecũdum ſe ignotum, negatur maior. ſimiliter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad tertium, conceditur maior, & explicatur minor, Deus nõ eſt exiſtens, ſicut omne aliud creatum benè tamen tanquam ſupra omne tale, conceditur minor. Non eſt exiſtens, ideſt nullo modo exiſtens, negatur minor. ergo, &c. negatur conſequentia. Dionyſius enim locutus eſt primo modo.

Ad quartum diſtinguitur maior. Cognoſcentis ad cognitum oportet eſſe aliquam proportionem, quæ eſt habitudo quadam virtutis cognoſcitiuæ, ſeu ſufficientia luminis ad attingendum obiectum conceditur maior. Oportet eſſe aliquã proportionem quæ eſt habitudo vni⁹ quantitatis ad alteram ſecundum quòd, duplum, triplum, & æquale sũt ſpecies proportionis, nego maiorem, ſimiliter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

tione conſiſtat, quæ eſt operatio intellectus, ſi nunquam eſſentiam Dei videre poteſt intellectus creatus, uel numquam beatitudinem obtinebit, uel in alio eius beatitudo conſiſtet quàm in Deo. Quod eſt alienum à fide. In ipſo enim eſt ultima perfectio rationalis creaturæ, quod eſt ei principium eſſendi. In tantum enim vnumquodque perfectum eſt, in quantum ad ſuum principium attingit. Similiter etiam eſt præter rationem. Inest enim homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, cum intuetur effectum, & ex hoc admiratio in hominibus cõſurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non poſſit ad primam cauſam rerum, remanebit inane deſiderium naturæ. Vnde ſimpliciter concedẽdum eſt, quòd Beati eſſentiam Dei videant.

Ad primum ergo dicendum, quòd vtraque authoritas loquitur de viſione Comprehenſionis. Vnde præmittit Dionyſius, immediatè ante verba propoſita, dicens: Omnibus ipſe eſt uniuerſaliter incomprehenſibilis, & nec ſenſus eſt eius, &c. Et Chryſoſt. parum poſt verba prædicta ſubdit. Viſionem hic dicit, certiſſimam Patris conſiderationem, & comprehenſionem, tantam, quantam Pater habet de Filio.

Ad ſecundum dicendum, quòd infinitũ, quod ſe tenet ex parte materiæ, non perfectæ per formam; ignotum eſt ſecundum ſe; quia omnis cognitio eſt per formam. Sed infinitum, quòd ſe tenet ex parte formæ nõ limitatæ per materiam, eſt ſecundum ſe maximè notum. Sic autem Deus eſt infinitus, & non primo modo, ut ex ſuperioribus patet.

Ad tertium dicendũ, quòd Deus non ſic dicitur non exiſtens, quaſi nullo modo ſit exiſtens. Sed quia eſt ſupra omne exiſtens; in quantum eſt ſuũ eſſe. Vnde ex hoc non ſequitur, quòd nullo modo poſſit cognoſci, ſed quòd omnem cognitionem excedat, quod eſt ipſum nõ comprehendi.

Ad quartum dicendum, quòd proportio dicitur dupliciter. Vno modo certa habitudo unius quantitatis ad alteram, ſecundum quòd, duplum, triplum, & æquale ſunt ſpecies proportionis. alio modo, quælibet habitudo, vnius ad alterũ, proportio dicitur. Et ſic poteſt eſſe proportio creaturæ ad Deum, in quantum ſe habet ad ipſum, ut effectus ad cauſam, & ut potentia ad actum. & ſecundum hoc intellectus creatus proportionatus eſſe poteſt ad cognoſcendum Deum.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

3 POſſet aliquis contra Diui Thomæ expoſitores, ſeu Commentatores, ſic arguere. Doctrina Diui Thomæ eſt clara, vnde Eccleſia de eo, præſtantiſſima pręconia concinens, inter alia, hæc verba promit. *De excelſis fons ſapientiæ, Sancto Thomæ infudit copiam tamquam flumen claræ ſcientiæ, qui ſ ſceptam refudit gratiam, dum fluentis ſummæ peritiæ, rigat totam Sanctam Eccleſiam.* Ergo neque etiam expoſitoribus, ſeu commentatoribus æget. Ergo fruſtra tot Diui Thomæ expoſitores. probatur prima conſequentia, quia expoſitor, ſeu Commentator, debet eſſe expoſito clarior. hoc præcipuè contra Caietanum militat. nam eius ſcriptum, litteræ Diui Tho-

mæ collatum, eſt abſque controuerſia obſcurum. Vnde non immeritò à quibuſdam reprehenditur. Secunda autem conſequentia eſt euidens.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Doctrinà Diui Thomæ, eſt clara intẽſiuè, ideſt, eſt clara, ſed breuis, firma, celſa, grauis, & profunda, concedo antecedens. Doctrina D. Thomæ eſt clara extenſiuè, ideſt, eſt clara ſed humilis, & abiecta, nego antecedens. ergo &cęt. nego conſequentiam. Etenim Diuus Thomas ſuæ doctrinæ claritatem, cum grauitate, breuitate, firmitate, celſitudine, ac profunditate coniunxit. Vnde in eiuſdem ſacræ doctrinæ laudem, ſic eadem Sancta canit Eccleſia. *Stylus breuis, grata facundia, celſa, clara firma ſententia*. De hac igitur claritate loquendo, doctrina Diui Thomæ clara eſt, adeoque clara, vt omnibus expoſitionibus comparata inueniatur apertior: Commentatores autem commentati ſunt Diuum Thomam, vel vt eius doctrinam, verborum extenſione magis declarent; vel ad oſtendendam litteræ profunditatem, ad quod Eminentiſſimus, atque acutiſſimus, Cardinalis Thomas de Vio Caietanus, diuinæ voluntatis interpretis, omnium præſtantiſſimus ac fidelis interpres, principalius inſpexit. Quare non repræhendendus, vt quidam repræhendere auſi ſunt, ſed ſi non imitandus, quia non aſſequendus, ſemper tamen, & in omni ſæculo eſt admirandus. Iuſtum enim eſt, vt tam præclari viri laudes, plena manu ad aſtra ferantur.

Explicatur titulus. Quatuor ſunt termini in titulo poſiti, & in præſenti explicandi, nimirum. Intellectus, intellectus creatus, poſſit, & videre Deum per eſſentiam.

Pro primi intelligentia eſt obſeruandum, quòd intellectus dupliciter ſumi poteſt. pro po-
2 tentia, ſcilicet, intellectiua contradiſtincta à ſubſtantia intellectuali; & pro ipſa ſubſtantia intellectuali. Et quidem ſi primo modo; Cum dicitur intellectus videt, intelligit, cognoſcit &cęt. non ſumitur propriè & vt quod, quoniam videre, intelligere, & cognoſcere, ſunt actiones quædam: actiones autem, ſeu operationes, ſunt ſubſiſtentium. ergo cum intellectus non ſit ſubſiſtens, eo quia accidens, non propriè & vt quod, eſt intelligens. Si verò, accipiatur ſecundo modo, quando dicitur quod intellectus videt, intelligit, cognoſcit &c. ſumitur propriè, & vt quòd, quoniam ſenſus eſt, quod ſubſtantia intellectualis, per intellectum tamquam per potentiam intellectiuam eſt intelligens. In præſenti tamen quia non loquimur de proprietate, ſed de veritate propoſitionis, parum refert, vtrum vno, vel altero modo ſumatur. Vnde Diuus Thomas, promiſcuè in corpore huius articuli vtitur, nomine intellectus. Nam in fine corporis immediatè quæſito reſpondens. ſic ait. *Vnde ſimpliciter concedendũ eſt, quod Beati Dei eſſentiam videant.* Beatorum autem nomine, non intellectus qui accidens eſt, ſed ſubſtantia intellectualis intelligitur: immediatè autem ante ſic ait. *Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non poſſit ad primam rerum cauſam, remanebit inane deſiderium naturæ*. ergo accipit intellectum creatum pro potentia intellectiua.

D.Thom.

Pro ſecundi termini intelligentia, eſt obſeruandum, quòd, intellectus creatus abſque vlla reſtrictione, ſed amplè accipiendus eſt, nimirum, intellectus creatus, ſiuè ſit humanus, vel Angelicus, de facto creatus, vel creabilis, itaquòd, ly, creatus, accipitur pro omni intellectu diſtincto, ab increato. Vnde hoc eſt in cauſa quare Diuus Thomas in titulo quærit vtrum aliquis intellectus creatus, &cęt. in corpore verò, exemplificat de homine: & alibi, nempè quęſt. 8. de verit. ar. 1. quærit vtrum Angeli videant Deum per eſſentiam. In corpore verò, reſpondet quod intellectus creatus poteſt videre Deum per eſſentiam, & in probatione ad creaturam rationalem deſcendit. Sic dicens. *Si ergo creatura rationalis in ſua perfectiſſima viſione non perueniet ad videndum diuinam eſſentiam, beatitudo eius non eſſet ipſe Deus*: nomine autem rationalis creaturæ, apud Diuum Thomam intelligitur homo. Signum ergo eſt, quòd intellectus creatus, amplè accipitur, & de omnibus intellectibus creatis eadem ratio eſt.

Pro tertij termini intelligentia, eſt obſeruan-
3 dum, quòd ly, poſſit, illimitatè intelligitur, ſeu ſub diſiunctione, ita vt ſenſus ſit, vtrum intellectus creatus, poſſit, per potentiam ordinariam, vel abſolutam, naturalem, vel ſupernaturalem, videre Deum.

Caietan.

Pro quarti termini intelligentia. Caietanus, per ly videre Deum per eſſentiam, intelligit cognoſcere Deum quantum ad quid eſt, ſeu ſcire Deum quidditatiuè.

Zumell.

Hæc Caietani expoſitio, Zumello non placet, eo quia hic eſt ſermo de cognitione intuitiua, & non valet conſequentia. Cognoſco aliquid intuitiuè. ergo quidditatiuè.

D.Thom.

Verùm, reijcere hanc Caietani interpraetationem, eſt impugnare Diuum Thomam, qui pro eodem accipit, videre Deum per eſſentiam, ac cognoſcere Deum quidditatiuè, vt manifeſtè conſtat in 3. cont. gent. cap. 49. vbi probare volens, quòd ſit impoſſibilis aliqua ſpecies creata Deum repręſentans ſic ait. *Omnis intelligibilis ſpecies per quam intelligitur quidditas, vel eſſentia alicuius rei, comprahendit in repræſentando rem illam. Vnde & orationes, ſignantes quod quid eſt, terminos & rationes vocamus*. Idem docet cap. 50. & 51. & hic. infra ar. 12. & 1. 2. q. 3. ar. 8. & ratione probatur, quam Nazarius hic, etiam inſinuauit. Nam cognitio intuitiua intellectualis, alicuius eſſentię, eſt videre ſeu intelligere

Nazar.

gere clarè, & diſtinctè alicuius rei quidditatem: ſed hoc eſt cognoſcere quidditatiuè. ergo.

Ad motiuum autem Zumel, breuiter reſpondetur, falſum eſſe quòd aliquis videat intelligibiliter eſsentiam Pauli, & illius quidditatiuam non habeat cognitionem.

Iuxta alios, idem ſonat videre Deum per eſſentiam, ac intuitiuè. & rectè. id, enim quod cum Caietano addimus eſt, quòd videre Deum intuitiuè, eſt idem ac videre Deum quantum ad omnia eius prædicata complectè, apprehenſiuè tamen, non compræhenſiuè.

Syluest.

Alij verò cum Syluestro, ly, videre Deum per
eſſentiam, explicant ſecundum quòd, ly, per
eſſentiam negat ex parte rei viſæ medium,
non verò, ſecundum, quòd, negat aliam me-
4 diam ſpeciem. Itaut ſenſus ſit, vtrum intel-
lectus creatus poſſit videre Deum per eſſen-
tiam, ideſt, immediatè, non mediante alio
obiecto viſo; non verò immediatè per eſſen-
tiam tamquam per ſpeciem: eo quia hoc in
ſequenti quærit articulo.

Mihi tamen dicendum videtur, quòd ly, per eſſentiam, vtroquè modo ſumitur. Nam ly per, cauſalitatem dicit, ſeu rationem. Ergo videre Deum per eſſentiam, idem eſt, ac videre Deum per ipſummet Deum, quod non ſolum intelligitur de immediatione obiectiua, verum etiam de immediatione formali, quapropter Diuus Thomas ar. ſequēti in fine tertiæ rationis ſic concludit. *Vnde dicere Deum per ſimilitudinem videri, eſt dicere diuinam eſſentiam non videri;* & 3. cont. gent. cap. 50. Sic ait. *Oportet ſi Dei eſſentia videatur quod per ipſammet eſſentiam diuinam intellectus ipſam videat.* Ergo idem eſt dicere, diuinam eſſentiam videri, & videri per eſſentiam tamquam per ſpeciem.

D.Thom.

Ad illud verò, quod alij dicunt, Diuum Thomam, in 2. ar. inueſtigare quomodo Deus per eſſentiam tamquam per ſpeciem, videatur, dico, id facere, vt complètè probet, & diſquirat, quod in præſenti aſſeruit. qualitercunque vero ſumatur; ſenſus quæſiti eſt iſte. Vtrum aliquis intellectus infra Deum, poſſit per quācunque potentiā videre Deum ſecundum quòd in ſe eſt.

In corpore articuli circa proprium difficultandi motiuum, eſt aduertendum, quòd non adducitur à Diuo Thoma, tamquam ratio aduerſariæ ſentētiæ, nam Diuus Thomas, duas in ſe propoſitiones ambas veras affert, ex quibus poſſet quiſpiam per falſam conſequentiam hæreticam deducere concluſionem, ſicut quidam intulerunt, & ideò Diuus Thomas motiuo poſito non adhibuit ſolutionem: idque ex verbis eiuſdem Angelici Præceptoris conſtat, dum dixit. *Hoc igitur attendentes quidam poſuerunt, quòd nullus intellectus creatus eſſentiam Dei videre poteſt.* quomodò autem ex illis duabus propoſitionibus veris, non rectè inferatur, aduerſariorum concluſio; patet, quia non licet arguere, eſt naturaliter Deus inuiſibilis, ergò nullo modò eſt viſibilis.

Circa probationem propoſitionis primæ, in
difficultandi motiuo poſitæ; nempè, Deus
quantum in ſe eſt, maximè cognoſcibilis eſt,
quia vnumquodque eſt cognoſcibile, ſecun-
5 dum quòd eſt in actu. Dubium occurrit. quia
ex ijs quæ infra q. 14. ar. 1. dicemus immate-
rialitas non ſolum eſt ratio cognoſcitiuita-
tis, verùm etiam cognoſcibilitatis. Ergo non
rectè in præſenti probat, Deum eſſe cogno-
ſcibilē, quia eſt actus purus. probatur con-
ſequentia, quia puritas actus, eſt diſtinctum
prædicatum Dei ab immaterialitate ipſius.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Nam actus purus, & ſumma immaterialitas, ſolo nomine differūt; eo quia cognoſcibilitas conuenit enti, ſecundum quòd ens dicit actualitatem. Vnde ſecundu quòd vnumquodque recedit ab actu, ſic etiam à cognoſcibilitate, & entitate deficit. quapropter materia prima, cum nullam de ſe habeat actualitatem, nullam etiam habet de ſe coguoſcibilitatem, & cum ſit entitas potentialis, redditur cognoſcibilis per analogiam ad formam per quam perficitur, & actuatur: ratio autem entitatis in Deo, & immaterialitatis, nulla ratione differunt niſi ſecundum confuſum, & diſtinctum.

Circa primam opinionis relatæ impugnationem, eſt aduertendum, quòd dupliciter prędicta ratio formalizari poteſt. primò, ea forma, quam in textus formatione poſuimus. Secundò, ſic, quòd cum dicitur, *quod eſt alienum à fide.* Sic intelligatur, quod vtrumquè, ideſt, & quod nunquam homo ſuam beatitudinem obtinebit, & quòd beatitudo hominis, cōſiſtat in aliquo alio quam in Deo, eſt alienum à fide.

Iuxta quam formationem, dicendum eſt, quòd Diuus Thomas per duas ſequentes propoſitiones, vtramque partem probauit, videlicet, per primam, *in ipſo*, ſcilicet, eſt *vltima perfectio rationalis creaturæ, quod eſt et principium eſſendi*, probauit ſecundam. & per ſecundam, videlicet, *in tantum vnumquodque perfectum eſt, in quantum ad ſuum principium attingit*, primam partem probauit. & in omnibus iſtis duabus propoſitionibus, ſubintelligendum eſt, de fide, ſeu iuxta fidem, id eſt, in ipſo, iuxta fidem, eſt vltima perfectio rationalis creaturæ, &cęt. in tantum, iuxta fidem, vnumquodque perfectum eſt in quantum, &cęt.

Verùm, ſtandum eſt formalizationi, iam poſitę quia quamuis vtraque propoſitio ſi affirmetur, ſit à fide aliena, cum de fide certum ſit, & quòd homo ſuam beatitudinem obtinebit, & quòd nō in aliquo alio quàm in Deo eius beatitudo conſiſtat. tamen eſt magis litteræ conſona.

Pro

Caietan Pro huius tamen Caietani, formalizationis intelligentia eſt obſeruandum, quòd cùm Caietanus ait, eſſe *manifeſtè impoſſibile* aſſerere quòd numquam homo ſuam beatitudinem obtinebit, ſubintelligenda eſt, hæc alia particula, eſt manifeſtè impoſſibile, in fide, ſeu iuxta fidem.

Nazarius del Med. Iauellus. Nazarius hic, in forma textus, Hieronymus de Medicis, & Iauellus ſuper hũc articulum, huius textus, litteram aliter formalizant. Nam iuxta hos Doctores, hæc propoſitio, ſcilicet, in ipſo eſt vltima perfectio rationalis creaturæ, quod eſt ei principium eſſendi, aſſumitur à Diuo Thoma hic, ad immediatè probandum, quòd beatitudo vltima hominis conſiſtat tantum in Deo non verò ad probandum eſſe alienum à fide aſſerere quòd beatitudo vltima hominis conſiſtat tantum in Deo.

5 Verumtamen, horum Doctorum formalizatio, eſt præter Angelici præceptoris mentem. Nam eſt contra tenorem verborum; eò quia hæc propoſitio. *in ipſo enim eſt vltima perfectio rationalis creaturæ, quod eſt ei principium eſſendi*, eſt propoſitionis immediatè antecedentis probatio, aliàs non eſſet congrua textus compoſitio: ſed propoſitio immediatè antecedens eſt iſta, nempè, *quod eſt alienum à fide*. Ergo hanc eandem propoſitionem per aliam immediatè ſequentem probare intendit.

Iauellus. D.Tho. Dices ex Iauello, hæc propoſitio, Deus eſt primum principium productiuum creaturæ rationalis, non eſt credita, quoniam Diuus Thomas infra q. 44. ar. 1. probat, etiam de mente Platonis, & Ariſtotelis omne eſſe aliud à Deo, eſſe productum ab ipſo. ergo ſub fide cadit, ſolum productio in tempore, & non ab æterno. ergo propoſitio illa, non eſt neceſſariò credita, & ex cõſequenti eſt ex principio demonſtrabili.

Caietan. Reſpondetur, Caietanum nõ dixiſſe quòd prædicta propoſitio ſit ita neceſſariò credita, quòd non poſſit eſſe ſcita, ſed dixiſſe quòd *oportet expreſſè credere*, ſcilicet, *quòd Deus eſt Creator omnis creaturæ rationalis*, taliter quòd ſiquis propoſitionem allatam negauerit,

7 meritò nuncupetur hæreticus. Nam etiam Deum eſſe, eſt ratione naturali demonſtrabile, tamen negare Deum eſſe, eſt hæreticum. quare oportet credere Deum eſſe: & hoc ſufficit ad probandum intentum, vnde ruit Iauelli fundamentum.

D. Tho. Sed eſt obſeruandum, quod Diuus Thomas ad probãdum eſſe alienum à fide, aſſerere quòd beatitudo hominis vltima in aliquo alio quàm in Deo conſiſtat, non aſſumpſit hanc propoſitionem, nempè, Deus eſt primum principium productiuum creaturæ rationalis, ſed hanc, ſcilicet, *in ipſo eſt vltima perfectio rationalis creaturæ, quod eſt ei principium eſſendi*, ſub qua hanc intellexit, & implicitè incluſit. Deus eſt primum principium productiuum, creaturæ rationalis; neque Caietanus dixit, quòd hanc propoſitionem aſſũpſit, pro vt Iauellus refert, ſed tantummodo ſic aſſeruit. *attulit propoſitionem quam oportet expreſſè credere, attulit*, dixit, non *aſſumpſit*. eò quia etiam, quod implicitè in aliqua propoſitione continetur, & neceſſariò ſub illa intelligitur, dicitur eſſe allatum, non tamen dicitur eſſe aſſumptum; ſi rigore ſummuliſtico loquamur. & ſic patet, quòd propoſitio à Diuo Thoma aſſumpta, eſt omninò de fide certa, & nullatenus ratione naturali demonſtrari poteſt: minor verò propoſitio ſub intellecta eſt etiam de fide certa, modo iam explicato. Ergo, &cęt.

Circa illam propoſitionem, nimirum, *in ipſo eſt vltima perfectio rationalis creaturæ, quod eſt ei principium eſſendi*. eſt breuiter obſeruandum, quòd ly in ipſo, non intelligitur quaſi ſenſus ſit in ipſius attingentia, quoniam probaretur idem per idem, cum ſubdit, *in tantum vnumquodque eſt perfectum in quantum ad ſuum principium attingit*. Intelligitur autem ly, in ipſo, tanquam in obiecto, vt clarius Diuus Thomas q. 8. de verit. declarat dicẽs. *quod beatitudo eius non eſſet ipſe Deus, ſed aliquid ſub Deo*.

Circa illam propoſitionem, *Vnumquodque in tantum eſt perfectum in quantum ſuum principium attingit*, Sic illam intellige, in quantum ſuum principium attingit, iuxta vnius cuiuſque proportionem, & capacitatem. quoniam quamuis omnis creaturæ vltimus finis, ſit attingere Deum: attingere autem Deum ſtat dupliciter. cognoſcendo, ſcilicet, & amando, & hoc etiam dupliciter, cognoſcendo clarè, & amando ex vi claræ cognitionis, & cognoſcendo obſcurè, & amando amore, obſcuram cognitionem ſequente. Et hoc etiam dupliciter cognoſcendo ſcilicet, & amando cognitione, vel amore naturali, vel ſupernaturali.

Alio verò modo, participando aliquam Dei ſimilitudinem in ſe. Omnes quidem creaturæ in Deum ſicut in vltimum finem tendunt, vt ipſius bonitatem altero horum modorum, conſequantur. proprium autem ſolius rationalis creaturæ eſt, Deum tamquam vltimam perfectiſſimamque beatitudinem per viſionem conſequi: aliæ tamen creaturæ homine inferiores attingunt Deum per participationem alicuius ſimilitudinis cum ipſo, ſecundum quòd ſcilicet ſunt, viuunt, intelligunt, &cęt. & hoc ſtante optimè Diuus Thomas ſuum probat intentum, nempè, quòd in ipſo tamquam in obiecto conſiſtit vltima rationalis creaturæ beatitudo, quod eſt ei principium eſſendi, per hoc; ſcilicet, quòd vnumquodque in tãtum eſt perfectũ, in quantum attingit ſuum principium, ſubaudi tamen, iuxta ſuam capacitatem, vel cognoſcendo, & amando, quod eſt rationalis creaturæ proprium, vel aliquam ſimilitudinem

Digitized by Google

nem Dei in ſe participando vt ſunt cæteræ creaturæ. ergo in ipſo tanquam in obiecto conſiſtit vltima hominis beatitudo, quod eſt ei principium eſſendi.

Circa ſecundam falſæ opinionis impugnationem: quantum ad illa verba, quæ proponit; nempè, *ſimiliter eſt præter rationem*. Dubium occurrit: Nam vel Sermo eſt, de ratione naturali tantum, vel de ratione Theologica. Si primum. formalizationi, atque interpræationi Caietani repugnat. Caietanus .n. ait, quòd ratio ſecunda loquatur de homine ad ſupernaturalem beatitudinem ordinato, necnon de cognitione effectuum ſupernaturalium, nempe, gratiæ, & gloriæ; qui ſolo naturali intellectus lumine, nequaquam cognoſci poſſunt. Si ſecundum. nihil differt à præcedenti argumentandi modo. ergo vtraq; impugnatio, eſt ratio Theologica. ergo irrationabiliter in ſecunda confutatione dixit, illa verba .ſ. *ſimiliter eſt præter rationem*. Caietan.

Reſpondetur admittendo Caietani interpræationem tanquam ingenioſam & veram.

9 Quòd eſſe præter rationem dupliciter intelligi poteſt, tanquam medium concludendi: & tanquam conſequens deductum. primo modo, ſenſus eſt, quòd medium, quo, aliquid concluditur, eſt ratio naturalis: Secundo autem modo, ſenſus eſt, quòd conſequens deductum eſt ly, *præter rationem*. D.Th. in præſenti nõ primo modo loquitur; ſed ſecundo. quaſi diceret. primum inconueniens fuit, quia ſequeretur aliquid contra fidem. & Secundum; quia ſequeretur aliquid præter rationem. eſt enim præter rationem, quòd deſiderium naturale ſit fruſtra, ſiue illud ſit naturę pondus, ſiue ſit actus elicitus, ſiue ſit entitatiue naturale, vel entitatiuè ſupernaturale. apud eos autem qui Caietanum non ſuſtinent, dubium nullum eſt.

In calce corporis reſpondet affirmatiuè quæſito .ſ. ſimpliciter concedendum eſt quòd Beati eſſentiam Dei videant. Concluſio eſt de fide certa, & fuſius examinabitur infra, in diſputationibus. Dupliciter autẽ à D.Th: probatur. immediatè. & mediatè. immediatè quidem in argumento Sed Contra. ex illo Ioann. 3. Videbimus eum ſicuti eſt. mediatè autem, ex duplici oppoſitæ opinionis confutatione: poterat autem ſola authoritate Sacræ Scripturæ, catholicam munire ſententiam, hæreticamque refellere opinionem. placuit nihilominus eam vltra hoc, etiam impugnare, ducendo ad duplex incõuen ens, contra fidem, ſcilicet, & præter rationem naturalem; vt magis Theologos erudiret, atque etiam omnibus modis eam obtenebraret. Ita ſanè ꝙ quatenus immediatè & explicitè Authoritate Sacræ Scripturæ, vel Sanctæ Eccleſiæ determinatione definitur, eſt immediatè de fide, & ſecundùm quòd ratione Theologica ex principijs fidei probatur; eſt mediatè de fide. quia igitur Beatos Deum, vt eſt in ſe videre vtroque modo, immediatè & mediatè probauit. Ideo dictum eſt, concluſionem D. Th. eſſe immediatè, & mediatè de fide.

Ioan. 3.

Neque hoc nefas eſt effari. Nam filium Dei

10 realiter à Patre diſtingui etiam duplici via probari poteſt. mediatè .ſ. & immediatè. immediatè quidem quia ſic definitur ab Eccleſia, *alia eſt enim perſona Patris, alia, Filij, alia Spiritus Sancti*. Sic Scriptura affirmat. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo Pater Verbū, & Spiritus Sanctus*. mediatè verò, hoc modo. De fide certum eſt, quòd incarnatus eſt Filius, & non Pater. ergo Filius eſt realiter à Patre diſtinctus. idem patet in ſexcentis caſibus. Ita in præſenti. quare, &c. Symbolū Athanaſij 1. Ioan. 5.

In reſponſione ad primum. Nota primò, Quòd licet D. Thom. vnica reſponſione, ſeu explicatione; Nempè de cognitione comprehenſiua; Sacræ Scripturæ, Sanctorumque, Dionyſij, & Chryſoſtomi authoritates explicet. Sunt inſuper alij modi quibus Sacra Scriptura, & Sancti exponi, ſeu interpretari poſſunt. Vid. de cognitione proprijs naturæ viribus. oculo corporeo, vel per aliquã potentiam ſenſitiuam. & de potentia ordinaria. Non quia omnia Sanctorum, & Scripturæ loca, omnes quatuor explicationes collectiuè ſumptas, patiantur, ſed quia nullus locus eſt, qui ſecundum accommodam diſtributionem, aliquam ex ſupradictis explicationem non capiat: hoc autem extenſius patebit inferius.

Obſeruandum ſecundò quòd D.Thomas Sanctis Patribus debitum deuotumque præbens honorem, conatus eſt eos ſemper diligentius intueri, & in locis præſertim obſcurioribus, grauioribuſque, ad pium verumque ſenſum trahere. Vnde Chryſoſtomum, & Dionyſium de cognitione comprehenſiua Dei locutos eſſe affirmat. E regione autem Pater D.Thom.

11 Gabriel Vaſquez, qui hanc D. Thomæ expoſitionem, ægrè ferens, ita D.Thomæ interpretationem repulit, vt Sãctos Dionyſiū, Chryſoſtomum, & multorum præcipuorum Sanctorum Caterųam, hæreticam ſuſtinuiſſe ſententiam contendat; de qua re ſpecialem prolixioremque habebimus diſputationem, illamque cum communi Theologorum ſententia demonſtrabimus eſſe reprehenſione, correctioneque dignum. Vaſquez.

In reſponſione ad ſecundum pro eius intelligentia eſt cum eodem Diuo Thoma 3. cont. gent. cap. 54. obſeruandum, quòd Deus non dicitur infinitus priuatiuè, ſed negatiuè: eò quia infinitum priuatiuè, eſt quantitatiuum quantitate continua, vel diſcreta: huiuſmodi autem infinitum rationabiliter eſt ſecundum ſe ignotum, quia ſemper in eo eſt accipere partem poſt partem, vel vnitatem poſt vnitatem, & conſequenter eſt quaſi materia carens forma: materia enim carens forma eſt

po-

Digitized by Google

potentia, & in potentia ad formam. ergo nuquam determinatè intelligitur, nec aliam determinationem habet, quam eſſe ens potentiale, & indeterminatum; vt autem determinatè intelligatur, neceſsè eſt, vt per formam determinetur. forma enim cum ſit actus, eam ad hanc, vel illam ſpeciem conſtituit. Sumitur igitur infinitum priuatiuè ſecundum ſe eſt incognoſcibile, eò quia potentiale, & indeterminatum eſt, nec vllam aliam determinationem habet, quam hanc: nimirum, eſſe indeterminatum, & infinitum. taliter, quòd neque à Deo huiuſmodi infinitum per modum infiniti, eſt cognoſcibile, ſed tantùm per modum finiti, eo modo quo infra q.14. ar.12. explicabimus. Infinitum verò negatiuè, non eſt ſecundum ſe incognoſcibile, immo maximè cognoſcibile: Nam infinitum negatiuè, ideo dicitur, quia in ſua perfectione non habet, vnde limitetur, vel finiatur. Vnde dicitur infinitum formale: forma autem cum ſit actus, cognoſcibilitatem dicit, & conſequenter forma infinita, cognoſcibilitatem maximam, & infinitam. Quare infinitas Dei, non ſolum, Deum ſecundum ſe incognoſcibilem non reddit, verùm, maximè cognoſcibilem demonſtrat; quapropter, qui opinati ſunt Deum ab intellectu creato videri non poſſe, non ad eius incognoſcibilitatem, ſed ad ipſius maximam cognoſcibilitatem, ſeù actualitatem inſpexerunt.

In reſponſione ad quartum. Reſponſio conſiſtit in hoc, quòd inter intellectum creatum,
12 & Deum, non eſt proportio propriè ſumpta, ſed largè, ſeu translatiuè. Nam proportio propriè ſumpta, eſt certa habitudo vnius quantitatis ad alteram, ſecundùm quòd duplum, triplum, & æquale ſunt ſpecies quantitatis, ſicut cùm dicimus, quatuor, duplam ad duo habere proportionem, nouem, triplam ad tria, &c. Proportio verò, translatiuè, ſumpta, eſt omnis habitudo vnius ad alterum, nempè, habitudo potentiæ ad obiectum, cauſæ ad effectum, ſuperioris ad inferius, & è contra. Nam quamuis Deus nulla certa perfectionis menſura poſſit creaturæ commenſurari, cùm quacumque creata perfectione poſita, illam in infinitum ſemper excedat. nihilominus eſt ſufficiens omnium creaturarum cauſa, & cōſequenter proportionata, ſumendo proportionem ſecundùm quòd phyloſophi, proportionis nomen ad omnem ſufficientem habitudinem vnius ad alterum tranſtulerunt. iuxta quem ſenſum, dicimus, intellectum creatum cum Deo, mediante lumine gloriæ, ad videndum Deum eſſe proportionatum, & hoc eſt, quòd alij dicunt, intellectum creatum eſſe proportionatum cum Deo obiectiuè, non verò entitatiuè. quia ad proportionem entitatiuam, neceſſaria eſt, certa perfectionis commenſuratio, v. g. æqualis cum æquali, quatuor ad duo, &c. quæ quidem proportio exceſſum non ſuffert infinitum: ad proportionem verò, obiectiuè ſumptam, virtus ſufficiens ad attingendum obiectum, ſufficit, & requiritur. Et quoniam infra dicemus intellectum creatum lumine gloriæ illuſtratum, diuinam intra ſe ſuſcipere eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, illaque mediante, fieri Deum in eſſe intelligibili; & Diuus Thomas infra ar.4. videtur aſſerere, quòd obiectum in modo eſſendi, non poteſt excedere modum eſſendi naturæ cognoſcentis, durum apparet, quòd in præſenti reſponſione aſſeritur, nempè, quòd cognoſcentis ad cognitum, non ſit neceſſaria proportio proprè dicta, nec in quantitate molis, nec virtutis. hæc tamen omnia ſucceſſiuè extricabimus.

D.Thom.

Supereſt igitur, vt grauiora, ac difficiliora, per diſputationum torcular examinentur; & vt tamquàm ab Ouo, huius articuli doctrinam explicemus, hunc articulum per ſubſequentes diſputationes expediemus. vnde ſit.

DISPVTATIO PRIMA.

VTRVM AVTHORES OPINIONIS, Quam Diuus Thomas in corpore recitat, & confutat, fuerint Catholici, an Hæretici.

In duo Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum ſententiæ referuntur, & veritas aperitur.

Caiet. CAietanus hic, ſuſtinet illius opinionis authores, fuiſſe quoſdam Chriſtianos, his verbis. *Hæc, inquit, opinio fuit aliquorum Chriſtianorum, vt puto, & ideò ex ijs, quæ fidei ſunt diſputat.*

Aliqui autem dicunt, illius opinionis authores fuiſſe quoſdam hæreticos.

1 Meo tamen iudicio vterque dicendi modus ſuſtineri poteſt, & quòd dictæ opinionis authores fuerint tantum hæretici; & quòd nõ ſolum hæretici, ſed etiam nonnulli alij Catholici, magis tamen eſt litteræ Diui Thomæ conſona, interpratatio Caietani;

Probatur igitur prima pars, nempè, quòd relatæ opinionis defenſores fuerint tantum hæretici, quia D. Thomas, de verit. q. 8. artic. 1. in corpore illam opinionem hæreticam vocat: ergò ſignum eſt, quòd eius defenſores ſunt hæretici. (D.Thom.)

Probatur ſecunda, & tertia pars. quia Diuus Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 1. in corpore ſic ait. *quidam Theologi poſuerunt, quòd intellectus humanus numquam poteſt ad hoc peruenire, quòd Deum per eſſentiam videat.* ergò, &c. (D.Thom.)

Probatur ſecundò. Quia non implicat vt aliqui ex Catholicis, inaduertenter tamen, & incontumaciter aliquando hæreticorum, ſeù hæreticas tenuerint ſententias, quas, ſcilicet, ſi cognouiſſent, execrati fuiſſent, & correxiſſent, vnde Auguſtinus dixit, errare potero, hæreticus non ero; & Pater Gabriel Vaſquez, firmiter tenet, principaliores Sanctæ Eccleſiæ patres, hanc hæreticam ſuſtinuiſſe opinionem, ſed immeritò, & infra de tali impoſitione caſtigabitur. Ergo Diuus Thomas opinionem hæreticam vocans ſententiam damnat non authores.

CAPVT SECVNDVM.

Argumenta in contrariũ diſſoluũtur.

SEd contra hanc determinationem obijciet aliquis, contra primam partem, primò, Quia Diuus Thomas ex ijs quæ fidei ſunt aduerſus opinionem inſurgit. ergo illa opinio, à Diuo Thoma impugnatur, ſecundùm quòd eſt aliquorum Theologorum, ſeu Catholicorum, non autem hæreticorum. antecedens patet, ex toto articuli diſcurſu. probatur autem conſequentia quia aduerſus hæreticos, non licet ex ijs quæ fidei ſunt arguere. (D.Thom.)

2 Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. ad cuius probationem, diſtinguo antecedens, aduerſus hæreticos non licet arguere ex ijs quæ fidei ſunt, fundatis in Sũmorum Pontificum, Sacrorumque Conciliorum authoritatibus, ac determinationibus, concedo antecedens. Nam hæreticorum prauitas, ſupradictis determinationibus non acquieſcit: Aduerſus hæreticos non licet arguere ex ijs quæ fidei ſunt, ex authoritate Sacræ Scripturæ depromptis, nego antecedens. Nam hæretici, eiuſdem Sacræ Scripturæ authoritatibus malè intellectis, atque iniquè interpretatis, ſuas rebelles, execrandaſque ſententias defendere, ac obumbrare conantur. Et quoniam Deum videri poſſe per eſſentiam, non ſolùm, Summorum Pontificum, ac Sacrorum Conciliorum definitionibus probatur; verùm etiam Sacræ Scripturæ vtriuſque teſtamenti authoritatibus, vt infra patebit. ideo etiam ſi, opinio relata hæreticorum non verò Catholicorum fuerit, Diuus Thomas, ex ijs quæ fidei ſunt rectè proceſſit.

3 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo antecedens. Diuus Thomas ex ijs quæ fidei ſunt aduerſus opinionem inſurgit, conuerſus ad Theologos, ſeù Catholicos, vt illos inſtruat. concedo antecedens. ad conuincendos hæreticos, nego antecedens. Doctrina eſt Diui Thomæ in 1. cont. gent. prout extensè dicemus, cum diſputabimus, vtrum ratione naturali poſſibilitas viſionis beatificæ poſſit demonſtrari.

Obijcies ſecundò, contra ſecundam, & tertiam partem, quia Diuus Thomas, opinionem, quam refert, & confutat, vocat hæreticam. ergo eius authores ſunt hęretici;

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia vt iam diximus, aliqui catholici, poſſunt inaduertenter, hæreticam ſuſtinere ſententiam, abſq; ipſorum fidei detrimento,

DISPVTATIO SECVNDA.

VTRVM RECTè DIVVS THOMAS INFERAT, quòd ſi intellectus creatus, numquàm eſſentiam Dei videre poteſt, vel numquàm beatitudinem obtinebit, vel in aliquo alio quàm in Deo eius beatitudo conſiſtet.

Per vnum Caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 SI creatura rationalis eſſentiam Dei videre nõ poteſt, euidẽter ſequitur quòd, ſi eius beatitudo in Dei viſione conſiſtit, numquam ſuam beatitudinem obtinebit. difficultas tamen non leuis eſt, quantùm ad ſecundam dilemmatis partem, videlicet, in aliquo alio, eius beatitudo conſiſtet, quàm in Deo, vt patebit, ex argumenti in contrarium ſolutione. Vnde pro determinatione veritatis.

Dico breuiter. Rectè Diuus Thomas, ſecundam dilemmatis partem, ex ſuo diſcurſu, deducit.

Probatur, quia iuxta formam arguendi à Diuo Thoma hic poſitam, & q. 8. de verit. ar. 1. clarius explicatam, vis rationis Diui Thomæ conſiſtit in hoc. Beatitudo cuiuslibet creaturæ rationalis, in nobiliſſima illius viſione conſiſtit. Ergo ſi in ſua perfectiſſima viſione ad videndum Deum non perueniet, vel numquàm ſuam beatitudinem obtinebit, vel in aliquo alio ſub Deo, eius eſſet beatitudo cõſiſtens; quod eſt alienum à fide. Sequela quò ad primam partem patet, quia perfectiſſima intellectus creati viſio in qua eius beatitudo conſiſtit, eſt viſio Dei. Ergo ſi numquam videbit Deum, numquam ſuam beatitudinem obtinebit. probatur verò quò ad ſecundam partem, ex antecedenti, nempè, quòd beatitudo cuiuslibet creaturæ rationalis in nobiliſſima illius viſione conſiſtit. Ergo ſi alias ſuam beatitudinem obtinebit, obiectum illius perfectiſſimæ viſionis beatificæ, erit creaturæ rationalis obiectiua beatitudo, quod, cum non ſit Deus; erit aliquid aliud ſub Deo. — D.Thom.

2 Quòd autem hæc ſit germana Diui Thomæ intelligentia, eius de veritate q. 8. ar. 1. in corp. referamus verba. *Conſtat enim*, inquit, *quòd cuiuslibet intellectualis creaturæ beatitudo conſiſtit, in ſua perfectiſſima operatione. Illud autem quod eſt ſupremum in qualibet creatura rationali, eſt intellectus. Vnde oportet, quòd beatitudo, cuiuslibet creaturæ rationalis, in nobiliſſima viſione intellectus conſiſtat. Nobilitas autem intellectiuæ viſionis, eſt ex nobilitate intellecti. Sicut etiam dicit Phyloſophus in 10. Ethic. quòd perfectiſſima operatio viſus, eſt viſus benè diſpoſiti ad pulcherrimum eorum, quæ cadunt ſub viſu. Si ergo creatura rationalis in ſua perfectiſſima viſione non perueniet ad videndum diuinam eſſentiam; beatitudo eius, non eſſet ipſe Deus, ſed aliquid ſub Deo, quod eſſe non poteſt. Quia vltima perfectio cuiuslibet rei, eſt quando pertingit ad ſuum principium. ipſe autem Deus omnes creaturas rationales immediatè condidit, vt fides noſtra tenet. Vnde oportet ſecundum fidem, vt omnis creatura rationalis quæ ad beatitudinem peruenit, Deum per eſſentiam videat.* hæc ille. — D.Thom.

Vbi aduerte primò, quòd Diuus Thomas, infert quòd ſi homo non poſſet videre Deum, vel numquàm ſuam beatitudinem obtinebit, vel in aliquo alio quàm in Deo vltima beatitudo ipſius conſiſtet, ex hoc; quia, nimirũ, vltima hominis beatitudo, in perfectiſſima intellectus creati viſione conſiſtit.

Aduerte ſecundò, quòd hæc propoſitio, nem-
3 pè, beatitudo cuiuslibet creaturæ rationalis in nobiliſſima viſione intellectus conſiſtit, eſt ex fide certa. Nam de fide certum eſt, quòd numquàm homo ſatiatur, niſi in apparitione, ſeu viſione gloriæ Dei iuxta illud Pſalmi 16. *Tunc ſatiabor cum apparuerit gloria tua*. Si igitur Deus non videbitur, beatitudo hominis conſiſtit in aliquo alio quàm in Deo, nam conſiſtit in viſione perfectiſſima & per viſionem perfectiſſimam non videtur Deus. ergo obiectum beatificans non eſt Deus. vnde gloria Dei quæ hominibus apparebit, eorumquè ſatiabit appetitum, non erit Deus. — Pſalm. 16.

Aduertè tertiò, quòd, diſcurſus Diui Thomæ, eſt etiam in ratione naturali fundatus; Nam cognitio abſtractiua Dei, non poteſt eſſe immediatè terminata ad Deum tamquàm ad obiectum formale illius cognitionis. Eo quia vt infra patebit, cognitio immediata Dei debet eſſe intuitiua cognitio. igitur abſtractiua Dei, eſt ex creaturarum cognitione proueniens, & conſequenter reſpicit tamquàm obiectum formale, creaturas, & ſic

beati-

beatitudo, cum conſiſtat in perfectiſſima viſione, euidenter deducitur, quòd abſtractiua Dei cognitio, non eſt beatifica. ergo in aliquo alio quàm in Deo beatitudo cõſiſtet. quare autem abſtractiua cognitio aliarum rerum, poſſit eſſe quidditatiua, & immediata, ex ijs quæ articulo ſequenti dicemus conſtabit. Nam aliqua rerum creatarum abſtractiua cognitio, poteſt eſſe quidditatiua & per propriam ſpeciem; & quantum eſt ex ſufficientia luminis & ratione ſpeciei, dicitur intuitiua; tantummodo dicitur abſtractiua, ex defectu obiecti non exiſtentis.

4 Sed Contra iſtam determinationem obijciet aliquis. Nam quando Diuus Thomas infert, quòd in aliquo alio eius beatitudo conſiſtet, quàm in Deo. quò hoc ſpectat? vel enim intendit, quòd, in aliquo, alio, quàm in Deo, ideſt, in aliquo alio, quàm in viſione Dei, vel in aliquo alio quàm in Deo, ideſt, in aliquo alio, infra Deum. Non primum, vt D. Thomas ex authoritate de veritate quæſtione 8. artic. 1. in corp. iam adducta docet, ſic dicens. *Si ergo creatura rationalis in ſua perfectiſſima viſione non perueniret ad videndum diuinam eſſentiam, beatitudo eius, non eſſet ipſe Deus, ſed aliquid ſub Deo*. Intendit ergo, re vera ſecundum: ſed neque ſecundum: quia videtur omninò falſum. Nam dato, quòd nullus intellectus creatus Deum videre poſſet, adhuc eius beatitudo in Deo conſiſtere poſſet, nempè, in quadam clariori quam in via habemus cognitione.

Reſpondetur tamen, quòd Diuus Thomas ſecundum amplectitur membrum: ad cuius impugnationem, nego antecedens; quoniam iuxta formam arguendi à Diuo Thoma hic poſitam, & q. 8. de verit. diſtinctius explicatam, non ſequitur quòd beatitudo ſita eſſet in Deo obſcurè cognito, ſed neceſſariò, in aliqua perfectiſſima viſione, eo modo quo paulo ante explicabamus.

DISPVTATIO TERTIA

VTRVM VERVM SIT QVÒD VLTIMA HOMINIS beatitudo conſiſtat in altiſſima eius operatione, quæ eſt intelligere, ideſt viſio clara Dei.

Per decem Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 NOn miſcellanea tracto, neque vt paginas impleam, alienas hic controuerſias inſero, in præſenti hanc controuerſiam diſputans, quoniam diſputatio hæc, licet à Diuo Thoma, p. 2. q. 3. art. 8. tamquàm in propria ſede ex profeſſo diſquiratur, tamen, eſt adeò, huic articulo affinis, vt viciſſim ad inuicem ſe inferant, præſupponant, & includant. Quare non immeritò, multi Doctores in 1. 2. de Beatitudine differentes expreſsè huius primi articuli concluſionem examinant; & Diuus Thomas in huius articuli corpore in prima impugnatione contra hæreticam opinionem, tamquàm omninò certum aſſumit, & ſupponit, vltimam hominis beatitudinem, in altiſſimo eius intelligere, ideſt, in Dei clara viſione conſiſtere.

D.Thom.

D.Thom.

In hac diſputatione. Henricus de Gandauo quodlib. 1. 3. & 13. quæſt. 12. dicit, vltimam hominis beatitudinem ſitam eſſe, non ſolùm in actu intellectus, & voluntatis, ſed etiam in illapſu eſſentiæ diuinæ intra eſſentiam animæ, & principaliùs in hoc illapſu, quàm in actu intellectus, & voluntatis. Vtrum autem per hunc illapſum intelligat vnionem diuinæ eſſentiæ, immediatè per ſe ipſam intra eſſentiam animæ, an verò mediatè, nempè, per ſanctificantem gratiam; non conueniunt Doctores: hoc tamen non diſputo, eius tantummodò verba refero, vt quid Henricus ſenſerit, vnuſquiſque faciliùs valeat iudicare. Quodlibeto enim 13. q. 12. ſic quærit, *Vtrum beatitudo principaliùs perficiat eſſentiam animæ, vel potentiam?* Cui quæſito ſequentibus verbis, ſic reſpondet. *Dicendum quòd ſecundum Auicennam, & alios Philoſophos, bonum quod eſt beatitudo hominis, non reſpicit eſſentiam animæ, ſed ſolam potentiam, mediante operatione: ſed iſti non viderunt veram beatitudinem, quæ conſiſtit non ſolùm in actu intellectus, & voluntatis, in quibus non eſt niſi beatitudo creata, ſed principaliùs conſiſtit in obiecto, quod eſt beatitudo increata, quæ Deus eſt, in quantum eſt bonum voluntatis, quæ ſe transformat in*

Hugo.

illud, quantùm poſſibile eſt, ſecundum naturam, & hoc, vi amoris, ſecundum quem elicitur, vt habitu voluntatis, volitio vera. Vnde Hugo ſuper ſeptimum caput cæleſtis Hierarchiæ dicit, ſi ſicut dilectum non vadis, adhuc foris amas. Et ſequitur. *Amor enim te facere vult vnum cum illo, quoniam dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt intelligentia; plus enim diligitur, quàm intelligitur, & intrat dilectio, & appropinquat, vbi ſcientia foris ſtat: quod fit, non per hoc, quòd homo illabatur diuinitati ſed diuinitas animæ. Sicut ferrum candeſcit ex hoc, quòd ignis profundit ſe in ferro, & non per hoc, quòd ferrum profundat ſe in igne: illapſus autem, magis fit in eſſentia animæ, quàm in potentiis, ſicut gratia, & gloria, quæ eſt gratia conſummata: principaliter autem eſt in eſſentia, & ex redundantia in potentijs ſub ratione habitus, & virtutis. Per talem enim illapſum anima inflammatur, & illuminatur ardore charitatis, & prout eſt poſſibile Dei formalitatem habet, vt quaſi non ſit, nec appareat aliud eſſe, quàm Deus. Sicut ferrum candens in igne lucet, & ardet, vt quaſi non appareat eſſe aliud, quàm ignis, nec diſtinctum quid ab eo, deinde per deriuationem; diuinitas illabitur potentijs, ideſt, ſubſtantiæ prout habet rationem potentiæ. Vnde eſt vnus illapſus, nec poteſt fieri illapſus in eſſentiam, quin redundet in potentijs. Dico ergo, quòd beatitudo principalius perficit eſſentiam, quàm potentias: quia in illa principalius habetur Deus, qui eſt beatitudo, & perficit illam quodammodo per ſuam eſſentiam, potentias autem animæ, non niſi per illas operationes terminatas ad eſſentiam ſub ratione veri, & boni, licet perceptio huius perfectionis non conueniat animæ niſi per potentias.* Hæc ille.

Vaſquez.

2 Pater Gabriel Vaſquez conatus eſt Henricum piè interpretari; quem tamen aliqui acriter reprehendunt, eò quia communi Theologorum intelligētiæ ſe opponit: ego verò, laudo, non vitupero, erga Henricum Doctorē Catholicum, pium Patris Vaſquez affectum. Eſſet tamen intolerabile malum, hæreticos pro viribus excuſare, & principaliores Eccleſiæ Patres, hæreticam ſentētiam ſuſtinuiſſe contendere.

2. Opinio

Quidam defendunt, vltimam creaturæ rationalis beatitudinem, aliquid ex habitu, & actu aggregatum dicere, ideſt, non actum tantùm, nec ſolummodo, habitum, *ſed habitum vt actum, ſiuè in actu: Sicut ſi diceret ſcientiam quæ ſemper eſt in conſiderando: principalius tamen dicit habitum;* & aſſignant exemplum, ſicut *figura dicit diſpoſitionē qualitatis in quantitate, principalius tamen diſpoſitionem. Vnde dicit diſpoſitionem in quantitate, & eſt in genere qualitatis*, ita in propoſito, beatitudo dicit habitum in actu ſecundo. Sic Sanctus Bonauētura, in 4. diſt. 49. q. 1. ad vltimum.

D. Bonau.

Bonauen.

Quidam dixerūt beatitudinem eſſe ex pluribus actibus aggregatam, nempè, intellectus, & voluntatis. Ita Diuus Bonauentura, qui ſupra, quæſt. 5. non quaſi diceret, Beatitudinē principalius in actu conſiſtere, quoniam ſibi breui quæſtionum curriculo contradiceret, ſed quia ex pluribus habitibus, quibus plures actus correſpondent, coaleſcere docet. Riccardus de Mediauilla ar. 1. q. 6. Hugo de Sancto Victore, Gabriel q. 2. art. 3. Corduba lib. 1. variarum quæſtionum q. 49. Alphonſus Toletus in 1. diſt. 1. q. 2. art. 2. & 3. Vega lib. 7. ſuper Tridentinum cap. 3. Molina, infra q. 26. qui tamen, non explicat, an loquatur eſſentialiter, vel connaturaliter, Salas, p. 2. q. 3. tract. 2, diſp. 2. ſect. 5. Valentia ibidem diſp. 1. q. 3. puncto 4. Henriquez lib. de fine hominis cap. 10. §. 1.

Riccard. Hugo. Gabriel. Corduba. Alphonſ. Toletus. Vega. Molina. Salas. Valentia. Henriq.

Non tamen omnes præcitati Doctores, eoſdē actus aſſignant; Nam Bonauentura in tribus actibus, nempè, viſionis, dilectionis, & fruitionis, beatitudinem ſtatuit. Riccardus, & Gabriel, in duobus; viſionis, & amoris Dei. Et Marſilius, in viſione, & delectatione. hoc vnum tamen ſufficiat, quòd omnes prædicti Doctores contendunt beatitudinem, neceſſariò, & formaliter plures actus includere.

Bonauen. Riccard. Gabriel. Marſilius.

3 Martinez, p. 2. q. 3. art. 4. dub. 1. ait, quòd ſolent etiam Paludanus, & Durandus, pro hac ſententia citari, & ſubdit ſic. *Sed obſcurè loquuntur in hac parte, nec facilè conſtat eorum ſententia.* Ego verò, obſeruaui, legique Durandum, valde clarè, in hac parte, pro ſententia D. Thomæ loquentem. Nam in 4. diſt. 49. q. 4. num. 11. & ferè per totam quæſtionem, diſtributionem probandorū faciens, ſic ait. *Probabimus per ordinem quatuor concluſiones. Prima eſt, quòd beatitudo conſiſtat in aliqua operatione. Secunda eſt, quòd conſiſtat in una operatione tantùm. Tertia eſt, quòd illa operatio eſt intellectus, uel uoluntatis diſiunctiuè. Quarta, quòd eſt operatio ſolius intellectus præcisè.* Et in toto quæſtionis diſcurſu, fideliter promiſſa ſeruauit: Vbi eſt ergo obſcura locutio? Et noui Diui Thomæ, ac fortes Athletæ, doctrina, ac Sanctitate præditi, fideles, verique Thomiſtæ, Diſcalceati Carmelitæ, in p. 2. tract. 9. de beatitudine, diſp. 1. dub. 3. Contra hanc opinionem, & pro Diui Thomæ ſententia, Durandum adducunt.

Martinez. Paludan. Durand. Carmelit. Diſcalc.

Alij extremam ſententiam defendentes, reſolutè defendunt, beatitudinem formalem rationalis creaturæ, non in influxu eſſentiæ Dei in eſſentiam animæ principaliùs, & in actibus intellectus, & voluntatis, minus principaliter; non in habitu principaliùs, quàm
4 in actu, neque in pluribus actibus ſimul, ſed in vno tantum actu conſiſtere. Ita Diuus Thomas, cui Scotus, Aureolus, Durandus ipſorumque ſequaces vniuntur: in aſſignādo autem actum, Scotus, & Aureolus à Diuo Thoma ſeparantur omninò; Scotus quoque, & Aureolus ab inuicem diuidunrur.

D. Thom. Scotus. Aureolus

Scotus enim in 4. diſt. 49. q. 4. ex profeſſo quęrit, ac per longum diſputat, Vtrum beatitudo per ſe conſiſtat in actu intellectus, vel volunta-

3. Opinio Scotus.

luntatis, & reſpondet, quòd in actu voluntatis, qui eſt amor rei præſentis, deſt Dei viſi. Amor, inquit, nō concupiſcentiæ, qui eſt propter amantis bonū, ſed amor amicitiæ, qui eſt cōplacentia perfectionis, & bonitatis in amato obiecto exiſtentis. hunc amorē fruitionē vocat, & omninò à delectatione diſtinctum eſſe affirmat; taliter quòd aſſerens beatitudinem in amore amicitiæ, ſeu in fruitione cōſiſtere, negat in delectatione. Videatur Scotus ibidem, & quæſt. 5.

Scotus.

4. Opinio Aureolus verò, eadem diſt. 49. vltimam rationalis creaturæ beatitudinem, in actu voluntatis, qui delectatio dicitur, conſtitutam eſſe contendit.

5. Opinio At verò, Diuus Thomas, vltimam intellectualis creaturæ beatitudinem, tantùm in actu viſionis claræ Dei conſiſtere docet, & optimè probat: Idq; totum, vna propoſitione, hìc, in corpore poſita, manifeſtè, per hæc verba declarat. *Vltima hominis beatitudo, in altiſſima eius operatione conſiſtit, quæ eſt operatio intellectus.* Per hoc enim, quòd altiſſimam hominis operationem, dixit, tres primas opiniones excluſit. Explicans autem hanc eſſe intellectus operationem; Scoti, & Aureoli, opiniones confutauit. Diuum Thomam ſequuntur, Durandus, in 4. diſt. 49. quæſt. 4. Capreolus ibidem, quæſt. 2. Caietanus, infra q. 26. artic. 2. Ferrarienſis, lib. 3. cont. gent. cap. 26. Sotus, in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 3. Abulenſis ſuper caput quintum Matthæi, quæſt. 3. Melchiorcano, de locis Theologicis lib. 12, cap. 14. Medina p. 2. quæſt. 3. art. 4. Vaſquez diſp. 21. cap. 3. Aluarez, diſp. 21. Martinez, dub. 4. Fonſeca p. tom. methaphyſices, lib. 1. cap. 1. q. 2. ſect. 3. Becanus, parte 2. tract. 1. q. 3. concl. 2. Faſolus, infra, quæſt. 26. art. 2. Palumbus, ibidem, in doctrina, & Scholaſtico examine, Carmelitæ Diſcalceati p. 2. tract. 9. de beatitudine diſp. 1. dub. 3. cæterique Thomiſtæ.

Durand. Capreol. Caietan. Ferrarien. Sotus. Abulenſ. Melchior cano. Medina Vaſquez. Aluarez. Martinez. Becanus. Faſolus. Palumb. Diſcalc.

CAPVT SECVNDVM.

Probatur contra Henricum, vltimam hominis beatitudinem non conſiſtere in illapſu diuinæ eſſentiæ in eſſentiam animæ, neque immediatè per ſe, neque mediatè per ſanctificantem gratiam.

5 Dvobus modis ſententia Henrici exponi, atque intelligi poteſt; primò, quòd beatitudo principalius conſiſtat in illapſu Eſſentiæ diuinæ immediatè per ſe ipſam, in eſſentiam animæ. Secundò; per illapſum mediante ſanctificante gratia, quæ eſt aliquid creatum eſſentiæ animæ inhærens. Vtroque modo ſententiam Henrici falſam iudicamus. Vnde pro determinatione veritatis. Scotus.

Dico primò. Vltima hominis beatitudo, non conſiſtit principalius in illapſu eſſentiæ diuinæ immediatè per ſe ipſam in eſſentiam animæ, neque mediatè per ſanctificantem gratiam.

Apud Scotum in 4. diſt. 49. q. 2. citata, ſic prima concluſionis pars probatur. Deus non aliter ſe habet in ſe, nunc, quam prius, nec aliter illabitur huic animæ, vel Angelo, nunc, quàm prius, conſiderando præcisè eſſentiam hinc inde; quia, ſecundùm illum illapſum eſſentiæ diuinæ, in eſſentiam creaturæ, eſt ſemper vniformitas, manente eſſentia creaturæ. ergo ſi eſt aliqua nouitas in anima beata, oportet, quòd hoc ſit, per aliquem effectum nouum cauſatum à Deo in illa eſſentia: Ille effectus dicitur beatitudo eius formaliter, ſiuè eſſentialiter. ergo, &c.

Sed hoc idem argumentum, ſub eadem forma, contra Incarnationis myſterium militaret, hoc modo. Deus non aliter ſe habet in ſe, ante Incarnationem, quàm poſt. Ergo ſi eſt aliqua nouitas in humanitate, oportet, quòd hoc ſit per aliquem effectum nouum
6 cauſatum à Deo in illa Sanctiſſimæ naturæ eſſentia. Quod non admittimus. Cenſemus enim, quòd humana natura Chriſti Domini, ex hoc præcisè, quòd à Verbo diuino ſubſtantialiter, ſeu intrinſeca terminatione ſuppoſitatur, abſque medio aliquo creato mutatur.

Probatur ſecundò, apud eumdem, ibidem. Ille illapſus eſt prior natura quacumque operatione; cum ſit ſecundum aliquem actum primum, ergo abſque contradictione, poſſet eſſe ſine operatione, & per conſequens, non operans, ſed ſe habens vt dormiens, poſſet eſſe principaliter beatus; quod habet Ariſtoteles pro inconuenienti.

Sed hæc ratio, conuincit quidem, aſſerentes beatitudinem eſſentialiter in vna dumtaxat formalitate conſiſtere, non tamen conuincit
7 Henricum, dicentem, quòd beatitudo dicit actum intellectus, & voluntatis, & illapſum eſſentiæ diuinæ intra eſſentiam animæ, & quòd principaliùs in illapſu, quàm in actibus intellectus, & voluntatis. Vnde Henricus etiam eſt de illorum numero, qui volunt beatitudinem ex multorum aggregatione coaleſcere. Henric.

Vbi aduerte, quòd aliud eſt dicere beatitudinem principalius conſiſtere in illapſu eſſentiæ diuinæ in eſſentiam animæ, & dicere beatitudinem eſſentialiter conſiſtere in illapſu; Henricus dicit primum, non ſecundum; vt patet, ſua verba legenti: & quamuis dixerit, quòd illapſus in potentijs, eſt ex redun-

Digitized by Google

dundantia illapſus, in eſſentiam animæ, non propterea, dixit, quòd in illo illapſu intra animam, eſſentialiter beatitudo conſiſtat, & quòd, ex redundantia beatitudinis eſſentialiter ſumptæ, nat redundantia in potentijs. Eo modo quo Diuus Bonauentura docet, beatitudinem in habitu, principaliùs quàm in actu conſiſtere: numquam verò concedit, quòd ſi ſaluaretur habitus ſine actu, eſſet eſſentialiter beatitudo. Bonauen.

8 Idquè doctrinis clarioribus, ac verioribus explicatur. Nam decretum Dei, quemadmodum communiter Theologi docent, duo neceſſariò dicit, actum, ſcilicet, diuinæ voluntatis, & connotationem obiecti creati, ſeu applicationem diuinæ voluntatis ad creaturas. Principaliùs, dicit, actum, & minus principaliter, connotationem creaturæ; primum dicit in recto, ſecundum in obliquo: & tamen non conſiderato Secundo, licet, quod eſt principaliùs, de decreto maneat, decretum in ratione decreti non manet; eò qu a, decretum neceſſariò inuoluit vtrumque.

Et in via Diui Thomæ, potentia generatiua in diuinis, non ſolùm dicit eſſentiam diuinam, ſecundùm quòd eſt intellectus, ſed etiam paternitatis relationem; principaliùs autem eſſentiam, minus verò principaliter, paternitatem; & nihilominus, ſi intellectus diuinus abſque paternitatis relatione conſideretur, maneret quidem, id quod principaliùs eſt de conceptu potentiæ generatiuæ; non tamen remaneret in ratione potentiæ generatiuæ. Ita ſimiliter ſuſtinet Henricus. Vnde ratio aſſumit probandum, & non probat, niſi prius ſtabilitum, ac probatum fuerit, beatitudinem in vna ſola formalitate poſſe conſiſtere. D.Thom.

Probatur igitur dictum, quò ad primam partem, Primò, Illapſus Dei immediatè per ſe 9 ipſum intra eſſentiam animæ, ex libera Dei voluntate dependet, eſtquè aliquid ſupernaturalis ordinis. Ergo eius exiſtentia à ſacris paginis, à Concilijs, à Sanctis Patribus, vel à Theologis debet eſſe inſinuata: ſed huiuſmodi illapſus non a ſacris paginis, nec à Concilijs, non à Sanctis Patribus, nequè à Theologis eſt inſinuatus. Ergo irrationabiliter, ac temerariè ponitur. Antecedens eſt clarum, & conſequentia probatur; quia, quæ à Dei voluntate ſupra omne debitum naturæ proueniunt, non poſſunt innoteſcere nobis, niſi quatenus in Sacra Scriptura, Concilijs, Sanctis Patribus, vel in Theologicis deductionibus inueniuntur. Probatur verò minoris ſubſumptio; quia in Sacra Scriptura, &c. nullus extat huiuſmodi locus, immo quoties Sacra Scriptura de vita æterna loquitur, verbis operationem ſignificantibus vtitur. Ita Chriſtus Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum patrem.* Et Ioannis 14. dicitur. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Et in Concilio Florentino definitur. *Animas in purgatorio purgatas, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum, trinum, & vnum, ſicuti eſt: meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectius.* Idem communiter Sancti Patres docent, vt magis conſtabit infra. Ergo, &c. Ioan. 17. Ioan. 14. Florent.

10 Probatur Secundò. Quia huiuſmodi eſſentiæ Dei in eſſentiam animæ illapſus, eſt omnino impoſſibilis. Ergo. Probatur antecedēs; quia omnis vnio Dei cum creatura, eſt ad eſſe Dei, vel perſonale, vel exiſtentiale, vel ſubſiſtentiale abſolutum, vel eſſentiale: ſed huiuſmodi Henrici illapſus Dei intra eſſentiam animæ non eſt ad eſſe perſonale; quia ſoli Sacratiſſimæ humanitati Chriſti credimus fuiſſe communicatum. Non ad eſſe exiſtentiale, vt patet, & Henricus ipſe concedit. Non ad eſſe ſubſiſtentiale abſolutum, vt patet per idem: nequè, quò ad eſſe eſſentiale in ratione ſpeciei intelligibilis. Quia, quamuis verum ſit, eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis Beatis vniri, non tamen iſte eſt illapſus de quo Henricus loquitur: & falſum eſt, quòd eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis vniatur eſſentiæ animæ, pro vt re, vel ratione à potentia intellectiua diſtinguitur: eò quia ſpecies, potentiæ; non verò eſſentiæ, obiectum immediatè repræſentat. Etenim immediatè poſt repræſentationem, ſequitur cognitio, quæ non immediatè, ſed mediatè, id eſt mediante potentia, conuenit eſſentiæ. Nequè tandem quo ad rationem eſſentiæ in ratione eſſentiæ, in eſſe entitatiuo; quia diuina eſſentia vniretur in ratione diuinizandi eſſentiæ animæ, vt forma in eſſe entitatiuo, Et probatur, quia non vniretur, vt terminus, ſeu vt terminans naturam animæ ad ſubſiſtendum, intelligendum, exiſtendum, vel ad intelligendum, vt conſtat; nequè vt terminetur in ratione eſsētiæ, quia eſſentia animæ in ratione eſſentiæ, iam præſupponitur; Ergo eſſentia diuina vniretur ad diuinizandam animæ eſſentiam, modo diſtincto ex ſupradictis. Ergo deberet vniri, vt forma in eſſe entitatiuo: quod eſt impoſſibile. Scotus.

Probatur Tertiò, ratione, quam etiam Scotus loco citato inſinuat. Eamque ſic formo. Deus ſecundùm opinionem Henrici illabitur in eſſentiam animæ; in ratione obiecti Scotus. Henric.
11 beatifici. Ergo illapſus eſt intra animam in ratione potentiæ, & non in ratione eſſentiæ. antecedens, eſt Henrici, dicentis quòd, vera Beatitudo conſiſtit non ſolum in actibus intellectus, & voluntatis, in quibus non eſt niſi beatitudo creata; ſed principaliùs conſiſtit in obiecto; quod eſt beatitudo increata, vt ex eius verbis ſupra adductis conſtat. Probatur autem conſequentia; quia obiectum, vt obiectum, attingitur ab eſſentia, mediante potentia; & à potentia per ſuam operationem. Ergo Henricus, non eſt ſibi conſtans, & ex ſuis propoſitionibus manifeſtè conuincitur.

Confirmatur; Quia ſecundùm Henricum, Anima,

ma, quaſi Dei formalitatem habet, vi amoris, & Charitatis ardore: Sed hæc dicunt illapſum, in potentiam animæ, non in eſſentiam immediatè. ergo.

Probatur Quartò, Quia dato, quòd hic inauditus illabendi modus, eſſet poſſibilis; non poſſet in eo beatitudo conſiſtere. ergo, &c. Probatur antecedens. primò, quia per huiuſmodi, illapſum, non poſſideretur Deus perfectè ab anima. Secundò, quia vnio perſonæ diuinæ in ratione eſſendi, vel ſubſiſtendi cum creatura, non beatificat formaliter. Ergo neque etiam vnio eſſentiæ cum eſſentia animæ, in ratione diuinizandi poteſt eſſe formaliter beatitudo, patet conſequentia à paritate.

12 Probatur autem concluſio, quò ad ſecundam partem. Deus per illapſum ſanctificantis, & iuſtificantis gratiæ intra animæ eſſentiam, non eſt proximum obiectum beatificans, ſed potius anima eſt diuinæ omnipotentiæ ſubiectum, eiuſque voluntatis gratum obiectum; & Deus, potius dicitur cauſa, cognitio, ac volitio, animæ ſanctificatæ; quàm obiectum eius. ergo anima per huiuſmodi illapſum non dicitur beata. Probatur conſequentia; Quia beatitudo, reſpicit rem beatificantem, non vt cauſam; ſed vt obiectum. antecedens autem patet. Quia proximè & formaliter, anima per ſanctificantem gratiam, non habet aliud, quàm quòd ſit particeps diuinæ naturæ, ac Deo grata. ergo ex vi huius gratiæ; Deus non habet proximè, & immediatè vt ſit beatitudinis obiectum.

Confirmatur, Beatus non dicitur, Beatus in actu; niſi obiectũ beatificans attingat in actu: ſed per illapſum ſanctificantis gratiæ in eſſentiam animæ, anima non attingit Deum in actu, in ratione obiecti: ſed potius attingitur à Deo, vt ſuæ omnipotentiæ ſubiectum in quo gratiam cauſat; & ſuæ liberaliſſimæ voluntatis gratum obiectum. iuxta illud. *Elegit nos in ipſo.* Cum igitur, Opinio Henrici ſit Sacris paginis, Sanctis Patribus, rationibuſque diſformis; non immeritò, pluſquàm temeraria à Medina, & alijs. Et omninò falſa, & aliena, à ratione, à Valentia vocatur: Eſt etiam omninò reijcienda; quia eſt adeò ſingularis, vt ante Henricum à nullo inſinuata; & poſt ipſum ab omnibus fuerit confutata.

Ephes. 1.

Medina.
Valentia.

Dicet aliquis. Deus per gratiam, eſt ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, vt docet Diuus Thomas ſupra q. 8. ar. 3. ergo corruit ratio, cum confirmatione.

Reſpondetur, explicando antecedens. Deus per gratiam, eſt mediatè, ideſt, mediantibus virtutibus, ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, concedo antecedens. immediatè, nego antecedens. Videatur D. Th. p. 2. qu. 110. ar. 4. Vbi Caietanus.

D. Thom.
Caietan.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo vltima noſtra Beatitudo conſiſtat in habitu, & quomodo in actu.

13 Dico Secundò. Vltima hominis beatitudo, habitualiter, conſiſtit in habitu, & actualiter, in actu. Hoc dictum videtur planum, & breuiter,

Probatur; Quia ad attingendum obiectum habitualiter, ſufficit habitus; & ad attingendum obiectum beatificans actualiter; neceſſariò requiritur actus. Ergo beatitudo habitualiter, conſiſtit in habitu, & Beatitudo actualiter, conſiſtit in actu.

Ex hoc breuiter præmiſſo; paucis quoquè in quo, beatitudo formaliter, & eſſentialiter conſiſtat. in habitu ſcilicet, an in actu. concludi, ac inueſtigari poteſt. vnde,

Dico Tertiò. Beatitudo formaliter, & eſſentialiter, conſiſtit in actu ſecundo, non verò, in habitu; niſi habitualiter, minus principaliter, & diſpoſitiuè.

Probatur. Quia beatitudo formaliter, & eſſentialiter, eſt ſummi boni actualis attingentia, ac perfecta poſſeſſio: ſed ſummum bonum per habitum, nec actualiter attingitur, neq; perfectè poſſidetur. ergo, &c. Maior patet, probatur minor; quia in bonis melius eſt eſſe in actu, quàm in potentia: ſed quod poſſidetur in actu; reſpectu, eius quod poſſidetur in habitu, comparatur ſicut id quod eſt in actu, reſpectu eius, quod eſt in potentia. ergo.

Confirmatur, ſeu probatur ſecundò, eadem minor. Quia perfectior eſt actus ſecundus, quàm habitus; quo ad modum attingendi obiectum. ergo ſummum bonum non perfectè attingitur, nequè perfectè poſſidetur, per habitum, ſed per actum. Antecedens patet, quia perfectius attingitur quod attingitur in actu, & completè; quàm quod attingitur incompletè, & veluti in potentia.

14 Dixi, quòd per actum, perfectius attingitur obiectum, quàm per habitum: non tamen dixi, quòd actus ſecundus ſit entitatiuè, & abſolutè in ratione formali actus, perfectior; quoniam nonnulli dicunt, habitum eſſe ſimpliciter perfectiorem quocunquè actu ſecundo: nemo autem negare poteſt, quòd actus ſecundus, quò ad modum attingendi obiectum, non ſit præſtantior habitu, & actu primo. Bonauen.

Dicet autem aliquis, pro ſententia Diui Bonauenturæ, quòd beatitudo principaliùs conſiſtit in habitu cum actu, non autem in habitu ſine actu; Habitus autem neceſſariò actui ſecundo coniunctus, eſt perfecta attingentia obiecti.

tiam,

Contra. Nam licet habitus actui ſecundo coniunctus, includat perfectam obiecti attingẽtiam, non tamen ex æquo, & eodem modo actui, & habitui beatitudo tribuitur, Et hoc, verum eſt, etiam in Diui Bonauenturæ ſententia; cenſentis, beatitudinem principalius in habitu, quam in actu conſiſtere. Tunc ſic. Sed per habitum, ſummum bonum attingitur habitualiter, per actum verò actualiter. Ergo ſecundum quod, beatitudo correſpondet habitui, non ita perfectè attingitur, ſecundum quòd correſpondet actui.

Probatur Secundò. Quia beatitudo ſupernaturalis, neque conſiſtit eſſentialiter, & principalius in habitu naturali, neque in habitu ſupernaturali. Ergo formaliter, & eſſentialiter conſiſtit in actu. patet conſequentia; probatur autem antecedens. Et quidem quòd non in habitu naturali, eſt euidens; quia beatitudo eſt ſupernaturalis. Quòd verò, neque etiam in habitu ſupernaturali. probatur: quia habitus ſupernaturalis ponitur vt diſpoſitio præbens potentiæ ſimpliciter poſſe, in ordine ad actum ſupernaturalem. Ergo beatitudo conſiſtit in actu. probatur iſta conſequentia, quia dato quòd, habitus ſupernaturalis entitatiuè, & quò ad rationem formalem actus; ſit perfectior ſuo actu ſecundo: ponitur tamen in potentia, vt per ipſum potentia attingat obiectum. ergo, &c.

15 Confirmatur, & amplius hæc ratio explicatur, quia, Si beatitudo conſiſtit in habitu; vel hoc erit in habitu, immediatè eſſentiæ inhærente, vel potentiæ: ſi primum. iam in præcedenti dicto, eſt impugnatum: ſi ſecundum: vel in habitu ſupernaturali inhærente intellectui vel voluntati; vel in vtroque ſimul: Nullum dici poteſt. ergo. probatur minor; quia huiuſmodi habitus, eſt lumen gloriæ in intellectu, & charitas in voluntate: ſed neque conſiſtit in lumine gloriæ, neque in habitu charitatis. ergo. probatur minor quia vt diffinitum eſt in Concilio Viennenſi; homo indiget lumine gloriæ ipſum eleuante ad videndum Deum. ergo indiget lumine gloriæ non vt per ipſum fiat formaliter Beatus; ſed vt videat Deum, in qua viſione beatitudo conſiſtit. probatur conſeq: quia id in quo formaliter conſiſtit beatitudo non eſt propter aliud.

Quòd hic amplius vrgeo. Concilium Viennenſe determinat neceſſarium eſſe lumen gloriæ, eleuans animam ad videndum Deum, contra Begardos, & Beguinas; aſſerentes hominem naturaliter poſſe eſſe beatum, & naturaliter videre Deum. ergo beatitudo non conſiſtit in lumine gloriæ.

Quòd neque conſiſtat in habitu charitatis; probatur per idem. quia charitas ponitur in voluntate vt diligamus Deum: commendat enim Deus ſuam charitatem, vt diligamus inuicem, iuxta illud; *Si quis non diligit manet* Ioan. 11.
in morte. ponitur etiam vt effectus dilectionis Dei: Sed in hoc quod eſt diligi à Deo, beatitudo formaliter non conſiſtit, ergo.

CAPVT QVARTVM.

Probatur quòd beatitudo formaliter, & eſſentialiter, non dicat plures actus ſimul.

Dico Quartò. Vltima rationalis creaturæ beatitudo formaliter, & eſſentialiter loquendo, ex plurium actuum aggregatione non coaleſcit.

16 Antequam hoc dictum probetur, eſt breuiter obſeruandum, quod beatitudo dupliciter accipi poteſt; pro ſtatu ſcilicet conuenienti beatitudini, iuxta eius connaturalem exigentiam: & pro ratione formali beatitudinis. Primo modo, omnia præſuppoſitiuè, eſſentialiter, & conſequenter illi conuenientia ad beatitudinem ſpectant: quemadmodum homo.

Si conſideretur iuxta ſuam naturalem exigentiam, debet non ſolum anima intellectiua, & corpore conſtare, verùm etiam riſibilitatem, & omnia alia prædicata ſibi naturaliter debita habere. Si verò, beatitudo conſideretur eſſentialiter; ſic pauciora prędicata includit, & ſunt illa tantùm, quæ eſſentialiter ſpectat ad eius conſtitutiuum. Sicut homo eſſentialiter ſumptus, dicit animam intellectiuam, & corpus ſimul, vel tertiam entitatem, ſi phyſicè loquamur; ſi autem methaphyſicè dicit animal rationale. In præſenti igitur diſputatione, per totum diſcurſum, ſermo eſt, de beatitudine, eſſentialiter ſumpta, & ſic dicimus in hoc dicto, quòd beatitudo eſſentialiter, ſeu ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, conſiſtit in vno tantum actu, & non in pluribus. Ita quod ſi plures aſſignantur actus; in vno ipſorum, beatitudinis eſſentia conſiſtit, cæteri verò, vel præcedentes eſſentiam, vel conſequentes ſunt;

Probatur hoc dictum ex Durando in 4. diſt. 49. qu. 4. concl. 2. num. 12. Quia inter perfectiones ſpecie differentes, impoſſibile eſt, eſſe æqualitatem, ſed vna eſt neceſſariò perfectior altera: ſed beatitudo conſiſtit in operatione perfectiſſima. Ergo impoſſibile eſt, quòd conſiſtat in duplici operatione alterius, & alterius rationis. patet conſequentia. Quia. Vna earum neceſſariò, deficit à perfectione alterius, & ita non eſt perfectiſſima. Durand.

Reſpondent nonnulli ad minorem, quòd non eſt neceſsè, vt beatitudo conſiſtat in altiſſima operatione, ſed in omni ea operatione, quæ eſt attingens ſummum bonum ſuo modo; & ſic ſiue viſio Dei ſit perfectior fruitione, vel delectatione, ſiue è contra; quia vterque

actus

Digitized by Google

actus, Deum vt eſt in ſe attingit ſecundùm quòd, ſcilicet, habet rationem ſummi boni; non tollit, quin in omnibus huiuſmodi actibus, eſſentialiter beatitudo conſiſtat.

17 Contra, primò. Quia hoc voluntariè aſſeritur. Secundò, quia inter illos actus datur ordo talis, quòd vnus alterum ſequitur, ergo qui ſequitur, eſt paſſio prioris. Si dicatur; quòd quamuis vnus ſequatur ad alterum, tamen eſſentia totius beatitudinis conſiſtit adæquatè in omnibus. Contra. quia hic reſpondendi modus, omnes rerum proprietates euertere poſſet. poſſet enim quiſpiam dicere, quòd homo eſſentialiter eſt animal rationale & riſibile: eò quia, licet riſibilitas, ſequatur rationalitatem; tamen diceret, quòd riſibilitas conſtituit hominem in ratione riſibilis; quæ etiam eſſet ratio eſſentialis illius, & quòd; ſine riſibilitate, non eſſet completè homo, quemadmodum dicitur, quòd delectatio, & amor amicitiæ, ſunt actus voluntatis, ſequentes actum intellectus, qui eſt viſio beatifica, & non obſtante, quòd vnus actus ſequatur ex altero, Authores oppoſitæ ſententiæ; beatitudinem in omnibus illis actibus eſſentialiter ſitam eſſe contendunt. ergo vtrobique eſt eadem ratio.

Confirmatur; quia omnia prædicata Dei, ſunt vna eademque ſimpliciſſima perfectio realiter; quemadmodum ſunt vna ſimpliciſſima entitas: & nihilominus, iuxta cōmuniorem Theologorum ſententiam, conſtitutiuum Dei, ſecūdùm noſtrum intelligendi modum, & formaliſſimè loquendo; non conſiſtit in omnibus eius prædicatis; ſed in illo duntaxat; quod primò intelligitur ineſſe Deo. Cætera verò, ſi ſunt abſoluta, dicuntur proprietates abſolutæ, ſeu attributa; vel perſonalitates, ſeu proprietates relatiuæ; ſi ſunt relationes, ſeu perſonæ. Ergo ſimiliter, licet omnes iſti actus, Clara Dei viſio, Amor amicitiæ Dei, eiuſque fruitio, ſummam reſpiciant bonitatem, tamen in illo debet conſiſtere, qui prius, obiectum beatificum poſſidendo attingit.

Probatur ſecundò. Quia non per omnes tres actus, ſummum bonum, quod eſt obiectum beatificans poſſidetur. ergo beatitudo non conſiſtit, in omnibus actibus. patet conſequentia. Quia beatitudo in illo actu eſſentialiter conſiſtit ratione cuius obiectum beatificans poſſidetur. Videatur, Diuus Thomas, in 4. ſent. diſt. 49. ar. 1. qu. 1. quæſtiuncula 2. Et Scotus eadem diſtinct, qu. 3.

CAPVT QVINTVM.

Probatur vltimam hominis beatitudinem nequè in actu delectationis, nequè in actu amoris amicitiæ Dei, eſſentialiter poſſe conſiſtere.

DIco Quintò. Vltima hominis beatitudo eſſentialiter ſumpta, non eſt delectatio. Eſt Diui Thomæ, & Thomiſtarum, Scoti, & Scotiſtarum, omniumque Theologorum, contra Aureolum.

Probatur Primò; quia delectatio eſt de re iam
18 poſſeſſa, conſecuta, ſeu acquiſita. Ergo delectatio eſt de beatitudine tamquam de obiecto, ſeu eſt effectus illius. Ergo nō eſt eſſentialiter beatitudo. Antecedens eſt manifeſtum; prima verò conſequentia probatur ex antecedenti, vnuſquiſque enim de bono iam poſſeſſo delectatur.

Probatur Secundò. Delectatio non eſt actus poſſeſſiuus obiecti. ergo non eſt eſſentialiter beatitudo, antecedens eſt certum, & probabitur infra. probatur verò conſequentia, quia beatitudo eſſentialiter eſt actus obiecti beatifici poſſeſſiuus.

Dico ſextò. Beatitudo eſſentialiter non conſiſtit in actu amoris amicitiæ Dei. eſt Contra Scotum, & magis probabitur dicto ſequenti authoritatibus pro ſententia Diui Thomæ adducendis.

Probatur autem modò excluſiuè, Primò, quia Amor amicitiæ Dei, non eſt poſſeſſiuus Dei, ſed potius ſupponit Deum conſecutum, atquè poſſeſſum per viſionem. ergo, conſequentia patet. nec eſt pro eius probatione immorandum: quoniam Scotus negat, ſimpliciter antecedens; Probatur igitur antecedens, primò, ex Scoto diſt. 49. citata qu. 4. circa finem. vbi ſic ait. *Si voluntas eſt operatiua circa obiectum abſens, imperfectè tamen cognitum, quia obſcurè; multo perfectius poterit operari circa obiectum perfectè præſens quia viſum*. Hæc ille. Quibus Scoti verbis præſuppoſitis, Sic argumentor. Quando voluntas eſt operatiua circa obiectum obſcurè cognitum, verſatur circa obiectum abſens: quando verò, verſatur circa obiectum viſum, operatur tamquàm circa obiectum perfectè præſens. ergo tota Dei beatificātis præſentia, eſt à ſola viſione. patet conſequentia. quia ſecundùm eumdem Scotum, Voluntas operatur perfectius, circa obiectum perfectè præſens, quia viſum.

Scotus.

Nec ſufficit dicere: quòd, ly, quia viſum, eſt

Digitized by Google

ratio quare perfectius operatur, non verò, quare eſt Deus perfectè præſens. eò quia. ſi per poſſibile, vel impoſſibile conſeruaret Deus illum amorem amicitiæ, erga Deum, ſuſpendendo viſionem, & loco eius infundendo fidem, Deus non eſſet perfectè præſens. Ergo ex vi amoris amicitiæ, Deus non ſit præſens perfectè, niſi per viſionem, præſens, inquam, poſſeſſiuè. quare, &c.

19 Probatur ſecundò antecedens, quia Amor amicitiæ eſt circa obiectum, propter bonum ipſius obiecti, vt tendens ad illud, & quaſi exiens à ſe. ergo non eſt actus poſſeſſiuus obiecti. patet antecedens, quia hæc eſt vis amoris amicitiæ, vt amans, ab amato poſſideatur potiùs, quàm poſſideat, patet conſequentia, quia poſſidere aliquid, eſt illud intra ſe, vel ad ſui perfectionem tenere.

Confirmatur; Ex diſcrimine inter intellectum, & voluntatem, in ordine ad vtriuſque potentiæ obiectum: nam intellectus trahit obiectum intra ſe per eius ſimilitudinem, & aſſimilationem cum illo: voluntas verò, ad ſuum obiectum tendit, non per eius ſimilitudinem, ſed per impulſum; ita quòd intellectus videns rem, trahit eam ad ſe, voluntas verò, obiectum diligens, trahitur ab eo. ergo nullus voluntatis actus, eſt alicuius obiecti poſſeſſiuus. Patet conſequentia, quia omnis voluntatis actus (loquor de actu proſecutiuo) eſt impulſus, ſeu per impulſum, ab obiecto, in idem obiectum.

Valentia. Et ex hoc, faciliter reſponſio Patris Valentiæ impugnatur. qui pro ſententia Scoti, docet, quòd non ſolùm actus intellectus, eſt poſſeſſiuus, ſed etiam actus voluntatis: eò quia nomine actus poſſeſſiui, debet intelligi attingentia obiecti, quæcumque illa ſit.

Scotus. 20 Nam in primis Valentia, pro Scoto, non reſpondet, eò quia, iuxta eius reſponſionem, etiam delectatio eſſet conſecutiua obiecti, attingit enim ſuum obiectum: Scotus autem loco citato, expreſsè aſſerit, delectationem non poſſidere Deum, ſed eum ſupponere per præcedentes actus; iam poſſeſſum, & conſecutum.

Et Inſuper, iuxta Valentiæ reſponſionem, omnis operatio eſſet poſſeſſio, quia omnis operatio eſt attingentia obiecti, & ſic nulla eſſet diſtinctio, inter actionem poſſeſſiuam, & non poſſeſſiuam obiecti.

Probatur ſecũdò, principaliter. Beatitudo ſi eſt actus volũtatis debet conſiſtere in actu cõcupiſcẽtię: ſed amor amicitiæ nõ eſt amor cõcupiſcẽtiæ. Ergo beatitudo, non conſiſtit in amore amicitiæ. probatur maior, quia beatitudo, formaliſſimè loquẽdo, eſt bonũ amãtis: ſed amor amicitiæ formaliſſimè loquendo, non reſpicit obiectum, propter bonum amantis, ſed propter bonum amati. ergo, &c. Hæc ratio magis patebit infra.

CAPVT SEXTVM.

Vera ſententia de vltima rationalis creaturæ beatitudine ponitur, & probatur.

Dico ſeptimò. Vltima hominis beatitudo, eſſentialiter conſiſtit in actu viſionis beatificæ dumtaxat. Eſt contra authores præcedentium opinionum: eſt autem Diui Thomæ, omniumque ferè Theologorum. D.Thom.

21 Probatur autem primò, authoritatibus Sacræ Scripturæ dicitur enim Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum ſolum verum*, &c: Sed vita æterna, eſt beatitudo. ergo beatitudo conſiſtit, &c. in viſione Dei. Ioan. 17.

Reſpondet Scotus, explicando hoc modò authoritatem, nempè, *quòd actus intellectus eſt vita, & vita æterna, ſi eſt actus æternus. Si accipias quòd eſt vita æterna beata, hoc non eſt in Euangelio, ſed additur: ita addo, vt cognoſcant. te & ament. Nec magis eſt ſecunda additio contra textum, quàm prima.* Scotus.

Gregorius de Valentia amplectens quòd beatitudo in vtroque actu conſiſtat, & etiam aſſerens, quòd rationes Diui Thomæ, & Thomiſtarum de facili in via Scoti ſoluuntur; & è contra; videns hanc Scoti explicationem, ſic ait. *Neque Scotus audiendus eſt; expoſitio enim iſta eſt prorſus à Phraſi Scripturæ aliena. in qua, vt notauit Auguſtinus lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 11. nomine vitæ æternæ ſignificari ſolet beatitudo.* Et ab omnibus Doctoribus hæc Scoti interpretatio refellitur. Valentia. Scotus. S.Auguſt.

Et inſuper contra eam ſic argumentor, Primò, Sacra Scriptura dicit. quòd *qui bona egerunt ibunt in vitam æternam*, & in Symbolo fidei in vltimo articulo dicitur. *Vitam æternã. Amen.* Tunc ſic. Chriſtus Dominus vel ęquiuocè loquutus eſt de vita æterna; vel vniuocè: non æquiuocè; quia nulla neceſſitas, in materia tam graui erat ęquiuocandi. Si vniuocè, dicat Scotus, quid intelligit, dùm benefacientibus, Chriſtus vitam promittit æternam? *Qui. n.* inquit, *bona egerunt, ibunt in vitã æternam, qui verò mala, in ſupplicium æternum.* certè, non aliud quàm vitam beatam. quare eſt omninò contra Sacram Scripturam hæc Scoti explicatio.

Secundò. Quia damnati dicerentur etiam habere vitam æternam; quia in ipſorum pœna; eſt actus, qui eſt vitalis, & ille eſt æternus, ergo damnati, ſunt in vita æterna.

Tertiò; Quia eodem prorſus modo, cognitio qua Angelus dicitur ſe ipſum cognoſcere, diceretur vita æterna: Nam actus cognitionis illius, eſt vita, & eſt; in æternum durans, ergo eſt vita æterna.

Quar-

Digitized by Google

Quartò; Quia Apoſtoli fideles Chriſti diſcipuli, nomine vitæ æternæ intelligunt beatitudinem; vt patet in vltimo articulo fidei Apoſtolorum, dum dicitur, credo vitam æternam. Ergo nomine vitæ æternæ idem intelligit Chriſtus, quod intellexerunt Apoſtoli, nè inter magiſtrum Chriſtum, eiuſque diſcipulos, intercedat æquiuocatio.

Quintò; Quia vita æterna, de qua loquitur Chriſtus, eſt effectus beneficiorum collatorum prædeſtinatis à Deo, vt ex contextu patet, vbi ſic dicitur. *Omne quod dediſti ei, dat eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna*: Sed quod confertur prædeſtinatis non eſt tantùm actus intellectualis in æternum durans, ſed eſt ipſa beatitudo. Ergo. Io. 17.

23 Quantum verò, ad id quòd Scotus addit, non eſſe in Euangelio illam particulam, *Beata*, ſed additam eſſe, & quòd ita ipſe alteram particulam addit, nempè, & *ament*, nec magis eſſe ſecundam additionem, contra textum, quàm primam, correctione indiget, eo quia, ly *beata*, non additur à nobis, ſed ſic à Sanctis Patribus explicatur; ſicquè Sacræ Scripturæ Phraſis expoſtulat: illa verò, particula, quàm ipſe addit, nempe, & *ament*, iam per Scotum, vt vidimus non intelligitur copulatiuè, quaſi beatitudo, ſecundùm Sacram Scripturam in actu intellectus, & voluntatis conſiſtat. Quærimus igitur à Scoto, Beatitudo formaliter, & eſſentialiter, cùm non conſiſtat in vtroque actu, ſed in actu amoris, quomodo eſt verior propoſitio? Iuxta verba à Chriſto Domino prolata, vel iuxta particulam à Scoto additam? Abſque dubio deberet dicere quòd propoſitio, vt à Chriſto prolata, eſt formaliter & eſſentialiter falſa, & per particulam à Scoto additam, eſt formaliter, & eſſentialiter vera. Quia igitur ſolus Scotus, hoc modo Sacram Scripturam explicat, contra ſenſum, Sanctorumquè Patrum interpretationem; ideo eius expoſitio reijcienda eſt. Scotus.

24 Reſpondent alij, ſupradictum locum, intelligi de fide, fidem enim dicunt, Chriſtus vitam vocat æternam, ita Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 16. & Chryſoſtomus, hom. 75. Cirillus. Ambroſi

Sed Contra; Quia in tantùm fides vita æterna dicitur, in quantùm illi ſuccedit lumen gloriæ, & viſio clara Dei in qua eſſentialiter æterna vita conſiſtit. quarè, ſi fides vocatur vita æterna, quia ad vitam æternam diſponit, eſtquè eius imperfecta participatio, multò magis, poteſt intelligi de beatitudine patriæ.

Secundò, quia Sacra Scriptura ſub vna littera poteſt continere plures ſenſus litterales: plures autem ſenſus litterales illi ſunt quos Eccleſia manifeſtat, vel Sancti Patres explicant: ſed quamuis præfatus Scripturæ locus à quibuſdam, de fide explicetur, à maiori tamen Patruum Caterua, de vltima hominis beatitudine, ſeu de viſione clara Dei interprætatur. vt patet Sanctos patres legenti, & magis paulò infra patebit. ergo non tollit quin præfata authoritas intelligatur de clara viſione Dei. Fateor tamen non eſſe ita de fide certum, vtrum tantùm in viſione, vel in viſione eſſentialiter beatitudo conſiſtat; Eius .n. determinatio ab Eccleſia expectatur. Cui omnes fideles humiliter ſubijci debent, eiuſque correctioni omnia ſubmittere, quemadmodum nos in hoc, & in omnibus propoſitionibus noſtris ſubijci intendimus.

Dicitur etiam Ioannis 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis* & primæ Ioan. 3. *Similes ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt*. Et Pſalm. 16. *Tunc ſatiabor cum apparuerit gloria tua*, & Pſalm. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, & Pſalm. 85. *ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon*. In quibus, & in alijs pluribus locis, Sacra Scriptura inſinuat, beatitudinem conſiſtere in viſione Dei. Io. 14. 1. Io. 3. Pſal. 16. Pſal. 79. Pſal. 85.

Idem docent communiter Sancti Patres præſertim Auguſtinus ſuper Pſalm. 90. Concione 2. vbi ſic ait *tota merces noſtra viſio eſt*. Auguſt.

Reſpondet Scotus, diſt. 49. citata hoc modo explicando Auguſtinum, *Concedo, inquit; quòd viſio eſt tota merces hominis intelligentiæ, ſed non ſumma merces totius hominis: & ſic poſſunt gloſari multæ authoritates ſonantes pro intellectu, quòd intelliguntur de ſuprema potentia, vel de natura ſecundam potentiam, non autem, de ſimpliciter ſuprema perfectione naturæ*. hæc Scotus. Scotus.

Contra quàm explicationem argumentor primò; Quia ſi tota merces totius hominis conſiſtit in intellectu, & in voluntate. Ergo beatitudo conſiſtit in pluribus actibus quod tamen Scotus negat.

Secundò, Quia ſi ſumma merces totius hominis conſiſteret in actu ſolius voluntatis, nempè, in amore amicitiæ, Diuus Auguſtinus de vita beata loquēs, quod minus eſt expreſſit, quod maius, vel non ita frequenter inſinuauit, vel diminutè locutus eſt.

25 Tertiò, Quia expreſsè Scoti explicatio a Diuo Auguſtino impugnatur, qui lib. 1. de Trinit. cap. 15. ſic ait. *Illam Dei formam in qua æqualis eſt Patri, proculdubio Impij non videbunt. Non enim ſunt mundi cordes. Beati enim mundi cordes, quoniam ipſi Deum videbunt. Et ipſa viſio eſt faciei ad faciem, quæ ſummum præmium promittitur iuſtis, &c.* Vbi Diuus Auguſtinus non loquitur de mercede intelligentię hominis tantùm, quaſi in aliquo alio totius hominis, ſumma merces conſiſtat, ſed clarè intonat ſummam mercedem totius hominis in viſione conſiſtere, dum ait; *eſſe ſummum præmium iuſtis promiſſum*. ergo, &c. Auguſt.

Idem Auguſtinus lib. de ſpiritu, & littera ſupradictam authoritatem explicans nempè *hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te*. Hæc habet verba. *illa cognitione, illa viſione, illa contemplatione ſatiabitur in nobis omne deſiderium, hoc enim ſolum ſat eſt, vltra non habet quod appetat,*

Digitized by Google

quod inhiet, quod requirat: Nam deſiderio huius ſatietatis ardebat, qui domino ait, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. hæc ille.

Pſal. 81.

Et hoc idem, clarè docet, ſuper Pſalm. 85. his verbis, *Ibunt impij in ambuſtionem æternam; iuſti autem in vitam æternam. Iam à viſione formæ hominis, pergunt illi ad viſionem formæ Dei. Hæc eſt enim, inquit, vita æterna, vt cognoſcant te vnum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: Subaudi, & Ieſum Chriſtum vnum verum Deum, quia Pater, & Filius unus uerus Deus: ut iſte ſit ſenſus. Te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, cognoſcant unum uerum Deum*. Eodem modo præfatã authoritatem exponit tract. 105. ſuper Ioan. vbi inter alia hæc habet verba. *At ſi homo laudatur, cum famæ creditur, quomodo Deus laudabitur quando ipſe videbitur? propter quod ſcriptum eſt. Beati qui habitãt in domo tua, in ſæcula ſæculorum laudabunt te; ibi erit Dei ſine fine laudatio, vbi erit Dei plena cognitio; & quia plena cognitio, ideo ſumma clarificatio, vel glorificatio*. hæc ille. Et libr. de Moribus Eccleſiæ cap. 25. *Æterna*, inquit, *vita, eſt ipſa cognitio, quæ eſt perfectorum præmium*; Et lib. 1. retractationum cap. 14. *Illud*, inquit, *beatiſſimos facit, quod ait: Tunc autem facie ad faciem: & tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Qui hoc inuenerunt, ipſi dicendi ſunt in beatitudinis poſſeſſione conſiſtere*. Videatur idem Auguſtinus libr. 1. de libero arbitrio libr. de vita beata. Et lib. de quantitate Animæ, cap. 33. lib. 1. de Trinitat. vltra cap. 15. cap. 7. 8. 9. & 10. & lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 29. & ſuper pſalmum, 90. Diuus Ambroſius lib. 2. de officijs cap. 2. *Scriptura*, inquit, *diuina, vitam beatam poſuit in cognitione diuinitatis*. Et Sanctus Bernardus ſer. 5. de aſſumptione, *Hæc eſt, inquit, merces, hic eſt finis fructus noſtri laboris, viſio, ſcilicet, Dei*. Et Sanctus Cyrillus lib. 3. contra Iulianum, *Hominum*, inquit, *fælicitas eſt, habere ſummam contemplationem*. Idem docet Sanctus Irenęus lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 37. Baſilius in Conſtitutione Monaſtica cap. 19. Damaſcenus lib. 2. fidei, cap. 12. Anſelmus, in Monol. cap. 66. 67. & 68. & lib. 2. Cur Deus homo c. 1. & in dial. de caſu Diaboli. cap. 13. Euſebius, & alij.

Auguſt. Ambroſ. Bernard. Cirillus. Irenæus. Baſilius. Damaſc. Anſelm. Euſebius.

Valentia.

Pater Valentia, quemadmodum ſuſtinet beatitudinem in pluribus actibus conſiſtere, intellectus, ſcilicet, & voluntatis, ita, explicat omnes Sanctorum Authoritates, & præcipuè Diui Auguſtini, quòd ſi exprimitur beatitudo vt conſiſtens in intellectu; In alijs locis exprimitur, quòd conſiſtat in voluntate, quare, apud ipſum, nullius ſunt momenti, authoritates pro ſententia Diui Thomæ. Non aduertens, quòd Sancti Patres adducti, dùm aſſerunt, gaudium, ſeu delectationem, beatam ingredi vitam, loquuntur tanquam de effectu beatitudinis; & Inſuper nunquam dixerunt, vitam æternam in ſolo gaudio, ſicut dixerunt in ſola viſione conſiſtere. Ergo loquuntur pro ſententia Diui Thomæ, & nullatenus poſſunt commodè pro ſententia Scoti explicari.

26 Probatur ſecundò, ratione. Beatitudo nullo modo poteſt conſiſtere in actu voluntatis, qui eſt amor amicitiæ, vel delectatio. Ergo conſiſtit in ſolo actu viſionis. patet conſequentia, probatur autem antecedens, ratione Diui Thomæ 3. contra gentes cap. 26. & quodlib. 8. ar. 9. & in 4. diſt. 49. quæſtiuncula prima eamque ſic formo. Prius, ac principalius obiectum voluntatis, non poteſt eſſe aliquis actus eiuſdem voluntatis: ſed beatitudo eſt obiectum prius, ac principalius voluntatis. ergo beatitudo non poteſt eſſe aliquis actus voluntatis. probatur maior, obiectum prius, ac principalius alicuius potentiæ, debet antecedere omnem illius potentiæ actum; Actus enim eſt propter obiectum, & ad obiectum. probatur etiam minor; quia beatitudo eſt cuiuſcumque naturæ præſtantiſſimum bonum, propter quod, & ad quod, omnes actus voluntatis ordinantur. Ergo ipſa eſt prius, ac principaliùs voluntatis obiectum. Probatur inſuper hæc minor, ex D. Thoma p. 2. q. 1. ar. 6. quia omnia quæ appetit homo, appetit propter vltimum finem, quod optimè probat in Corp. & confirmat in argumento ſed contra, authoritate Diui Auguſtini. D.Thom.

Reſpondet Scotus, qui ſupra; Negando antecedens. ad cuius probationem, concedit maiorem, & diſtinguit minorem; ſed beatitudo extra, eſt principaliùs obiectum voluntatis, concedit minorem; ſed beatitudo intra, negat minorem. Per beatitudinem extra, Scotus intendit beatitudinem obiectiuam; per beatitudinem intra, intendit beatitudinem, quam cæteri Theologi vocant formalem. Scotus.

27 Contra hanc ſolutionem, ſic argumentor, primò, Appetens beatitudinem obiectiuam prout eſt beatitudo appetentis, neceſſariò appetit, vt quod, beatitudinem formalem. ergo nulla reſponſio. conſequentia patet. probatur autem antecedens; quia appetens beatitudinem obiectiuam, vt ſuam beatitudinem, appetit illius aſſecutionem, quod præterquam clarum eſt; Confirmatur exemplis. Cupiens pecuniam tanquam ſibi bonum, ſimul, & ſemel, cupit pecuniam, pecuniæque poſſeſſionem; Aliàs illam tamquam finem ſibi bonum, non appeteret, & ſimiliter ponens in cibo finem ſuum, qui eſt de numero illorum, de quibus dicitur, *Quorum Deus, venter eſt*. non ſolùm appetit cibum, ſecundùm ſe, ſed etiam cibi comeſtionem. ergo ſimiliter appetens Deum, in ratione ſui vltimi finis, ſeu ſuæ beatitudinis obiectiuæ, appetit etiam Dei poſſeſſionem. Videndus omninò eſt, Diuus Thomas in 4. diſt. 49. quæſtiuncula prima ad tertium. Vbi hæc habet verba, *Quidquid diligitur, dilectione concupiſcentiæ, non poteſt eſſe vltimum dilectum, cum ad bonum alte-*

Philip. 3. D.Thom.

Digitized by Google

alterius referatur, eius, ſcilicet, cui concupiſcitur; ſed illud quod diligitur amore beneuolentiæ, poteſt eſſe vltimum dilectum. Beatitudo ergo creata, quæ in nobis eſt, non diligitur, niſi dilectione concupiſcentiæ; Vnde eius dilectionem referimus ad nos: & per conſequens referimus eam in Deũ; cùm & nos in Deum referre debeamus, & ita nõ poteſt eſſe vltimum dilectum, eſt tamen vltimum concupitum, ex hoc ipſo, quod eſt maximum bonum, quod nobis ex coniunctione ad Deum prouenit: Vtrũque enim importat aliquod vltimum, in his quæ diliguntur amore concupiſcentiæ; Et ſi enim Deus concupiſcatur, tamen idem eſt, concupiſcere Deum, & maximũ bonorum quod nobis ex Deo prouenit; ſicut idem eſt, concupiſcere vinum, & effectum vini in nobis, puta delectationem.

Secundò, Amare beatitudinem obiectiuam amici, ſecundùm quòd eſt beatitudo obiectiua amici, eſt amare illum, vt poſſeſſum ab amico, ſeu poſſeſſionem beatitudinis obiectiuæ amici. ergo amare beatitudinem obiectiuam ſecundùm quòd eſt beatitudo, & bonum amantis, eſt amare non ſolum beatitudinem obiectiuè ſumptam, ſed etiam formalem, ſeu vt terminis Scoti vtar, non ſolùm beatitudinem extra, verùm etiam, beatitudinem intra, ergo nulla reſponſio Scoti.

Salas. Valentia.

28 Reſpondent, pro ſententia Scoti, Salas, & Valentia, dicentes, Quòd cum dicitur, beatitudinem eſſe primum voluntatis obiectum, dupliciter intelligi poteſt, vel de primo obiecto in exercitio, vel de primo obiecto ordine intentionis, & dignitatis. Primo modo, falſum eſſe dicunt, quòd primum obiectum voluntatis ſit beatitudo; nam multoties voluntas prius quàm beatitudinem appetat, appetit alia à beatitudine diſtincta; Secundo autem modo verum eſt, beatitudinem eſſe primum obiectum voluntatis: ſed hoc rationi Diui Thomæ officit, non proficit; quia non ſequitur ex hoc, quòd voluntatis dignius obiectum, eſt beatitudo. ergo beatitudo non conſiſtit in actu voluntatis, nam hoc modo actus voluntatis, non repugnat vt ſit obiectum eius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Ferrarien.

Contra hanc reſponſionem diligenter Thomiſtæ inſurgunt, & præſertim Ferrarienſis in 3. cont. gent. cap. 26. & breuiter, prius ratio Diui Thomæ explicatur, & deinde contra reſponſionem inſtauratur.

Eſt igitur obſeruandum, quòd quando cum D. Thoma dicimus, priùs, ac principaliùs obiectum voluntatis non poſſe eſſe aliquem eiuſdem voluntatis actum; ſic intelligitur, Quod ex natura ſua eſt priùs, ac principaliùs obiectum voluntatis, non poteſt eſſe eiuſdem voluntatis actus, & ratio eſt, quia obiectum eſt id propter quod, voluntas vult. Et inſuper, obiectum priùs, ac principaliùs non ſic intelligitur prius dignitate, quaſi ex natura ſua nõ poſſit quoque eſſe priùs in exercitio; & quando dicitur priùs, ac principaliùs obiectum voluntatis in exercitio, non ita priùs dicitur, quaſi ſit neceſſariò in exercitio priùs; quoniam voluntas poteſt incipere ſuum velle ab eo, quod non eſt priùs, ac principaliùs ex natura ſua in exercitio.

Quo poſito, ſic inſtauratur Diui Thomæ ratio. Quod eſt priùs, ac principaliùs obiectum voluntatis, eſt priùs volitum implicitè, vel explicitè: ſed beatitudo obiectiua cum formali eſt obiectum voluntatis. ergo eſt priùs volita, ſeu volibilis ex natura ſua implicitè, vel explicitè. Ergo beatitudo formalis non poteſt eſſe actus voluntatis. Quare nullius eſt momenti contra rationem Diui Thomæ, aduerſariorum labor. Videatur Ferrarienſis loco citato.

Suarez quoque conatur, hoc modo, rationẽ D. Thomæ infringere. Sicut beatitudo eſt primũ obiectũ appetibile, ſic etiã primũ obiectũ intelligibile: Sed eſſe primũ intelligibile, nõ cõuenit ei in exercitio, aliàs nõ cõſiſteret in actu intellectus, de cuius ratione eſt, ſupponere in exercitio obiectum ipſum cognoſcendum. Ergo neque eſſe primum appetibile, poteſt illi hoc modo conuenire. vtrumque ergo conueniet ei, ſolùm in ordine intentionis, & dignitatis; quatenus eſt præſtantiſſimum obiectum, inter creata, quod intellectus, & voluntas poſſunt attingere; vnde ſicut ob hoc, non excluditur ab eius eſſentia actus intellectus; ſic nec debet excludi actus voluntatis, cum non magis repugnet hunc eſſe primum appetibile, quàm illum primum intelligibile.

29 Suarez tamen, in hoc diſcurſu, fallaciter procedit, eò quia prima propoſitio aſſumpta, eſt omninò fallax, immo ſimpliciter falſa; Quod vt magis clareſcat, ſic declaratur. Suarez.
Cùm ſic dico. Vltima hominis beatitudo eſt primum appetibile, eſt veriſſima propoſitio, reſpectu beatitudinis obiectiuæ, & formalis ſimul, cùm verò ſic dico. Vltima hominis beatitudo eſt primum intelligibile, per viſionẽ beatificam a Beatis, tantummodò, veritatem habet reſpectu beatitudinis obiectiuæ, non verò reſpectu beatitudinis formalis. Nam beatitudo formalis in ratione primi intelligibilis, ponit in numero cum beatitudine obiectiua; in ratione verò primi appetibilis, nequaquàm; eò quia reſpectu viſionis beatificæ primum, principale, & formale obiectum, eſt tantùm Deus. Omne autem obiectum creatum eſt obiectum materiale: At verò, vtraque beatitudo, obiectiua, ſcilicet, & formalis, reſpectu voluntatis, eſt obiectum formale; nam Deus, & creatura in ratione intelligibilis, non ſimul, & ex æquo concurrunt, ſed vnum priùs, & alterum poſteriùs; quia quando Deus per intellectionem non beatificam cognoſcitur, quando ſcilicet, per ea, quæ facta ſunt intelligitur, prius cognoſcitur creatura, deinde Deus; prius inquàm, re, quando per diuerſas cognitiones; vel cauſalitate, quando vnica, & ca-

Digitized by Google

eadem cognitione, vt patet in Angelis, quãdo verò, Deus videtur, vt eſt, in ſe, clarè, & diſtinctè, Deus cognoſcitur primò, & per ſe; creatura verò, non per ſe, ſed in Deo, & per Deum. Itaque Deus, & creatura, in ratione intelligibilis, non faciunt vnum obiectum formale; at verò, beatitudo vt appetibilis, non ita ſe habet, eò quia, ex obiectiua, & formali, fit vnum obiectum formale quod, quod eſt acquiſitio, ſeu eſt poſſeſſio beatitudinis obiectiuæ, vel beatitudo obiectiua vt adępta.

Secundò, Quia viſio eſt obiectiuæ beatitudinis acquiſitio; & conſequenter immediatè, & per ſe primò, non aliud reſpicit, quàm beatitudinem obiectiuam: Voluntas autem, quia ad beatitudinem obiectiuam tanquàm ad hominis bonũ inclinat, conſequenter primò, & per ſe, appetit beatitudinem formalem, & obiectiuam, quarè patet, quòd beatitudo, tàm formalis, quàm obiectiua, eſt primum appetibile; hoc autem modo ſumpta non eſt primum intelligibile.

30 Obſeruandum ſecundò, quòd Deus eſt ſummè cognoſcibilis, & ſummè amabilis; verùm, nec per viſionem beatificam creaturæ, ſummè cognoſcitur, nec per amorem creaturæ ſummè amatur; Hic enim videndi, vel amandi modus, ſoli Deo reſeruatur. Dicitur etiam primum intelligibile, & primum volibile; primum quidem intelligibile à nobis, reſpectu viſionis beatificæ, primum verò, volibile reſpectu amoris amicitiæ; Statim enim atquè intellectus creatus, eſt lumine gloriæ illuſtratus, & diuina eſſentia intra ipſum in ratione ſpeciei intelligibilis eſt illapſa, Deus videtur vt eſt in ſe, deinde immediatè amatur per voluntatem, ſecundùm quòd eſt in ſe bonus, & iſte amor dicitur amor amicitiæ: Poſtea cognoſcitur Deus, vt beatitudo hominis obiectiua, ideſt, vt viſus, ſeu poſſeſſus per viſionem: Poſtea, inquam, non re, & per aliam cognitionem, ſed per eãdem viſionem, quaſi reflexè, qua cognitione poſita, beatus amat Deum amore concupiſcentiæ, qui eſt delectatio. Delectatio enim, ſeu gaudium, eſt propter Deum viſum, & poſſeſſum: Secundùm quòd igitur, Deus eſt ſummum ſibi bonum, eſt primum amabile, ſimul cum ſua beatitudine formali, eò quia amor amicitiæ tendit in bonum amici, non vt bonum ſibi, neque vt bonum abſolutè, ſed vt bonum ab amico poſſeſſum, & conſequenter beatitudo Dei obiectiua, quæ eſt ipſemet Deus, eſt primum amabile, ſimul cum beatitudine formali; hoc tamen modo, non eſt primum intelligibile, niſi ratione beatitudinis obiectiuæ. Si hoc Suarez aduertiſſet fortaſſe rationem ſupradictam Diui Thomæ nõ impugnaſſet. Et breuiter ad impugnationem Suarez reſpondetur negando maiorem, reſpectu beatitudinis adæquatè acceptæ, licet, vera ſit paritas de beatitudine obiectiua, & diſparitas ex ſupradictis patet. Aliud enim eſt loqui de ſummo intelligibili in ratione intelligibilis: & aliud eſt loqui de amore ſummi boni in ratione beatificantis: Viſio autem beatifica reſpicit ſummum intelligibile obiectiuè tantum tamquàm obiectum immediatum, & formale: at verò amor ſummi boni in ratione beatificantis vtrumque reſpicit, & bonum obiectiuè, & bonum vt poſſeſſum: Ratio autem diſparitatis eſt, quia viſio beatifica eſt attingentia ſummi intelligibilis vt eſt in ſe, ideſt, ſecundum prædicata ſibi conuenientia: at verò beatitudo dicit ſummum bonum in ratione beatificantis, & conſequenter reſpicit illud, non vt in ſe eſt, ſed vt appetenti bonum, quare, &c. Suarez.

31 Probatur tertiò, Actus amoris amicitiæ non eſt actus poſſeſſiuus, & conſecutiuus Dei. ergo in illo non poteſt beatitudo noſtra conſiſtere. patet conſequentia. probatur antecedens; quia amor amicitiæ hoc non habet vi amoris amicitię, vt ſic, neque vi talis amoris amicitiæ. ergo nullo modo eſt poſſeſſiuus Dei. patet conſequentia. probatur antecedens quo ad primam partem, quia amor amicitiæ vt ſic, eſt indifferens ad bonum præſens, & abſens, quandoquidem in via per charitatem diligimus Deum amore amicitiæ, qui eſt abſens: quòd verò, non ratione talis amicitiæ, probatur. Quia ſi hoc eſſet ratione talis amicitię, vt videtur dicere Scotus; Ideo eſſet, quia amor amicitiæ de quo loquimur, eſt reſpectu Dei præſentis. Hic tantiſper cum Scoto colloquamur: & petimus per quid iſte amor eſt Dei, vel rei præſentis? Scotus. vel quia voluntas tendit ad Deum vt præſentem per amorem amicitiæ præſentatum, vel quia eſt præſens ratione viſionis; Si ſecundum. Ergo intentum, contra Scotum. Quia amor amicitiæ non conſequitur Deum præſentem, ſed potius ſequitur, ſeu ſe Deo præſenti inclinatiuè repræſentat. Si dicatur primum, gratis, & voluntariè aſſeritur; nec vllo modo à Scoto probatur: Et inſuper, ſic probo non eſſe verum. Quòd Deus ſit præſens intellectui, euidenter colligitur; quia Deus in ratione ſpeciei intelligibilis per ſe ipſum immediatè intimè intellectui vnitur quarè viſio attingit Deum qui eſt intra ipſum intellectum vnitus; At verò, voluntas, dicat quæſo Scotus, per quid habet Deum Scotus. intra ſe præſentem immediatè? non per charitatis habitum, qui eſt creatus; non per aliquam immediatam cum voluntate diuinæ eſſentiæ vnionem. quoniam hoc eſt falſum; nec a Scoto aſſeritur; ergo nullo modo Deus eſt præſens voluntati, niſi propter præſentiam quæ eſt in intellectu. ergo amor amicitiæ non habet Deum ſibi præſentem ratione ſui, & in ſe, ſed in intellectu, & ratione intellectus.

Confirmatur; Actus amoris amicitiæ, neque vt antecedens viſionem, neque vt viſionem ſub-

ſubſequitur, eſt beatitudo, ſeu conſequutio Dei. ergo nullo modo beatitudo conſiſtit in actu amoris amicitiæ. probatur conſequentia; quia actus amoris amicitiæ viſionem antecedens, vel eſt eiuſdem ſpeciei cum actu amoris amicitiæ ſequente viſionem, vel diuerſæ ſpeciei: vtrumquè impugnatur contra Scotum ergo.

Scotus. 32 Reſpondet primò, Scotus loco cit. q. 5. §. ad quæſtionem; quòd vterque amor, eſt eiuſdem ſpeciei. Nec propterea ſequitur, quòd ſi in via non eſt obiecti beatifici poſſeſſio, etiam ſic ſe habebit in Patria; & ratio eſt, quia amor amicitiæ, non eſt poſſeſſio obiecti, ſecundùm ſuam eſſentiam præciſè ſumptus, ſed pro vt habet certum gradum perfectionis; ità quòd viator ad illum gradum nullo modo perueniet.

Scotus. Sed contra hanc reſponſionem arguit idem Scotus. Quia amor viæ poteſt creſcere in viatore, ad æqualitatem cum amore comprehenſoris. Ergo nulla reſponſio. probatur antecedens. Quia, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ita ſe habent, quòd in graduali perfectione, non diſtant in infinitum; & ponitur exemplum de beata Virgine, quæ in amore amicitiæ exceſſit amorem, ad minus infimi beati; qua ratione conuictus Scotus hanc primam reiecit ſolutionem.

Salmaticenſes. Quidam Doctiſſimi Viri dicunt, immeritò procul dubio Scotum, hanc viam dereliquiſſe, quia & ſi loquendo de exceſſu in intenſione, nullus ſit gradus amoris, exiſtentium in Patria, ad quem amor viatoris, non poſſit pertingere: ſicut de facto amor Virginis Beatiſſimæ, etiam dum erat in via, amorem omnium comprænhenſorum præter Chriſtum longè in intenſione ſuperauit, adhuc in amore patriæ, remanet aliqua perfectio; eius ſcilicet, conſumatio, ad quam quantumcumque charitas viæ creſcat, non pertinget vt docet D. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 7. ad 3. Videantur de hac re Caietanus, & Bannes ibidem.

33 Mihi tamen, pace tantorum virorum, doctrina illa quæ docet, amorem Beatæ Virginis in via, in intenſione, amorem omnium comprænhenſorum poſt Chriſtum ſuperare, non omninò probatur; & contra eam ſic argumentor.

Amor Beatiſſimæ Virginis in via, quò ad intenſionem correſpondebat, quantitati fidei. Non enim cenſeri poteſt, in Virgine Beatiſſima fuiſſe auctam in intenſione charitatem, ſeu charitatis actum, magis quàm fidem in ratione fidei: ſed quantitas charitatis, fuit iuxta quantitatem fidei: quia Deus ſicut augebat charitatem in Virginis voluntate, ita in eiuſdem intellectu, fidei præbebat incrementum: Sed quacumque fide intenſiſſima, vel fidei actu intenſiſſimo dato; numquam ad tam intenſam poterit peruenire perfectionem, vt lumini gloriæ, vel viſioni beatificæ æquetur. ergo ſimiliter, numquam perfectio cuiuſcumque amoris viæ, poterit ita creſcere, vt ne dicam non ſuperet, ſed neque ad æqualem cuiuſcumque minimi beatifici amoris intenſionem attingat.

Et quoniam doctrina D. Thomæ eſt, quòd charitatis augmento, nullius terminus in hac vita præfigitur, cum doceat Secunda 2. q. 24. ar. 7. charitatem poſſe in infinitum augeri, etiam in hac vita: Poſſet præcedens dicendi modus hoc modo roborari. Charitas in hac vita in infinitum augeri poteſt, & charitas in patria, non eſt infinitè intenſa. ergo charitas in via, quo ad eius intenſionem, ſic augeri poteſt, vt ne dùm perueniat ad æqualitatem, verum vt incomparabiliter comprehenſorum charitatis excedat intenſionem.

Amplius explicatur. Sit, verbi gratia, amor alicuius Beati, intenſus vt mille, bis mille, &c. quomodocumque conſideretur, cum non ſit cathegorematicè intenſus, eſt in aliquo determinato gradu intenſionis, tunc ſic. Amor Dei ex charitate procedens, in via augeri poteſt in infinitum. ergo ad gradum intenſionis vt mille, & bis mille, & ſic ſemper in infinitum, diſcurrendo, peruenire poteſt. ergo aliquis viator poteſt actum amoris beatifici, quò ad intenſionem excedere.

Fateor hoc eſſe valde difficilè, nihilominus tamen, vt quid in hac re ſentio aperiam.

34 Obſeruo primò, quòd licet charitas viæ, & patriæ ſint vnus idemque habitus, non ſolùm ſpecificè, verùm etiam numericè, iuxta illud *charitas numquam excidit*, tamen eſt magis minuſuè intenſus: minus intenſus in via, magis intenſus in patria. 1. Cor. 13.

Obſeruo ſecundò, cum Caietano ibidem, quòd charitas habet duplicem ſtatum naturalem, ſcilicet, & quaſi præter naturalem, ſtatus naturalis charitatis, eſt eſſe illo modo, & ea perfectione, qua eſt in cæleſti patria; ſtatus autem quodammodo præter naturalis, eſt eſſe ſicut eſt in hac vita.

Obſeruo tertiò, quòd, licet, habitus charitatis in hac vita mortali ſit, idem cum habitu charitatis in cæleſti patria, tamen cum ſint longè diuerſi ſtatus, dicendum eſt, quòd actus charitatis quò ad eius intenſionem in via, & in patria, quamuis ab vno eodemquè habitu procedant, tamen actus charitatis in via, & actus charitatis in patria, ſe habent ſecundùm formalitates diuerſæ rationis, ita Videlicet, quòd charitas in via ſe habet vt homo, in ſtatu pueritiæ, & charitas in patria ſe habet vt homo in ſua virilitate perfectus; & quemadmodum homo, quantumcumque infra pueritiæ ſtatum creſcat, numquàm æquabitur ſtatui perfectè virilitatis, niſi à ſtatu pueritiæ, ad ſtatum virilitatis tranſeat; idcirco, opinor quòd charitas quantumcumque creſcat in via, etiam ſecundum infinitos gradus intenſionis Syncathegorematicè, numquam perueniet ad intenſionem amo-

amoris in patria, eò quia amor viæ, & amor patriæ, licet ſint actus vnius habitus, tamen habent formalitatem actus diuerſarum rationum, & ſecundum hanc regulam metiri debent, Verbi gratia, Homo quantumcumque creſcat in perfectione humana, numquam perueniet ad æqualitatem infimi Angeli, eò quia homo eſt inferioris rationis, quàm infimus Angelus. Exemplum de pueritia, & de virilitate perfecta: vt poſitum eſt: non vt ab alijs formali poteſt, iudicandum eſt; non enim dixi, à ſtatu pueritiæ ad ſtatum perfectę virilitatis, non fieri tranſitum, niſi per infinitos pueritiæ gradus tranſeundo, quoniam hoc eſt euidenter impoſſibile; cum infinitum non poſſit pertranſiri. Dixi tamen, quòd ſi infra pueritiæ ſtatum eſſent infiniti gradus, quantumcumquè aliquis intra eundem ſtatum perficeretur, numquam perueniet ad ſtatum perfectę virilitatis. ita dicimus in caſu noſtro, quòd amor Beatæ Virginis in via, non fuit, nec eſſe potuit, amori cuiuſcumque beati ęqualis, quia quantumcumque conſideretur charitatis augmentum, vt in via, ſemper erit ſimilis augmento pueri, intra pueritiæ ſtatum.

Scotus. Non rectè igitur reſpondit Scotus, aſſerens vtrumque charitatis amorem in via, & in patria, eſſe eiuſdem ſpeciei; quia quamuis ſit idem habitus, eſt tamen diuerſus ſtatus, & diuerſa regula, ratione cuius diuerſitatis, actus amoris viæ, & actus amoris patrię, habent diuerſam rationem, penes diuerſas formalitates.

Nequè argumentum ab eodem Scoto, contra reſponſionem vrget; ſi dicamus quòd actus charitatis viæ, & patriæ, ſunt eiuſdem ſpeciei, ratione habitus, non verò, ratione Status, & regulæ. Videatur Caietanus infra qu. 82. ar. 2. in fine. Caietan.

Reſpondet ſecundò, Scotus, quòd vterq; amor, eſt ſpecificè diſtinctus, & omninò diuerſæ rationis.

35 Sed ſtante huius reſponſionis veritate, non ſaluatur intentum. Quia amor amicitiæ ſpecificè diſtinctus, ab amore amicitiæ Dei in via, non habet vt ſit obiecti beatifici perfecta poſſeſſio, ex ratione generica, neq; ex ratione ſpecifica, ergo non ſoluit argumentum. Probatur antecedens; & quidem de ratione generica patet, quia datur quidam amor amicitiæ Dei, qui eſt de Deo abſente; quòd verò, nequè ex ratione ſpecifica; probatur; quia vt diximus, amor patriæ, vt ſit obiecti beatifici perfecta poſſeſſio, non aliundè habet, niſi quia viſum, & intellectui videnti intimè præſens. ergo tota poſſeſſionis ratio eſt per intellectum.

36 Videtur etiam, hæc determinatio eſſe D. Thomæ, de verit. q. 22. ar. 2. in reſp. ad 3. vbi hæc habet verba. *Ad 3. dicendum quòd Deus dupliciter poteſt conſiderari, vel in ſe, vel in effectibus ſuis. in ſe quidem; cum ſit ipſa eſſentia bonitatis, non poteſt, non diligi. Vnde ab omnibus videntibus eum per eſſentiam diligitur, & ibi quantum quiſque cognoſcit tantum diligit.* D. Thom.

hæc ille. Vbi ni fallor pro noſtra ſententia loquitur, ex eo quia dicit, *quantum aliquis in patria cognoſcit tantum diligit*. Aduertatur, & ponderetur ly *quantùm cognoſcit* & ly, *tantum diligit*, quoniam de intenſiua cognitione eſt ſermo; quo poſito ſic argumentor. Minimus actus viſionis beatificæ incōparabiliter omnes actus fidei, quò ad intenſionem ſuperat. ergo ſimiliter minimus actus amoris beatifici, quò ad intenſionem omnem amoris actum in via productum excedit, ergo quantumcumquè actus amoris viæ in infinitum creſcat, numquam poterit ad intenſionem ſic perfectam peruenire, ſicuti eſt intenſio actus amoris patriæ.

Breuiter tamen aduerte, Scotum non ſibi conſtare, nam in primo diſt. 1. q. 4. probat, quòd voluntas Pauli videntis, & nō videntis Deū, eodem modo ſe habet. In 4. verò, ſentent. diſt. 49. q. 5. §. ad quæſtionem & ſignanter, §. *Aliter poteſt dici*. ait, quòd *fruitio beata, & non beata differunt ſpecie, ſe ipſis quidem formaliter, ſed à cauſis, vel habitudine cauſarum, cauſaliter*; & probatur ab ipſo ibidem, his verbis, *Intellectio viatoris, & viſio beati differunt ſpecie. ergo & effectus qui neceſſariò requirunt iſtas cauſas diuerſas*. Scotus.

Ex dictis igitur conſtat, quòd amor cuiuſcunq; Viatoris quantumcumquè creſcat in intenſione in via, illa intenſio, etiam ſi, quò ad numerum graduum amorem patriæ excedat, tamen, ſemper eſt inferioris conditionis, & minor, intenſione amoris beatifici, ſicut actus fidei, reſpectu actus viſionis.

37 Probatur tertiò. Quia intellectus, eſt facultas ſimpliciter perfectior, quàm voluntas. ergo perfectiſſima operatio intellectus, quæ eſt viſio Dei, eſt præſtantior perfectiſſima operatione voluntatis, quæ eſt amor amicitiæ Dei. ergo beatitudo conſiſtit in viſione Dei, non verò in amore amicitiæ eiuſdem; probatur hæc vltima conſequentia; quia vt docet D. Thomas, hic, in Corp. & etiam Scotus loco citato, beatitudo hominis, conſiſtit in altiſſima eius operatione; prima verò conſequentia probatur; quia perfectiori potentiæ debet aſſignari perfectior operatio; probatur autem antecedens; quia illa potentia dicitur ſimpliciter perfectior, cuius obiectum eſt ſimplicius, & magis abſolutum; ſed obiectum intellectus, eſt huiuſmodi, non verò obiectum voluntatis. ergo intellectus eſt præſtantior potentia, quàm voluntas. Maior patet, probatur minor, quia obiectum intellectus eſt ipſa ratio boni appetibilis; bonum autem appetibile, cuius ratio eſt in intellectu, eſt obiectum voluntatis, ſed perfectior eſt ratio boni appetibilis, quàm bonum appetibile, cuius ratio eſt in intellectu, ergo perfectius eſt obiectum intellectus, quàm obie- D. Thom. Scotus.

obie-

Digitized by Google

obiectum voluntatis.

D.Thom. Explicatur breuiter, vis huius rationis, quæ eſt D. Thomæ infra q. 82. ar. 3. nam in bono quod appetitur, duo conſiderantur, ſeu bonum dupliciter conſiderari poteſt; primò, ſecundùm ſuam quidditatem; ſecundò, ſecundùm quòd exercet appetibilitatem. Præſtantius autem eſt in vnoquoque, quod habet rationem quidditatis, quam omne aliud quod reperitur in ipſo; Cum igitur ipſa ratio boni appetibilis, id eſt, bonum ſecundùm rationem ſuæ quidditatis, ſit obiectum intellectus, & ſecundùm quòd, poteſt officium appetibilis exercere, eſt obiectum voluntatis; Euidenter ſequitur, quòd obiectum intellectus eſt præſtantius obiecto voluntatis. Eſtquè veluti argumentum à fortiori, quaſi

D.Thom. diceret D. Thomas. Idem bonum quod aſſignatur obiectum voluntatis, ſecundùm principaliorem rationem eſt obiectum intellectus, & ſecundum rationem minus principalem eſt obiectum voluntatis. Ergo à fortiori adæquata ratio obiecti intellectus, eſt præſtantior ratione obiecti voluntatis. Videatur D. Thomas qui ſupra, vbi Caietanus, & magis in reſponſionibus ad argumenta, præſens ratio roborabitur.

Probatur quartò; Intellectus poſſidet beatitudinem per viſionem beatificam, & eſt prior voluntate. Ergo beatitudo formaliter, & eſſentialiter conſiſtit tantùm in actu intellectus, qui eſt viſio clara Dei; patet conſequentia; quia in illo actu beatitudo conſiſtit, (vt Scotus ipſe concedit) qui eſt poſſeſſio obiecti beatifici; Antecedens autem probatur; quia intellectus habet Deum intra ſe immediatè ſibi vnitum, & per viſionem attingit illum intra ſe, pro vt eſt in ſe. Ergo actus viſionis, eſt poſſeſſiuus obiecti beatifici, puta, Dei.

Scotus. 38 Scotus negare non valens totaliter antecedens, nempè, quòd per viſionem beatificam conſequatur, & poſſideatur Deus à beatis, & quòd voluntas conſequatur intellectum, Reſpondet diſtinguendo antecedens; Si ſermo ſit de poſſeſſione prima, prioritate originis, concedit. De prioritate dignitatis, negat. Verba autem Scoti loc. cit. quæſt. 4. §. ad probationem ſunt iſta. *Concedo quòd per actum deſiderij, qui eſt abſentis non eſt aſſecutio finis, ſed per alium actum, ſcilicet, qui eſt amor rei præſentis, eſt aſſecutio prima loquendo de primitate perfectionis, licet, per actum intellectus, ſit aliqualis aſſecutio, prior prioritate generationis. Nunc autem ſecundùm phyloſophum*

Ariſtot. *9.* methaphyſic. *poſteriora generatione, ſunt priora perfectione, quod verum eſt, de priori quod eſt ſimpliciter immediatius vltimo, quod vltimum eſt ſimpliciter perfectum. Ita eſt hic.* & infra ibidem, ſic ait. *Concedo quòd illa quietatio eſt ſecundus actus voluntatis* loquitur de delectatione, *ſed nego quòd conſequatur primam aſſecutionem finis. Primam inquàm, primitate perfectionis: imo & ſic eſt prima aſſecutio. Sequitur tamen aliquam aſſecutionem, hoc eſt, præſentiam ipſius obiecti fruibilis; quæ præſentia, eſt per actum intellectus*; idem plures repetit, &c.

Sed contra hanc Scoti doctrinam, ſic argumentor, primò. Quia ſi intellectus eſt potentia prior generatione. Ergo eſt potentia prior perfectione. Antecedens ex vtraque parte, & noſtra & Scoti, conceditur: Probatur autem conſequentia; quia licet in productione ſubſtantiæ, modus eſſendi ſubſtantiæ per generationem ſit imperfectior ille, qui eſt prior via generationis, tamen in potentijs animæ intellectiuæ, è contra contingit; quia potentiæ ponuntur eſſentiæ, vt potentia poſſit operari: At cùm operatio cuiuſcumquè, ſit propter finem adipiſcendum, natura prius de magis neceſſarijs prouidet, deinde de minus neceſſarijs: Magis autem neceſſarium eſt, acquirere finem, quam conſequentia finem; ergo intellectus cùm ſit potentia prior, eſt magis principaliter intentus. Secundò, quia ſemel conſecuto fine, per vnam potentiam, fruſtra ponitur alia potentia eiuſdem finis conſecutiua. Ergo ſi intellectus eſt potentia aſſecutiua finis, fruſtra poneretur alia potẽtia eiuſdẽ finis conſecutiua. Tertiò, quia voluntas eſt potẽtia cæca. Ergo non eſt potentia conſecutiua, Cæcus enim, vt cæcus, ducitur, & ſubſequitur, nõ proſequitur. Quartò tandem; quia ſequeretur, quòd delectatio eſſet actus præſtantior amore amicitiæ, quod negatur à Scoto; probatur ſequela, eo quia amor amicitiæ, eſt prior prioritate generationis, quàm delectatio, quæ eſt vltima.

Si ad hoc vltimum cum Scoto dicatur, quòd amor amicitiæ, quamuis ſit prior generatione, & delectatio ſit poſterior, non propterea delectatio eſt perfectior, quia amor amicitiæ eſt vicinior vltimo fini, quàm delectatio. Scotus.

39 Contra. Ergo viſio eſt perfectior amore amicitiæ, non obſtante quòd ſit prior generatione, quàm amor amicitiæ. probatur conſequentia, quia viſio prius immediatè attingit vltimum finem.

Inſuper, hæc diſtinctio de prioritate dignitatis, & de prioritate generationis in ſubiecta materia impugnatur; Quia illud eſt prius non ſolum generatione, ſed etiam dignitate, quòd prius dignius obiectum attingit: ſed intellectus, priùs quàm voluntas digniſſimum obiectum, puta Deum, attingit. Ergo.

Nec valet cum Scoto dicere, quòd intellectus eſt ita prior, vt ſit propter poſterius, illique inſeruiat. Nam eſt vt inſeruiat voluntati. Vnde voluntas dicitur Regina potentiarum. Scotus.

Non inquam valet; Quia falſum eſt, quòd intellectus ponitur vt inſeruiat voluntati; ponitur

nitur enim tamquam magiſter, & regula illius, & volun.as reſpectu intellectus, eſt potētia cęca; & ſi voluntas dicitur Regina potentiarum, hoc dupliciter intelligi poteſt: vel reſpectu potentiarum ſenſitiuarum, vel reſpectu intellectus: Vtroque modo veritatem habet; ſed differenter; Nam reſpectu ſenſitiuarum potentiarum, dicitur Regina, & & illarum Domina: Reſpectu verò, intellectus dicitur quidem Regina, ſed in ordine ad Regem, quia ſi voluntas inter potentias, eſt Regina, intellectus eſt Rex, omniumquè Caput, & hoc magis in reſponſionibus ad argumenta manifeſtum erit. Multæ aliæ rationes poſſent adduci, quas omittimus, quia ſumus extra inſtitutum. Videatur D. Thomas in 4. ſent. diſt. 49. cit. p. 2. quæſt. 3. & 3. contra gent. cap. 25. & 26. vbi Ferrarienſis. D.Thom. Ferrar.

CAPVT SEPTIMVM.

Proponuntur argumenta pro ſententia Henrici, & diſſoluuntur.

Gentic. Contra hanc determinationem obijciet aliquis primò, pro ſententia Henrici. Perfectiſſima forma, debet ſubiectari in ſubiecto perfectiſſimo: ſed beatitudo eſt perfectiſſima forma. Ergo debet ſubiectari in ſubiecto perfectiſſimo: ſed perfectius ſubiectum, eſt eſſentia animæ, quàm intellectus, vel voluntas. Ergo beatitudo debet ſubiectari in eſſentia animæ, non autem in intellectu. Ergo beatitudo non conſiſtit in operatione, ſed in illapſu Dei in eſſentiam animæ, vel immediatè per ſe ipſum, vel mediatè per ſanctificantem gratiam. Vltima conſequentia patet ex prima: prima verò conſequentia, etiam patet ex ſubſumptione minoris: ſubſumptio minoris eſt clara, & præcipuè ſecundùm ſententiam communiorem, quæ eſt D. Thomæ, nempè, quòd, intellectus eſt potentia realiter ab eſſentia animæ diſtincta: Maior principalis ſyllogiſmi ſicut, & minor cum conſequentia, negari non poſſunt. Ergo.

Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem,
40 Forma perfectiſſima, quæ dat primò, & per ſe tantùm eſſe, non verò operari, concedo maiorem. Forma perfectiſſima quæ eſt operatio, debet ſubiectari in ſubiecto perfectiſſimo, nego maiorem: Ad minorem: ſed beatitudo eſt forma perfectiſſima, quæ eſt operatio. Concedo minorem, ſed beatitudo eſt forma perfectiſſima, quæ primò, & per ſe præbet eſſe ſubiecto; nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Beatitudo enim eſt forma perfectiſſima, non quæ præbet eſſe, ſed quæ eſt operatio. Conſiſtit enim in conſecutione ſummi boni, quæ non fit niſi per operationem; & hoc eſt quod alij dicunt, quòd beatitudo eſt forma quidem perfectiſſima, non prima, ſed ſecunda; quoniam forma prima perfectiſſima, reſpicit eſſe rei: forma verò ſecunda, eſt operatio.

Reſpōdetur ſecundò, Iterum diſting. maiorem. Forma perfectiſſima debet ſubiectari, vel mediatè, vel immediatè, ſubiecto perfectiſſimo, concedo maiorem. Debet ſubiectari ſemper immediatè, ſubiecto perfectiſſimo, nego maiorem. Tunc conceſſa minori; ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Ergo beatitudo debet ſubiectari in perfectiſſimo ſubiecto, ſeu in eſſentia animæ, Mediatè, concedo conſequentia. Immediatè, nego conſequentiam.

41 Explicatur iſta reſponſio, obſeruādo hoc vnum; Quòd eſſentia animæ, & eius potentię in ratione ſubiecti, vel principij, non ponunt in numero; quoniam quidquid potentijs tribuitur, etiam de eſſentia dicitur, eò quia potentiæ, cum ſint, id quo anima ſeu compoſitū aliquid operatur, vel recipit, ſunt propter animam, vel compoſitum; qua propter, quod eſt in potentijs, etiam dicitur eſſe in anima, non quidem immediatè, ſed mediatè, id eſt, mediante potentia; vnde quando dicitur, quòd beatitudo ſubiectatur in intellectu, qui eſt potentia animæ, non excluditur, quin ſubiectetur in anima, ſed ſenſus eſt, quòd eſt in anima mediante intellectu.

Reſpondetur tertiò, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. ſed beatitudo eſt forma perfectiſſima, præſupponens gratiam, & lumen gloriæ: gratiam in eſſentia, & lumen gloriæ in intellectu, concedo minorem. Et non præſupponens gratiam in eſſentia animæ, & lumen gloriæ in intellectu, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Senſus reſponſionis eſt, quòd beatitudo non eſt qualiſcumque forma perfectiſſima, ſed illa, quæ præſupponit animam Deo gratam, & intellectum lumine glorię illuſtratum, huiuſmodi autē forma perfectiſſima, eſt operatio, quæ eſt viſio clara Dei. Quare non in eſſentia animæ, ſed in intellectu ſubiectari debet.

Obijcies ſecundò, Gratia ſanctificans eſt in eſſentia animæ. Ergo etiam gloria. Ergo & beatitudo quæ eſt ipſa gloria. probatur conſequentia, primò. Quia dicitur Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*: ſed gratia eſt in eſſentia animæ. Ergo etiam & vita æterna. Secundò; quia quod iuſtificatur, hoc idem glorificatur; vnde Apoſtolus ait; *Quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos iuſtificauit, hos glorificauit*. Ergo eadem proportione ſeruata, illud quod in homine, vel Angelo recipit gratiam, recipit etiam gloriam. Rom. 6. Rom. 8.

Re-

Digitized by Google

42 Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo etiam gloria mediatè, concedo conſequentiam, immediatè, nego conſequentiam.

Ad cuius primam probationem reſpondetur, primò, explicando authoritatem. *Gratia Dei vita æterna*. idest, gratia Dei, vocatur vita æterna cauſaliter, non formaliter, concedo, ſenſus enim eſt, quòd vita æterna dicitur, ad quem ſola Dei gratia ducimur, & dicimur peruenire, quia viſio, in qua beatitudo conſiſtit, omnem creaturæ facultatem excedit; nec eſt poſſibile ad eam niſi diuino munere peruenire, ita D. Thom. lib. 3. cont. gen. cap. 52.

Reſpondetur ſecundò. Quòd beatitudo vocatur gratia conſumata, quia gratia conſumatur, 43 ſeu perficitur tamquàm per vltimam perfectionem per beatitudinem, vt eſſe conſumatur per operationem, iuxta quem ſenſum intelligo illud Ariſtotelis; nempe, vnumquodque eſt propter ſuam operationem. id eſt, vnumquodque eſſe, vltimam perfectionem per operationem habet.

Ad illud verò, quod in ſecunda probatione ponitur, breuiter pro nunc reſpondetur; diſtinguendo antecedens. Quod iuſtificatur, hoc idem glorificatur, ſuppoſitaliter, & quo ad naturam, concedo. Ratione potentiæ, nego; non enim quod eſt immediatum ſubiectum iuſtificationis, eſt ſubiectum immediatum beatitudinis. Hæc reſponſio paulò infra explicabitur, reſpondendo ad argumenta Scoti.

Obijcies tertiò, Beatitudo creaturæ conſiſtit in vnione perfectiſſima cum Deo, ſed perfectior eſt vnio per illapſum Dei, immediatè per ſe ipſum in anima, vel quæ fit per ſanctificantem gratiam, quàm quæ fit per operationem, ergo beatitudo creaturæ rationalis, non conſiſtit in operatione, ſed in ſupradicto illapſu.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Beatitudo creaturę conſiſtit in vnione perfectiſſima. In eſſe intelligibili, concedo, In eſſe naturali, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & negando eſt conſequentia.

Obijcies quartò; Beatitudo cum ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, cōſiſtit in perfectiſſimo bono: ſed perfectius bonum eſt illapſus Dei in animam quàm operatio. Ergo Beatitudo conſiſtit in illapſu, & non in operatione, patet maior, probatur minor; quia illapſus pertinet ad eſsētiam: operatio autem, cum ſit accidens, ſpectat ad potentiam. ergo perfectior eſt illapſus in eſſentiam, ſicut eſt præſtantius eſſe quàm operatio. Probatur ſecundò eadem minor, perfectius eſt nos diligi à Deo, quàm nos diligere Deum: ſed per illapſum diligimur à Deo, & per operationem diligimus Deum. ergo perfectior eſt illapſus, &c.

Reſpondetur (ſuppoſito ſemel pro ſemper, in hac diſputatione, quòd loquimur de beati-44 tudine formali) diſtinguendo maiorem, Beatitudo conſiſtit in perfectiſſimo bono, vt poſſeſſo, concedo maiorem. Non vt poſſeſſo nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia, ad cuius primam probationem minoris, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. ergo perfectior eſt illapſus in eſſentiam, &c. non poſſeſſiuè, concedo conſequentiam, poſſeſſiuè, nego conſequentiam. nam per illapſum non poſſidetur Deus: beatitudo autem formalis eſt perfectiſſimi boni, perfecta poſſeſſio.

Ad ſecundam probationem nego maiorem. Eò quia, quòd nos diligamus Deum, includit hoc, idest, diligimur à Deo; non enim diligimus Deum niſi mouente Deo, nec poſſumus diligere Deum, niſi per charitatem quā Deus per hoc quòd miſericorditer diligit nos, nobis ſine nobis cauſat. eius enim amor, non præſupponit in obiecto amato bonitatem, ſed illam diligendo cauſat.

Obijcies quintò; Ante claram Dei viſionem, Deus eſt vnitus intellectui, in ratione ſpeciei intelligibilis, quæ vnio eſt in eſſe intelligibili, vt infra patebit, & eſt perfectiſſima vnio, cum ratione illius, intellectus fiat identicè Deus, non quidem in eſſe naturali, ſed in eſſe intelligibili. ergo beatitudo conſiſtit in tali vnione.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Ante viſionē, Deus eſt vnitus intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, propter viſionem eliciendam, obiectumquè beatificum conſequendum concedo antecedens. In illa vnione ſiſtendo, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam, eò quia beatitudo conſiſtit in illa vnione, qua obiectum beatificum perfectè poſſidetur.

CAPVT OCTAVVM.

Ad Argumenta ſecundæ ſententiæ Reſpondetur.

OBijcies Sextò, Habitus eſt perfectior actu. ergo beatitudo principalius conſiſtit in habitus quàm in actu; probatur antecedens, quia habitus eſt cauſa principalis actus. ergo eſt nobilior actu. patet conſequentia; quia cauſa eſt nobilior ſuo effectu. Antecedens ſuppono ex ijs quæ dicta ſunt in materia de habitibus.

45 Sed Reſpōdetur diſtinguendo antecedēs. habitus eſt præſtantior actu entitatiuè, quò ad rationem cauſandi, & ratione diuturnitatis, tranſeat antecedens. Eſt perfectior actu, quo ad modum poſſidendi obiectum beatificum, nego antecedens. ergo, &c. nego conſequentiam. Beatitudo autem in eo conſiſte-

Digitized by Google

re debet, per quòd obiectum beatificum perfectius poſſidetur. Nam beatitudo perfecta rationalis creaturæ debet eſſe quædam aſſimilatio, & participatio beatitudinis Dei: ſed Deus dicitur beatus formaliſſimè loquendo, non ratione alicuius habitus, ſed ratione actus. Ergo ſimiliter creatura rationalis.

Obijcies ſeptimò; Quia in illo beatitudo conſiſtit, per quòd obiectum beatificum primò poſſidetur: ſed obiectum beatificum prius poſſidetur per habitum, quam per actum. Ergo beatitudo formaliter conſiſtit in habitu, & non in actu. patet maior; probatur minor, Quia habitus ſupernaturalis, puta, lumē gloriæ, & habitus charitatis, ſunt priores actibus ſuis, ſed per habitum luminis gloriæ poſſidetur Deus. Ergo.

Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; ſed per habitum, &c. habitualiter cōcedo, actualiter, nego. Ergo, &c. nego conſequētiam. Et ratio negationis eſt, quia beatitudo perfecta, formaliter, & eſſentialiter, conſiſtit in eo per quod actualiter obiectum beatificum poſſidetur, non autem per quod habitualiter.

CAPVT NONVM.

Satisfit argumentis tertiæ ſententiæ.

OBijcies octauò. Quia in extrauaganti Bulla Benedicti XI. aſſeritur, ac determinatur, quòd beatitudo hominis, in viſione, & fruitione Dei conſiſtit, & Diuus Thomas, prima ſecundæ qu. 4. ar. 8. ad tertium, ait, *quòd perfectio charitatis eſt eſſentialis beatitudini, quantum ad dilectionem Dei; non autem quantum ad dilectionem proximi.* Ergo dilectio Dei eſt eſſentialis beatitudini. ergo non ſaluatur eſſentia beatitudinis adæquatè, iuxta mentem D. Thomæ, in ſola clara Dei viſione. idem determinatur in Clementina ad noſtrum, de Hæreticis, & in Cathechiſmo Romano iuſſu Pij V, edito, p. p. in illis verbis Symboli, nempè *vitam æternam*. dicitur, beatitudinem ex ijs duobus conſtare, ſcilicet, viſione, & fruitione. Ergo beatitudo conſiſtit eſſentialiter in pluribus actibus.

D.Thom.

Clementina.

Reſpondetur explicando authoritates, Benedicti XI. Clementinæ, & Cathechiſmi Romani. Beatitudinem conſiſtere in actu viſionis, & fruitionis, & vtrumque actum includere, phyſicè, cōcedo. Et vtrumque actū, ex æquo ac eſſentialiter includere metaphyſicè, nego. Intelligendæ igitur ſunt prædictæ authoritates phyſicè, non autem ſecundùm ſpeculationes metaphyſicas; & ſenſus eſt, quòd beatitudo, neceſſariò includit viſionem, & fruitionem, ſed primò, & eſſentialiter viſionem, conſequenter verò fruitionem.

Ad authoritatem D. Thomæ, breuiter reſpon-
46 detur explicando Diuum Thomam, de beatitudine, prout, de facto includit fruitionem, non autem ſecundùm quòd beatitudo ſumitur eſſentialiter, & methaphyſicè, & ſenſus eſt, quòd beatitudini fruitionem includenti, eſt eſſentialis Dei expreſſa fruitio, ac dilectio; proximi autem dilectio, nō itē, vnde ly, *eſſentialis beatitudini*, nō cadit ſuper rationē formalē beatitudinis, ſed ſuper beatitudinē includentem fruitionē, & quòd hæc ſit D. Thomæ germana intelligentia; ex eiuſdem verbis euidenter colligitur. *Ad tertium enim*, inquit, *dicendum, quòd perfectio charitatis, eſt eſſentialis beatitudini quantùm ad dilectionem Dei, non quantùm ad dilectionem proximi. Vnde ſi eſſet vna ſola anima fruens Deo, beata eſſet, non habens proximum quem diligeret*: Sed ſuppoſito proximo, ſequitur dilectio eius, ex perfecta dilectione Dei. Vnde quaſi concomitanter ſe habet amicitia ad perfectam beatitudinem. Sunt nonnullæ aliæ Diui Thomæ authoritates; in quibus docet creaturam rationalem conſequi ſuum finem cognoſcendo, & amando Deum, quæ omnes exponendæ ſunt in ſenſu phyſico, non in ſenſu formali & methaphyſico.

D.Thom.

Obijcies Nonò, Beatitudo Dei conſiſtit in actu viſionis, & amoris. Ergo etiam beatitudo noſtra. patet conſequentia; Quia beatitudo noſtra eſt participatio beatitudinis increatæ Dei; probatur antecedens, quia Deus eſt eſſentialiter Trinus. Ergo eſſentialiter Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo de eſſentia illius eſt, quòd per amorem producatur Spiritus Sanctus; ſed Deus eſt ſua beatitudo eſſentialiter, & formaliter. Ergo.

47 Reſpondetur, negando antecedens, eſt enim expreſsè contra D. Thomam p. p. qu. 26. art. 2. ad cuius probationem diſtinguo antecedens, Deus eſt eſſentialiter realiter, Trinus, concedo. Eſt eſſentialiter cōceptibiliter, nego. Hæc reſponſio patebit infra, ex ijs quæ dicemus de conſtitutiuo Dei, & in tractatu de Trinitate. D.Thom.

Obijcies Decimò, Non ſolùm intellectus, ſed etiam voluntas beatificatur. Ergo beatitudo in vtriuſque actu formaliter conſiſtit. Conſequentia patet; quia nihil beatificatur ſine beatitudine; probatur antecedens, quia ſicut intellectus beatificatur videndo Deum, ita voluntas diligendo, & fruendo, nam quemadmodum intellectus ſatiatur ſummo vero, ita etiam voluntas ſatiatur ſummo bono.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Non ſolùm intellectus, ſed etiam voluntas beatificatur, iuxta ſuam proportionem, concedo antecedens: ſed etiam voluntas beatificatur, beatitudine eſſentialiter ſumpta. nego antecedens. Eſt enim voluntas beatitudinis eſſentialiter ſumptæ incapax, quemadmodum incapax eſt cognitionis. per idem patet ad probationem. quare, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM.

Argumenta pro opinione Scoti, Aureoli, & aliorum proponuntur, & ſoluuntur.

Reliquum eſt, vt Scotum, & alios, in iuribus ſuis audiamus, quare pro eorum opinione, referre opus eſt, & ſoluere argumenta. vnde,

48 Obijcies Vndecimò; pluribus Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patruum; imo, & Diui Thomæ authoritatibus. Nam Matthei 25. vbi ſermo eſt de vita æterna; iuſtè gradientibus, promiſſa, ſic d citur. *Intra in gaudium Domini tui*. Et Ioannis 15. *Gaudium veſtrum ſit plenum*. Et 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Et Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Et Pſal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Et Lucæ 22. *Diſpono vobis regnum vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*. Et Apocalipſis 2. *Vincenti dabo manna abſconditum*; Et inſuper *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, quæ omnia teſtimonia de vita æterna loqui nullus eſt qui ambigere poſſit. Et Sanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſionum cap. 21. Sic ait. *Omnes velle eſſe beatos, ſatis conſtat. Omnes namque velle gaudere ſatis apertum eſt*, Et ibidem, cap. 22. *Beata vita, hæc eſt, gaudere de te, ad te, & propter te*. Et cap. 23. *Beata vita eſt gaudium de veritate*, Et Tomo 3. de Trinit. cap. 5. *Beatus eſt qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult*, Et 8. de Ciuit. Dei cap. 9. *Nemo beatus eſt, qui eo quod amat non fruitur*. Et lib. 19. cap. 10, & 11. *Beatitudo hominis in pace conſiſtit*. Quæ verba, præterquàm quòd, clarè ſonant; poſſunt eſſe materia, oppoſitam ſententiam exagerandi, hoc modo. Quia Sacra Scriptura, Ioannis 17. dixit. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, &c.* Ideo diximus, eſſe de mente Sacræ Scripturæ beatitudinem in viſione conſiſtere: ſed etiam eodem modo, imo, & clarius Auguſtinus ait, beatitudinem in gaudio, vel pace conſiſtere, Nam Chriſtus, dicens hæc eſt vita æterna, &c. non appoſuit particulam excluſiuam: *non vt gaudeant*, Auguſtinus autem particulam appoſuit excluſiuam. *Beata vita hæc eſt. Gaudere de te, & ad te, & propter te, hæc eſt, & non eſt altera*. Ergo beatitudo ad mentem Auguſtini conſiſtit in ſolo gaudio, ſeu delectatione.

Math. 25. Ioan. 15. & 16. Pſal. 35. & 83. Lucæ 22. Apoc. 2. Auguſt. Ioan. 17. Auguſt.

49 Tandem adducuntur quædam clariſſima D. Thomæ Teſtimonia: Contra noſtram ſententiam; Nam p. 2. qu. 3. art. 1. in Corp. Sic ait. *Secundo autem modo, vltimus finis hominis, eſt creatum aliquid in ipſo exiſtens. quod nihil eſt aliud; quàm adeptio, vel fruitio finis vltimi*. Et clarius q. 11. ar. 3. ad 3. Sic ait. *Deus igitur eſt vltimus finis; fruitio autem, ſicut adeptio huius vltimi finis*. Et concludit hoc modo. *Hæc eadem ratio eſt de beatitudine creata, quæ in fruitione conſiſtit*, Et q. 34. art. 3. in corpore idem repetit dicens; *Et ſecundum hoc, vltimus finis hominis dici poteſt, vel ipſe Deus qui eſt ſummum bonum ſimpliciter; vel fruitio ipſius, quæ importat delectationem quamdam in vltimo fine; & per hunc modum aliqua delectatio hominis poteſt dici optimum inter bona humana*. Et 2. 2. q. 27. art. 6. ad 3. Sic ait. *Nam interior actus charitatis habet rationem finis, Quia vltimum bonum hominis conſiſtit in hoc, quòd anima Deo inhæreat: ſecundum illud Pſal. 75. Mihi adhærere Deo bonum eſt. Exteriores autem actus, ſunt ſicut ad finem*. Et qu. 18. ar. 2. ad 4. *Principale*, inquit, *obiectum ſpei; eſt gloria animæ, quæ in fruitione diuina conſiſtit*. Et de potentia qu. 5. art. 1. ad 15. Sic ait. *Inter bona, quorum congregatione, ſtatus beatitudinis perficitur; principium eſt; Coniunctio ad ſuam cauſam. Cum ipſa Dei fruitio, ſit creaturæ rationalis beatitudo*. Ex quibus omnibus Diui Thomæ verbis apparet. Contra mentem Sancti Doctoris non eſſe, aſſerere beatitudinem in fruitione conſiſtere. Quid enim quæritur? An beatitudo conſiſtat in fruitione. Et D. Thomas locis citatis reſpondet conſiſtere in fruitione. Ergo, &c.

D. Thom. Pſal. 75.

Reſpondetur tamen, & in primis loca Sacræ Scripturæ in Vniuerſum adducta, de beatitudine phyſicè ſumpta, non autem methaphyſicè, idest, ſecundùm totum id quod in ſe neceſſariò habet, non autem ſecundum rationem formalem, & eſſentialem beatitudinis interprætanda ſunt. Authoritas autem Lucæ 22. à D. Thoma lib. 3. cont. gent. cap. 51. breuiter explicatur. Quòd *de corporali cibo, vel potu non poteſt intelligi; ſed de eo qui in menſa ſapientiæ ſumitur, de quo à ſapientia dicitur. Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Super menſam ergo Dei, manducant, & bibunt, qui eadem fælicitate fruuntur, qua Deus fælix eſt, videntes eum illo modo, quo ipſe videt ſe ipſum*. Videatur reſponſio ad Authoritates D. Thomæ infra. iuxta quam, explicetur iſta. D. Thom.

50 Contra. Ergo etiam Sacræ Scripturæ, adducta teſtimonia, pro D. Thomæ ſententia. Confirmanda, intelligenda ſunt, atque interpretanda, phyſicè. id eſt, ſecũdùm totum id, quod beatitudo in ſe neceſſariò habet: non autem methaphyſicè. id eſt, ſecundùm eſſentialem, formalemque beatitudinis rationem, & conſequenter, nihil per illa loca probauimus.

Reſpondetur, negando conſequentiam; & eſt in promptu, diſparitas. Quia loca pro ſententia D. Thomæ allata, magis quàm iſta ratio- D. Thom.

Digitized by Google

rationem formalem beatitudinis explicant, vt patet. Tùm etiam, quia Sacra Scriptura non ad cuiuſcunque libitum, ſed iuxta Sanctorum Patrum intelligentiam exponēda eſt.

Auguſt. Ad authoritates Diui Auguſtini; Reſpondetur. Omnes vnica explicatione declarando, non in ſenſu formali; ſed identico; vel a poſteriori; explicabat enim eſſentiam per paſſionem.

Quando autem dixit, *Hæc eſt, & non altera*. Actū gaudij, cùm actu viſionis Dei, non comparauit, quaſi ſenſus ſit. hæc eſt vita beata, puta, gaudere de te; non autem videre te. Sed gaudium cum gaudio contulit: quaſi diceret, hæc eſt vita beata, gaudere de te, hæc eſt, & non altera, ideſt, & non gaudere de altero. hunc eſſe Diui Auguſtini ſenſum, eius orationis claritas manifeſtè demōſtrat.

D.Thom. 51 Ad authoritates autem D.Thomæ, ſimiliter reſpondetur. Ad illas autem in quibus expræſsè dicit, beatitudinem in fruitione conſiſtere. Reſpondendum eſt cum eodem D.Thoma p. 2. qu. 11. art. 1. ad primum. Quærit enim ibi, Diuus Thomas. *Vtrum frui ſit actus appetitiuæ potentiæ*. proponit autem in contrarium primum argumentum hoc modo. *Frui enim nihil aliud eſſe videtur quàm fructum capere: ſed fructum humanæ vitæ, quæ eſt beatitudo accipit intellectus, in cuius actu beatitudo conſiſtit. Ergo frui non eſt appetitiuæ potentiæ, ſed intellectus*. Hoc eſt argumentum; ſed ſequitur reſponſio, his verbis. *Ad primum ergo dicendum, quòd nihil prohibet vnum, & idem, ſecundum diuerſas rationes, ad diuerſas potentias pertinere. Ipſa igitur viſio Dei, in quantum eſt viſio; eſt actus intellectus; in quantùm autem eſt bonum, & finis, eſt voluntatis obiectum, & hoc modo eſt eius fruitio; & finem hunc, intellectus conſequitur, tamquàm potentia agens; Voluntas autem, tamquàm potentia mouens ad finem, & fructum fine iam adepto*. Hæc eſt reſponſio. Ex quibus verbis manifeſtè patet, quòd quando Diuus Thomas, pluries, ait, beatitudinem in fruitione conſiſtere; loquitur de beatitudine iam adepta, per intellectum, quæ eſt fruitionis obiectum: non autem loquitur de adeptione beatitudinis. D.Thom.

D.Thom. Quòd autem D.Thomas ſententiam noſtram ſupra explicatam firmiter ſuſtinuerit, Scotus ipſe loco citato fatetur.

Obijcies Duodecimò. Beatitudo hominis, Conſiſtit in altiſſima eius operatione: ſed amor amicitiæ Dei, eſt altiſſima hominis operatio, non autem viſio clara Dei. ergo in amore amicitiæ, non autem in viſione clara Dei eſſentialiter beatitudo conſiſtit. Maior eſt certa. illamque in terminis, tamquàm veram D.Thomas in corp. huius art. aſſumit; minor verò probatur. Quia. Amor amicitiæ, reſpicit Deum non propter bonum amantis; ſed propter ipſum Deum; Viſio verò, clara Dei reſpicit Deū, vt eſt quoddam bonum intellectus; nempe, in ratione veri: ſed perfectius eſt amare Deum propter ſeipſum, quàm videre Deum propter bonum intellectus, ergo perfectior eſt amor amicitiæ, quàm viſio clara Dei.

Reſpondēt quidam primò, diſtinguendo maiorem. Beatitudo hominis in altiſſima eius operatione, obiecti beatifici poſſeſſiua conſiſt. Concedunt maiorem. In altiſſima, non poſſeſſiua, ſed proſecutiua, ſeu inclinatiua. negant maiorem; ſimiliter diſtinguunt minorem, & negant conſequentiam. Eo quia, licet, amor Dei, vt probatur in argumento, ſit propter Deum ſecundùm ſe; & non ſecundùm quòd eſt bonum amantis; & conſequenter hac ratione ſit actus præſtantior viſione clara Dei; tamen, quia voluntas non eſt potentia poſſeſſiua obiecti ſicut eſt intellectus, ideo viſio clara Dei in ratione poſſeſſiui, eſt præſtantior quàm amor amicitiæ Dei. Sed quia viſio clara Dei, eſt perfectior quocunque voluntatis actu, & beatitudo conſiſtit in perfectiſſima operatione vt D. Th. docet, ideo, D.Thom.

52 Reſpondetur ſecundò, & melius. Concedendo ſimpliciter maiorem, & ſimpliciter negando minorem: Ad cuius probationem. Concedo maiorem quò ad primam partem. nego verò illam quò ad ſecundam. nam quemadmodum amor amicitiæ Dei, eſt propter Deum, ita Viſio clara Dei non ſolùm eſt propter bonum hominis; ſed etiam propter bonum Dei. Quemadmodum enim amor amicitiæ eſt propter bonum Dei in ſe, quia diuinam bonitatem commendat; & affectat, ita viſio clara Dei eſt propter Deum manifeſtandum. itaquè ſicut amor eſt propter Deum inclinatiuè; ſic etiam viſio, eſt propter Deum vt in ſe, manifeſtatiuè: Et quamuis in via ſit præſtantius diligere Deū, quàm eum cognoſcere; tamen longè præſtantius eſt, videre Deum clarè, quàm diligere. Diligere enim Deum, per eumdem charitatis habitum (quamuis per actus habentes formalitatem diuerſæ rationis) eſt commune viatoribus, & compræhenſoribus, beatis ſcilicet, & non beatis: Videre autem Deum clarè, Beatorum tantummodo priuilegium eſt; per habitum, & actum proprium dumtaxat beatorum. nempè, per habitum luminis gloriæ; & per actum viſionis.

53 His addendum eſt, quòd quamuis in ſententia D.Thomæ, beatitudo conſiſtat in altiſſima hominis operatione, quæ eſt viſio clara Dei; & in doctrina Scoti, in actu voluntatis, magis tamen aptè ex aliqua parte loquuntur, aſſerentes beatitudinem in delectatione conſiſtere; quàm in amore amicitię; & ratio eſt, manifeſta. eò quia beatitudo, vt beatitudo alicuius, debet conſiſtere in aliquo bono amantis: ſed amor amicitiæ vt amor amicitiæ formaliter loquendo; eſt propter bonum amati; non propter bonum amantis. vt Scotus ipſe docet; delectatio autem eſt pro-

Digitized by Google

propter bonum amantis. ergo, &c.

Dices. Amor amicitiæ eſt præſtantius bonum amantis, quàm amor concupiſcentiæ. Ergo Doctrina poſita fuit; probatur antecedens. Quia actus amoris amicitiæ, eſt præſtantior actu amoris concupiſcentiæ, & alias vterquè eſt in amante, tanquam amantis perfectio. Ergo præſtantior actus amantis, eſt præſtantius illius bonum.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Amor
54 amicitiæ eſt præſtantius bonum amantis, vt laudabilis, concedo antecedens. eſt præſtantius bonum amantis, vt beatificatiuis, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Beatitudo enim in tantùm in actu perfectiſſimo poſita eſt, in quantùm per actum nobiliorem, formaliter acquiritur obiectum beatificans, ſecundùm quòd eſt bonum amantis: Vnde ſi daretur aliquis actus, aliqua ratione laudabilior, & per ipsũ nõ attingeretur obiectum in ratione beatificantis, ſeu tanquã n bonum amantis; talis actus, non eſſet ipſa formalis beatitudo. eò quia beatitudo formalis, in illo actu formaliter conſiſtit, quo obiectum beatificãs, tanquam bonum amantis reſpicitur.

Pro huius doctrinæ intelligentia, eſt obſeruandum, quòd ſi beatitudo in actu voluntatis conſiſteret, quamuis actus amoris amicitiæ Dei, eſſet ipſa delectatione laudabilior, non propterea in illo actu laudabiliori beatitudo formaliter eſſet conſtituta; quia de ratione formali beatitudinis eſt, vt beatus reſpiciat obiectum tamquàm ſibi bonum: Amor autem amicitiæ Dei, eſt quidem amantis bonum; nõ tamen eſt propter bonum amantis; eo quia tendit ad obiectum propter obiecti bonum: At verò delectatio de bono iam poſſeſſo, eſt propter amantis bonum, & conſequenter, delectatio eſt quoddam maius bonum amantis in ratione beatificabilis. Ad fugiendas igitur huiuſmodi implicationes, ac difficultates, dicamus cum vera Diui Thomæ doctrina, quòd beatitudo formaliter, & eſſentialiter, conſiſtit in perfectiſſimo creaturæ rationalis actu, qui ſimul eſt boni beatificantis perfecta poſſeſſio, & huiuſmodi eſt viſio clara Dei, ad quem viſionis actum, primò ſequitur amor amicitiæ Dei, deinde delectatio, vt ſupra num. 30. adnotauimus.

Obijcies tertiodecimò, Beatitudo conſiſtit in vltimo actu: ſed vltimus actus creaturæ rationalis, eſt actus voluntatis. ergo beatitudo conſiſtit in actu voluntatis. Maior eſt Diui Thomæ, prima 2. qu. 3. art. 2. Minor eſt euidens. Quia cognitio præcedit amorem; amor delectationem, & poſt delectationem, nullus alius voluntatis, deſideratur actus. D.Thom.

Confirmatur primò, In illo formaliter beatitudo conſiſtit, in quo eſt creaturæ rationalis perfecta, & vltima quies: ſed perfecta, & vltima quies, tantùm in Dei delectatione ſaluatur. Ergo beatitudo conſiſtit in delectatione. maior patet, quia beatus non eſt, qui adhuc in motu eſt. Probatur etiam minor. quia ante delectationem, non eſt perfecta, & vltima quies: Adueniente autem delectatione, beatus perfectè quieſcit. Ergo.

Confirmatur ſecundò; Quia delectatio perficit operationem, ſicut decor perficit iuuentutem. Ita Ariſtoteles, 10. Ethicorum cap. 4. Ergo operatio intellectus perficitur a delectatione. Ergo delectatio eſt beatitudo. Probatur iſta vltima conſequentia. quia beatitudo eſt perfectio, non ab alia perfectione perfectibilis, cum ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Ariſtot.

Reſpondetur ad argumentum diſtinguendo maiorem; Beatitudo conſiſtit in vltimo actu conſecutiuo, Concedo. In vltimo actu non conſecutiuo, nego maiorem: Delectatio autem eſt vltimus actus non conſecutiuus. Argumentum hoc, magis eſt pro ſententia Aureoli, quàm pro ſententia Scoti.

Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo maiorem, & ſimul Authoritatem Diui Thomæ explicando, Beatitudo hominis conſiſtit in vltimo actu, per comparationem ad actualitates præcedentes, nempè, ad actualitatem eſſentiæ, & exiſtentiæ, & actualitatem habitus, vel actus primi; quaſi ſenſus ſit, quòd in operatione conſiſtit, quæ reſpectu præcedentium actualitatum dicitur vltima actualitas, concedo, & in hoc ſenſu locutus eſt D. Thomas. Beatitudo conſiſtit in vltimo actu, id eſt, in vltima operatione, nego maiorem, & in hoc ſenſu non locutus eſt D. Thomas, nam Verba D. Thomæ, p. 2. qu. 3. ar. 2. in Corp. iſta ſunt. *Neceſſe eſt dicere, quòd beatitudo hominis ſit operatio: eſt enim beatitudo, vltima hominis perfectio. Vnumquodquè autem, in tantùm perfectum eſt, in quantùm eſt actu. Nam potentia ſine actu, imperfecta eſt. Oportet ergo, beatitudinem in vltimo actu hominis conſiſtere. Manifeſtum eſt autem quòd operatio eſt vltimus actus operantis. Vnde, & actus ſecundus, à phyloſopho nominatur in 2. de anima.* D.Thom.

Ad primam Confirmationem, Reſpondetur diſtinguendo maiorem; In illo conſiſtit for-
56 maliter, & eſſentialiter, beatitudo, in quo eſt creaturæ rationalis perfecta, & vltima quies eſſentialis, concedo, maiorem. Eſt vltima quies accidentalis; nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Duplex enim quies in beatitudine reperitur. Eſſentialis, ſ. & Accidẽtalis. Eſſentialis quidem, conſiſtit in adeptione Dei, vt eſt in ſe; & hæc per viſionem claram Dei habetur: Accidentalis verò, eſt de Deo clarè viſo, fruitio, ſeu delectatio; & hæc eſt accidentalis; Accidentalis, inquam; non quia omninò extranea: Neceſſariò enim in beatis reperitur, ſed quia eſſentialem quietem, tamquàm propria paſſio ſequitur.

Ad ſecundam Confirmationem, Reſpondetur, cum Diuo Thoma 3. cont. gent. cap. 26. ad D.Thom.

2. ra-

Digitized by Google

2. rationem, diſtinguendo antecedens; Delectatio perficit operationem. Accidẽtaliter, concedo. Eſſentialiter, nego. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens, & per idem patet ad probationem.

57 Vt autem magis reſponſionis veritas eluceſcat. D. Thomæ referamus verba, quoniam mirificè hanc explicant veritatem. D.Thom. *Nec etiam, inquit, oportet, quòd omne id quo, res quocumquè modo perficitur, ſit finis illius rei. Sicut, ſecunda ratio procedebat; eſt enim aliquid, perfectio alicuius, dupliciter. Vno modo, vt habentis iam ſpeciem. Alio modo, vt ad ſpeciem habendam. Sicut perfectio domus, ſecundum quòd iam habet ſpeciem, eſt id ad quod, ſpecies domus ordinatur. Scilicet habitatio. Non enim domus fieret, niſi propter hoc. Vnde & in definitione domus, oportet, hoc poni, ſi debeat diffinitio eſſe perfecta. Perfectio verò ad ſpeciem domus; eſt tàm id quod ordinatur ad ſpeciem cõſtituendam; ſicut principia ſubſtantialia ipſius, quàm id quod ordinatur ad ſpeciei conſeruationem. Sicut appodiacula, quæ fiunt ad ſuſtentationem domus: quàm etiam illa quæ faciunt ad hoc, quòd vſus domus, ſit conuenientior. Sicut pulchritudo domus. Illud igitur, quod eſt perfectio rei, ſecundum quòd iam habet ſpeciem, eſt finis ipſius. Vt habitatio eſt huius domus. Et ſimiliter propria operatio cuiuslibet rei, quæ eſt quaſi vſus eius, eſt finis ipſius. Quæ autem ſunt perfectiones rei, ad ſpeciem; non ſunt finis rei; immo res eſt finis ipſarum. Materia enim, & forma, ſunt propter ſpeciem. Licet enim forma, ſit finis generationis; non tamen eſt finis iam generati, & ſpeciem habentis. immo, ad hoc requiritur forma, vt ſpecies ſit completa. Similiter conſeruantia finem in ſua ſpecie, vt ſanitas, & vis nutritiua, licet, perficiant animal, non tamen ſunt finis animalis, ſed magis è conuerſo. Ea etiam quibus aptatur res ad proprias operationes ſpeciei perficiendas, & ad debitum finem congruentius conſequendum; non ſunt finis rei, ſed magis è conuerſo: ſicut pulchritudo hominis, & robur corporis, & alia huiuſmodi de quibus dicit phyloſophus, in primo Ethicorum, quòd organicæ deſeruiunt felicitati: Delectatio autem, eſt perfectio operationis, non ita quòd ad ipſam ordinetur operatio, ſecundum ſuam ſpeciem. ſed ordinatur ad alios fines. ſicut comeſtio ordinatur ad conſeruationem indiuidui: ſed eſt ſimilis perfectioni quæ ordinatur ad ſpeciem rei. Nam propter delectationem, attentius, & decentius, operationi inſiſtimus, in qua delectamur. Vnde, vndecimo Ethicorum, phyloſophus dicit, quòd delectatio, perficit operationem, ſicut decor iuuentutem; qui quidem eſt propter eum, cui ineſt iuuentus, & non è conuerſo.* Prolixa ſunt hęc verba, ſed pulchram neceſſariamquè redolent narrationem.

Obijcies Quartodecimò; Præſtantius eſt amare Deum amore amicitiæ, quàm videre Deum. Ergo beatitudo conſiſtit in amore amicitiæ. patet conſequentia. Probatur antecedens. Illud eſt præſtantius cuius oppoſitum eſt peius: ſed peius eſt, odio habere Deum; quàm nolle viſionem Dei: Similiter peius eſt eſſe in pęnis interni, quàm non videre Deum. Ergo præſtantius eſt amare Deum, illoque delectari, quam Deum videre.

58 Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem. illud eſt præſtantius cuius oppoſitum eſt peius, in omninò diſparatis, & eiuſdem generis, concedo maiorem. In ijs quorum ſecundum includit primum, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Et ita eſt in caſu noſtro. Nam odium Dei includit negationem viſionis Dei. Et re vera maior propoſitio in multis fallit. Non enim valet arguere hoc modo. Melius eſt eſſe hominẽ ſtudioſum, quàm eſſe ens. Ergo peius eſt non eſſe ſtudioſum quam non eſſe ens. Neque valet arguere hoc modo. Fortitudo eſt melior quàm temperantia. Ergo timiditas quæ opponitur fortitudini eſt peior quàm intemperantia. eſt igitur falſa propoſitio, in ijs quorum vnum alterum includit. vt patet in primo exemplo, & in ijs quæ genere diſtant. vt in ſecundo exemplo.

Reſpondetur ſecundò; ſed antequàm reſponſio formetur. eſt obſeruandum primò. quòd ad videndum, Vtrum horum ſit perfectius. (nempè) Videre Deum. An amare Deum.

59 Rectè, & exactè cognoſci non poteſt, niſi vni, & alteri propriè oppoſita aſſignentur. huic igitur, quòd eſt. Amare Deum; duo opponuntur. Vnum contradictoriè; & alterum contrariè. Primum eſt. Non amare Deum. Secudum eſt, Odium Dei: huic autem, quod eſt videre Deum. Opponitur contradictoriè, hoc quod eſt, Non videre Deum; oppoſitum verò, contrariè non datur. quod debebat aduértere Scotus, & non aduertit. Scotus. Vnde non eſt aſſignabile oppoſitum contrariè, quòd ſit clarè viſionis Dei corruptio. Sicut eſt aſſignabile oppoſitum contrariè, Amori Dei; quod eſt, Odium Dei; quod de facto multoties actum deſtruit charitatis. imo, & habitum ipſum expellit: Non tamẽ datur aliquis actus vitioſus in intellectu, qui immediatè deſtruat viſionem beatificam, & lumen gloriæ auferat. Nec valet dicere, quòd habitus fidei opponitur contrariè habitui luminis gloriæ; & actus fidei, actui viſionis beatificę. Non, inquam, valet; Quoniam fides non eſt contraria lumini gloriæ; nec actus fidei actui viſionis. imò fides eſt vera diſpoſitio ad lumen gloriæ; quare lumen gloriæ ſucceſſor eſt fidei; & fides poteſt dici quædam luminis gloriæ (quo ad certitudinem) inadæquata participatio.

60 Neque poteſt dici, quòd immediatè contrarium lumini gloriæ, & viſioni beatificæ; ſit infidelitas. Quia infidelitas, vt docet D. Thomas, 2. 2. contrariatur fidei. Et inſuper D.Thom. infidelitas, licet, ſubiectetur in intellectu, nihilominus dependet etiam à voluntate,

tam-

tamquàm a principio vniuerſali. vt docet D. Thomas ibidem ar. 2. ratione cuius, eſt peccatum: At verò, viſio beatifica, eſt ita ſubiectiuè in intellectu, vt nullo modo dependeat à voluntate, tanquam à principio vniuerſali. itaquè, non reperitur aliquis habitus, vel actus intellectus, qui ſit, immediatè, contra lumen gloriæ, vel contra viſionem Dei; & hoc propter luminis gloriæ, beatificæquè viſionis excellentiam; quæ, cum ſint habitus, vel actus patriæ, tantùm, non autem viæ; non habent contrarium. Præterquàm quod, neque à Scoto, neque ab alijs, aſſignatur, quod nā ſit hoc contrariū. Quapropter, Scotus, non valens, habitui luminis gloriæ, vel viſioni claræ Dei, contrarium aſſignare; dixit; quòd comparatio debet fieri, inter intelligere corruptum, quod eſt falſum; & velle corruptum, quod eſt malum: non autem vſus eſt nomine viſionis.

D.Thom.

Scotus.

Si quis autem petat, dicens. Eſto quòd non detur habitus intellectus, qui ſit habitui luminis gloriæ contrarius; nequè actus contrarius, actui viſionis beatificæ, Si tamen daretur; quomodo vocaretur?

Reſpondeo, quòd quia non datur; ideo nequè etiam nominatur. Si illud verò, nominare velimus; dico, quòd ſicut, Inimicus, & Contrarius Chriſti, vocatur, AntiChriſtus; ita habitus intellectus, qui eſſet lumini gloriæ, immediatè contrarius; diceretur, Antilumen gloriæ, & actus intellectus, viſioni claræ Dei contrarius, diceretur, Antiviſio Dei.

61 Obſeruandum Secundò, Quòd omnes iſtæ propoſitiones, ex ijs quæ iam diximus coordinandæ ſunt. Propoſitiones ſunt iſtæ. Præſtantius eſt, videre Deum, quàm amare Deū. Præſtantius eſt, amare viſionem Dei, quàm amare amorem Dei; Et dico, quòd illud eſt præſtantius, cuius oppoſitum, eſt peius. Oppoſitum autem, huic propoſitioni, nempe, Videre Deum, ſi loquamur, de oppoſitione contradictoriè, eſt non videre Deum. Et conſequenter, oppoſitum cōtradictoriè, huius propoſitionis, Melius eſt videre Deum, quàm amare Deum, Eſt illud, Peius eſt, non videre Deum, quàm non amare Deum. Et iſta propoſitio eſt vera. Si verò ſermo ſit, de oppoſitione contraria; iam diximus, quòd non datur aliquid contrariè oppoſitū, huic, quod eſt videre Deum. Conſequenter, eſt præſtantius videre Deum, quàm amare Deum; Quia videre Deum, nō habet oppoſitum contrariè; amare Deum, habet oppoſitum contrariè. Vnumquodquè autem, eſt perfectius, ſecundùm quòd, à contrario liberatur. Vnde, vt proportionatè loquamur; Sic formari debent, iſtæ propoſitiones. Peior eſt, Antiviſio Dei, quàm odium Dei; & ſic, adhuc indiget explicatione, quoniam, Odium Dei, dupliciter conſiderari poteſt. Primò, vt includit carentiam viſionis Dei; Alio modo, præciſè, ſecundùm quòd, dicit odium tantùm. Primo quidem modo, peius eſt odium Dei, quàm Antiviſio Dei. Secundo autem modo; peior eſt Antiviſio Dei, quàm odium Dei. Deinde ſequitur iſta alia comparatio. Melius eſt, amare viſionem Dei, quàm velle amare Deum. Et eſt vera hæc propoſitio, iuxta iam ſupradicta.

Sed eſt aduertendu, quòd quamuis velle videre Deum, ſit quid præſtantius, magiſquè volitu ab homine volente; tamē ſi hæc copáratio inter actum intellectus; vt eſt quid bonum intellectus, & actum voluntatis, vt eſt perfectio voluntatis; dicendum eſt: quòd magis voluntas appetit velle amorem Dei, quàm quòd intellectus videat Deum. Veruntamē, alia plura, quæ dici poſſent in hac diſputatione, in primam 2. mittimus Lectores pro nunc, dixiſſe, ac explicaſſe ſufficiat, quòd vltima hominis beatitudo, conſiſtit in altiſſima eius operatione, quæ eſt intelligere, idest clara viſio Dei.

62 Obijcies Quintodecimò. Meritum eſt actus voluntatis. Ergo, & præmium: ſed beatitudo eſt præmium. Ergo, antecedens patet. probatur autem conſequentia, quia eius eſt præmium, cuius eſt meritum.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Meritum eſt actus voluntatis, tamquàm potentię ſuppoſiti merentis, concedo antecedens. Meritum eſt actus voluntatis, tamquàm ſuppoſiti merentis, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Eius eſt præmiū, cuius, tanquàm ſuppoſiti, eſt meritum, concedo antecedens. Cuius, tamquàm potentiæ ſuppoſiti, eſt meritum, nego antecedens.

Explicatur iſta reſponſio. Idem homo eſt, qui vitam meretur æternam; & qui eamdem poſſidet, & acquirit: Attamen, eiuſdem hominis, cum ſint diuerſę potentię, intellectus, ſcilicet, & voluntas; per vnam eamdemquè potentiam, non omnes actus exercet, ſed per vnam, vnum, per alteram, alterum; iuxta proportionem actuum cum potentijs: conſequenter, per voluntatem, amat, deſiderat, ac delectatur; Per intellectum verò, cognoſcit, videt, diſponit, &c. Per voluntatem ad obiectum meritoriè, & inclinatiuè tendit; Per intellectum, intra ſe obiectum trahit, & poſſidet. Quamuis igitur, ſit neceſſarium, vt homo, qui per bona opera vitam meretur æternam; ipſemet coronetur, ac beatificetur; non tamen neceſsè eſt, vt per eamdem potentiam, per quam habet meritum, beatitudinem, ſeu præmium acquirat, ſed ſufficit, & requiritur, quòd, meritum, per voluntatem habeat, & præmium per intellectum acquirat: Et ratio eſt, quia voluntatis eſt trahi ab obiecto, intellectus verò natura eſt, trahere intra ſe obiectum.

Huius rei, multiplex eſt exemplum. Aduocatus, Verbi Gratia, per vocis prolationem, doctam-

Digitized by Google

ctamquè orationem, cauſam defendit, peculiamquè ſibi lucratur; per manus autem operationem, eam poſſidet, & acquirit. Homo per intellectum obiectum cognoſcit, & per voluntatem diligit. Pedibus, ad oppidum currit; Arborum verò fructus, manibus apprehendit. Itquè in alijs caſibus manifeſtari poteſt. Ita ſimiliter, homo per voluntatem ad vitam tendit æternam, tamquàm per potentiam inclinatiuam, per quam habetur meritum; per intellectum autem, illam conſequitur, tamquàm per potentiam obiecti apprehenſiuam.

63 Obijcies Decimò ſextò. Voluntas eſt præſtantior intellectu. Ergo beatitudo conſiſtit in perfectiſſimo actu voluntatis, non autem in actu perfectiſſimo intellectus. Cõſequentia eſt euidens. Quia beatitudo conſiſtit in perfectiſſima hominis operatione. Probatur autem antecedens; quia voluntas Regina potentiarum appellari ſolet. Ergo eſt præſtantior illis. Patet conſequentia, quia Regina eſt cæteris præſtantior.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio autem negationis eſt, quia ſi voluntas dicitur Regina potentiarum, intellectus eſt Rex, & Magiſter voluntatis, per hoc, quòd eam regulat, dirigit & illuſtrat. dignior eſt autem Rex, quàm Regina. Itaquè ſi voluntas eſt potentiarum Regina, intellectus eſt Rex: non enim ſine Rege Regina: Et ſic patet, quòd ſicut Regina, reſpectu Regis eſt inferior; reſpectu verò aliorum à Rege, eſt omnium digniſſima, & ſuprema; ita voluntas, eſt intellectu inferior; reſpectu verò aliarum potentiarum, eſt omnium præſtantiſſima.

64 Obijcies tandem; In illius potentiæ actu beatitudo eſſentialiter conſiſtit, per quem obiectum formaliter beatificans reſpicitur: ſed obiectum formaliter beatificans, per actum voluntatis, non verò per actum intellectus reſpicitur. Ergo beatitudo eſſentialiter conſiſtit in actu voluntatis, non verò in actu intellectus. Maior patet, probatur minor. Quia obiectum formaliter beatificans, eſt bonum formaliter: ſed bonum formaliter, reſpicitur per actum voluntatis, non autem per actum intellectus. Ergo. probatur minor, quia ſicut verum, eſt obiectum intellectus, ita bonum, eſt obiectum voluntatis.

Reſpondetur, relictis aliorum ſolutionibus, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Obiectum formaliter beatificans, eſt bonum formaliter, ſecundùm rationem, & quidditatem boni, Concedo maiorem. Eſt bonum formaliter vt appetibile, nego maiorem: Ad minorem: ſed bonum formaliter, &c. diſtinguo minorem; Bonum formaliter, vt appetibile, reſpicitur per actum voluntatis, Concedo minorem. Bonum formaliter, ſecundùm rationem, & quidditatem boni, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Explicatur iſta reſponſio, Obiectum voluntatis, eſt bonum ſecundùm quòd, exercet appetibilitatem; ſecundùm quòd verò, conſideratur, quantùm ad eius quidditatem, & rationem formalem, eſt obiectum intellectus. Bonum, ſecundo modo, non primo modo, eſt formaliter beatificans. Secundo autem modo, eſt obiectum intellectus non voluntatis. Et hoc eſt, quòd alij dicunt, bonum in ratione veri, & bonum, vt bonum. Videatur autem D. Thomas infra quæſt. 82. ar. 3. Vbi Caietanus. D. Thom. Caietan.

Deniquè breuiter obſerua, quòd Scotus obiectum formaliter beatificans, vocat beatitudinem extra. Actum verò, per quem formaliter beatificamur, vocat beatitudinem intra. Sed huiuſmodi terminos, ex D. Thoma in 4. d. 49. loco citato deprompſit. Scotus.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVARTA.

QVODNAM SIT INTELLECTVS NOSTRI, Formale, & Adæquatum obiectum.

In Tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

PRæſentem diſputationem per extenſum diſcutere præter fas eſt: Illam tamen pro quanto ad cognoſcendum, Vtrum, & quomodo, Deus clarè viſus, intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ ducit, breuiter tractare, vtile eſt.

Scotus. 1 Scotus in primo, diſt. 3. q. 4. aſſerit, ens eſſe obiectum formale intellectus noſtri, & omnino recuſat concedere; quòd verum, ſit obiectum formale quod, intellectus. Idem videtur aſſerere Capreolus in primo. diſt. 2. Capreol. q. 1. Concluſione 2. vbi *Verum*, inquit, *eſt obiectum intellectus noſtri primum; id eſt, adæquatum. non tamen per ſe, hoc eſt per proprium rationem*, idem docet Medina. p. 2. q. 3. ar. 7. Medina. Caietan. §. *pro explicatione verò*, & Caietanus, p. p. q. 16. ar. 3. in reſponſione ad tertium. vbi docet. Verum eſſe condit omnem conſequentem intellectum, & ens eſſe obiectum formale. vnde, ait, *Inter Verum, & bonum (quamuis conueniant in hoc, quod vtrumque eſt obiectum, & terminans) hoc intereſt. quòd bonum eſt obiectum formale voluntatis. Verum autem, conditionem obiecti formalis ſignificare videtur, & propterea omnis appetitio eſt appetitio boni formaliter: Omnis autem intellectio, non eſt intellectio Veri formaliter. Vt in littera dicitur; ſed rei veræ. Ita quod, ly, rei, notat rem intellectam, ly, Veræ, conditionem, qua res intelligitur.* D.Thom. Nihilominus, mihi videtur Diuus Thomas, non ſolùm ens, ſed etiam verum, aſſignare pro obiecto formali quod, intellectus; iuxta quem ſenſum, Scotus, ex parte, rectè intellexit D. Thomam, malè autem impugnauit; quia illum non adæquatè percepit, vnde ſit.

CAPVT SECVNDVM.

In quo determinatio veritatis, per ſubſequentes Concluſiones aperitur.

PRo determinatione ergo veritatis, Dico primò, Obiectum formale intellectus vt apprehendentis, eſt ens ſub ratione entis, non ſub ratione veri.

2 Ante probationem eſt obſeruandum; Quòd intellectus noſter vna potentia exiſtens, duas habet operationes. Apprehenſionem, ſcilicet, & iudicium; ſub iudicio, includitur duplex operatio. compoſitio. ſ. & diuiſio, atque diſcurſus; omnes enim ad iudicium pertinent; deductiuum; vel compoſitiuum, aut diuiſiuum. Dicimus itaque quòd obiectum intellectus, ſecũdùm primam eius operationem. ſ. apprehenſionem, eſt ens in ratione entis, non autem in ratione veri. Hoc dictum, cum ſequenti, quibuſdam nouũ videri poteſt. mihi autem videtur eſſe expreſſa ſententia D. Thomæ.

Probatur igitur primò, Authoritatibus D. Thomæ; Nam Diuus Thomas ſupra q. 5. ar. 2. in corp. quærens in titulo, *Verum bonum, ſecundùm rationem, ſit prius quàm ens*. Sic reſpondet. *Reſpondeo dicendum, quòd ens ſecundùm rationem, eſt prius quàm bonum. Ratio enim ſignificata per nomen, eſt id quod concipit intellectus de re, & ſignificat illud per vocem. Illud ergo, eſt prius ſecundùm rationem, quod prius cadit in conceptione intellectus. primò autem, in conceptione intellectus, cadit ens, quia ſecundùm hoc, vnumquodquè cognoſcibile eſt, in quantùm eſt actu. vt dicitur in. 9. Methaphyſices. vnde ens eſt proprium obiectum intellectus. & ſic eſt primum intelligibile, ſicut ſonus, eſt primum audibile.* hæc ille. Ecce quomodo reſpectu intellectus primò concipientis, ſeu vt apprehendentis, obiectum formale, eſt ens; D.Thom. & infra q. 16. ar. 3. ad 2. hæc habet verba. *Ad ſecundum dicendum, quòd non ens, non habet in ſe vnde cognoſcatur; ſed cognoſcitur, in quantùm intellectus facit illud cognoſcibile. vnde Verum fundatur in ente, in quantùm non ens, eſt quoddam ens rationis, apprehenſum à ratione.* & infra. q. 78. ar. 1. in corp. ſic ait. *Eſt autem aliud genus potentiarum animæ, quod reſpicit vniuerſalius obiectum, ſ. non ſolùm corpus ſenſibile, ſed vniuerſaliter omne ens.* Idem docet, q. 79. ar. 2. in corp. & de verit. q. 1. ar. 1. ad 3. Sic ait. *Non oportet, quòd qui-*

quicunque intelligit rationem entis, intelligat rationem Veri, Sicut nec, quicunque intelligit ens, intelligit intellectum agentem, & tamen ſine intellectu agente, homo nihil poteſt intelligere. Et ad ſeptimum ſic ait. *Verum non eſt in plus, quã ens, Ens enim aliquo modo acceptũ, dicitur de non ente; ſecundum quòd non ens, eſt*
Ariſtot.
apprehenſum ab intellectu. Vnde in 4. Meth.
Auicenn.
dicit Phyloſophus, quòd negatio, vel priuatio entis, aliquo modo dicitur ens. Vnde etiam Auicenna dicit, in principio ſuæ Methaphyſices, quòd non poteſt formari Enunciatio, niſi de ente, Quia oportet, illud de quo propoſitio formatur, eſſe apprehenſum ab intellectu. Idem docet in pluribus alijs locis. ex quibus ſumi poteſt efficax ratio. vnde,

Probatur ſecundò ratione. Illud eſt obiectum
3 formale operationis, alicuius potentiæ, quod formaliſſimè attingitur per illam potentiam; & ſub cuius ratione cætera attinguntur: ſed intellectus vt apprehendens, non apprehendit niſi ens, & ſi apprehendit non ens, debet apprehendere ſub ratione entis. Ergo ens in ratione entis, eſt obiectum formale intellectus vt apprehendentis. Maior conſtat ex obiecti formalis ratione. Minor etiam eſt clara; Nam intellectus apprehendit id quod eſt, ſed id quod eſt, eſt ens, ſiuè actuale, ſiuè potentiale; & etiam conſtat, quòd homo volens intelligere non ens, illud aliqua entitate, vel per ſubſtitutionem, vel per fictionem induit. Ergo.

4 Dico ſecundò, Obiectum formale quod, Intellectus, vt iudicantis, ſeu vt componentis, & diuidentis, vel diſcurrentis, Eſt verum ſub ratione veri.

Probatur primò; Expreſſiſsimis D. Thomæ authoritatibus; Nam intra q.16. ar.2. in
D.Thom.
corpor. vbi ſic quærit in titulo *Vtrum veritas ſit in intellectu componente, & diuidente,* & ſic reſpondet. *Quando iudicat rem, ita ſe habere, ſicut eſt forma, quam de re apprehendit; Tunc primò cognoſcit, & dicit Verum; & hoc facit componendo, & diuidendo; Nam in omni propoſitione, aliquam formam ſignificatam per prædicatum, vel applicat alicui rei ſignificatæ per ſubiectum, vel remouet ab ea: & ideo benè inuenitur, quòd ſenſus eſt Verus de aliqua re, vel intellectus, cognoſcendo quodquid eſt; ſed non quòd cognoſcat, aut dicat Verum; & ſimiliter eſt de vocibus complexis, aut incomplexis. Veritas quidem, igitur, poteſt eſſe in ſenſu, vel in intellectu cognoſcente quod quid eſt, ut in quadam re vera: Non autem ut cognitum in cognoſcente. quod importat nomen ueri. Perfectio enim intellectus, eſt Verum, ut cognitum, & ideo, propriè loquendo, ueritas eſt in intellectu componente, & diuidente; non autem in ſenſu, neque in intellectu cognoſcente quodquid eſt.*

Reſpondent nonnulli. Verum, eſſe obiectum intellectus, vt conditionem conſequentem obiectum formale; non verò, eſſe obiectum formale quod; & D. Thomas hoc eodem modo ab ipſis interpretatur.

Sed re vera, reſponſio quadrare non poteſt; Quia D. Thomas, abſque verborum ambiguitate, expreſsè dicit; Verum, eſſe obiectum D.Thom.
5 intellectus componentis, & diuidentis. Aliàs vt iudicantis, tanquàm cognitum in cognoſcente, & vt propriam intellectus perfectionem: Quando autem aliquid, eſt vt cognitum in cognoſcente, non eſt tamquàm conditio obiecti; ſed tamquàm verè obiectum cognitum; & oppoſitum dicere, eſt potius difficultatem ſubterfugere, quàm D. Thomam explicare.

Et Confirmatur. Quia eadem quæſt. ar. 1. quærens. *Vtrum ueritas ſit tantùm in intellectu.* Sic reſpondet in corpore. *Reſpondeo dicendum, quòd ſicut bonum nominat, id in quod tendit appetitus; ita uerum nominat id in quod, tendit intellectus.* Bone Deus quid quæritur? Vtrũ veritas, ſeu verum, ſit obiectum quod, intellectus, vt iudicantis. Et D.Th. quid reſpondet? quòd verum, eſt obiectum in quod, fertur intellectus, ſicut bonum eſt obiectum in quod, fertur appetitus: ſed bonum eſt obiectum formale quod, non verò conditio, reſpectu appetitus. Ergo Verum, reſpectu intellectus vt iudicantis, eſt obiectum formale quod; & non conditio.

Libenter huius dicendi modi defenſionem ſuſcipio. Quia per hunc; rectius, & magis pla- D.Thom.
ne diuerſa D. Thomæ dicta, concordantur. qui quidem non à caſu; ſed ſatis conſideratè aliquando dixit, obiectum intellectus, eſſe ens; nulla facta mentione veri. Aliquando. eſſe verum. ſine nominatione entis; & aliquando vtrumque, Ens .ſ. & verum., obiectum intellectus aſſignauit. nam dum ens obiectum intellectus vocat; loquitur de obiecto intellectus vt apprehendentis. Cum propriũ obiectum aſſerit eſſe verum, loquitur de obiecto intellectus, vt iudicantis. Quando tandem, affirmat ens, & verum, eſſe intellectus creati obiectum, ſermo eſt de obiecto intellectus, vt apprehendẽtis ſimul, & iudicantis.

6 Nec non pænes hunc dicendi modum, Capreol.
Capreolus, Caietanus, Cæterique Thomi- Caietan.
ſtæ, Cum noſtra ſententia reconciliantur: explicando eos, de Vero, non ſecundùm quòd, cognitum eſt in cognoſcente: ſed de vero, quòd eſt in intellectu cognoſcente aliquam rem, quæ nõ poteſt nõ eſſe vera, idquè nõ obſcurè inſinuat Caietanus, infra, q. 16. art. 3. dum ait. *Verum autem conditionem obiecti formalis ſignificare uidetur. Et propterea omnis appetitio, eſt appetitio boni formaliter: Omnis autem intellectio, non eſt intellectio veri formaliter, ſed rei ueræ; ita quòd ly, rei, notat rem intellectam, ly, ueræ, conditionem, qua res intelligitur.*

Nec poteſt Caietanus, de Vero ſecũdùm quòd intellectui cõponenti, ac diuidẽti cõparatur, intelligi. Ait. n. præcedenti. Sic ait. *Verum co-*

gnoſci-

Digitized by Google

gnoſcitur directè. Et inſuper. *Ad veritatem*, inquit, *intellectus ut cognoſcens eſt, exigitur, quòd veritas ſit in eo, ut eſt cognoſcens; hoc autem non eſt, niſi ſit in eo, ut cognita*; & ita deinde. *Verum*, inquit, *in actu exercito, eſt in ſolo intellectu componente, & diuidente, ut cognitum, & dictum, i. cognoſcente, & indicente*. Quæ verba, niſi de obiecto formali quod, intelligantur; reſpectu côditionis obiecti impropria ſunt, quibus poſitis. Ratio pro concluſione formatur. vnde,

Probatur ſecundò ratione, noſtrum dictum. Obiectum vt quod, intellectus, vt iudicantis, eſt illud, in quod, intellectus vt iudicãs, tendit: ſed intellectus vt iudicans, formaliter loquendo, non tendit ad aliud, niſi ad veritatem cognoſcendam. Ergo obiectum formale quod, intellectus vt iudicantis, non eſt ens, ſed verum.

Dico Tertiò. Ens, & Verum, reale, communiſſimè ſumptum, finitè tamen cognoſcibile, eſt obiectum formale, & adæquatum intellectus creati.

7 Hoc dictum quatuor habet partes, Prima eſt, Ens, & Verum. Secunda eſt, ly, reale; Tertia ly, communiſſimè ſumptum. Et Quarta. Ly, finitè cognoſcibile. Prima ponitur ad explicandum vtriuſque operationis intellectus, obiectum: quemadmodum in præcedentibus concluſionibus explicauimus. Secunda ponitur, ad excludendum ens rationis, à ratione formali ſpecificatiua intellectus, licet aliàs, docuerim, etiam ens rationis ſpectare ad rationem obiectiuam ſpecificatiuam intellectus creati. Tertia ponitur ad differentiam obiecti Methaphyſices; quod eſt ens, in quantum ens, ſecundùm quòd ly, in quantum, reduplicat abſtractionem, ab omni materia, non ſecundùm quòd reduplicat vniuerſalitatem. Nam obiectum Methaphyſices, non eſt quid commune ad omnem entis rationẽ, nempè, mobilis, & immobilis, corruptibilis, & incorruptibilis. Obiectum autem intellectus, dicitur ens communiſſimè ſumptum, quia ſ. ad omne ens ſe extendit, corruptibile, & incorruptibile, naturale, & ſupernaturale, &c. ponitur tandem Quarta. Finitè cognoſcibile, tanquàm ratio formalis ſub qua, obiectum eſt à creato intellectu attingibile.

Probatur igitur dictum, quo ad primam partem; per ea quæ primum, ac ſecundum dictum confirmauimus. Probatur verò, quo ad ſecundam. Quia obiectum, potentiam ſpecificans, non ſequitur, ſed eſt prius illa; ſed ens rationis non eſt aliqua ratione prius potentia intellectiua. Ergo Ens rationis nullo modo ad intellectum vt apprehendentem pertinet vt ſpecificans. Ergo ſolùm ens reale, eſt obiectum ſpecificans.

Probatur tertia pars. Quia omne ens eſt intelligibile. cum intelligibilitas ſit paſſio entis: ſed intellectus creatus, cum ſit ſpiritualis, poteſt intelligere omne ens, ergo Ens communiſſimè ſumptum, eſt obiectum intellectus creati.

Per idem probatur, Verum communiſſimè ſumptum, eſſe obiectum adæquatum intellectus, vt iudicantis. Quia omne verum, eſt iudicabile ab intellectu creato. Ergo, &c.

Probatur vltima pars. Quia. per hoc, quod obiectum eſt finitè cognoſcibile, ſufficienter diſtinguitur proprium intellectus creati obiectum; ab obiecto intellectus increati.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur, & Soluuntur rationes contra ſupradicta.

8 SEd Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Non ſolùm ens, ſed etiam, verum, eſt ab intellectu apprehenſibile. Ergo etiam verum eſt obiectum intellectus vt apprehendentis; patet conſequentia; probatur antecedens, primò. Quia ſic docet D. Thom. infra q.82.ar.4.ad 1. Secundò, quia non poteſt iudicari, quod non eſt apprehenſum: ſed per nos, verum iudicatur. Ergo prius intelligitur vt apprehenſum. D.Thom.

Reſpondetur, Quòd duplex eſt verum. Fundamentaliter, & formaliter. Verum fundamentaliter, eſt ipſamet res, incomplexè conſiderata; Verum formaliter, eſt quod obijcitur intellectui vt iudicanti. In præſenti, non loquimur de vero fundamentaliter, ſed formaliter. Vnde, in forma reſpondetur. Negando antecedens. Ad cuius primam probationem. Explico Diuum Thomam, De bono fundamentaliter. Quòd ſi alicubi loquatur de bono formaliter; Nomine apprehenſionis, debet intelligi cognitio iudicatiua, ſeu largè ſumpta. Ad ſecundam probationem. Reſpondetur, diſtinguendo maiorem. Quod nullo modo eſt apprehenſum non poteſt iudicari, Concedo maiorem. Quod eſt apprehenſum vt ens, non poteſt iudicari vt verum, Nego maiorem. Nam iudicare aliquid vt verum, nõ eſt niſi, vnum de alio affirmare, vel negare. Itaquè Verum vt verum, formaliter loquendo, non eſt obiectum apprehenſionis, ſed iudicij.

Pro cuius maiori intelligentia, eſt obſeruandum; Quòd verum dupliciter conſiderari poteſt, ſignatè, & exercitè, & quidem, ſi ſermo ſit de vero ſignatè; Dico, quòd verum, eſt apprehenſibile ſecundariò; & reflexè, non autem primariò, & directè. Si autem ſumatur verum exercitè; Verum eſt apprehenſibile, apprehenſione iudicatiua, & compoſita, non verò ſimplici apprehenſione. Niſi valde materialiter. Nomine autẽ Veri exercitè, Intelligo id, quod de facto exercet veritatem: Vt cum dico, homo eſt animal. Quia

dico

Digitized by Google

dico animal conuenire homini, hæc propoſitio, dicitur exercere rei veritatem. Cum verò dico. Homo. quamuis in ſe re vera ſit; tamen veritatem formalem, neque dicit, neque exercet.

Obijcies Secundò, contra Secundam partem tertij dicti. Quod eſt obiectum per ſe alicuius habitus, eſt etiam obiectum per ſe (licet partiale) illius potentiæ, cuius eſt habitus; ſed ens rationis, eſt obiectum per ſe, formale, & adæquatum, alicuius habitus intellectus, nempè, logicæ. Ergo eſt obiectum formale (licet partiale) reſpectu intellectus. Maior patet, & probatur. Quia habitus eſt in potētia, vt eam in ordine ad ſuum obiectum dirigat, & habilitet. Et minor eſt D. Thomæ, & Thomiſtarum.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Quod eſt
10 obiectum per ſe, & formale, alicuius habitus, principaliter, & abſolutè ad potentiam ordinati, eſt etiam obiectum, potentiæ illius habitus, Concedo maiorem. Quod eſt obiectū per ſe, & formale alicuius habitus, quaſi inſtrumentarij, & ex ſuppoſitione principalis habitus, Eſt etiam obiectum formale potentiæ. Nego maiorem: Similiter diſtinguēda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Differentia eſt enim, inter habitum logicæ; & habitus aliarum ſcientiarum; nam, omnes aliarum ſcientiarum habitus, in intellectu ponuntur, vt ei, primò, & principaliter, in ordine ad ſuum obiectum, adiumentum præbeant, & quia, diuerſimodè obiectum adæquatum intellectus attingi poteſt; ideo diuerſi habitus, diuerſa obiecta partialia reſpicientes, in intellectu ponuntur. Partialia, inquam, reſpectu intellectus; quæ reſpectu ſcientiarum ſunt totalia. Habitus autem logicæ, non ponitur in intellectu, vt illum in ordine ad ſuum obiectum immediatè dirigat, & eleuet; ſed vt illum in ordine ad ſuas operationes dirigat. Quòd ſi habitus logicæ, vt ſcientificus eſt, poſſet dici non inſtrumentum, ſed principalis habitus, dico quòd logica non eſt abſolutè ſcientia; ſed eſt ex ſuppoſitione ſcientia; Quatenus abſolutè non habet ſuum obiectum per ſe; ſed ex ſuppoſitione; ſuppoſita, ſcilicet, entis rationis fictione.

Obijcies tertiò, Contra ſecundum dictum, ex Scoto in primo diſt. 3. q. 4. qui omnino contendit, verum à ratione formali obiecti intellectus excludere, hoc modo. Obiectum habitus, naturaliter non præcedit obiectum potentiæ: ſed obiectum methaphyſices, quæ eſt habitus intellectus, eſt ens, quod eſt prius naturaliter Vero, & non Verum; quod eſt paſſio entis, eſt obiectum metaphyſices. Ergo nullo modo, Verum eſt obiectum formale intellectus. *Scotus.*

11 Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem, Obiectum habitus, naturaliter non præcedit obiectum apprehenſionis, ſeu obiectum potentiæ, vt apprehendentis, Concedo maiorem. Non præcedit obiectum iudicij, ſeu obiectum intellectus vt, iudicantis, Nego maiorem. Tunc, conceſſa minori. Nego conſequentiam, quia non dicimus. Verum, eſſe obiectum intellectus, vt iudicantis, non vt apprehendentis.

Reſpondetur Secundò: concedēdo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed obiectum metaphyſicæ, remotum, ſiue in ratione rei, eſt ens, quod eſt prius Vero, cōcedo minorem. Obiectum in ratione affirmabilis; ſeu affirmati, eſt ens, quod eſt prius vero. Nego minorem. Ergo, &c. Nego conſequentiam.

Explicatur iſta reſponſio; Obiectum metaphyſices remotum, ſeu in eſſe rei, non aliud intelligo, quàm rationem illam, quam metaphyſica explicare intendit; Et hoc, dico eſſe ens, & præcedit omnes paſſiones de ipſo demonſtrabiles. Obiectum verò, in ratione affirmabilis, intelligo illud idem ens, quod eſt affirmatum, ſeu præſupponitur eſſe, in metaphyſica. Et ſic dico, quòd nullum ens, eſt prius vero, nam ipſo facto quòd, intellectus affirmat ens, ſic vel non ſic, eſſe, dici. Verum. Reliqua Scoti argumenta, per hanc doctrinam, de facili diſſoluuntur.

Nec obſtat D. Thomas, dum, ait, poſſe intelligi ens, non intellecto vero. Quia hoc intelligendum eſt, de intellectione apprehenſiua tantum, non iudicatiua. *D. Thom.*

Obijcies Quartò, Ex hoc dicendi modo, ſequitur; quòd ſunt duo obiecta formalia, & adæquata intellectus creati: ſed hoc eſt falſum, Ergo, &c. Minor patet. Probatur ſequela. Quia, verum, & ens, ratione diſtinguuntur. Ergo ſi per nos ſunt obiecta formalia, erunt duo obiecta adæquata intellectus.

Reſpondetur negando ſequelam. Ad cuius probationem, Diſtinguo antecedens. Verum, & ens, ratione diſtinguuntur, & conueniunt ſub vna adæquata ratione cognoſcibilitatis, cōcedo antecedens. Et non cōueniunt ſub vna cognoſcibilitatis ratione, Nego antecedens. Ergo, &c. negatur conſequentia.

Itaque ens, & verum, ſi comparentur in ordine ad duas prædictas intellectus operationes, ſunt duo obiecta totalia, nempè, ens, eſt obiectum formale, & totale reſpectu intellectus vt apprehendentis: Reſpectu verò intellectus, vt iudicantis, Verum, eſt obiectum formale, & adæquatum. Reſpectu tamen intellectus creati abſolutè ſumpti, Eſt ens, & Verum, Prout ex vtroque, vna totalis ratio coaleſcit, id eſt, cognoſcibile communiſſimè ſumptum, finito tamen modo.

Dices. Ergo etiam bonum, eſt obiectum formale intellectus. Probatur conſequentia. Quia bonum etiam apprehenditur, & iudicatur.

Reſpondetur diſtinguendo conſequens. Vt ens, & Verum, concedo conſequentiam, vt bonum appetibile, nego conſequentiam. Sed de his alibi.

DIS-

DISPVTATIO QVINTA.

VTRVM ENS FINITVM, ET INFINITVM, Naturale,& ſupernaturale,in aliqua ſcibilitatis ratione, poſſint vniuocè conuenire.

In Tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum diuerſa placita referuntur.

1 PRincipalis noſtri intenti inueſtigationi: Vtrum, videlicet, Deus clarè viſus contineatur intra latitudinem potentiæ intellectiuæ creatæ, eſt præſens diſputatio vicinior. Eò, quia ſi intra dictam latitudinem continetur, vel hoc erit vniuocè, vel analogicè. Si Vniuocè, videtur contra Sanctum Thomam. Si Analogicè, non ſaluaretur ratio vniuocæ potentiæ. Quare non immeritò (breuiter tamen) hanc diſputationem ſumpſimus diſputandam.

D.Thom. Suppono in præſenti; Ens in genere rei, ſeu in ratione entis, non purè æquiuocè, non in rigore vniuocè de finito, & infinito, de naturali, & ſupernaturali, ſed analogicè dici; quod ex profeſſo in phyloſophia probaui, & infra q. 13. etiam diſputabo. Quæritur igitur in præſenti. Vtrum, ad minus in genere ſcibilis, finitum, & infinitum; naturale, & ſupernaturale, poſſint vniuocari.

Inter nos Thomiſtas, circa Analogiam, vel vniuocationem Dei, cum creatura in genere ſcibilis, videtur eſſe diſcrimen; quoniam, Quidam dicunt, quòd obiectum intellectus noſtri, propter ſuam vniuerſalitatem, eſt quid Analogum, etiam in ratione obiecti, ita Magiſter Bagnes hic, dub. 1. Petrus Ledeſma de diuina perfectione, q.8.art.1.

Bannes. Ledeſma. Zumel.

Salmantic. Alij verò defendunt, obiectum intellectus noſtri in genere obiecti, eſſe vniuocum, etiam prout ſe extendit ad Deum clarè viſum. Ita Carmelitæ diſcalceati hic; & alij.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

2 PRo determinatione ergo veritatis, Dico primò. Ens finitum & infinitum, in aliqua intelligibilitatis, ſeu ſcibilitatis ratione intrinſeca, non poſſunt vniuocè conuenire.

Probatur, quia intelligibilitas intrinſeca obiecti infiniti, eſt infinitè, in ſummo, & per eſſentiam; Obiecti verò finiti per ſe, & formaliter eſt, per participationē, & finitæ cognoſcibilitatis; ſed ens finitum, & infinitum, ideo in ratione entis vniuocari non poſſunt; Quia vnum eſt infinitum, & ens per eſſentiam. Alterum verò, per participationem. Ergo ſimiliter in intelligibilitas entis finiti, & infiniti, non poſſunt vniuocari.

Confirmatur, quia ens finitum, & infinitum, non poſſunt vniuocari in genere entis. Ergo neque etiam in genere intelligibilis. Patet conſequentia. Quia vtrobiquè eſt eadem ratio, loquendo de intelligibilitate intrinſeca.

Dico Secundò. Finitum, & infinitum, naturale, & ſupernatarale, in aliqua ratione extrinſeca intelligibilitatis, ſeu, ſcibilitatis, poſſunt vniuocè conuenire.

3 Pro Vtriuſque dicti intelligentia, eſt obſeruandum, Quòd in qualibet re intellecta, duo conſiderantur. Ratio, ſcilicet, obiecta, & obiectionis modus. Quando igitur dicimus, Quòd obiectum infinitum, & finitum, in ratione extrinſeca intelligibilitatis, poſſunt vniuocè conuenire; nomine rationis extrinſecæ intelligibilitatis, non intelligimus rem obiectam, ſeu aliquam rationem rei obiectæ, ſed aliquem modum, quo res obijcitur; qui quidem modus, extrinſecè ſe tenet ex parte rei cognitæ. Cum autem dicimus finitum, & infinitum non poſſe vniuocari, ſi conſiderentur ſecundum eorum intrinſecam intelligibilitatem; ſenſus eſt, quòd finitum & infinitum, ſi cognoſcantur ſecūdū cognoſcibilitatis modū ſibi ex ſua natura debitum, vniuocationem habere non poſſunt.

Probatur igitur hoc ſecundum dictum, Quia, licet, obiectum infinitum, ſecundùm ſuam propriam intelligibilitatem, petat infinitè cognoſci, tamen prout cadit ſub intellectus noſtri cōceptione (quod eſt infinitum ſecundùm extrinſecam intelligibilitatem conſiderare) finitè cognoſcitur, Sed finitè cognoſci, vniuocè conuenit omnibus obiectis, Ergo

go finitum,& infinitum,&c.

Totum hoc, manifeſtatur exemplis. Nam diuina reuelatio, eſt ratio formalis ſub qua,
4 obiecti fidei; idest, eſt modus ſub quo, credenda, ſeu credibilia, cadunt. & nihilominus, talis reuelatio, eſt quid extrinſecum rebus creditis, & iuxta nunc modum, nihil obeſt; quin Deus, & cætera obiecta creata, vniuocè conueniant. Hoc exemplum adducitur à Salmanticenſibus, & alijs. Eſt etiam aliud exemplum, adhuc accommodatum; Nam phyſica, omnia obiecta, ſub ratione abſtractionis à materia ſenſibili, in particulari tantùm, conſiderat, & attingit. quia ſub hac eadem ratione conſiderat Deum, qui eſt primus orbium motor, & quamcunque creaturam mobilem; non obſtante, quòd Deus in ſe, ſit ſecundùm rem, & ſecundùm rationem, ab omni materia ſeparatus. Ita igitur in præſenti, dicimus, obiectum infinitum, cum finito, vniuocè conuenire, ſi obiectum infinitum conſideretur, pro vt cadit ſub potentia intellectiua creata, id eſt, provt ſubeſt, modo, ſeu rationi formali ſub qua, potentia intellectiua creata, tendit ad obiectorum attingentiam.

Salmātic.

Dices. Quæ eſt iſta ratio formalis ſub qua, intellectus creatus, obiecta cognoſcit, & infinito obiecto, dicatur extrinſeca?

Dico. Rationem formalem huiuſmodi, eſſe intelligibilitatem finitè, ſeu intelligere finitè: Et ſub hac ratione, nempè, finitè cognoſci; obiectum finitum, & infinitum, vniuocationem habent.

5 Dices. Ergo etiam obiectum finitum, cum obiecto infinito, reſpectu intellectus diuini, vniuocantur: ſed hoc eſt falſum. Ergo & illud vnde ſequitur. Probatur ſequela. Quia licet obiectum intrinſecè finitum, habeat intelligibilitatem finitam, & finitè cognoſci petat, tamen, pro vt cadit ſub intellectu infinitè cognoſcitiuo, quemadmodum eſt intellectus diuinus, debet infinitè cognoſci. Sicut enim obiectum infinitum, prout cadit ſub potentia finita, dicitur finitè cognoſcibile: ita obiectum finitum, pro vt cadit ſub intellectu infinito, poteſt dici, infinitè cognoſcibile. Ergo.

Reſpondetur primò, negando conſequentiam. Ad cuius probationem: nego ſuppoſitum, ſeu cauſalem; ſupponit enim, quòd obiectum finitum, cadit ſub ratione obiecti ſpecificatiui intellectus diuini; quod falſum eſſe, infra, q. 14. demōſtrabimus. Quare, ſi ens finitum, attingitur ab intellectu diuino, qui eſt infinitus, non attingitur infinito modo, quia infinito modo attingere, non eſt ratio formalis ſub qua, obiectum intellectus diuini cognoſcitur.

Reſpondetur ſecundò; Dato, & non conceſſo, quod obiectum finitum, rationem obiecti formalis intellectus diuini, ingrediatur; negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego aliud ſequelæ ſuppoſitum. ſupponit enim, quod ſi obiectum finitum, eſſet ſpecificatiuum intellectus diuini, ratio formalis ſub qua, ſui obiecti, eſſet omnino ens infinitè tamen cognoſcibile; quod quidem in tali caſu non eſſet. Nam in huiuſmodi opinione; Ens communiſſimè ſumptum, vt completè, & adæquatè cognoſcibile, eſſet intellectus diuini obiectum formale, & adæquatum; & quamuis intellectus diuinus, eſſet (ſicuti eſt) infinitus, & infinitè cognoſcitiuus ex parte potentiæ cognoſcentis, non tamen, hoc, quod eſt infinitè cognoſcere, ex parte potentiæ, in rationem formalem obiecti tráſiret: At verò, quamuis obiectum, ſit in ſe, infinitè cognoſcibilitatis, poteſt nihilominus, cadere ſub ratione obiecti finitè cognoſcibilis, pro vt, ſcilicet, eſt obiectum intellectus finiti; Cuius finitas, ſeu finitè cognoſcere, tranſit in rationem obiecti. Huius autem ratio eſt; quia ens, vltra id quod eſt; cognoſci non poteſt; cognoſci tamen, minus, quàm eſt, non repugnat.

Nazarius hic, Controuerſia prima, Sententiam Bagnes, dicit, plura falſa continere. Et præſertim, quòd obiectum intellectus, ſit quid analogum. Exiſtimo tamen, Thomiſtas re vera, in hoc, non diſcrepare, quod, vt euidentius explicem.

Nazarius. Bagnes.

6 Obſeruo primò. Quòd obiectum in ratione obiecti, poteſt dupliciter conſiderari. Secundùm rationem adæquatam, & completam obiecti. Et ſecundùm rationem inadæquatam. Primo modo, duo dicit. id quod per ſe, a potentia reſpicitur; & modum, ratione cuius, taliter, vel tali modo attingitur. Primum, vocatur ratio formalis quæ: Secundum, ratio formalis ſub qua. Itaquè, primo modo, dicit obiectum quod cognoſcitur, & modum quo à potentia attingitur. Quem quidem modum, dico eſſe intrinſecum potentiæ; & extrinſecum obiecto, & hoc eſt, quando obiectum, ex ſui naturali cognoſcibilitate, aliam, & non illam, cui obijcitur, potentiam expoſcit. Secundo verò modo, accipitur; Vel pro obiecto quod, tantùm; vel tantùm pro obiecto Quo. ſeu pro ratione formali quæ, vel pro ratione formali ſub qua. vnde, quādo diſtinguitur, duplex obiectum, quod, & quo, ſeu duplex ratio formalis, quæ, & ſub qua, non conſiderantur illæ duæ rationes, tamquàm duo obiecta adæquata, conſtituentes; ſed eſt vná adæquata, quæ in duos inadæquatos conceptus, diſtribuitur.

Obſeruo ſecundò; quòd ſi ad obiectum iuxta propriam, & intrinſecam eius intelligibilitatem attendamus, modus, quo, ſeu ſub quo, vt petit à potentia cognoſci, eſt intrinſecus obiecto, & potentiæ; quia potentia, eſt ſibi connaturaliter proportionata. V. G. obiectum infinitum, puta, Deus, ſi conſideretur iuxta intelligibilitatem ſibi intrinſecam, vt infinitè cognoſcatur expoſcit, & conſequenter

ter

ter intellectum infinitè cognoſcitiuum,tamquàm ſuum proprium intellectum vocat. Quando igitur,Thomiſtæ relati, obiectum intellectus creati,quid Analogum eſſe dicũt,
7 loquuntur de obiecto quod, ſeu,de obiecto ſecundùm inadæquatam eius formalem rationem. Nec obſtat, quòd Bagnes dixerit, obiectum in ratione obiecti, non eſſe vnicum ſpecie. Quoniam,per obiectum in ratione obiecti,intellexit rationem formalẽ,quæ,ſeu, obiectum ſecundùm inadæquatam rationem illius,Nõ autem loquutus eſt,de obiecto cõpletè,& adæquatè accepto. Et hoc, non ſolùm, non eſt falſum,ſed verum,ac neceſſariò dictum.Alij verò Thomiſtæ,aſſerentes obiectum finitum,& infinitum,naturale,& ſupernaturale,in ratione obiecti,ſeu,in ratione ſcibilis,vniuocè conuenire;Alijs non contradicunt. Quia de obiecto,non ſecundùm rationem formalem quæ,ſeu,nõ de obiecto,quod, loquuntur, ſed de ratione formali ſub qua. Et hoc benè nota.Quia, ex hoc,plurima argumẽta diluuntur,& Thomiſtarũ dogmata, conciliantur. Idquè iudico a Caietano inſinuatum,p. p. q. 1. ar. p. vbi ait,ſcientiarum ſpecificationem, ac vnitatem,ſumi à ratione formali,quæ,*quando eſt ad æquata ratio modo*. id eſt,quãdo ratio formalis quæ,eſt adæquata, rationi formali ſub qua. vnde ſequitur, quòd quando ratio formalis, quæ, excedit rationem formalem ſub qua; tunc ratio formalis, quæ, non conſideratur ſecundùm completam rationem formalem obiecti.

Banes.

Caietan.

CAPVT TERTIVM.

Quibuſdam obiectionibus,contra ſupradicta,ſatisfit.

Contra ſupradictam determinationem,Obijciet aliquis,Primò. Ens finitum,etiam prędicatur analogicè de omnibus entibus finitis. Ergo finitè cognoſcere, & eſſe finitè cognoſcibile,nequè etiam ſpecificam obiecti vnitatem habent. patet conſequentia; probatur antecedẽs.Quia ens finitũ,prędicatur de ſubſtantia,& accidenti analogicè.

Reſpondetur primò,Diſtinguendo antecedẽs. Ens finitum,ſecundùm quòd explicat rationem entitatis; etiam de omnibus entibus finitis,analogicè prædicatur, Concedo antecedens. Secundùm quòd,explicat rationem finitatis, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam.quia finitè,& immaterialiter cognoſcibile,ſecundum quòd rationem finitatis explicat,vniuocationem,atquè ſpecificam vnitatem ſaluat.

Explicatur iſta reſpõſio. Cum dico ens finitum, analogicè,de cæteris finitis entibus,prædicatur.dupliciter intelligi poteſt,Primò quòd analogiæ ratio, ſit per entitatem: Secundò quòd ſit,per finitatem;& quidem,primo modo,veritatem habet. Secundo autem modo, non puto ens de cęteris finitis,analogicè dici. Nam ratio finitatis,in ratione finitatis, æqualiter conuenit omnibus finitis.

Reſpondetur Secundò, Diſtinguendo antecedens. Ens finitum, ſecundùm finitatem intrinſecam cuiuſcumquè entitatis,etiam analogicè prædicatur, Concedo antecedens. Secundùm finitatem extrinſecam, nego antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

Ex ſupradictis reſpõſio apertè remanet explicata. Namquò finitas,ſit modus intrinſecus entitatis creatæ, Dupliciter intelligi poteſt.Primò,ſecundùm quòd,eſt modus intrinſecus entitatis,quæ cognoſcitur. Secundò, ſecundùm quòd, eſt modus intrinſecus potentię cognoſcitiuæ, extrinſecus verò, obiectis ab illa cognitis. Eſto igitur primo modo, finitas,analogicè de cæteris finitis prædicetur; non tamen ſecundo modo.

Obijcies ſecundò, Enti finito, & infinito,non poteſt dari aliquid ſuperius. Ergo neq; aliquod vniuocũ. Probatur conſequentia,quia ratio Vniuoci,ſe habet,vt quid ſuperius,reſpectu vniuocatorum; quemadmodum ratio humanitatis,eſt quid ſuperius reſpectu cuiuſcumquè hominis in particulari.Antecedens etiam patet. Quia infinito,& ſupremo,nihil eſt ſuperius.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens,Finito, & infinito, non poteſt dari aliquid ſuperius,
9 vtrique intrinſecum, concedo antecedens. Intrinſecum vni,nempè,finito,& alteri.ſ. infinito, extrinſecum,nego antecedens.Ergo, &c. nego conſequentiam. Optimè enim, argumentum probat, nõ dari aliquid cõmune vniuocum intrinſecum,finito, & infinito. & noſtrum primum dictum probat, id eſt,obiectum quod, intellectus creati,eſſe vniuocum, pro vt ſtat ſub ratione formali ſub qua;quæ non eſt, quid intrinſecum obiecto infinito.

Obijcies tertiò,ſi in aliqua intelligibilitatis ratione, finitum, & infinitum,vniuocarentur; ſequeretur, quòd Deus intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuę creatæ contineretur: ſed hoc eſt falſum.Ergo,& illud vnde ſequitur. patet ſequela, quia quæ in ratione obiecti ſunt vnius ſpeciei; vel vniuocè cõueniunt; ad eamdem potentiam ſecũdùm ſpeciem,ad quam pertinet vnum obiectum,ſpectat, & alterum. Probatur minor. Quia, Si Deus contineretur intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ, daretur in creatura intellectuali,naturalis appetitus,ad Deum clarè viſum,quod eſt falſum.Ergo.

Reſpondetur,concedendo ſequelam,tamquàm omnino veram. & negando minorem. cuius probationi infra ſatisfaciemus; Vnde, vt ſequelam cõceſſam,tamquàm omnino veram, abundantiùs explicemus, ſequentem formamus diſputationem.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXTA.

VTRVM DEVS CLARè VISVS, CONTINEATVR INTRA latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ.

In quatuor Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur Titulus, & in quo ratio obiecti, proportionati conſiſtat, declaratur.

1 PRæſupponendum eſt, in hac diſputatione, Quòd duplex eſt, alicuius potentiæ obiectum. Proportionatum, & improportionatum; & ex vno, cognoſcitur alterum. Quid igitur ſit obiectum proportionatum, videndum eſt. Quod quidem, non vniformiter à Doctoribus explicatur. Nam Magiſter Petrus de Ledeſma, in ſuo erudito libro, de diuina perfectione, quæſt. 8. abſolutè docet, obiectum proportionatum alicuius potentiæ, eſſe illud, quod conuenit cum illa, vniuocè, in modo eſſendi. Hic tamen dicendi modus, niſi amplius explicetur, probari non poteſt. quando quidem, intellectus creatus, lumine gloriæ illuſtratus, Deum reſpicit, tamquàm obiectum ſibi proportionatum, & tamen, Deus nõ conuenit vniuocè, in modo eſſendi, cum potentia intellectiua taliter eleuata. Si dicatur, quòd ſermo eſt, de obiecto proportionato naturaliter. Tranſeat. ſed adhuc, obiecti proportionati, vniuerſaliter accepti, deſcriptio deſideratur. quapropter, mihi dicendum videtur, quòd obiectum proportionatum, eſt illud, quod viribus potentiæ accomodatur. Ledeſma.

Pro cuiusmaiori intelligentia, eſt obſeruandũ, quòd, aliquod obiectum, viribus alicuius potentiæ, eſſe accommodatum; dupliciter con-
2 tingere poteſt. Adæquatè, & Inadæquatè. Primo modo, obiectum proportionatum, eſt idem omnino, ac obiectum adæquatum, & totale; & neque obiectum excedit vires potentiæ, neque vires potentiæ, obiecti intelligibilitatem traſcendunt. Secundo autem modo, obiectum proportionatum, dicitur illud, quod iuxta vires potentiæ, in quibus potentia de facto reperitur, poteſt cõmodè à potentia attingi. Quod etiam dupliciter contingere poteſt; Primò, propter non exceſſum obiecti ſupra potentiæ vires: ſecundò, propter exceſſum virium potentiæ, ſupra obiectum. Exemplum primi. Anima intellectiua, in ſtatu ſeparationis, cognoſcit ſubſtãtias ſeparatas, nempè, Angelos, tamquàm obiectum ſibi proportionatum, videlicet, quatenus, ſubſtantiæ ſeparatæ, virtutem animæ intellectiuæ, in ſtatu ſeparationis, nõ excedunt. Exemplum ſecundi. Deus cognoſcit creaturas. Ita nimirum, vt virtus eius cognoſcitiua, in infinitum, creaturarum cognoſcibilitatem excedat. poſſunt igitur vtraquè obiecta, proportionata appellari, & ſubſtantiæ ſeparatæ, reſpectu animæ ſeparatæ, & creaturæ reſpectu intellectus diuini, quatenus, anima ſeparata iuxta virtutem luminis, in ſtatu ſeparationis, in quo inuenitur, commodè poteſt, ſubſtantias ſeparatas cognoſcere. Et ſimiliter Deus. ſed differenter. quia Anima ſeparata, poteſt commodè ſubſtantias ſeparatas cognoſcere, quia eius intellectiuitas, ipſarum intelligibilitate, non exceditur; & Deus, magis commodè poteſt cognoſcere creaturas, propter exceſſum, quem eius infinita cognoſcitiua virtus, ſupra ipſarũ ſcibilitatẽ dicit. Ex quo etiã patet, quid ſit obiectũ, improportionatum. illud, nimirũ, quod viribus potentiæ, non eſt accommodatum, ſed excedit eas. Sicut Sol, reſpectu potentiæ viſiuæ noctuæ, eſt obiectum improportionatum; Si quis autem, de hac re, plura deſiderat, videat, quæ in phyloſophia dicuntur.

Ex ijs quæ iam diximus, de facili intelligitur, quòd obiectum aliquod, poteſt, de improportionato, ad proportionatum; & è contra tranſire, iuxta virium ſubiecti mutationem. Nam, ſi obiectum, ideo proportionatum dicitur, quia viribus ſuæ potentiæ eſt accomodatum, ſequitur, quòd iuxta virtutis mutationem, etiam proportio mutatur obiecti.
3 Verbi Gratia. Potentia viſiua, alicuius hominis, in ſtatu hilarioris ætatis, proportionatur lucido, ſeu colorato, vt octo; Ingraueſcente autem æuo, quando, ſcilicet, oculi, præ nimia potentiæ viſiuæ debilitate, caligant, lucidum vt octo, quod prius obiectum proportionatum erat, incomparabiliter, in improportionatum tranſit. Et è regione, ſubſtantiæ ſeparatæ, ſi Animæ intellectiuę, corpori mortali vnitæ cõparentur; eiuſdem intellectus, obiectũ improportionatum ſunt. i. eſt, excedẽs; quæ tñ, ſi Animę, abſq, corpore referantur, in obiectũ proportionatũ transferuntur. in præſenti igitur, dùm quęrimus. Vtrum

Vtrum Deus clare viſus intra latitudinem obiecti intellectus creati contineatur, de obiecto proportionato, eſt ſermo, ſecundùm quòd, idem eſt, ac obiectum adæquatum; atq; etiam ipſius intellectus viribus, naturalibus, vel ſupernaturalibus, proportionatum. Non enim intra obiecti adæquati latitudinem, aliquod claré viſum contineri poteſt. quin etiã, naturalibus, vel ſupernaturalibus eiuſdem potentiæ viribus, ſit accommodatum. Quamuis è contra, non ita res ſe habeat; Nõ enim opus eſt, quòd ſi potẽtia, aliquod obiectum excedit; illud intra latitudinem obiecti ſpecificatiui contineatur. creaturas enim, in infinitum, diuini intellectus virtus cognoſcitiua, excedit, quas tamen intra gremium rõnis formalis, ac ſpecificatiuę, nõ admittit.

CAPVT SECVNDVM.

Doctorum, modi dicendi referuntur.

OMnes negantes, Deum clarè, & quidditatiuè, ab intellectu creato videri poſſe, etiam Deum intra latitudinem, obiecti intellectus creati, contineri, negant. non tamen
4 omnes, Deum clarè videri poſſe confitentes; ex animo concedunt, intra latitudinem obiecti intellectus creati, contineri. Audiui enim Romæ, ex noſtris magiſtris, virum inſignem, ſatis plauſibiliter, hoc, defendentem; explicabat autem ſuam ſententiam ſic. Sententia Diui Thomæ, & Thomiſtarum eſt; quòd creaturæ non continentur intra latitudinem obiecti adæquati, ac ſpecificatiui intellectus diuini, ſed eius obiectum adæquatum, ac ſpecificatiuum, eſt diuina eſſentia. tamen diuinus intuitus, etiam in creaturas fertur; quia creaturæ, à diuina eſſentia, virtualiter continentur. Ita è contra. Intellectus creati, obiectum ſpecificatiuum, eſt ens creatum; eius tamen cognitio ad Deum claré viſum ferri poteſt. Quia, nimirum, & ſi Deus non continetur intra latitudinem obiecti ſpecificatiui potentiæ creatæ; illud tamen, virtualiter cõtinet; & propterea, quamuis non poſſit proprijs naturæ viribus; poteſt tamen, per luminis gloriæ eleuationem, Deum clarè intueri. Vnde cum arguitur. Nulla potentia poteſt ſe extendere extra latitudinem ſui obiecti adæquati, etiam per potentiam Dei abſolutam: Sed Deus non continetur intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ. Ergo per nullam potentiam poteſt ab intellectu creato videri. Reſpondebat. Retorquendo prius, in Authores argumentum. hoc modo; Nulla potentia poteſt ſe extendere extra latitudinem ſui obiecti: ſed creaturæ non continentur intra latitudinem obiecti ſpecificatiui intellectus diuini. Ergo non poſſunt cognoſci ab intellectu diuino.

D.Thom.

5 Cui obiectioni, communiter Thomiſtæ reſpondent, diſtinguendo maiorem. Nulla potentia poteſt ſe extendere extra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ; benè tamen ad illud, quod virtualiter continetur ab obiecto, Concedunt. & neque etiam, ad illud quod virtualiter continetur ab obiecto, negant. ſimiliter diſtinguunt minorem. Et negant conſequentiam. Quia quamuis creaturæ, non continentur, intra latitudinem obiecti ſpecificatiui diuini intellectus; virtualiter tamen, continentur ab obiecto ſpecificatiuo; & ita pariter reſpondebat; Quòd quamuis Deus, non contineatur intra latitudinem obiecti ſpecificatiui intellectus, virtualiter tamen, continet obiectum creati intellectus, & propter iſtam virtualem continẽtiam obiecti ſpecificatiui intellectus creati; poteſt diuinitus eleuari, ad cognoſcendũ Deum, vt eſt in ſe; & hæc fortaſſis, eſt illa opinio, quam ſuppreſſo authoris nomine, Petrus de Ledeſma qui ſupra, de diuina ſcilicet perfectione q. 8. ar. 2. his verbis refert. *Prima ſententia eſt, quòd diuina eſſentia, prout eſt in ſe, non continetur intra latitudinem obiecti formalis, ac ſpecificatiui intellectus creati; ſed obiectum adæquatum, ac ſpecificatiuum eius, eſt ens creatum, & ordinis naturalis, Nihilominus tamen, intellectus creatus, poteſt cognoſcere diuinã eſſentiam, & ens increatum, & ſupernaturale, per ordinem ad ens creatum, & ordinis naturalis. Eſt ſimile. iam quidam dicere ſolent, quod obiectum noſtri intellectus adæquatum, eſt ens reale tantùm; Nihilominus poſſumus cognoſcere ens rationis, per ordinem ad ens reale: & obiectum proportionatum noſtri intellectus, pro iſto ſtatu, eſt quidditas rei materialis; & tamen in hac vita, poſſumus cognoſcere Angelum, per ordinem, & proportionem ad quidditatem materialem, vt D. Thomas docet. p. p. q. 88. ar. 2.* Ledeſma.

Alij verò dicunt, Deum clarè viſum, eſſe extra latitudinem obiecti motiui, intellectus creati, ſecundùm quòd regulatur, & ſpecificatur, virtus actiua cõnaturalis intellectui, & graduatiua illius: non tamen eſt extra latitudinem obiecti terminatiui; iuxta quod, regulatur capacitas paſſiua intellectus, & modus quo actuabilis, & perfectibilis eſt ab obiecto. ita Ioannes de Sancto Thoma, hic, diſp. 12. ar. 2. §. dicimus ergo; Et §. ex quibus. Ioan. de S.Thoma

Alij autem dicunt, Deum clarè viſum, intra latitudinem obiecti intellectus creati, tamquàm obiectum formale, non ſolùm terminatiuum, ſed etiam motiuum, formaliter, contineri. ita communiter Theologi.

CAPVT TERTIVM.

Intra latitudinem obiecti intellectus creati, Deum clarè viſum contineri, probatur, & declaratur.

PRo determinatione ergo veritatis, Dico primò, Deus clarè viſus, continetur intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ
6 creatæ, ita vt inueniatur in Deo, ratio formalis, ac ſpecificatiua, obiecti intellectus creati.

Hoc dictum dupliciter probari poteſt, primò, contra concedentes Deum videri poſſe clarè, & diſtinctè, negantes verò, intra rationem formalem obiecti ſpecificatiui contineri; Secundò contra negantes Deum videri poſſe per eſſentiam. Vtroque modo probabitur noſtrum dictum; ſed differenter, quia ſecundo modo, ex principijs ſolo lumine naturali cognitis, perſuaſiuè, non verò, demonſtratiuè probari poteſt; vt in vltima huius articuli diſputatione conſtabit. Primo tamen modo, iudico poſſe demoſtratiuè probari; Vnde,

Probatur 1. iuxta primum modum. Quia iuxta illum, Deus dicitur videri per aliquem ordinem ad creaturas: ſed hoc eſt omnino falsū. Ergo. Maior patet ex opinione iam recitata, & explicata. Minor verò, probatur, quia creaturæ in tantùm non ſunt partes obiecti ſpecificatiui intellectus diuini; in quantùm intellectus diuinus non poteſt ab aliquo a ſe diſtincto, ſuam accipere perfectionem; & etiam, quia eas, in ſe ipſis, & per proprias illarum ſpecies non cognoſcit. Ita quòd ſi Deus in ratione obiecti, immediatè, & per ſe à creatura perficeretur, illamquè in ſe ipſa, & per propriam ipſius ſpeciem cognoſceret, eſſet etiam per ſe obiectum formale, ac ſpecificatiuum ipſius: ſed intellectus creatus poteſt cognoſcere Deum medio lumine ſupernaturali, quod eſt lumen gloriæ; necnon, mediante diuina eſſentia, tamquàm per propriam ipſius ſpeciem. Ergo in Deo datur vera ratio formalis obiecti ſpecificatiui intellectus creati. Patet conſequentia, quia Deus eſſet per ſe primò, & immediatè obiectum intellectus creati.

Confirmatur; Illud dicitur obiectum formale, ſeu illud ſpectat per ſe, ad rationem formalem obiecti intellectus creati; quod per ſe primò, & immediatè ab intellectu creato videri poteſt; ergo Deus eſt verè obiectum ſpecificatiuum, ſeu per ſe ſpectat ad rationem formalem obiecti ſpecificatiui intellectus creati. Patet conſequentia. Quia Deus à beatis in patria, eſt per ſe primò, & immediatè cognitus.

Probatur ſecundò, Quælibet potentia habens obiectum formale, & materiale, primarium, & ſecundarium; ad vtrumquè tendere poteſt; ſed differenter, & ordine quodam, quoniam prius re, & ratione cognoſcit obiectum primarium, & formale, quam ſecundarium, & materiale, quando, diuerſa cognitione vtrūquè cognoſcit; quandò verò, vnica cognitione, prius ratione cognoſcit primarium, quàm ſecundarium, formale, quàm materiale: ſed intellectus creatus, in viſione clara Dei, cognoſcit Deum, & creaturas. Deum quidem primariò, creaturas verò, ſecūdariò, vnica cognitione. Ergo Deus, reſpectu talis cognitionis, eſt obiectum primarium, & formale, creaturæ verò, ſunt obiectum ſecundarium, & materiale. Ergo non cognoſcitur per ordinem ad creaturas, ſed è contra, creaturæ cognoſcuntur per ordinem ad Deum. Ergo Deus verè continetur intra latitudinem obiecti formalis intellectus creati. Cum dico Deum eſſe obiectum primarium, creaturas verò, obiectum ſecundarium; non loquor de omni cognitione, ſed tantummodo reſpectu viſionis beatificæ, quod amplius paulo interius explicabimus.

Confirmatur. Quando duo obiecta ita ſe habent, vt vnum ſit ratio alteri, vt cognoſcatur, illud eſt obiectum primarium, & formale, quod eſt ratio cognoſcendi aliud, & illud dicitur ſecundarium, quod per aliud cognoſcitur, ſed Deus, & creatura, reſpectū viſionis beatificæ, ita ſe habent, quòd Deus immediatè cognoſcitur, & eſt ratio, cognoſcendi creaturas, ita quòd creaturæ per illam Dei viſionem, non in ſe ipſis, & per ſe ipſas, ſed in Deo, & per Deum, perfectiſſimè cognoſcuntur. Ergo Deus verè continetur intra latitudinem obiecti formalis, intellectus creati.

Si quis vrgeat. Creaturæ reſpectu viſionis claræ Dei, cognoſcuntur non in ſe ipſis, nec per ſe ipſas, ſed in Deo, & per Deum, vt diximus. Ergo creaturæ non ſunt obiectum formale intellectus creati, ſed tantùm Deus, erit intellectus creati, formale obiectum.

8 Reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo creaturæ nō ſunt obiectum formale intellectus creati reſpectu viſionis claræ Dei, concedo conſequentiam. Reſpectu intellectus creati cognoſcētis per proprias creaturarum ſpecies, Nego conſequentiam; hoc autem cōtra nos non militat. Noſtro enim inſtituto ſufficit, vt Deus clarè viſus, poſſit eſſe alicuius operationis noſtri intellectus primarium formale, & immediatum obiectū. Quòd vero creaturæ reſpectu viſionis claræ Dei, ſint obiecta ſecundaria; non rectè ſic deducitur, Ergo nullo modo habent, obiecti primarij, ac formalis rationem. Arguitur enim ab vnius modi

di excluſione, non inferentis, nec includentis alterius excluſionem, Ad excluſionem omnis modi. Deus enim, & creatura, in ratione obiecti formalis reſpectu intellectus creati alternatiua ſeruant. Nam aliquando Deus, eſt obiectum formale, primarium, & immediatum, intellectus creati: Aliquando verò, creatura eſt obiectum primarium, & formale; Deus verò ſecundarium. In viſione enim clara Dei, Deus eſt obiectum primarium, creaturæ ſecundarium. In cognitione per proprias creaturarum ſpecies, creatura eſt obiectum primarium, Deus verò, ſecundarium; iuxta primam cognitionem, dicitur Ioannis 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*, iuxta ſecundam, dicitur: *Inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Ex hac autem inter Deum, & creaturas in ratione obiecti formalis alternatione, non ſequitur, niſi quòd Deus eſt principalius obiectum.

Ioan. 3.

9 Probatur tertiò, iuxta ſecundum modum. Deus clarè viſus eſt propriè ens, & verum reale. Ergo propriè intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ continetur. Antecedens, eſt certum. Probatur conſequentia. Quia obiectum formale quod, intellectus creati, eſt ens, & verum reale, vniuerſaliſſimè acceptum, finitè; tamen cognoſcibile, vt ſupra diximus.

Dicet aliquis, Ens, & verum creatum, eſſe obiectum formale, & adæquatum intellectus creati. Quapropter Deus clarè viſus non clauditur intra latitudinem obiecti intellectus creati.

Contra. Omne illud ens, & verum, quod virtutem intellectus creati non excedit, intra latitudinē eius obiecti continetur: ſed Deus clarè viſus eſt huiuſmodi. Ergo non ſolùm ens, & verum creatum, ſed etiam ens, & verum reale, prout ſe extendit ad ens increatum, eſt obiectum formale intellectus creati. Patet maior. Probatur minor. Quia quamuis Deus clarè viſus, ſit in ſe infinitus, non tamē eſſet infinitè cognitus. Ergo quia poſſet finitè cognoſci, etenim cognitio intuitiua, deficit a cognitione comprehenſiua Dei. Hoc argumentum non proponitur, ad conuincendum aduerſarios, ſed ad inſtruendos catholicos. Eò quia in ſolo lumine naturali ſiſtendo, poſſibilitas viſionis beatificæ, non poteſt demonſtratiuè probari.

Dico ſecundò. Abſolutè loquendo, Deus clarè viſus, cōtinetur intra latitudinem obiecti intellectus creati, tanquàm obiectum proportionatum.

Dico tertiò. Deus clarè viſus, eſt obiectum improportionatum, & ſemper excedens, reſpectu intellectus creati, ſolo naturali lumine vigorati. Improportionatum, inquam; non quaſi aliquando poſſit eſſe, reſpectu luminis naturalis proportionatum obiectum, Quoniam reſpectu illius, ſemper eſt obiectum excedens, ſemperquè improportionatum; propterea dixi, ſemper excedens, & ſermo eſt de proportione translatiuè accepta, quemadmodum in commentario declarauimus, non autem de proportione propriè dicta.

Pro vtriuſquè dicti explicatione, eſt obſeruandum, Quòd aliud eſt loqui de intellectu creato abſolutè, & illimitatè; & aliud de intelle-

10 ctu iuxta vires ſibi naturales; Primo quidem modo, intellectus accipitur, vt habens lumen naturale, & vt habens, ſeu potens habere, lumen ſupernaturale: Secundo autem modo, ſumitur pro vna dumtaxat parte, quatenus, ſcilicet, eſt habens lumen naturale. In ſecundo igitur dicto, ſermo eſt, de intellectu creato primo modo; in tertio verò, ſecundo modo, vnde.

Probatur ſecundum dictum. Valet iſta propoſitio intellectus abſolutè, & illimitatè conſideratus, ideſt, per potentiam in ſe, ſiue per potentiam in alio, poteſt videre Deum clarè, & diſtinctè, vt diximus ſuper cōmentarium articuli, & Diuus Thomas, apertè fatetur, abſolutè quærens. *Vtrum aliquis intellectus creatus poſſit videre Deum per eſſentiam*. Et abſolutè reſpōdens, quod *Beati vident diuinā eſſentiā*. Ergo etiam valet iſta propoſitio, Intellectus abſolutè conſideratus, eſt potentia proportionata, ad videndum Deum. Ergo Deus clarè viſus, abſolutè loquendo, eſt obiectum proportionatum intellectus creati. Antecedens patet, & prima conſequentia ſimiliter: Nam poſſe intelligere aliquod obiectum, eſt potentiam eſſe proportionatam, ad illud; ſecunda conſequētia, etiam eſt clara, ex prima.

Confirmatur. Deus clarè viſus eſt obiectum proportionatum intellectus creati lumine gloriæ illuſtrati. Ergo eſt vera iſta propoſitio; Deus clarè viſus eſt obiectum proportionatum intellectus creati abſolutè, & illimitatè accepti. Antecedens eſt certum apud omnes. Probatur conſequentia. Quia intellectus abſolutè, & illimitatè acceptus, ad omnem eius ſtatum ſe extendit.

Probatur tertium dictum. Deus clarè viſus, eſt ſimpliciter infinitus, ſupernaturalis, & nullo modo virtute naturali cognoſci poteſt intuitiuè. Ergō eſt obiectum improportionatum, reſpectu intellectus creati, ſolo lumine naturali vigorati. Antecedens patet. Et magis patebit infra. Et conſequentia eſt euidens. Quia obiectum excedens, non eſt proportionatum. Videndum reſtat, quam vnitatem habeat intellectus creatus in ratione potentiæ intellectiuæ. Argumenta contra hanc diſput. ex ſupradictis remanent ſoluta, & ex dicendis ſoluentur, quæ in contrarium poſſent adduci.

DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA.

INTELLECTVS CREATVS IN RATIONE POTENTIÆ intellectiuæ, ſecundùm quòd,ad ens creatum, & ad Deum clarè viſum,ſe extendit, quam vnitatem habeat.

In quatuor Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Theologi, huc, illucquè,per diuerſos dicendi modos, in præſenti diſputatione
1 vagantur.

Quidam enim dicunt,intellectum creatum,eſſe vnam potentiam intellectiuam,ſpecificè, & eſſentialiter,naturalem:poſſe tamen,ad Deū clarè videndum,eleuari;eo modo,quo,quorumdam Theologorum,in principio præcedentis diſputationis,aſſerebat opinio.

Alij autem dicunt,quòd intellectus creatus,nō eſt vna potentia ſpecificè, ſed ſunt duæ potentiæ,ſpecificè,& adequatè diſtinctæ: Naturalisvna,ſupernaturalis altera.Naturalis, reſpectu entis naturalis,ſeu,cognoſcibilitatis naturalis; ſupernaturalis verò,reſpectu entis ſupernaturalis, ſeu,cognoſcibilitatis ſupernaturalis.

2 Dixerunt alij, quòd intellectus creatus, reſpectu Dei clarè viſi, & reſpectu entis naturaliter cognoſcibilis, eſt vna potentia ſpecificè, ex duplici inadæquata potentia coaleſcens; Ex potentia, ſcilicet, naturali, & ſupernaturali.

Alij dicunt,intellectum creatum, eſſe vnam potentiam formaliter,multiplicem virtualiter, analogam tamen,ſicut obiectum ipſum, cōmune adnaturale,& ſupernaturale,finitū, & infinitum,eſt analogicè vnum.Ita videtur dicere, Petrus Ledeſma, de diuina perfect. quæſt.8.ar.2.ad tertium dubium,& art.4. Ledeſma.

Dicunt Alij, intellectum creatum eſſe quidem vnam potentiam, ſpecificè,& vniuocè; eius autem obiectum, eſſe analogicè vnum,etiam in genere obiecti: & propterea,licet, intellectus, ſit vna potentia ſpecificè, eius verò obiectum,eſt vnum analogicè. Ita videntur dicere Bagnes,& Zumel hic. Bannes. Zumel.

Alij dicūt,intellectum creatum, dupliciter cōſiderari poſſe,Primò,quantùm ad capacitatem; & ſecundò,quantùm ad lumen, & virtutem connaturalem illius.Primo modo,non
3 dicit aliqualem vnitatem ſpecificam, ſed quamdam communitatem, terminatam ad omne intelligibile,finito modo, veluti genericam; ſecundo autem modo, intellectus creatus, ſpecificationem habet, ab obiecto connaturali,& proportionato,actiuitati cōnaturali eiuſdem: & ſic, vnus intellectus ab alio ſpecificè diſtinguitur, quia, ſcilicet, reſpectu vnius intellectus,obiectum proportionatum, & connaturale, ſpecie differt ab alio. Ita Magiſter Ioannes de Sancto Thoma, hic diſp.12.ar.2.& tom.2. de anima quæſt.10. ar. 3.

Alij tandem dicunt, quòd intellectus creatus, ſecundùm quòd,ſe extendit ad Deum clarè viſum,& ad ens creatum, ſecundùm ſe, ſeu, ſecundùm eſſentialem rationem, neque eſt potentia naturalis,neque ſupernaturalis,ſed vtramque denominationem habet, permiſſiuè, ſecūdùm quòd, ſcilicet,poteſt intelligere Deum,vt in ſe eſt, dicitur potentia ſupernaturalis: ſecundùm quòd verò, poteſt intelligere ens creatum,& naturaliter cognoſcibile, dicitur potentia naturālis. Et hoc non entitatiuè,ſed in ratione potentiæ,& quo ad virtutem agendi,ſeu attingendi obiectum.

CAPVT SECVNDVM.

Omnes opiniones, excepta vltima,impugnantur.

Pro determinatione ergo veritatis, Dico primò; Falſum omnino eſt,aſſerere intel-
4 lectum creatum,eſſe vnam potentiam,ſpecificè,& eſſentialiter naturalem, & eleuari ad videndum Deum,per ordinem ad obiectum creatum,& naturale. Hoc dictum, patet ex præcedenti diſputatione; Nam intellectus creatus lumine gloriæ eleuatus,videt Deum vt eſt in ſe, per ſe,& immediatè, creaturas verò,per ordinem ad Deum. Ergo non eleuatur ad videndum Deum,per ordinem, quē Deus ad creaturas dicit, & conſequenter,Deus habet rationem ſpecificatiuam intelle-

tellectus creati,ſecundùm quòd,immediatè, eius terminat cognitionem.

Dico ſecundò. Non eſt valdè probabile,quòd intellectus creatus,in duas potentias ſpecificè, & adequatè diſtinctas, in naturalem,ſcilicet, & ſupernaturalem diuidatur.

Non dico, quòd intellectus creatus,ſecundùm quòd,poteſt proximè, & immediatè,videre
5 Deum,non dicatur,potentia ſupernaturalis, & ſecundùm quòd,ens creatum,& naturaliter cognoſcibile, intelligere poteſt, non dicatur potentia Naturalis: dico tamen, quòd in duas potentias,ſpecificè,& adęquatè diſtinctas,non diuiditur, quòd ita probo.

Intellectus creatus, vt potentia naturalis, & vt potentia ſupernaturalis, poſſunt in aliqua vniuerſaliori ratione conuenire,& rationem vnius potentiæ habere. Ergo fruſtra diuiditur in duas potentias adequatè diſtinctas. probatur conſequentia;Quia non ex noſtra libertate,ſed ex rei neceſſitate,ſunt multiplicandæ potentiæ.Probatur igitur antecedēs, quia per hoc, quòd intellectus,dicitur potentia finitè intellectiua, verè eſt quid vtriq; rationi commune,intellectui,ſcilicet,ſecundùm quòd,eſt potentia naturalis, & ſecundùm quòd, eſt potentia ſupernaturalis, Ergo.

Confirmatur, quia Potentiæ, pænes adæquatam obiectorum diſtinctionem, adequatè ac ſpecificè, diſtinguuntur: ſed ens naturale,& ſupernaturale,poſſunt ſub aliqua vna obiecti ratione conuenire,nempè,ſub hoc, quod eſt,ens communiſſimè ſumptum,finitè tamē, intelligibile.Ergo intellectus creatus,vt potentia naturalis,& vt potentia ſupernaturalis,non ſunt duæ potentiæ,adęquatè diſtinctæ.

Dico tertiò, Intellectus non eſt vna potentia
6 ſpecificè,ex duplici inadæquata potentia, naturali,ſcilicet,&ſupernaturali,coaleſcens.

Probatur. Quia aduerſariorum dicendi modus, nō aſſignat,per quid, iſtæ duę potentiæ inadæquatæ,in vnam conueniant potentiam; Quæ enim,ſecundùm propriam rationem ſunt diuerſa, ad hoc, vt vnam completam conficiant rationem, oportet,quòd per aliquod communius vniantur; Nam duo entia vt duo,ſine vnione inter ſe, vel vnitertio,nō poſſunt facere vnum. Ergo potentia naturalis, & potentia ſupernaturalis, cum ſint duæ potentiæ formaliter diſtinctę, niſi inter ſe vniantur,vel vnitertio conueniant, non poſſunt vnam potentiam conſtituere; Nam ea ratione,qua diſtinguuntur, non conueniunt.

Dico quartò. Intellectus creatus,eſt vna potētia vniuocè, eiuſquè obiectum, eſt vnum, vnitate vniuoca.

Prima pars probatur. Intellectus creatus,ſub vna ratione formali, ac ſpecifica,tendit ad ſuum obiectum. Ergo eſt vna potentia vniuocè; probatur antecedens, quia intellectus creatus,tendit ad quodcumq;obiectum, finito modo,intelligibile. Ergo. Secunda pars patet ex ſupradictis.

Dico quintò. Intellectus creatus,Phyſicè,conſideratus, id eſt, iuxta conditionem modi eſ-
7 ſendi, ſeu pænes connaturalem,ac proportionatamvirtutem intelligendi,non eſt vnus ſpecificè.

Dico ſextò. Intellectus creatus, Metaphyſicè, id eſt, iuxta modum præcisè, reſpiciendi obiectum,vt obiectum eſt, ſpecificatur, per hoc, quòd finito modo intelligit.

Probatur vtrumquè dictum; Nam intellectuum ſpecifica graduatio, quo admodum, & conditionem eſſendi, habet differentem intelligendi virtutem; Et aliàs,Omnes intellectus creati, poſſunt eleuari ad videndum Deum immediatè. Ergo Phyſicè, ſpecie differunt, Metaphyſicè, ſunt eiuſdem ſpeciei. Ergo, &c.Ex reſponſionibus ad argumenta,magis vtriuſque dicti veritas apparebit.

Eſt tamen obſeruandum,circa modum dicendi Magiſtri Ioannis de Sancto Thoma, aſſerētis,intellectum ſpecificari à virtute actiua,ſibi connaturali,nonnulla.n.inuoluit, quæ, non ſatis ſibi, cohærere videtur. Dicit enim, quòd maior eſt capacitas intellectus creati paſſiua,quàm virtus actiua; & quòd paſſiua capacitas intellectus, dicitur vna, ex hoc, quòd omnia reſpicit finito modo: Virtus autem actiua, non eſt vna, ſed,Quædam proportionata, & connaturalis; & Quædam improportionata, & ſupernaturalis; Prima ſpecificat,non ſecunda. Et quòd intellectus creatus, non tendit ad Deum clarè viſum, tamquàm ad obiectum motiuum, ſed tamquàm ad obiectum terminatiuum. M. Io. de S.Thoma

Contra hoc enim,ſic diſcurro; Quamuis maior ſit capacitas paſſiua intellectus, quàm eius
8 virtus actiua naturalis, non tamen,eſt maior intellectus creati paſſiua capacitas, quàm eiuſdem virtus actiua vt ſic,& abſolutè. Ergo obiectum ſpecificans, intellectus creati paſſiuam capacitatem, eſt etiam ſpecificans virtutem actiuam illius. Antecedens eſt omnino certum; Nam in illo intellectu,in quo non eſt, nec eſſe poteſt virtus actiua eliciendi cognitionem, nequè etiam adeſt paſſiua capacitas: Probatur autem conſequentia; quia vtròbiquè, eſt eadem ratio; per iſtum enim Doctorem, in intellectu creato, adeſt paſſiua capacitas, ad ens cōmuniſſimè ſumptum, finito tamen modo cognoſcibile. Et inſuper.Per eumdem, hęc paſſiua capacitas, reſpectu Dei clarè viſi, non conuenit intellectui, connaturaliter; quia naturalis ordo, & reſpectus,alicuius potentiæ paſſiuæ, reſpectu alicuius formæ,non ſumitur à forma, ſine ordine ad agens, à quo poteſt talis potentia paſſiua immutari,& perfici: Non poteſt autem,aliquod agens creatum, & eiuſdem ordinis, cum intellectu creato, talem formam intelligibilem coniungere, qua videat

deat Deum in ſe immediatè . hæc ille,loco cit.§.ex quibus. Et inſuper. Hæc paſſiua capacitas, eſt obedientialis,reſpectu Dei clarè viſi; Connaturalis verò,reſpectu obiecti naturaliter cognoſcibilis : hoc autem non obſtante, obiectum dicitur vnum , & capacitas vna, iuxta huius doctoris poſitionem ; eò quia ſupradicta paſſiua capacitas , reſpicit omne ens communiſſimè ſumptum,modo tamen finito .

Tunc ſic ; ſed hoc eodem modo,dici poteſt,de intellectu,ſecundùm actiuam virtutem attin-
9 gendi obiectum . Ergo eſt vtrobiquè eadem ratio; probo minoris ſubſumptionē.Quia in intellectu creato,eſt virtus actiua,ſeu,poteſt eſſe virtus,ad attingendum omne ens,creatum , ſcilicet , & increatum, naturale,& ſupernaturale,finitum,& infinitum, modo tamen finito; cum hoc ſolùm diſcrimine, quia reſpectu obiecti naturaliter cognoſcibilis , habet naturalem , ſeu, connaturalem intelligendi virtutem;reſpectu verò,obiecti ſupernaturaliter cognoſcibilis,habet virtutem ſupernaturalem. Ergo ſic ſe habet intellectus, in ratione virtutis actiuæ , ſicut reſpectu paſsiuæ capacitatis . Ergo vtrobiquè eſt eadem ratio .

Confirmatur Primò, Quia Magiſter Ioannes de Sancto Thoma , vel loquitur de capacitate paſſiua,connaturali tantùm,vel obedientiali tantùm,vel de paſſiua capacitate vt ſic : non primo, nec ſecundo modo , ſed tertio , pro vt ſe manifeſtè declarat : ſed hoc eodem prorſus modo,eadem proportione ſeruata , in intellectu reſpectu virtutis actiuæ ſaluatur . Ergo vtrobiquè eſt eadem ratio .

Confirmatur Secundò; Quia paſſiua capacitas, per Ioannem de Sancto Thoma , quædam eſt obedientialis ; & quædam eſt connaturalis ; Attamen, denominatur vna,eò quia, ad omnia,eodem modo tendit, nempè,finito modo : Sed ſimiliter intellectus creati virtus actiua , eſt duplex , quædam naturalis ; & quædam ſupernaturalis ; ad omnia tamen tendit vno modo, nempè, finito. Ergo ſemper eſt eadem ratio .

Secundò,Hæc propoſitio, Intellectus creatus,
10 reſpectu viſionis claræ Dei , vel alicuius obiecti, paſſiuam dicit capacitatem , non eſt immediatè vera:eò quia,Intellectus creatus, paſſiuè ſe habet, ad recipiendum lumen ſupernaturale ; reſpectu verò cognitionis ſupernaturalis , non dicit immediatè paſſiuam capacitatem , ſed actiuam virtutem ; priùs enim intellectus ſe habet vt principiū actiuū intellectionis , quàm paſſiuum.Vnde ſi propriè,& in rigore loqui velimus , dicendum eſt,quòd intellectus creatus,paſſiuam habet capacitatem, & potentiam obedientialem , ad recipiendos habitus ſupernaturales ; ad videndum verò Deum vt in ſe eſt , non dicit immediatè potentiam obedientialem , ſeù, paſſiuam capacitatem ; ſed potentiam actiuam ſupernaturalem .

Ex quibus manifeſtè patet,Quomodo non benè cohærent,iſta duo, nempè, eodem modo ſe habet Deus, reſpectu paſſiuæ capacitatis, in ratione intelligibilis,ſicut cætera obiecta, & in ratione modi actuandi,paſſiuam intel-
11 lectus creati potentiam,&ſimiliter.In modo paſſiuo recipiendi, & perficiendi ab obiecto nulla diuerſitas datur , atquè etiam modus paſſiuæ actuationis , & receptionis,idem eſt in omnibus,licet actualitas ipſa,& ſpiritualitas formæ intelligibilis, diuerſa ſit. Sicut etiam materia prima,ſub vno modo reſpicit omnes formas,etiam ſi ſint diuerſiſſimæ perfectionis,& graduationis ; quia omnes conueniunt in vno modo informandi , & recipiendi in materia , ſcilicet , ſecundùm ordinem ad conſtituendum vnum compoſitum ſubſtantiale corporeum ; & hoc ex vna parte .

Ex altera vero parte,Intellectus ſecūdùm paſſiuam capacitatem,non reſpicit connaturaliter,tale obiectum ; & etiam paſſiua capacitas eſt duplex ,Quædam obedientialis,Quædam verò connaturalis , & quòd paſſiua capacitas non ſpecificatur ; & tandem quòd omnia eodem modo reſpicit paſſiua capacitas , quia finito modo : Virtus verò actiua vt ſic, creati intellectus nō omnia eodem modo reſpicit. Omnia enim hæc,Pater Magiſter ille,docet hìc , & tom.2. de anima q. 10.ar.3. Si enim omnia eodem modo reſpicit paſſiua capacitas, quomodo, ergo non ſpecificatur ? Si paſſiua capacitas omnia eodem modo reſpicit, quia finito modo , non obſtante quòd duplex ſit paſſiua capacitas, cōnaturalis , & obedientialis ; Quare non eodem modo, virtus actiua, ad omne obiectum tendit,non obſtante quòd duplex ſit intellectus creati virtus actiua,cum omne obiectum finito modo attingat .

12 Nequè etiam placet,quod,ait,Deum clarè viſum, contineri intra latitudinem obiecti terminatiui,nō verò motiui,& ſpecificatiui , intellectus humani.Quoniam peto, quid intelligit nomine obiecti terminatiui?Vel enim intelligit obiectum , ad quod intellectus humanus terminatur mediatè ; quia .ſ. intellectus humanus,cognoſcens creaturam vt Dei effectum, extenditur etiam ad cognoſcēdum Deum vt cauſam.Eo modo quo,creatura eſt obiectum extenſiuum, ſeu terminatiuum,reſpectu intellectus diuini,quia,nimirum, cognitio Dei,ſpecificatur ab eodem Deo ; & dum adæquatè ad Deum terminatur , tamquàm ad obiectum ſpecificatiuum , Ad creaturas etiam ſub illo contentas,tamquam mediatè, cognitas terminari debet;Vel nomine obiecti terminatiui intelligit,aliquid aliud, vltra obiectum, viribus naturæ cognitum ; ita vt, illud aliud,per vires ſupernaturales , & per ſe , & immediatè cognoſcatur,ab eodem intellectu, & quidem , ſi primo modo ſu-

Digitized by Google

ſumatur, eſt omnino à Catholica veritate alienum, eò quia, de fide certum eſt, vt videbimus inferius, Deum clarè, diſtinctè, & immediatè, à Beatis intueri. Si ſecundum, verum dicit, ſed contra ipſum & pro nobis loquitur. Quod ita probo. Ita intellectus creatus per lumen ſupernaturale, per ſe, & immediatè, reſpicit obiectum ſupernaturale; ſicut per lumen naturale reſpicit, per ſe, & immediatè, obiectum naturale. Ergo ſicut intellectus reſpicit ens naturale tamquam obiectum motiuum, & ſpecificatiuum; ita intellectus per lumen ſupernaturale, reſpicit obiectum ſupernaturale, tamquam motiuum, & ſpecificatiuum.

Confirmatur. Quia intellectus humanus per lumen gloriæ, & eſſentiam diuinam, ſibi in ratione ſpeciei intelligibilis immediatè vnitam, per ſe, & immediatè, videt Deum, tamquàm obiectum ſpecificatiuum talis cognitionis. & creaturas quas videt in Deo, videt, tamquam obiectum terminatiuũ. Ergo ſicut intellectus per lumen naturale reſpicit ens naturale, tamquàm obiectum motiuum, ac ſpecificatiuum; ita etiam per lumen ſupernaturale, &c.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

13 Dico ſeptimò, Intellectus creatus ſecũdùm ſuam eſſentialem rationem, nequè eſt potentia naturalis; nequè potentia ſupernaturalis; ſed permiſſiuè, habet vtrũque; eſtquè vna potentia ſpecificè, & vniuocè. Dicitur potẽtia naturalis, reſpectu obiecti naturaliter cognoſcibilis; Dicitur verò, potentia ſupernaturalis, reſpectu Dei clarè viſi, & cuiuſcumque obiecti ſupernaturaliter cognoſcibilis. Antequam probetur concluſio, explicatur; & pro eius explicatione eſt.

Obſeruandum; quòd intellectus creatus, ſecundùm ſe, id eſt, ſecundùm prædicata ſibi eſſentialiter conuenientia; tantummodo, dicit potentiam intellectiuam finitè. Potentiam verò naturalem, vel ſupernaturalem, non niſi reſpectu obiecti naturaliter, vel ſupernaturaliter cognoſcibilis. Eſt exemplum. Nam in doctrina Diui Thomæ, natura ſecundum ſe, neque eſt particularis, neque vniuerſalis, includit tamen vtrumque, permiſſiuè, id eſt, ſecundùm quòd eſt à parte rei, eſt particularis; ſecundùm quòd eſt in intellectu à particularibus ſeparata; dicitur vniuerſalis: & ſuperficies, ſecundùm ſe, neque eſt alba, neque nigra; neque alicuius coloris; tamen, ſecundùm quòd eſt in tali, & tali ſubiecto, in tali, vel tali diſpoſitione; eſt alba, vel nigra, &c. Ita in præſenti dicimus, quòd intellectus ſecundùm ſe, neque eſt potentia naturalis, neque eſt potentia ſupernaturalis; tamen, eſt potentia naturalis, quatenus per lumẽ naturale cognoſcit obiectum naturaliter cognoſcibile. Dicitur verò potentia ſupernaturalis, quatenus per lumen ſupernaturale, cognoſcit obiectum ſupernaturaliter cognoſcibile.

D. Thom.

14 Obſeruandum ſecundò, quod intellectus quantùm ad hoc, ab alijs potentijs ſenſitiuis, maximè differt, eò quia, illę ſecundùm ſe, ſunt potentiæ naturales; & conſequenter ſunt in ſtatu completo ſuæ ſpeciei, per lumen naturale, in ratione potentiæ iam perfectè conſtitutæ, ita quòd, quælibet potentia ſenſitiua, Verbi Gratia, Viſiua, quantumcumque, & quodcumque lumen, deſuper recipiat; ſemper erit eiuſdem ſpeciei, & naturalis ordinis: At verò, intellectus pro vt ſemel ab anima intellectiua egreditur, non eſt in ſtatu completo ſuæ ſpeciei, ſed alium longè præſtantiorem, ac ſpecificè perfectiorem, expectat. Nempè, ſtatum luminis ſupernaturalis, per quem à ſtatu, & denominatione potentiæ naturalis, ad ſtatum, & denominationem potentiæ ſupernaturalis traſfertur. Ratio autem huius diſparitatis, deſumenda eſt, ex ratione immaterialitatis. Nullum enim poteſt dari ens ſupernaturale materiale; poteſt tamen, dari ens ſupernaturale, ſpirituale. Et hoc inferius, quando rationem ſupernaturalitatis, & naturalitatis explicabimus; manifeſtius erit.

Ex quo apertè colligitur, quòd intellectus, pro vt ſemel ab anima egreditur, ſuiſque naturæ viribus relinquitur; vnum tantùm
15 ſtatum ſuæ formalitatis habet, nempè, naturalem; ſed adęquatè non conſideratur.

Inſuper obſeruandum. Quòd, intellectus, & lumen, tàm naturale, quàm ſupernaturale, realiter ad inuicem diſtinguuntur: ita quòd intellectus, ſe habet, vt ſubiectum, & lumẽ, tàm naturale, quàm ſupernaturale, ſe habent vt virtus illius, ſeu, vt efficacitas, & medium eleuans intellectum, ad attingendum obiectum.

Obſeruandum tandem, quòd in potentia intellectiua, tria neceſſariò conſiderantur. Entitas elicitiua actus. Modus tendendi ad obiectum. & lumen intelligendi. Et quidem ſi intellectus, ſeu, potentia intellectiua, primo modo cõciperetur, eſt abſque dubio naturalis. Si ſecundo, vel tertio modo, neq; eſt eſſentialiter naturalis, neq; eſſentialiter ſupernaturalis. Neque enim lumen eſt eſſentialiter naturale, neque eſſentialiter ſupernaturale, ſed eſt naturale, reſpectu obiecti naturaliter cognoſcibilis, eſt ſupernaturale reſpectu obiecti ſupernaturaliter cognoſcibilis. Quãdo ergo dicimus, quòd intellectus eſt vna potentia, loquimur de intellectu, omnibus his duobus modis, abſo-

lutè tamen,& illimitatè. quoniam ſi loquamur in exercitio,& limitatè,neceſſe eſt omninò, vt intellectus, ſit potentia naturalis, vel ſupernaturalis,ſecundùm quòd, in exercitio,modus tendēdi, ſeu efficiendi actū, in ordine ad obiectum, & lumen quo cognoſcit,neceſſariò eſt ordinis naturalis,vel ſupernaturalis,tantum.igitur, primo modo, eſt ſemper naturalis. Hoc poſito,

16 Probatur noſtrum dictum, hoc modo. Intellectus creatus ſecundùm ſuam rationem eſſentialem,poteſt eſſe potentia naturalis,& ſupernaturalis,quo ad virtutem intelligendi. Ergo non eſt eſſentialiter naturalis, nequè eſſentialiter ſupernaturalis. Patet conſequentia,quia,quod eſt eſſentialiter naturale,non poteſt eſſe ſupernaturale: & è contra. Quemadmodum natura ſecundùm ſe, ſi eſſet vniuerſalis, non poſſet eſſe particularis. & è contra. probatur autem antecedens,quia intellectus per lumen ſupernaturale,producit effectum,& operationem ſupernaturalem. Ergo eſt potentia ſupernaturalis,quo ad lumen,ſeu virtutem agendi; quamuis entitatiuè ſit potentia naturalis.

CAPVT QVARTVM.

Proponuntur Argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Intellectus in ordine ad obiecta naturaliter cognoſcibilia,per lumen naturale conſtituitur ſimpliciter potens,& per habitum luminis ſupernaturalis, conſtituitur ſimpliciter potens, in ordine ad obiecta ſupernaturaliter cognoſcibilia. vnde communiter Theologi docent,quòd habitus per ſe infuſi dant ſimpliciter poſſe; habitus verò, acquiſiti facilitatem præbeant. Ergo intellectus conſtituitur in ratione potentiæ,& in ratione diuerſæ potentiæ, per naturale,& ſupernaturale.Ergo non diuiditur potentia,ſecundùm diuerſum ſtatum dumtaxat,ſed ſecundùm rationem formalem potentiæ.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens; Per lumen naturale, intellectus cōſtituitur potens, Quò ad efficacitatem, & virtutem
17 agendi, Concedo antecedens. Quò ad rationem formalem principij elicitiui, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Explico reſponſionem. Intellectus creatus in ratione potentiæ elicitiuæ, non conſtituitur per lumen naturale, nequè per lumen ſupernaturale; ſed per propriam,& intrinſecam eius formam;vires autem attingendi obiectum, ſeu media quibus obiectum cognoſcit; habet à lumine naturali, vel ſupernaturali,ratione quorum luminum, potentia dicitur naturalis,vel ſupernaturalis; nos autem in concluſione dicimus, quòd intellectus ſecundùm ſe,nequè dicit lumen naturale, neque lumen ſupernaturale; ſed tantummodò,principium elicitiuum actus.

Ingenioſi tamen animus, & contrarium ſentientes,non quieſcunt. Vnde cōtra obijciet aliquis. Nam ſi intellectus per lumen recipit efficaciam,& reliquo, intellectus relinquitur potentia ſecundùm ſe cognoſcitiua finitè,per nos. Ergo intellectus creatus independenter a lumine naturali,& ſu-
18 pernaturali, eſſet potentia vitalis. Ergo reſpectu viſionis beatificæ, ſupernaturalitas, & vitalitas,eſt ab intellectu. Vel viſio beatifica quantùm ad vitalitatem, eſſet naturalis; quod tamen reprobabimus infra. Probatur autem,prima conſequentia; Quia intellectus ſecundùm ſe, circumſcripto quocumque alio,eſt potentia vitalis. ſecūda conſequentia,etiam probatur. Quia vitalitas eſt intrinſeca intellectui. Ergo illi ineſt independenter à lumine, quod eſt ab intellectu diſtinctum.

Confirmatur. Intellectus creatus eſt eſſentialiter potentia vitalis, pro vt eſt ab anima, & in anima.Ergo vitalitas conuenit illi,independenter à lumine.

Reſpondetur iuxta ſupradicta, quòd intellectus ſi conſideretur,ſecundùm ſe,nequè dicit potentiam naturalem, nequè ſupernaturalem,nequè vitalitatem naturalem, nequè ſupernaturalem; in re tamen, & in exercitio, neceſſariò debet habere vitam naturalem,& poteſt habere vitam ſupernaturalem. Si tamen intellectus conſideretur, ſecundùm quòd eſt veluti ſubiectum luminis,dicitur vitalis, veluti inchoatiuè, non formaliter. eò quia lumen eſt id quo intellectus formaliter viuit,in ratione potentię; ſubiectiuè verò, & radicaliter,viuit in anima.

Reſpondetur igitur in forma, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo intellectus creatus independenter à lumine,&c. eſſet potentia vitalis inchoatiuè, Concedo conſequentiam. Formaliter, nego cōſequentiam.Cenſemus enim, quòd intellectus in ratione viuentis,per modum potētiæ, formaliter à lumine vitam habet; naturalem .ſ. à lumine naturali, & ſupernaturalem à lumine ſupernaturali.

Inſtabit denuo oppoſitum tenens,probans intellectum conſtitui in ratione potentiæ,per lumen. Potentia enim, ideo dicitur potentia,quia potens.Ergo non conſtituitur potens ab aliquo alio à ſe. Ergo quia per lumen conſtituitur potens,lumen non diſtinguitur ab intellectu; & conſequenter, quan-

Digitized by Google

quando diuiditur intellectus, in potentiam naturalem, & ſupernaturalem; diuiditur potentia eſſentialiter, non verò, ſecundum diuerſum ſtatum.

Reſpondetur iuxta prius dicta, quòd, ſi nomine potentiæ intellectiuæ, intelligimus potentiam elicitiuam, iam diſtinguitur à lumine, quia lumen, non eſt potentia elicitiua actus, ſed eſt vis, & efficacitas, qua potentia elicit actum: Si verò ſermo ſit, de potentia quantùm ad omnia, quæ includit; nempè, ſecundùm quòd, dicit entitatem elicitiuam actus, & virtutem attingendi, etiam, Reſpondemus, quòd propriè potentia, ideo dicitur potentia, quia non aliud ab ipſa, eſt operationis proximum elicitiuum principium; & hoc poſſe, habet à ſe. Verumtamen poſſe, quod virtutem attingendi obiectum, ſeu, eliciendi actum dicit, habet à lumine.

Obijcies ſecundò, Si intellectus creatus conſtitueretur vnus ſpecificè, per hoc, quòd reſpicit obiectum finitum, & infinitum, finitè; Et etiam per hoc, quòd eius obiectum

20 eſt ens communiſſimè ſumptum, finitè tamen cognoſcibile, ſequeretur, quòd omnes intellectus creati, vnius eiuſdemquè eſſent ſpeciei: ſed hoc eſt falſum. Ergo. probatur ſequela; Quia omnes intellectus creati, habent vnum, idemquè obiectum adæquatum, puta, ens communiſſimè ſumptum, finitè tamen cognoſcibile, omnibuſquè idem tendendi modus, ineſt, nempè, finitè cognoſcere. Ergo, &c. minor etiam eſt clara. Quia intellectus Angeli, & intellectus hominis, eſſentias diſtinctas ſpecificè ſequuntur.

Reſpondetur, diſtinguendo ſequelam. Sequeretur quòd omnes intellectus creati eſſent eiuſdem ſpeciei, Metaphyſicè loquendo, concedo ſequelam. Phyſicè, nego ſequelam. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et per idem patet ad minoris probationem.

Explico reſponſionem. Intellectus Angeli, & intellectus hominis, dupliciter conſiderari poſſunt. Phyſicè; & metaphyſicè. Primo modo, conſiderantur iuxta conditionem modi eſſendi; & cõſequenter iuxta modum operandi ex modo eſſendi prouenientem: metaphyſicè verò, non conſiderantur iuxta modum taliter eſſendi, ſed præciſè, iuxta modum reſpiciendi obiectum, vt obiectum eſt; Si primo modo, differunt ſpecificè, & hoc dicimus non eſſe inconueniens. Si ſecundo modo, ſunt eiuſdem ſpeciei, & hoc eſt verum.

Nec obſtat, quòd intellectus humanus, eſt naturaliter diſcurſiuus, non verò intelle-

21 ctus Angelicus. Quia eſſe diſcurſiuum, vel non diſcurſiuum, reſpectu eiuſdem omnino obiecti, facit quidem ſpecificam diſtinctionem, Phyſicè; non autem, Metaphyſicè. Legatur Caietanus, p. p. q. 79. ar. 7. Caietan.

Obijcies tertiò. Ens naturale, & ens ſupernaturale, ſunt duo entia ſpecificè, (ne dicam genericè) diſtincta; nedum, in genere entis, ſed etiam in ratione obiecti. Ergo intellectus prout reſpicit obiectum ſupernaturale, eſt potentia diſtincta ſpecificè, ab intellectu intelligente ens naturale.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens; Ens naturale, & ens ſupernaturale, &c. etiam in ratione obiecti, non primò diſtinctiui potentiæ, Concedo, Primò diſtinctiui, & conſtitutiui, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Explicatur iſta reſponſio. Non omne obiectũ ſpecificè diſtinctum, conſtituit vnam potentiam ſpecificè ab alia diſtinctam; ſed illud tantummodò, quod per ſe primò, eſt potentiæ conſtitutiuum; illud verò, quod non per ſe primò; cauſat ſpecificam diſtinctionem, non quidem in potentia, quia potentia diſtinguitur a per ſe primò diſtinctiuo, ſed ſm̃ diuerſam denominationẽ potẽtię: Modo obiectum per ſe primò ſpecificans intellectum creatum, nõ eſt ens vt naturale, nequè vt ſupernaturale, ſed ens vt finitè cognoſcibile, ſiue ſit naturale, ſiuè ſit ſupernaturale, ſed cauſat eiuſdem potentiæ diuerſam denominationem, quo ad diuerſam virtutem agendi. Vnde Intellectus intelligens obiectum ſupernaturaliter, denominatur potentia ſupernaturalis; & intelligens obiectum naturaliter, denominatur potentia naturalis. penes diuerſam virtutem agendi. Videatur Caietanus, p. p. q. 41. ar. 2. §. aduerte ſecundò. Caietan.

Obijcies Quartò. Intellectus creatus eſſentialiter eſt potentia naturalis. Ergo non abſtrahit à naturali, & ſupernaturali. Probatur antecedens. Intellectus eſſentialiter eſt potentia animæ ab illius entitate dimanãs, quæ eſt entitas eſſentialiter naturalis. Ergo etiam intellectus, eſt eſſentialiter naturalis.

Si dicatur, quòd intellectus eſt eſſentialiter naturalis entitatiuè; non verò, in rõne potẽtię.

Contra. Quidquid habet intellectus in ratione potentiæ, habet à ſuæ entitatis emanatione. Ergo ſi eſt eſſentialiter naturalis entitatiuè, eſt eſſentialiter naturalis, etiam in ratione potentiæ.

23 Reſpondetur. Optimam eſſe reſponſionem, ſed pro Adæquata argumenti, & impugnationis ſolutione, eſt obſeruandum; Quòd Intellectus eſt potentia animæ intellectiuæ, quæ cum ſpiritualis, & omnino immaterialis ſit, non ſolùm eſt entitas naturalis, verùm etiam habet, vt ad ordinem ſupernaturalem eleuari poſſit; Nam per ſanctificantem gratiam, anima fit conſors diuinæ naturæ, & ordinis ſupernaturalis. intellectus igitur, ab anima, non qualitercumquè, ſed tamquàm aliquod ſpiritualeab aliquo ſpirituali manat, & conſequenter, quemadmodum anima, licet ſit eſſentialiter naturalis, entitatiuè; tamen, quia ſpiritualis; ad ordinem ſupernaturalem eleuabilis eſt:

ita etiam, intellectus eſt quidem entitatiuè naturalis, ſed quia ſpiritualis eſt, per lumē ſupernaturale, ad ordinem ſupernaturalem transferri, ac eleuari poteſt; & conſequenter in ratione potentiæ, poteſt dici naturalis, & ſupernaturalis.

In forma igitur ad replicam, Reſpōdetur. Cōcedendo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo ſi eſt eſſentialiter naturalis, entitatiuè, & non ſpiritualis; eſt etiam eſſētialiter naturalis, in ratione potentiæ; Concedo conſequētiam. Si eſt eſſentialiter naturalis, entitatiuè, & etiam ſpiritualis, eſt etiam eſſentialiter naturalis, in ratione potentiæ, nego conſequentiam. Explicatio ex iam dictis, eſt manifeſta.

Sed nondum finis. Occurrunt enim. Argumēta Magiſtri Xantes Mariales, controuerſia 10. cap. 3. & in meo libro fol. 70. qui diſtinctionem Intellectus creati, in potentiam naturalem; & ſupernaturalem, vanam eſſe probare conatur, hoc modo. Non datur iſta diſtinctio. Ergo eſt vana. Probat antecedens, quinquè medijs. Mariales.

Primò. Quia etiam obiectū intellectus diuini, eſt ens, vt extenditur ad naturalia, & ſupernaturalia; & tamen, non dicitur intellectus Dei, habere rationem duplicis potentiæ; naturalis, & ſupernaturalis. Ergo nequè reſpectu intellectus creati. Conſequentia patet, à proportione.

D.Thom. Caietan. Secundò. Quia D. Thomas p. p. q. 79. ar. 7. & Caietanus ibidem, expreſsè docent, ex parte obiecti adæquati, nullam eſſe differentiam, inter quoſcumquè intellectus; quia omnes habent pro obiecto adæquato, ens ſecundùm communem rationem entis. Ergo cōtra D. Thomam, diſtinguitur ex parte obiecti, in intellectu, duplex ratio potentiæ, naturalis, pro naturalibus; & ſupernaturalis, pro ſupernaturalibus.

Tertiò. Secundùm communem doctrinam, intellectus non ingreditur ordinem ſupernaturalem, niſi medijs, & habitibus ſupernaturalibus. Ergo minus rectè dicitur, intellectum antecedenter ad præfatas ſupernaturales qualitates, habere rationem duplicis potentiæ, naturalis; & ſupernaturalis:

Caiet. Quartò. Natiua intellectus conditio eſt, vt poſſit fieri omnia intelligibiliter; vt paſſim docent D. Thomas, & Caietanus. Ergo vt verſetur circa omnia entia, non indiget induere rationem duplicis potentiæ, ſ. naturalis, & ſupernaturalis: ſed eo ipſo, quòd potentia intellectiua, eſt ſub hac reduplicatione, qua intellectiua eſt; habet quòd circa omnia entia, & naturalia, & ſupernaturalia verſari poſſit. Ergo.

D.Thom. 25 Quintò. Secundùm Sanctum Thomam, 3. cont. gent. c. 50. ratione 4. nihil finitum, quietare poteſt deſiderium intellectus; in cuius rei ſignum, quocumquè finito apprehēſo; ſemper molitur, vltra, aliquid apprehendere. Ergo ſecundùm Sanctum Thomam, Intellectus qua intellectus eſt, reſpicit eās in tota ſua latitudine, vt extenditur ad naturalia, & ſupernaturalia. Quia ſolum hic ſumptum, in tota ſua amplitudine habet rationem infiniti, potentis ſatiare deſiderium intellectus.

Omnia quæ in hoc argumento tanguntur, ſi quid probant, aduerſus aſſerentes intellectum, in duas potentias ſpecificè, & adæquatè diſtinctas diuidi, militant; Contra nos autem, ſuſtinentes huiuſmodi diſtinctionem, ſecundùm diuerſos eiuſdem potentiæ ſtatus; nihil roboris habent, vnde,

26 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem; nego antecedens. Falſum enim eſt, obiectum ſpecificatiuum intellectus diuini, eſſe ens vt ens, eius enim ſpecificatiuum obiectum, eſt Deus tantùm, vt dicemus q. 14. ar. 2. Si autem ſermo ſit, de obiecto ſecundario, & materiali, Concedo antecedens, & nego conſequentiam; Quoniam obiectum materiale, quādo præcipuè eadē cognitione, eodemq; lumine quo formale cognoſcitur; non ponit in numero, cum formali, ad denominandam potentiam naturalem, vel ſupernaturalem, ſed ſolùm lumen, quo cognoſcitur obiectum ab aliqua potentia, illam denominat, naturalem, vel ſupernaturalem; ita quòd, potentia, Deum lumine ſupernaturali cognoſcēs, ſi eodem lumine, entia naturalia cognoſceret, diceretur potentia ſupernaturalis. Eò quia, non ratione obiecti naturalis, potentia dicitur naturalis; nequè ratione obiecti ſupernaturalis, potentia dicitur ſupernaturalis, ſi vtcumquè cognoſcantur obiecta; ſed ratione obiecti naturalis, per lumē naturale cogniti, & ratione obiecti ſupernaturalis, per lumen ſupernaturale cogniti, Vnde intellectus creatus, Deum per entia creata, & naturalia cognoſcens, dicitur potentia naturalis, non verò ſupernaturalis. Quia igitur, lumen quo, Deus ſe ipſum cognoſcit, eſt ſupernaturale, eodemquè prorſus lumine cognoſcit creaturas, & quælibet entia naturalia; conſequenter, in Deo, non tenet ſupradicta diſtinctio; tenet autem in intellectu noſtro, quando diſtincto lumine, Naturalia, & ſupernaturalia cognoſcimus, nempè, naturalia, lumine naturali, & ſupernaturalia, lumine ſupernaturali.

Ad ſecundam probationem, Reſpondetur; concedendo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo contra D. Thomam, diſtinguitur ex parte obiecti, in intellectu duplex ratio potentiæ, In ratione potentiæ formaliter, & adæquatè diſtinctæ, concedo conſequentiam; ſecundùm virtutem agendi, ſeù, ſecundùm diuerſum potentiæ ſtatum, Nego conſequentiam: Nos in hoc

ſecun-

Digitized by Google

ſecundo ſenſu, rationem duplicis potentiæ, naturalis, ac ſupernaturalis, diſtinguimus; non autem in primo.

Ad Tertiam probationem, Reſpondetur, Cõcedendo totum. Non enim, damus in intellectu creato, duplicis potentiæ rationem, naturalis .ſ. & ſupernaturalis, antecedenter ad lumen ſupernaturale, & naturale; ſed intellectum creatum, duplicis potentiæ ſtatum habere dicimus; naturalis, ſcilicet, & ſupernaturalis. Naturalis quidem, per ordinem ad obiectum naturale, medio lumine naturali; ſupernaturalis verò, per ordinem ad obiectum ſupernaturale, medio lumine ſupernaturali.

28 Ad Quartam probationem, Reſpondetur, diſtinguendo, ſeu, explicando antecedens. Natiua intellectus cõditio eſt, vt poſſit fieri omnia intelligibiliter, præſuppoſito lumine, ſecundùm diſtributionem, conuenientem, Concedo. Non præſuppoſito lumine, nego antecedens: Nam intellectus fit omnia, intelligendo omnia; veruntamen, omnia intelligere nequit; ſine lumine ad omnia intelligenda requiſito; quare ad intelligenda omnia naturalia, præſupponitur in intellectu, lumen naturale; ad intelligenda omnia ſupernaturalia, lumen ſupernaturale. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens; vel neganda eſt conſequentia.

Ad Quintam probationem, Reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo ſecundùm Sanctum Thomam, Intellectus qua intellectus eſt, reſpicit ens, in tota ſua latitudine, vt extenditur .ſ. ad naturalia, & ſupernaturalia, Dependenter à lumine, concedo conſequentiam. Independenter à lumine, nego conſequentiam; & hoc, ſi loquamur quantùm ad efficacitatem, & virtutem attingendi obiectum. Quoniam ſi loquamur, de intellectu, antecedenter ad lumen; reſpicit naturalia, & ſupernaturalia, Radicaliter, & Remotè, ratione capacitatis, quam habet, vt poſſit lumen ſupernaturale, recipere.

DISPVTATIO OCTAVA.

VTRVM CREATVRA INTELLECTVALIS, habeat naturalem appetitum, ſeu, pondus naturæ, ad videndum Deum clarè, ſecundùm quòd eſt in ſe.

In Vndecim Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur Titulus, & Doctorum opiniones, referuntur.

PRo tituli intelligentia, eſt breuiter, obſeruandum, quòd duplex eſt appetitus. Naturalis, ſcilicet, qui dicitur pondus naturæ, & Elicitus; Appetitus qui eſt põdus naturæ, eſt cuiuslibet rei, in aliquod ſui perfectiuum inclinatio, ſine actu elicito, ſeu, independenter à quacumquè cognitione. Verbi Gratia. Tendentia deorſum, in grauibus; & ſurſum, in leuibus, dicitur naturalis appetitus, qui eſt naturæ pondus, eo quia, grauia ad centrum, & leuia ſurſum, vſque ad propriam ſphæram, non cognoſcendo; ſed ex naturali põdere, gradiũtur. Appetitus elicitus, eſt actus à potentia appetitiua, media cognitione, productus. De hoc vtroquè appetitu, videatur Diuus Thomas, infra q.78. ar. 1. ad. 3. & q. 19. ar. 1. Vbi Caietanus, qui inter vtrumquè appetitum, non nulla diſcrimina ponit. In præſenti, de appetitu naturali, qui dicitur pondus naturæ, ſermocinamur, de appetitu autem elicito, ſequenti diſputatione tractabimus. D.Thom. Caietan.

In hac diſputatione, non omnes Theologi, animo concordi reſpondent. Quidam enim in creatura intellectuali, dari naturalem appetitum, qui eſt pondus naturę, ad Deum clarè videndum, affirmant. Ita Scotus, in 4. diſt. 49. quæſt. 8., & quæſt. 10. non multò poſt principium, & quæſt. 1. prologi, Scotus.

Diuus

D. Bonau. D. Duran. Venetus. Sotus. Rada.

Diuus Bonauentura, eadem diſtinctione, ſecunda parte diſtinctionis. Durandus, ibidem, quæſt. 3. Paulus Venetus, quæſt. 7. noſter Sotus, eadem diſtinctione, quæſt. 2. ar. 1. & lib. de natura, & gratia. Rada contr. 1, controuer. 1. Pro hac eadem opinione, refertur Gregorius de Valentia, p. 2. ar. 8. diſp. 1. puncto 3. Sed vere, noſter Valentia, ſi Verbaliter, eſt cum Scoto, Realiter eſt cum Thomiſtis, vt videbimus. Recupitus, de Deo vno, lib. 6. quæſt. 1. a num. 20. vſque ad 22., qui negans, potentiam naturalem, ad claram Dei viſionem, appetitum naturalem, propter potentiam obedientialem admittit. Noſtri, Medina, p. 2. quæſt. 3. ar. 8., & Martinez, ibidem, concl. 7. Scoti opinionem, probabilem eſſe affirmant.

(Valentia. Recupit. Medina. Martinez.)

D. Thom. Capreol. Caietan. Conrad. Ferrar. Bannes. Zumel. Nazarius. Medina. Martinez. Aluarez. Suarez. Vazquez. Fonſeca. Molina. Curiel. Michin. Faſolus. Ledeſma. Carmelit. Palumb. Io. de S. Thom.

Ex aduerſo autem, & in extrema ſententia, ſunt, D. Thomas, locis infra citandis, Capreolus, in 4. diſt. 49. quæſt. 3. Caietanus, hic, & infra, quæſt. 82. ar. 2., & p. 2. quæſt. 3. ar. 8. Conradus, ibidem, Ferrarienſis, 3. cont. gent. cap. 51. Bagnes, hic, dubio 2. Zumel, hic quæſt. 2. concl. 2. vocans contrariam ſententiam falſam, & viro Theologo indignam, Nazarius, hic, controuer. 2. Medina Martinez, & Aluarez p. 2. cit. Gonzalez hic diſp. 24. ſect. 2. concl. 4. Suarez, lib. 2. de attributis negatiuis, cap. 7. Vaſquez hic, & p. 2. quæſt. 3. diſp. 22. Fonſeca, p. tom. metaphyſ. q. 2. ſect. 2. Molina, hic, dub. 2. Curiel, p. 2. quæſt. 3. ar. 8. Michin, hic, diſp. 14. ſect. 3. Faſolus, hic, dubitat. 6. Ledeſma, de diuina perfect. quæſt. 8. ar. 3. concl. 1. Carmelitæ Diſcalceati, tract. 2. de Viſione Dei, diſp. 1. dub. 3. Palumbus, in doctrina, & Scholaſtico Examine, ad 4. Ioannes de Sancto Thoma, hic, ar. ſuo 3. concl. 1. & vt vnico verbo dicam, vniuerſi principaliores Theologi, ac fideles, Diui Thomæ diſcipuli.

CAPVT SECVNDVM.

Ante Controuerſiæ determinationem, Aliquot adnotationes præmittuntur.

3 ANtequàm quæſitum reſoluamus, Obſeruandum eſt primò, quòd beatitudo dupliciter conſiderari poteſt. Secundùm rationem communem beatitudinis, & ſecundùm ſpecialem eius rationem. Primo modo, ſignificat bonum perfectum, & completiuum appetentis, non determinando, quodnam ſit, huiuſmodi completiuum, bonumque perfectum; Alio modo, id in quo ratio boni perfecti, & completiui conſiſtit, ſignificat. Verbi gratia. Ratio beatitudinis in communi, in hoc conſiſtit, vt ſit bonum ſatians appetitum; Ratio verò, beatitudinis ſecundo modo, conſiſtit in hoc, quòd eſt, Deum cognoſcere intuitiuè, vel abſtractiuè, In Amore amicitiæ, aut Delectatione, In Diuitijs, vel Honoribus, &c. Videatur D. Thomas p. 2. q. 5. ar. 8. D. Thom.

Obſeruandum ſecundò, quòd aliquid dupliciter poteſt denominari, & dici in communi: Nominatiuè, ſcilicet, ſeu, nominaliter;
4 & Aduerbialiter. Primo modo, Aliquam rationem communem, ſeu, vniuerſalem primo, & per ſe ſignificat, vt homo in communi, Præciſus, & abſtractus ab omnibus hominibus, illiſque communicabilis, dicitur quid commune, Nominatiuè. Secundo modo, dicit aliquid particulare vniuerſaliter, ideſt, dicit vnam rem vagè, ſeu, indeterminatè. Quemadmodum, potentia viſiua, debet reſpicere colorem, in communi, non quidem nominatiuè. Quia color communis, non eſt viſibilis, ſed Aduerbialiter, ideſt, omnes colores in particulari; ſed indeterminatè, ſeu, vniuerſaliter; Item, cum dico, Vnus homo, fuit Traditor Chriſti. Ly, Vnus, ſignificat vnum in cōmuni, ideſt, vagè, &c. Videatur Caietanus, p. p. q. 82. ar. 1. ad argumentum Scoti, Vide infra, concl. 3. & 4. Caiet.

5 Obſeruandum Tertiò, cum D. Thom. in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. quòd quia omnia producuntur à Deo, in quantum eſt bonus, vt docet Auguſtinus; & Dionyſius; ideo omnia creata, quæ bona ſunt, ad aliquod bonum tendunt; ita vt in rebus, quædam inueniatur circulatio; quæ conſiſtit in hoc, vt egredientes à bono, ad bonum tēdant, & hoc, per quamdam impreſſionem à Deo, vt ipſarum Authore, illis impreſſam; ſeu, cauſatam: Hæc autem circulatio, in quibuſdam, creaturis perficitur, in quibuſdam autem, remanet imperfecta; In creatura quidem, intellectuali, perficitur; quia creatura intellectualis, ad ipſum Primum principium pertingere poteſt, In alijs verò, creaturis, homine inferioribus, perfici nequaquam poteſt. Cum ad ipſum Primum ipſarum principium, immediatè cognoſcendum peruenire non poſſint. Reperiuntur tamen imperfectè, ſecundùm quòd, aliquam eius in ſe ipſis ſimilitudinem retinent. D. Thom. Auguſt. Dionyſ.

6 Obſeruandum tandem, ex Angelico Præceptore, de veritate. q. 22. ar. 7. quòd, Aliter ſe habet, naturalis propenſio, in hominibus; & Aliter in alijs creaturis inferioribus. Nā Alijs rebus, plantauit naturalem appetitū alicujus rei, determinatè, ſicut graui, quòd ſit deorſum, & vnicuiquè animali, illud quod eſt ſibi conueniens, ſecundùm ſuam naturam; ſed homini inditus eſt à Deo appetitus, vltimi finis ſui, in communi .ſ. vt ſe eſſe completum in bonitate naturaliter appetat, ſed in quo, iſta completio ſiſtat, Vtrum In virtutibus, vel In ſcientijs, vel delectationibus, non eſt ei à natura determinatum;

Digitized by Google

natum; ſed relictum eſt hoc, vt per diſcretionem rationis,& per auxilium gratiæ inueſtigetur, & inueniatur.

CAPVT TERTIVM.

Secunda Sententia, Priori præfertur.

PRo determinatione ergo veritatis, Dico primò. In creatura intellectuali nullus datur naturalis appetitus pro pondere naturæ acceptus, ad claram Dei viſionem, determinatè, & in particulari.

D.Thom. 7 Probatur primò, D.Thomæ authoritatibus. Nam D.Thomas in 4. diſt. 49. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 3. hæc habet verba. *Quamuis autem, ex naturali inclinatione, voluntas habeat, vt in beatitudinem feratur ſecundũ communem rationem; tamen, quòd feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non eſt ex inclinatione naturę, ſed per diſcretionem rationis, quæ adinuenit, in hoc, vel in illo; ſummum bonum hominis, conſtare.* Et ibidem art. 1., ad 2. ſic ait. *Quamuis diuina viſio, ſit ipſa beatitudo; non tamen ſequitur, quòd quicũque appetit beatitudinem, appetat diuinam viſionem. quia beatitudo, in quantum huiuſmodi, importat per ſe obiectum voluntatis, non autem ipſa diuina viſio. Sicut aliquis appetit dulce, qui tamen non appetit mel.*

D.Thom. Et de verit. quæſt. 22. ar. 7. in corp. ſic ait; *Homini inditus eſt appetitus vltimi finis ſui in communi, vt ſcilicet, appetat naturaliter, ſe eſſe completum in bonitate; ſed in quo iſta completio conſiſtat; Vtrum in virtutibus, vel ſcientijs, vel delectabilibus, vel huiuſmodi alijs, nõ eſt ei determinatum à natura. Quando ergo ex propria ratione, adiutus diuina gratia, apprehendit aliquod ſpeciale bonum, vt ſuam beatitudinem; in quo verè ſua beatitudo conſiſtit: tunc meretur. non ex hoc quòd appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit: ſed ex hoc quòd appetit hoc ſpeciale, quod non naturaliter appetit, vt viſionem Dei. in quo tamen ſecundùm rei veritatem, ſua beatitudo conſiſtit.* hęc ille. vbi duas particulas diligenter pondera, & exagera. Ly, *quam naturaliter appetit.* Et tũc loquitur de beatitudine in communi. Et ly, *quod non naturaliter appetit. Vt viſionem Dei.* Ratione enim vtriuſque, euidenter colligitur noſtra concluſio. Nempè, quòd ad viſionem claram Dei, non datur naturalis appetitus.

D.Thom. 8 Et p. p. q. p. ar. p. in corp. ſic ait. *Homo ordinatur ad Deum, ſicut ad finem quemdam, qui comprehenſionem rationis excedit. Secundùm illud Iſaiæ 64. Oculus non vidit Deus, abſque te, quæ præparaſti diligentibus te: Finem autem oportet eſſe præcognitum, hominibus, qui ſuas intentiones, & actiones debent ordinare in finem.* Et infra q. 23. ar. 1. ſic ait. *Finis autem ad quem res creatæ ordinantur à Deo, eſt duplex. Vnus qui excedit proportionem naturæ, & facultatem. Et hic finis eſt vita æterna, quæ in diuina viſione conſiſtit, quæ eſt ſupra naturam cuiuſlibet creaturæ, vt ſupra habitum eſt. Alius autem finis, eſt naturæ creatæ proportionatus, quem ſ. res creata poteſt attingere ſecundum virtutem ſuæ naturæ: ad illud autem, ad quod non poteſt aliquid virtute ſuæ naturę peruenire, oportet quòd ab alio trãſmittatur. Sicut ſaggitta à ſaggittante mittitur ad ſignum; vnde propriè loquendo rationalis creatura, quæ eſt capax vitæ æternæ, perducitur in ipſam, quaſi à Deo tranſmiſſa.* hæc ille. Aduerte, quòd ſecundùm S. Thomam, ille finis, eſt naturæ creatæ proportionatus, quem res creata ſecundùm virtutem ſuæ naturæ poteſt attingere; & alias, ad viſionem beatificam, creatura rationalis comparatur vt ad finem, qui proportionem naturæ, & facultatem excedit; quare, ad mentem D.Thomę, creatura intellectualis, reſpicit Deum clarè viſum, vt finem improportionatum, & vt ab eodem Deo, ad eumdem, per auxilium gratiæ ordinata. D.Thom.

Isaiæ 64.

9 Idem docet quæſt. 62. ar. 1., & 2. Nam art. 1. in corp. hæc habet verba. *Vltima autem perfectio rationalis, ſeu intellectualis naturæ, eſt duplex; Vna quidem, quam poſſunt aſſequi virtute ſuæ naturæ; & hæc, quodammodo beatitudo, vel fælicitas dicitur; ſed ſuper hãc fælicitatem, Eſt alia fælicitas; quam in futuro expectamus; quia videbimus Deum ſicuti eſt; quod quidem, eſt ſupra cuiuslibet intellectus creati naturam,* Et ar. 2. etiam in corpore. Sic ait. *Naturalis inclinatio voluntatis, eſt ad id quod eſt conueniens ſecundùm naturam; & ideo ſi aliquid ſit ſupra naturam, voluntas in id ferri non poteſt; niſi ab aliquo alio ſupernaturali principio adiuta; ſicut patet, quòd ignis habet naturalem inclinationem ad calefaciendum; & ad generandum ignem, ſed generare carnem, eſt ſupra virtutem ignis: vnde ignis ad hoc, nullam inclinationem habet; niſi ſecundùm quòd mouetur vt inſtrumentum ab anima nutritiua; Oſtenſum eſt autem ſupra cum de Dei cognitione ageretur, quòd videre Deum per eſſentiam, in quo vltima beatitudo rationalis creaturæ conſiſtit, eſt ſupra naturam cuiuslibet intellectus creati. Vnde nulla creatura rationalis, poteſt habere motum voluntatis, ordinatum ad illam beatitudinem, niſi mota à ſupernaturali agente; & hoc dicimus auxilium gratiæ.* D.Thom.

Et in reſponſione ad 2. hæc habet verba. *Ad ſecundum dicendum. quòd difficile, eſt quod traſcendit potentiam; ſed hoc contingit eſſe dupliciter. Vno modo, quia tranſcendit potentiam, ſecũdùm ſuum naturalem ordinem; & tunc, ſi ad hoc poſſit peruenire aliquo auxilio;* D.Thom.

Digitized by Google

lio; dicitur difficile; ſi autem nullo modo; dicitur impoſſibile. Sicut impoſſibile eſt hominem volare. Alio modo tranſcendit aliquid, potentiam, non ſecundum ordinem naturalem potentiæ, ſed propter aliquod impedimentum, potentiæ adiunctum, ſicut aſcendere, non eſt cõtra naturalem ordinem potentiæ animæ motiuæ. quia anima quantum eſt de ſe, nata eſt mouere in quamlibet partem; ſed impeditur ab hoc, propter corporis grauitatem. Unde difficile eſt homini aſcendere: Conuerti autem ad beatitudinem vltimam, homini quidem eſt difficile; & quia eſt ſupra naturam, & quia habet impedimentũ ex corruptione corporis, & infectione peccati, ſed Angelo eſt difficilè, propter hoc ſolum, quòd eſt ſupernaturale.

D.Thom. Et p.2.q.114.ar.2. in corpore. Sic ait. *Actus autem cuiuſcumquè rei, ordinatur diuinitus, ad*

10 *aliquid excedens proportionem virtutis, quæ eſt principium actus. hoc enim eſt ex inſtitutione diuinæ prouidentiæ, vt nihil agat vltra ſuam virtutem. Vita autem æterna, eſt quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ. quia etiam excedit cognitionem, & deſiderium eius; ſecundum illud primæ ad Corinthios. 2.* 1.Cor. 2. *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, & inde eſt, quòd nulla natura creata, eſt ſufficiens principium actus meritorij vitæ æternæ, niſi ſuperaddatur aliquod ſupernaturale donum quod gratia dicitur.*

D.Thom. Et 3.p. quæſt. 4.ar. 1. in corp. vbi in titulo quærit. *Vtrum natura humana fuerit magis aſſumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia natura.* his verbis quæſito Reſpondet. *Reſpondeo dicendum. quòd aliquid aſſumptibile, dicitur, quaſi aptum aſſumi, à diuina perſona, quæ quidem aptitudo, non poteſt intelligi ſecũdum potentiam paſſiuam naturalem. quæ non ſe extendit ad id quod tranſcendit ordinem naturalem, quem tranſcendit vnio perſonalis ad Deũ; unde relinquitur, quòd aſſumptibile aliquid dicatur, ſecundum congruentiam ad vnionem prædictam.* hæc ille:

Ex quo teſtimonio, clarè conſtat, quòd inclinatio potentiæ naturalis paſſiuæ ad viſionem Dei, non datur; nam D. Thomas ait, D.Thom. quòd potentia naturalis paſſiua, non tranſcendit ordinem naturalem, ſed viſio beatifica, vt pluries D.Thomas monuit, ordinem naturalem tranſcendit. Ergo.

11 Probatur ſecundò ratione. Pondus naturæ eſt à natura, ſeu conſequens naturam, vt natura eſt. Ergo eſt à Deo, vt ab Authore naturę, non verò, tamquàm ab Authore gratiæ. Ergo eſt ad Deum, vt ad Authorem naturæ, non verò, vt ad Authorem gratiæ: ſed Deus vt clarè viſus, eſt maximum donũ gratiæ, juxta illud. *Gratia Dei vita æterna.* Rom. 6. Ergo, non datur pondus naturæ ad Deum, vt clarè viſum; Antecedens patet. Et prima conſequentia, etiam eſt clara, Nam Deus, vt Author naturæ. Et Deus vt Author gratiæ, non arguunt aliquam realem in Deo diſtinctionem, ſed in effectibus; Ideo enim dicitur Deus Author naturæ, quia effectum qui eſt natura, vel ad naturam ſpectantem, producit; dicitur verò Author gratiæ, quia aliquod donum, naturæ præbet, quod omnem naturæ ordinem, antecedit. Secunda conſequentia, etiam eſt clara ex vltimo notabili in principio diſputationis præmiſſo; Nam inter Deum, & creaturam datur quædam mirabilis circulatio; Creatura enim rationalis eſt a Deo, vt à cauſa, & eſt ad Deum per impreſſionem cauſatam ab eodem Deo. Ergo tendentia creaturæ ad Deum, eſt ſecundùm quòd creatura eſt à Deo: ſed creatura rationalis, vt diximus, eſt à Deo tamquàm ab Authore naturæ; non verò tamquam ab Authore gratiæ. Ergo eſt ad Deum tamquàm ad Authorem naturæ, non tamquam ad Authorem gratiæ.

12 Confirmatur. Vt natura moueatur ad Deum per inclinationem, tamquàm ad Authorem naturæ, debet habere pondus naturæ. Ergo vt tendat ad Deum, tamquàm ad maximum donum gratiæ; debet etiam à Deo per gratiam, habere pondus, per quod ad ipſum tendat.

Si pro Scoto aliiſq; dicatur, quod appetere clarã Dei viſionem; non eſt tendere ad Deum, vt eſt Author gratiæ; ſed ad Deum vt eſt in ſe; licet viſio clara Dei vtramquè rationem, nempè, Dei Authoris naturæ, & Authoris gratiæ includat.

Contra Primò. Quia & hoc ipſum deſtruit reſponſionem; & ſic argumentor. Deus clarè viſus, non eſt Deus, vt Author gratię tantum. Ergo neque etiam eſt Deus, vt Author naturæ tantùm: ſed natura non poteſt habere pondus ad Deum, niſi illud pondus ſit naturale tantùm. Ergo erit ad Deum, vt ad Authorem naturæ tantùm. Ergo non tendit ad viſionem claram Dei, vt eſt in ſe. quia viſio clara Dei, vt eſt in ſe dicit Deum, vt Authorem naturæ, & vt Authorem gratiæ.

13 Secundò. Quia videre Deum, vt eſt in ſe, eſt maximum donum Dei. Ergo appetere hoc, quod eſt maximum donum Dei, eſt inclinare ad Deum, vt Authorem gratiæ: ſed pondus naturæ, vt dictum eſt; eſt à Deo, vt ab Authore naturæ; & conſequenter ad Deum, vt ad Authorem naturæ. Ergo. Antecedens eſt de fide certum; illudquè explicat D.Thomas, p. p. quæſt. 25. ar. 6. ad 4. docens tria eſſe principaliòra dona, D.Thom. quibus Deus nobis, nec facere, nec conferre maiora poteſt; Vnio ſ. hypoſtatica, Maternitas Dei, & viſio beatifica. Ergo.

14 Dices denuo, Pro Scoto. Deum, vt Authorem gratiæ, eſſe quidem finem ſupernaturalem, via aſſecutionis; eſſe verò, finem hominis naturalem, via inclinationis.

Con-

Contra, Primò. Creatura rationalis tendens ad Deum clarè viſum, naturali pondere; Aut tamquam ad debitum ponderi naturæ propenderet; Vel ad hoc, vt naturam à ſtatu naturali, ad præclarum gratiæ, eleuet. Si primum, eſt falſum. Nam gratia, non eſt debita naturæ; Alias gratia non eſſet gratia. Deus autem clarè viſus, eſt maxima hominis gratia. Si ſecundum. Ergo ſupradictum pondus, non erit naturale; neque Deus erit finis naturalis; Probatur iſta conſequentia, quia iam eſſet inclinatio ad ſupernaturale, propter translationem ſtatus naturalis ad ſupernaturalem.

15 Secundò. Deus clarè viſus per aduerſarios, dicitur finis naturalis ratione inclinationis naturalis, non obſtante quòd Deus in ſe ſit ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo à fortiori, inclinatio ad Deum clarè viſum, debet dici ſupernaturalis, Quia Deus clarè viſus eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Probo conſequentiam. Quia motus, ſeu, tendentia, ſpecificatur à termino, non verò terminus ſpecificatur, ſeu, denominatur a motu; potentia ſpecificatur ab obiecto; non obiectum, à potentia; & Actus, ſpecificatur ex obiecto; non obiectum ex actu. Ergo ſimiliter, Inclinatio, ſeu, pondus, denominatur à fine, & non finis denominatur à pondere: ſed Deus clarè viſus eſt in ſe, & abſolutè, ſupernaturalis. Ergo, Inclinatio debet denominari ſupernaturalis.

16 Tertiò. Quia fides, ſpes, & charitas; ideo ſunt habitus ſupernaturales; quia per eos, creatura intellectualis tendit, & ducitur ad Deum vt eſt in ſe, via aſſecutionis. Ergo etiam inclinatio ad Deum vt eſt in ſe dicitur ſupernaturalis, ſeu, obedientialis, via inclinationis. Patet conſequentia; quia quemadmodum fides, ſpes, & charitas dicuntur habitus ſupernaturales, quia creaturam intellectualem, via aſſecutionis, ducunt ad Deum, vt eſt in ſe, Ita inclinatio ordinat creaturam via inclinationis, ad Deum vt eſt in ſe. Ergo quemadmodum dicitur finis ſupernaturalis, ratione aſſecutionis, ita etiam dicitur finis ſupernaturalis ratione inclinationis.

Confirmatur, Quia fides, ſpes, & charitas, ideo dicuntur habitus ſupernaturales. Quia cum Deo clarè viſo proportionem ſeruant, vt medium ad finem. Ergo etiam inclinatio ad Deum clarè viſum, quia cum eo in ratione inclinationis proportionem habet, debet denominari ſupernaturalis.

Quartò. Quia inclinatio, ſeu, pondus creaturæ intellectualis ad Deum clarè viſum, eſt ad ipſum, vt poſſidendum, & aſſequendum. Ergo ſi via aſſecutionis eſt finis ſupernaturalis, etiam via inclinationis; vel è contra, ſi eſt finis naturalis ratione inclinationis, erit etiam finis naturalis ratione aſſecutionis.

17 Probatur tertiò principaliter. Creatura intellectualis per Scotum, & Durandum, ex ſe ipſa, & ſummè ad beatitudinem in particulari inclinat. Ergo, ipſamet natura, eſſet de medijs beatitudinem acquirendi, ſollicita, & proprio conatu illam poſſet acquirere: Hoc autem eſt falſum. Ergo. Maior patet, & ad tergiuerſationes cauendas, ſuppono, quòd homo non ſit aliqua, malę cõſuetudinis infectione maculatus, neque corporis corruptione grauatus, in recto naturæ ſtatu poſitus, & quòd de beatitudine ſupernaturali, fideliſſimam habuerit reuelationem: in tali caſu, homo abſque dubio, ob tàm inſignem beatitudinẽ acquirandam conaretur, quod ſi vires competentes, ac ſufficientes, illi deeſſent, eius conatus fruſtraretur, & etiam fruſtra illi ineſſet naturalis inclinatio. Ergo dicendum eſt, quòd poſſet peruenire ad beatitudinis conſecutionem.

Probatur Quartò, principaliter, & inſuper eadem maior propoſitio illo vniuerſali Thomiſtarum argumento roboratur. Cuilibet potentiæ naturali paſſiuæ, debet correſpondere potentia naturalis actiua: ſed non datur in creatura intellectuali, potentia naturalis actiua, per quam rationalis creatura, ad tàm ſummam beatitudinis celſitudinem peruenire poſſit. Ergo neque etiam datur potentia naturalis paſſiua; vel, ſi datur potentia naturalis paſſiua; datur etiam potentia naturalis actiua; vnde Ariſtoteles in libr. 2. Cæli dicit quòd, ſi Aſtra haberent vim progreſſiuam, natura eis organa opportuna dediſſet, Et confirmatur à ſigno; quia natura humana, Verbi Gratia, naturaliter ad intelligendum, ac volẽdum, inclinat, prouiſum eſt ei, de potentijs, intellectiua, ſcilicet, ac volitiua, Si igitur intellectus, & voluntas, naturaliter, ad ſupernaturalia inclinant; quare ſic eos Deus condidit, vt per nullas naturæ vires, poſſint, ac valeant, ad ſupradicta ſupernaturalia peruenire? Ariſtot.

18 Reſpondet Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. ad argumenta his verbis. *Ad aliud dicendum, quòd cuilibet potentiæ paſſiuę, correſpondet actiua, verum eſt; non tamen in natura creata; etiam ſecundum phyloſophum, vt patet, quia potentia receptiua eſt in corpore ad animam intellectiuam; & tamen tota natura creata, non poſſet eam inducere. Ponit tamen Phyloſophus aliter quam nos, quo ad hoc, quòd poſuit potentiam in natura, Deum, ſcilicet, naturali neceſſitate agentem; ſed nos benè ponimus in toto ente cuilibet potentiæ paſſiuæ, benè correſpondere potentiam actiuam, non tamen actiua illa eſt naturalis, ſicut paſſiua. Imo nũquam eſt naturalis in primo ente ad extra; ſed ſemper voluntaria.* Itaque reſpondet Scotus, quòd cuilibet potentiæ paſſiuæ, debet correſpondere potentia actiua; vel in na- Scotus. Scotus.

tura operante; vel extra ipſam. Semper in natura operante, negat, Aliquando in natura operante, vel extra ipſam, concedit. Ita etiam in caſu noſtro; quia, quamuis creatura intellectualis, ad beatitudinem gloriæ, habeat in ſe potentiam paſſiuam, naturaliter propenſam; non tamen habet in ſe, virtutem actiuam, qua reducatur ad actum, ſed ſufficit, vt Deus, qui eſt ipſius naturæ Author, ad beatitudinem poſſit eam, conducere.

Contra, Primò. Et in exemplo à Scoto poſito

18 maneamus. Quia quamuis in materia, ſit potentia naturalis paſſiua, ad animam intellectiuam, quamquè nulla virtus creata producere poſſit; tamen agens naturale habet virtutem producendi diſpoſitiones, quibus poſitis, Deus vt Author naturæ, tenetur, animam creando illi infundere, & infundendo creare. Ergo ſimiliter, poſſent ad minus in natura, media, ac diſpoſitiones dari, quibus naturaliter poſitis, Deus vt Author naturæ, beatitudinem ſupernaturalem, nobis conferre teneatur. quod eſt hæreticum, nec à Scoto conceditur; Si igitur, exemplum eſſet aptum, non eſſet ad propoſitum, ſed ad oppoſitum. Scotus.

Secundò, Acceptando Scoti diſtinctionem, ſic argumentor. Cuilibet potentiæ paſſiuæ naturali, debet correſpondere potentia actiua naturalis: Si non in ſe, ad minus in toto ente, & præcipuè ſufficit ipſe Deus: ſed Deus eſt cauſa beatitudinis ſempiternæ collatiua, non ſecundùm quòd eſt cauſa naturalis, ſed ſecundùm quòd, eſt cauſa ſupernaturalis, vt communiter Theologi cõfitentur. Ergo ex doctrina Scoti, reſponſio Scotica impugnatur.

Explico vim huius rationis. Deus correſponderet in ratione potentiæ actiuę, tanquàm Author naturę, non tamquàm Author gratiæ, ſeu, vt cauſa naturalis, non verò tanquam cauſa ſupernaturalis; nam correſponderet potentiæ paſſiuæ naturali, cui non poteſt niſi cauſa naturalis actiua correſpondere. Quare parum refert dicere, quòd hæc potentia actiua naturalis, eſſet Deus; & vt magis reſponſionem infringamus.

19 Tertiò, Contra reſponſionem, Sic argumentor. Deus vt Author naturæ, poteſt omnem naturalem inclinationem, quam ipſe plantauit, ad actum reducere, ac perficere: ſed Deus beatitudinem, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, vel in amore amicitiæ Dei viſi, vt Author naturæ, conferre non poteſt. Ergo falſum eſt, quòd benè etiam datur potentia actiua, correſpondens potentię naturali paſſiuæ, reſpectu viſionis claræ Dei.

Quartò. Deus vt Author naturæ, poteſt naturam, & vniuerſum naturæ ordinem, cõpletè perficere: ſed inter principaliora, quæ ad naturæ ordinem ſpectant, eſt præſtantiſſimus naturæ finis. Ergo Deus vt Author naturæ, poſſet omnem creaturam rationalem ad vltimam beatitudinem perfectè conducere: hoc autem eſt falſum. Ergo nulla diſtinctio.

20 Quintò. Deus vt Author gratiæ, poteſt creaturam rationalem ad actum, ad quem ex inſtinctu gratiæ, eſt inclinata, reducere. Ergo etiam, vt Author naturæ, creaturam intellectualem ad omne illud, ad quod ex potentia naturali paſſiua, eſt propenſa, poſſet quoquè conducere. Ergo ſi per Scotum, natura, eſt ad beatitudinem, (quæ eſt reſpectu Dei viſi) naturaliter inclinata, Deus vt Author naturæ poſſet, &c.

Sextò. Deus vt Author naturæ habet optimam ordinis naturalis prouidentiam: ſed ad prouidentiæ rationem, & ad optimum Prouiſorem pertinet, cuncta ad ſuos fines dirigere, & talibus ornare viribus, vt ad finis aſſecutionem ea perducere valeat. Ergo Deus, vt Author naturæ, poſſet creaturam ad beatitudinem ſempiternam conducere.

Confirmatur. Eſt commune Phyloſophorũ, ac Theologorum axioma, quòd opus naturæ, eſt opus intelligentiæ, & hoc non ob aliud, niſi quia opus naturæ, eſt ordinatiſſimum; Vnumquodquè autem in tantùm dicitur ordinatum, in quantùm habet ſufficientia media ad conſequendum finem, quæ non dantur ab alio, niſi ab ordinante. Ergo Deus, vt Author naturæ poteſt illam ordinare ad finem propter quem naturalem inclinationem præbuit: ſed hoc, nempè, vt Deus creaturam rationalem, per media naturalia, & tamquàm Author naturę, ad beatitudinem ſempiternam perducat, eſt impoſſibile. Ergo. Caiet.

Paobatur Quintò principaliter. Si daretur hoc naturæ pondus, ad Deum clarè viſum, vel ad amorem eius, creatura rationalis proprijs naturæ viribus poſſet naturali conatu ad actum elicitum viſionis, vel dilectionis Dei clarè viſi prorumpere: ſed hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela, quia nullum eſt inconueniens, vt circa ea, ad quæ natura propendit, aliquis actus per vires naturales eliciatur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Impugnatur Martinez.

Martinez.

21 PRobatur Sextò, & impugno modum, quo opinio Scoti, probabiliter defenditur à Martinez, Aſſerit .n. p.2. q.3. ar.8. creaturam intellectualem, ſecundùm gradum genericum, id eſt, non ſecundùm quòd eſt homo, ſed ſecundùm quòd homo, eſt intellectiuus vt ſic, pro vt homo, analogicè cum Deo, in gradu intellectuali conuenit, & exemplificat exemplo, Talpæ, quæ ſecundùm propriam, & ſpecificam ſui naturam, non dicit naturalem inclinationem, ad viſum, ſed ſecundùm rationem genericam animalis; ita homo, non ſecundùm quòd homo eſt; ſed ſecundùm quòd intellectiuus eſt, habet naturalem inclinationem ad Deum clarè viſum; vel ad amorem amicitiæ Dei clarè viſi.

Contra igitur hunc dicendi modum, ſic argumentor, Primò. Natura ſecundùm gradum genericum, non impellit, vel inclinat, ad id, quod repugnat ſecundùm rationem ſpecificam, reſpectu eius, vel in eo, in quo talis ratio ſpecifica inuenitur; Ergo falſum eſt, creaturam intellectualem, dicere naturalem inclinationem ad beatitudinem ſempiternam, ſecundùm rationem genericam gradus intellectualis, non verò ſecundùm rationem ſpecificam.

Pro quo eſt obſeruandum, quòd, Aliud eſt dicere, Naturam genericam habere pondus, ſeu, naturalem inclinationem ad id, quod repugnat ei, ſecundùm rationem ſpecificam, in illo ſuppoſito cui repugnat; Et Aliud eſt dicere, Aliquod prædicatum rationi genericę, alicuius naturæ, vt ſic, non repugnare, licet repugnet naturæ, vt tali. Secundum membrum eſt verum, ſed nihil ad propoſitum, Primum autem falſum omnino eſt; quia illa non repugnantia, non eſt potentia phyſica, cui inclinatio fundatur, ſed potentia Logica.

Inſuper, exemplo Talpæ à Martinez allato declaratur; Nam Aliud eſt dicere; Talpæ ſecundùm rationem genericam animalis, non repugnat viſio; Et Aliud eſt dicere, Talpam ſecundùm rationem genericam animalis propendere, & naturaliter ad viſum inclinare. Primum quidem, verum eſt, ſecundum autem falſum. Quod ita probo. Primò. Ideo Talpa ad videndum, natura-

22 lem haberet inclinationem; quia haberet viſum per non repugnantiam ſecundum rationem genericam; ſed etiam habet, vnde ei ſecundùm rationem ſpecificam repugnet. Ergo ſecundùm talem rationem habet pondus ad non videndum. Ergo duo contraria pondera, ſunt in vno, eodemque ſubiecto. Secundò ſola non repugnantia ſecundùm rationem genericam, cum repugnantia ſecundùm rationem ſpecificã, Pódus naturæ cauſare non poteſt. Ergo cum repugnantia ſpecifica, non ſaluatur pódus naturæ, ſecundùm rationem genericam; Quomodo autem poſſint ſimul eſſe non repugnãtia, ſecundùm rationem genericam, & repugnantia ſecundùm rationem ſpecificam; Hoc manifeſtè colligitur, ex ipſa ratione generica, quæ vniuerſalior eſt, & ad plura etiam oppoſita ſpecificè, ſe extendit; At verò inclinatio naturalis, eſt ad poſſibile phyſicè, in ſubiecto in quo eſt. Ex qua doctrina, Antecedens, cõtra Martinez aſſumptum, eſt manifeſtè probatum.

23 Argumentor ſecundò contra eumdem Martinez; & probo idem antecedens. Quia hoc eodem prorſus modo, dici poſſet, quòd homo haberet naturalem inclinationem, vt ſit Aſinus, ſecundùm rationẽ genericam, quia homini ſecundùm rationem genericã, non repugnaret eſſe Aſinum, ſed ſolummodo, ſecundùm rationem ſpecificam. Ergo ſi nõ repugnantia ſecundùm rationem genericam, fundat naturale pondus, in eo in quo eſt repugnantia ſecundùm rationem ſpecificam; quare homo, non habebit pondus naturæ ſecundùm rationem genericam, vt ſit Aſinus? ſic .n. ſe habet homo, vt ſit Aſinus, quemadmodum, Talpa vt videat.

Probo Tertiò. Quia aliquod prædicatum rationi genericæ, tripliciter conuenire poteſt. Eſſentialiter. vt Paſſio; & merè Accidentaliter. Si primo, vel ſecundo modo; impoſſibile eſt, vt conueniat generi, & repugnet ſpeciei. vt patet per omnia diſcurrenti. Si tertio modo; eſt omnino falſum, quòd ratio generica habeat naturę pondus, ad aliquod, quando eſt in ſpecie, vel in indiuiduo, cui prædicatum omnino repugnat; eo quia inclinatio, quæ eſt ratione generis tertio modo ſumpti, eſt accidentalis.

Confirmatur. Habere viſum non ſecundum rationem genericam, neque eſſentialiter, neque tamquam paſſio, ſed contingenter, conuenit animali. Ergo habere naturalem inclinationem ad viſum, neque etiam ſecundùm rationem genericam, conuenit omni animali; patet conſequentia; quia, hoc modo animal non eſt propriè genus, eo quia genus eſſentialiter prædicatur de omni ſpecie ſub ipſo contenta: Sed animal non prædicatur in ratione videntis de omni animali eſſentialiter. quare, non rectè Martinez.

CAPVT QVINTVM.

Modi dicendi, Valentiæ, & Recupiti, impugnantur.

Valentia.

Recupit.

24 GRegorius de Valentia, qui ſupra, affirmans, in creatura intellectuali, dari pondus naturæ, ad claram Dei viſionem, ait; Nomine appetitus innati, tantummodo capacitatem videndi Deum, intelligi: Et Recupitus lib. 6. de verit. quæſt. 1. cap. 3. num. 22. cum Scoto, Contra Thomiſtas, naturalem appetitum ad claram Dei viſionem admittit: Timens autem, cum eodem Scoto, ad eamdem viſionem, potentiam naturalem affirmare, docet dari quidem, naturalem appetitum; non verò, potentiam naturalem; Et in fine capitis contra ſeipſum, hoc modo inſtans. *Non uidetur explicabile, quid ſit hic appetitus naturalis, præter potentiam naturalem; Nam cum præcedat omnem actum ſecundum naturalem, non uidetur poſſe conſiſtere in alio, quàm in actu primo naturali; Et ſic non uidetur diſtingui appetitus innatus, ab ipſa potentia naturali; quæ tamen, nulla eſt in homine reſpectu uiſionis Dei per eſſentiam,* Reſpondens ſic ait. *Reſpondeo, potentiam, quæ reſpectu ſummi boni, ut aſſequibilis, dicitur obedientialis, reſpectu eiuſdem, ut appetibilis, dici appetitum naturalem, prout eſt principium inclinatiuum, ad deſiderium frequens eiuſdem. Nam cum natura intellectiua creata, ſit ordinata intrinſecè ad cognitionem Dei imperfectam; & poſſit ulterius eleuari ad perfectam, in qua completur appetitus omnis boni, & omnis ueri, naturaliter ab imperfecta excitatur, ad deſiderium perfectæ; Neque quieſcit, niſi illa habita: & hoc eſt, habere appetitum innatum uiſionis.* hæc ille.

Valentia. Scotus. D. Thom.

25 Sed contra Valentiam argumentor primò. Quia aſſerere appetitum innatum, eſſe ſolam capacitatem, eſt contra Scotum, & contra Sanctum Thomam, Omneſque alios Doctores hanc controuerſiam diligentiſſimè diſputantes; quique omnes capacitatem, ad claram Dei viſionem in intellectuali creatura concedentes, perpensè, de appetitu innato, ad inuicem digladiantur, Ergo. Et inſuper, Velit, nolit, Valentia;

Valentia.

quamuis ſit cum Scoto verbaliter, eſt cum Diuo Thoma realiter. Quia Valentia, vltra capacitatem ad videndum Deum, aliam naturalem proportionem in creatura intellectuali, non admittit, ſed ſolam potentiam obedientialem, hoc autem eſt, quòd Diuus Thomas docet.

Confirmatur; Quia ſi nomine appetitus innati, ad intuitiuam Dei viſionem, ſola capacitas intelligeretur; Iam inter Scotum, & Thomiſtas, completa eſſet controuerſia, & Scotiſtæ, fruſtra Thomiſtis opponerentur; Nam Scotiſtæ, & Thomiſtæ, tamquam veri Chriſti fideles, ſupradictam capacitatem confitentur. Ergo ſi nomine appetitus innati, ſola capacitas intelligeretur, nulla eſſet inter Scotiſtas, & Thomiſtas de appetitu innato ad claram Dei viſionem controuerſia, niſi de ſolo nomine.

26 Secundò. Quia ſi ſola capacitas, ad rationem naturalis inclinationis, ac naturæ ponderis, eſſet ſufficiens, ſequeretur, quòd panis haberet naturalem inclinationem, vt conuertatur in Corpus Chriſti, & vinum in eiuſdem ſanguinem; quòd Accidens ſine ſubiecto exiſtat, & quòd natura ſubſtantialis creata, ſubſiſtentia diuina ſubſiſtat; & ſic in ſexcentis, & alijs infinitis caſibus: Hoc autem, apud omnes falſum eſt, & ridiculum. Ergo. Sequela iam patet; Quia Panis, & Vinum, Accidens, Natura ſubſtantialis, &c. Capacitatem habent ad ſupradicta. Ergo.

27 Contra Recupitum verò, ſic argumentor. Nam apertè docet, naturalem appetitum ad claram Dei viſionem, quem, paulò ante ſupradicta, multis tergiuerſationibus, approbauerat, & probauerat, non eſſe potentiam naturalem, ſed obedientialem tantùm, ſeu capacitatem; In qua re, videtur cum Valentia conuenire: docet etiam, hoc deſiderium, ab appetitu imperfecto excitari. Tunc ſic. Potentia, ſeu, inclinatio, quæ vt alia inclinatione imperfecta excitat, aliquid appetit; non eſt naturæ pondus; neque eſt tamquàm actus primus, ſed eſt actus ſecundus, & elicitus. Ergo non bene à Recupito, ſoluitur inſtantia, contra ſeipſum, à ſemetipſo inſtaurata.

Neque iuxta eius opinionem, rectè, & conſequenter loquitur. Nam appetitus naturalis, pro pondere naturæ acceptus, debet eſſe in potentia naturæ, ſeu, in potentia naturali, ſecundùm quòd naturalis eſt. Ergo ſi per Recupitum, non datur potentia naturalis, ſed tantùm obedientialis, ad claram Dei viſionem, non conſequenter ſuſtinet, ad eam dari, naturalem appetitum pro pondere naturæ.

Secundò. Quia potentia obedientialis (vt Recupitus ipſe quæſt. 15. num. 6. & 9. docet) non eſt propriè, & completè potentia. Ergo ad ipſam non ſequitur; ſeu, ipſa non eſt naturalis inclinatio. Probatur iſta conſequentia; Quia naturalis inclinatio, ſeu, naturæ pondus alicuius potentiæ, ſupponit potentiam in eſſe potentiæ, completè conſtitutam. Quomodo enim potentia, ad actũ tendit, antequàm habeat potentiæ rationem? Recupit.

28 Tertiò. Potentia obedientialis reſpectu viſionis beatificæ, non eſt aliud, quàm capa-

pa-

Digitized by Google

pacitas creaturæ, vt ad claram Dei viſionem, à Deo eleuari, inclinari, & ordinari poſſit. Ergo ante actualem eleuationem, non dicit inclinationem, nec ordinem ad dictam viſionem, ſed inclinabilitatem, ſeu ordinabilitatem ad illam.

Tandem. Quia vt ex infra dicendis patebit, lumen gloriæ nullam actiuitatem intellectui præbet, iuxta Recupiti doctrinam: ſed virtus ſibi præſtita à natura, ſufficientiſſima eſt, præbere concurſum, ex parte intellectus, in ratione potentiæ vitalis exigitum. Ergo immeritò intellectus vocatur potentia obedientialis, reſpectu viſionis, non verò naturalis.

Nauarret. Videatur Nauarrete, hic controuerſia 33. ad argumentum Valentiæ, qui aſſerit, in nulla opinione eſſe probabile, quòd per naturæ pōdus, intelligatur capacitas ad beatitudinem, & iure optimo. Nam nullus iſtam capacitatem negat, & tamen dari pondus naturæ parum apparentiæ habet. Eſt igitur liberè, & voluntariè dicta, ac ſingularis, Opinio Valentiæ: Opinio autem Recupiti, non bene ſibi conſtat.

CAPVT SEXTVM.

Si In creatura intellectuali, daretur appetitus pro pondere naturæ, ad beatitudinem ſēpiternam, In qua potentia collocaretur; In Intellectu, ſcilicet, An, In Voluntate?

Scotus. 29 SCotus, in 4. diſt. 49. quæſt. 10. ait, quòd in voluntate: his verbis. *Dico quòd duplex eſt appetitus in voluntate, naturalis, & liber. Naturalem, ſolùm dico, potentiam voluntatis, abſolutè, ſed non aliquid ſuperadditum voluntati.* Et paulò poſt, *De illo*, inquit, *appetitu naturali, patet quòd voluntas, neceſſariò, & perpetuò, & ſummè, appetit beatitudinem, & hoc in particulari.*

Durandus in 4. eadem diſt. quæſt. 8. num. 8. ponit appetitum naturalem ad beatitudinem, in intellectu. Cuius iſta ſunt verba. *Iſte autem appetitus, non eſt appetitus voluntatis, ſed intellectus; quia ſicut probatum fuit; Beatitudo eſt actus, & perfectio intellectus: Appetitu autem naturali, vnumquodque appetit ſuam perfectionem, & non aliud; & ideo appetitu naturali, intellectus appetit beatitudinem, & non voluntas, niſi habitudinem accidentalem, quæ poteſt eſſe perfectio eius.*

Sotus. Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. ar. 1. concl. 1. Durandum impugnat, in eo quòd dicit ad beatitudinem, non voluntatem, ſed intellectum propendere. Dicit enim ... appetitus naturalis, ad beatitudinem ... naturalem, eſſet potiùs in voluntate ... in Intellectu. Quia quamuis negari non poſſit, in intellectu eſſe propenſionem, & appetitum ad videndum diuinam eſſentiam, quia tamen, homo eſt, qui appetit videre diuinam eſſentiam, & propriùs appetitus hominis, eſt voluntas, potiùs dicendum eſſe, appetitum, ac propenſionem naturalem videndi diuinam eſſentiam, eſſe in voluntate, quàm in intellectu.

30 Molina hic, diſp. 2. §. Meo tamen iudicio. defendit Durandum, contra Sotum, ſic dicens. *Quia voluntas eſt appetitus hominis, non quatenus eſt propenſio naturalis, ſive actu elicito, ſed quatenus homo per eam appetit actu elicito, quæ cognitionem intellectus ſequitur. Vt enim homo per intellectum apprehendit omnia bona, ita per voluntatem, actu elicito, appetit illa omnia: Appetitu verò, ſumpto pro pondere naturæ, ſine actu elicito, per viſum quidem, appetit homo videre, per intellectum intelligere, per grauitatem deſcendere, & ita per reliquas potentias, appetit actus, quorum ſunt potentiæ, non verò, per voluntatem, ſed in intellectu, ad videndum Deum; In voluntate verò, ad amandum Deum clarè viſum poteſt debet.* Molina.

Verùm, huius controuerſiæ deciſio, de facili expeditur. Vnde pro determinatione veritatis, & in ordine,

31 Dico ſecundò. Si in creatura intellectuali daretur naturalis appetitus pro pōdere naturæ, ad beatitudinem ſupernaturalem in particulari; In voluntate, daretur innatus appetitus ad amorem amicitiæ Dei, & in intellectu, daretur innatus appetitus ad viſionem.

Hoc dictum, quò ad primam partem, eſt Scoti, nec à Durando negatur; quò ad ſecundam verò partem, eſt Durandi, neque à Scoto negari poteſt; Et probatur. Quia ſicut beatificus amor amicitiæ Dei, eſt volitiuæ potentiæ propria perfectio, ita eſt intellectiuæ propria perfectio, viſio clara Dei. Ergo quemadmodum voluntas, naturali pondere ad amorem amicitiæ Dei inclinat, ita intellectus ad viſionem, & è contra.

32 Dico Tertiò. Si in creatura intellectuali, daretur innatus appetitus ad claram Dei viſionem, huiuſmodi appetitus, eſſet in intellectu, & in voluntate, etiam ſi beatitudo conſiſteret in actu voluntatis, non autem in actu intellectus.

Hoc dictum, videtur eſſe Contra Molinam, loco citato; ſic tamen illud probo. In volūtate daretur appetitus pro pondere naturæ, ad amandum Deum clarè viſum. Ergo daretur etiam, naturalis appetitus, in eadem voluntate, ad claram Dei viſionem; non

Digitized by Google

non quidem, vt ipſa voluntas, appetat videre, ſed quia voluntas inclinaret, ac naturaliter propenderet, vt intellectus habeat claram Dei viſionem. Antecedens eſt eiuſdem Molinæ, probatur autem conſequentia: Quia inclinans ad amandum Deum clarè viſum, eodem pondere, quo propendit ad amorem Dei, propendit etiam ad eiuſdem viſionem. Non enim poteſt naturaliter ad amandum Deum clarè viſum inclinare, & ad claram Dei viſionem conſequendam non propendere. Cum beatitudo, conſiſtat in amore amicitiæ, vel delectatione Dei, clarè viſi.

33 Dico Quartò. Si in creatura intellectuali, daretur innatus appetitus ad beatitudinem ſupernaturalem, & beatitudo ſupernaturalis, in clara Dei viſione conſiſteret, talis appetitus, non ſolùm eſſet in intellectu, verùm etiam in voluntate.

Hoc dictum, eſt Soti, & Contra Molinam. Sed antequàm probetur, explicatur. Viſio clara Dei duobus modis conſiderari poteſt. Primò, pro vt eſt propria, ac præſtantiſſima intellectus in ratione potentiæ, ſpecialis perfectio. Secundò, pro vt eſt hominis beatitudo. Primo modo, Intellectus ad eam pondere naturali inclinat. Secundo verò modo, Voluntas. *Scotus. Molin.*

Probatur igitur prima pars; Quia iuxta horum Doctorum opinionem, naturale pondus, ad claram Dei viſionem concedentium, quælibet potentia dicit naturalem inclinationem ad ſuam maximam, præſtantiſſimamque operationem. Ergo in intellectu daretur naturale pondus, ad claram Dei viſionem, quæ eſt eiuſdem præſtantiſſima perfectio.

Probatur ſecunda pars. Quia pondus naturæ ad claram Dei viſionem, ſecundùm quòd eſt totius hominis ſumma perfectio, debet in eſſe potentiæ, per quam homo tendit ad bonum, & beatitudinem in communi: ſed tendit ad bonum, & beatitudinem in communi; tanquàm per naturale pondus per voluntatem. Ergo.

Confirmatur eadem ſecunda pars. Voluntas debet habere pondus ad omne illud, quod ad eius perfectionem pertinet: ſed viſio clara Dei, in caſu poſito, eſſet quoddam bonū voluntatis. Ergo etiam huiuſmodi naturale pondus, ponitur in voluntate. Maior patet, probatur minor. Quia per claram Dei viſionem, voluntas poteſt ſuum obiectum conſequi, fruitionem, ac de Deo delectationem beatificam habere, ſine qua nihil horum ſaluari poteſt.

34 Poſſet tamen aliquis contra hæc, Diuū Thomam obijcere; qui infra quæſt. 78. ar. 1. in reſp. ad 3. ſic ait. *Si autem non indigeret anima rebus perceptis à ſenſu, niſi propter actionem ſenſuum, ſcilicet, ut ea ſentiret, non oporteret appetitiuum; ponere ſpeciale genus inter potentias animæ, quia ſufficeret appetitus naturalis potentiarum.* hæc ille: ſed homo indiget Deo propter actionem intellectiuam, vt, ſcilicet, illum cognoſcat. Ergo non oportet ponere appetitum pro pondere naturæ, ad claram Dei viſionem, in voluntate, quia ſufficeret appetitus innatus in intellectu. *D.Thom.*

Reſpondetur primò, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; ſed homo indiget Deo propter actionem intellectiuam, vt ſcilicet, illum cognoſcat, & per illam cognitionem ſit verè beatus, Deumquè tanquam obiectum beatificans, intra ſe poſſideat, concedo minorem. Vt illum cognoſcat, abſolutè, ſecundùm quòd eſt, tantummodo, intellectus in ratione potentiæ ſpecialis perfectio, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

35 Reſpondetur ſecundò, explicando Authoritatem D.Thomæ, hac diſtinctione. Aliud eſt dicere, oportet ponere appetitiuum, tamquàm ſpeciale genus inter potentias animæ, & Aliud eſt dicere, oportet ponere in appetitiuo, ſeu, In potentia appetitiua, innatum appetitum ad bonum, & ad beatitudinem hominis. Primum, non ſecundum intendit D.Thomas: Nos verò dicimus ſecundum, & non primum. Non enim dicimus, quòd ideo datur voluntas, quia debet dari naturale pondus in voluntate ad claram Dei viſionem, quæ eſt intellectus perfectio, & totius hominis perfecta beatitudo; ſed ſupponimus dari voluntatem, in qua affirmaremus innatum appetitum ad claram Dei viſionem.

Nec obſtat nobis Caietanus, infra, quæſt. 19. ar. 1. qui inter appetitum innatum, & elicitum, multa diſcrimina ponens, ſic ait. *Vnde apprehenſio ipſa, dupliciter poteſt appeti.* *Caiet.*

36 *Primò naturali appetitu, & ſic ab intellectu appetitur, in quantum intellectus naturaliter inclinatur in hanc perfectionem ſuam, quæ eſt apprehendere res. Secundò rationali appetitu, & ſic à voluntate appetitur, vt apprehenſa.*

Non inquam, obſtat, quia Caietanus ibi, de apprehenſione ſecundùm quòd, eſt propria intellectus perfectio; ſermocinatus eſt; non autem de apprehenſione; quæ eſt viſio clara Dei, ſecundùm quòd, eſt quoddam hominis bonum. Et inſuper apud Caietanum, nullus datur innatus appetitus ad claram Dei viſionem, nequè in intellectu, nequè in voluntate. Itaquè loquitur, de apprehenſione abſolutè, & de actu elicito voluntatis conditionato, ſi intelligitur de homine habente fidem, non verò charitatem; De appetitu autem efficaci, & abſoluto; ſi loquitur de homine habente charitatem.

Quidquid autem ſit, de hac Doctorum varietate; Veritas eſt, quòd nequè in intellectu, nequè in voluntate, ad beatitudinem ſuper-

Digitized by Google

pernaturalem, ſiuè illa, in clara Dei viſione, ſiuè in aliquo voluntatis actu, conſiſtat, innatus appetitus inuenitur.

CAPVT SEPTIMVM.

An Detur naturalis appetitus, ad Beatitudinem in communi.

37 Dico Quintò, Non datur naturalis appetitus ad beatitudinem in communi pro vt ly, in communi ad beatitudinem naturalem, & ſupernaturalem, ſe extendit.

Probatur, Quia beatitudo in communi conſiderata, etiam ad beatitudinem ſupernaturalem ſe extendit: ſed beatitudo ſupernaturalis intellectualis creaturæ, proportionem naturalem excedit. Ergo creatura intellectualis non habet pondus naturæ ad beatitudinem in communi, ſecundùm quòd beatitudinem ſupernaturalem includit. Ex ijs, quæ prò præcedenti dicto adduximus, probatur etiam præſens.

Dico ſextò, In creatura intellectuali non datur naturalis appetitus ad beatitudinem in communi, ſi beatitudo in communi ſumatur, vt ſe extendit ad beatitudinem naturalem, vniuerſaliter ſumptam, Pro vt, ſcilicet, diuitias, honores, voluptates, & contemplationem ſubſtantiarum ſeparatarum includit.

Hoc dictum cum ſequenti attentè Thomiſtæ conſiderent; ſi Scoti imaginationes cupiunt extinguere.

Probatur hoc dictum, hac ratione. Inclinatio naturæ, ſeu, naturæ pondus, ad beatitudinem, eſt à Deo, Ergo huiuſmodi pondus, eſt bonum, ac rectum. Patet illa conſequentia; quia quidquid eſt à ſummo bono, non eſt niſi bonum; ſed appetere beatitudinem in communi, pro vt includit etiam diuitias, honores, corporeaſquè delectationes; non eſt bona, ac recta inclinatio; cum re vera, beatitudo naturalis, nequaquàm in illis conſiſtere poſſit. Ergo beatitudo in communi pro vt includit honores, diuitias, &c. à creatura intellectuali, naturali pondere non appetitur. Antequàm diſputationem compleamus, operæ pretium eſt, Diui Thomæ mentem indagare, vnde quærimus.

CAPVT OCTAVVM.

Quid ſenſerit D. Thomas multoties dicens, creaturam intellectualem, appetere beatitudinem in cõmuni, non autem in particulari.

38 Doctor Angelicus, creaturam intellectualem, ad Beatitudinem, in communi, non autem in particulari, naturaliter inclinare, non ſemel atquè iterum, ſed ſæpe numero prompſit: Quod tamen Scotus inſpiciens, ægrè tulit, multiſquè impugnauit. Et quoniam, eius mentem, Scotus (vt puto) non aſſecutus eſt; Idcirco, eius intelligentiam, diligenter oportet ſciſcitari. quamobrem, Scotus.

Obſeruo primò, cum Diuo Thoma, & Caietano, de ente, & eſſentia, cap. 4. quæſt. 5. quòd natura ſecundùm ſe, neque eſt vniuerſalis, ſeu, communis, neque particulari, ſeu ſingularis. cuius ratio eſt, quia natura ſecundùm ſe, tantùm dicit prædicata eſſentialia, ſeù, formalitatem naturæ, vt natura eſt. Vbi adeſt quidem, intellectus abſtractio, ſed eſt formalis, non totalis. D.Thom. Caietan.

Obſeruo ſecundò, quòd natura ſecundùm ſe, quamuis non ſit vniuerſalis, ſeu, communis poſitiuè, ex vi tamen, talis conſiderationis, ideſt, abſtractionis formalis, qua, ſcilicet, ſecundũ ſua pdicata eſſentialia concipitur; habet vt ſit communis negatiuè, ideſt, vt non dicat formalem diſtinctionem.

Obſeruo Tertiò, quòd eſſe commune, negatiuè, dupliciter dici poteſt, Primò, quò ad modũ cõcipiẽdi, ſeu, ſignificandi. Secundò, quo ad rationem ſignificatam. Primo modo, ideo dicitur commune, quia ex modo, quo concipitur, vel ſignificatur, non concipitur, vt alicui applicatum. Secundo modo, dicitur commune, quia ratio concepta, eſt à pluribus abſtracta, vel pluribus communicabilis eſſe non repugnat. Exemplum primi V.G. Raphael, qui dicitur communis negatiuè, primo modo, quia eo modo, concipitur, & ſignificatur, ac ſi eſſet à pluribus abſtractus, vel pluribus communicabilis; non minus, quàm homo, & tamen, iuxta veriorem D. Thomæ ſententiam, quilibet Angelus conſtituit ſuam ſpeciem, taliter, quòd etiam per Dei potentiam abſolutam, plures Angeli ſub eadem ſpecie ſolo numero differentes, eſſe

non

Digitized by Google

non poſſunt. Exemplum ſecundi, vt homo. qui non ſolùm dicitur communis, quo ad modum ſignificandi, ſed etiam quo ad rationem formalem hominis, cui, à pluribus abſtrahi, pluribuſquè communicari non repugnat.

Ex quo breuiter, Tranſeunter tamen, & extra inſtitutum, colligo; quòd Angelus Raphael, V.G. eſt ſpecies phyſicè, Logicè autem quo ad modum ſignificandi, & concipiendi tantùm, non autem quantùm ad rationem ſignificatam; Et ratio eſt manifeſta; Nam Raphael, V.G. dicit vnam naturam formaliter, non ſolo numero a Gabriele diſtinctam. Ergo eſt ſpecies phyſicè. & inſuper, quo ad modum ſignificandi, ac concipiendi, abſquè conditionibus explicatur. Ergo quantùm ad hoc, ſpeciei Logicæ, rationem ingreditur, per hoc ſolùm, ſcilicet, quia ex modo quo concipitur, de pluribus prędicari, non repugnat; & Tandem. Rationi formali Raphaelis de pluribus prædicari omnino repugnat, non ſolùm phyſicè, ſed etiam Logicè, eo quia, ſi Logicè, communicabilis eſſet, pluribus ſolo numero differentibus, neque per intellectum aſſignari poſſet, per quid Angeli de quibus Raphael V.G. prædicaretur, eſſent ſolo numero plures;

Ad rem. Quando D.Thomas ait, quòd homo, beatitudinem in communi, naturaliter appetit, ly, in communi, non accipitur, pro communi poſitiuè, vt probatum eſt, non pro communi, negatiuè, quò ad rationem ſignificatam, ſed quò ad modum ſignificandi, vel concipiendi duntaxat, & ſermo eſt de beatitudine formaliter ſumpta, non omnino præciſe, ſed naturaliter appetenti proportionata; vnde in ordine.

39 Dico Septimò. Creatura intellectualis naturaliter appetit beatitudinem, ſibi naturaliter proportionatam, ſi, ly, in communi, accipiatur communitate negatiua, & quo ad modum ſignificandi, ideſt, vt dicit beatitudinem formaliter, ſed naturaliter ſibi proportionatam.

D.Thom. Quòd autem hæc ſit germana ſententia Diui Thomæ, ex eius verbis in varijs locis, colligi, confirmarique poteſt. Nam p. p. q. 2. ar. p. ad primum hæc habet verba. *Cognoſcere Deum eſſe in aliquo communi, ſub quadam confuſione. eſt nobis naturaliter inſertum; in quantùm ſcilicet, Deus eſt hominis beatitudo; homo enim naturaliter appetit beatitudinem, & quod naturaliter deſideratur ab homine, naturaliter cognoſcitur ab eodem, ſed hoc non eſt ſimpliciter cognoſcere Deum eſſe, ſicut cognoſcere Venientem, non eſt cognoſcere Petrum. quamuis ſit Petrus veniens, multi enim perfectum hominis bonum, quod eſt beatitudo, exiſtimant, diuitias. Quidam verò voluptates, Quidam aliquid aliud.* hæc ille. Quæ verba. Si diligenter expendantur, apertiſſimè præcedentia dicta confirmant. In illis enim habetur, quòd appetens beatitudinem formaliter, appetit etiam Deum, ſed materialiter, ſcilicet, quantùm ad rem ſignificatam, nam beatitudo quantùm ad rem ſignificatam, non eſt aliquid commune. Habetur inſuper; quòd appetens beatitudinem formaliter, cognoſcit Deum in aliquo cõmuni; & ſub quadam confuſione; hoc autem commune, non eſt commune communitate prædicationis, quantùm ad rem ſignificatam; ſed eſt ipſa beatitudo formaliter conſiderata, quæ in re, ſeu, materialiter, identificatur cum Deo; & tantummodo dicitur communis negatiuè, & quo ad modum ſignificandi; idquè eiuſdem Doctoris Angelici exemplo, apprimè manifeſtari poteſt. Quemadmodum enim cognoſcere venientem, non eſt cognoſcere Petrum: quamuis Petrus ſit ille, qui veniens eſt. Nam vt in ſummulis docuimus, cum dico cognoſco venientem, ly, venientem. intelligitur formaliter, id eſt, in ratione venientis; cum verò ſubiungitur; Veniens eſt Petrus, ly, veniens, accipitur materialiter, id eſt, pro Perſona, ſeu, homine veniente. Ecce quomodo, paritate ſeruata, ſumitur beatitudo in communi, pro beatitudine formaliter; & non pro aliquo communi poſitiuè; vel quo ad rationem ſignificatam.

40 Et prima ſecundæ quæſt. 1. ar. 5. in corp. ſic ait. *Cum vnumquodquè appetat ſuã perfectionem, illud appetit aliquis, vt vltimũ finem, quod appetit vt bonum perfectum, & completiuum ſui ipſius;* & ar. 6. in corp. Sic ait. *Quidquid homo appetit, appetit ſub ratione boni,* & ar. 7. in corp. *De vltimo,* inquit, *fine, poſſumus loqui dupliciter. Vno modo ſecundùm rationem vltimi finis. Alio modo ſecundùm id, in quo finis vltimi ratio, inuenitur. Quantùm igitur ad rationem vltimi finis, omnes conueniunt in appetitu finis vltimi; quia omnes appetunt ſuam perfectionem adimplere, quæ eſt ratio vltimi finis.* Et in reſponſione ad primum. *Illi,* inquit, *qui peccant, auertuntur ab eo, in quo verè inuenitur ratio vltimi finis, non autem ab ipſa vltimi finis intentione, quam quærunt falsò, in alijs rebus.* In quibus locis, iam manifeſtè habetur, quòd ratio vltimi finis, & id in quo, ratio vltimi finis inuenitur, non diſtinguuntur, & quòd id in quo, ratio vltimi finis inuenitur; Eſt aliquod particulare, & conſequenter ratio vltimi finis, ſeu, beatitudinis, quò ad rem ſignificatam non diſtinguitur à re, in qua beatitudo conſiſtit, ſecundùm mentem Sancti Thomæ. Habentur etiam quæſt. 5. ar. 8. in corpore, hæc verba; *Beatitudo dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundùm communem rationem beatitudinis; & ſic neceſſe eſt, quòd omnis homo beatitudinem velit; ratio autem beatitudinis communis, eſt;* D.Thom.

vt ſit

Digitized by Google

Vt ſit bonum perfectum ſicut dictum eſt: cum autem bonum, ſit obiectum voluntatis; perfectum bonum, eſt alicuius, quod totaliter eius voluntati ſatisfacit. Vnde appetere beatitudinem, non eſt aliud, quàm appetere vt voluntas ſatietur, quod quilibet vult. Alio modo poſſumus loqui de beatitudine ſecundùm ſpecialem rationem, quantum ad id, in quo beatitudo conſiſtit; & ſic non omnes cognoſcunt beatitudinem, quia neſciunt cui rei, communis ratio beatitudinis conueniat; & per conſequens
41 *quantum ad hoc non omnes eam volunt.* Doctoris Angelici verba. & præcipue illa, nempè, *Ratio autem beatitudinis in communi, eſt vt ſit ſummum bonum perfectum, vt dictum eſt.* attentè conſidera. Nam per, ly, vt dictum eſt in margine, Articulus quintus, & ſeptimus, ſupra citati ſignantur: ſed in articulo 5. & 7. nomine beatitudinis, ſeu vltimi finis formaliter; intelligit tantummodo, bonum perfectiuum voluntatis; Ergo nomine beatitudinis communis, aliud non intelligit, quàm beatitudinis rationem formalem, ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, quæ non eſt communis poſitiuè, ſed negatiuè; & negatiuè non quo ad rem ſignificatam, ſed quo ad modum ſignificandi. quare, &c. quibus ad mentem D. Thomæ præſuppoſitis.

Probatur breuiter noſtrum dictum. Beatitudo naturalis formaliter, ſecundùm rationem perfecti boni, ſatiantis naturam appetentem, eſt per ſe, & connaturaliter obiectum voluntatis. Ergo naturaliter appetitur.

CAPVT NONVM.

Probatur non dari pondus naturæ ad videndum Deum, vt Authorem naturæ.

Dico vltimo. Non datur in creatura intellectuali, naturalis appetitus ad videndum Deum clarè, & diſtinctè ſecundùm quòd eſt Author naturæ.

Probatur. Quia creatura intellectualis Deum,
42 vt Authorem naturæ clarè, & diſtinctè, naturalibus viribus cognoſcere nequit. Ergo nequè etiam ad huiuſmodi viſionem naturaliter inclinatur. Antecedens patet. & magis patebit infra. conſequentia verò probatur. Quia quod non poteſt naturaliter aſſequi, nequit naturaliter appeti.

Confirmatur. Clara viſio Dei, vt Authoris naturæ, eſt obiectum ſupernaturale. Ergo creatura intellectualis, ad huiuſmodi claram Dei viſionem, non habet naturalem inclinationem. Antecedens patet. Quia ad huiuſmodi viſionem, requiritur lumen gloriæ, quod eſt ſimpliciter ſupernaturale, & inſuper non poteſt videri Deus, vt Author naturæ, quin etiam, vt Author gratiæ videatur. Ergo.

43 Dixi, quòd viſio clara Dei, vt Authoris naturæ, eſt obiectum ſupernaturale; non tamen dixi, quòd eſt cauſa ſupernaturalis. Eo quia, in ratione cauſæ, non dicitur cauſa ſupernaturalis, quatenus eſt Author naturæ; quoniam hac via dicitur cauſa naturalis. Nam vt Author naturæ producit naturam, & effectum naturalem. dicitur tamen cauſa ſupernaturalis, vt Author gratiæ, quia producit gratiam, & effectum ſupernaturalem. Verum in ratione obiecti: Deus vt Author naturæ, dicitur obiectum ſupernaturale. quia eius clara cognoſcibilitas; cuiuſcumquè creatæ, vel creabilis naturæ intellectualis vires naturales, excedit. & per conſequens, in ratione obiecti, eſt obiectum ſupernaturale. qua ratione cordium cogitationes, & futura contingentia, quamuis in ſe ſint entitates naturales; tamen, in ratione obiecti, ſunt obiecta ſupernaturalia. Quatenus, ſcilicet, cuiuſcunquè naturalis luminis virtutem cognoſcitiuam, excedunt. vnde ſolus Deus, eſt ſcrutator cordium, & futurorum contingentium cognoſcitiuus. Ergo à fortiori, Deus vt Author naturæ, cum ſit entitatis maximè ſupernaturalis, non obſtante quòd dicatur cauſa naturalis, habet rationem obiecti ſupernaturalis.

CAPVT DECIMVM.

Argumenta Pro Scoti, Aliorumquè opinione, Adducuntur, & Soluuntur.

44 **S**ed Contra iſtam determinationem Obiiciet aliquis, ex Scoto, Primò. Nam Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. ſic ait, *Poſſe habere fidem, & charitatem naturæ eſt hominum; habere autem; gratiæ eſt fidelium.* Ergo ex mente Auguſtini, homo naturaliter inclinat ad fidem, & charitatem. Auguſt.

Confirmatur ex eodem qui libr. 1. confeſſionum cap. 1. ſic deuotè, humiliterquè, clamat. *Fecisti nos Domine ad te, & inquie-*

Digitized by Google

tum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, Ergo homo naturaliter inclinat ad Deum.

Reſpondetur, explicando D. Auguſtini Authoritatē, in argumento poſitā, hoc modo. *Poſſe habere fidem, ſicut, Poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum*. Ita vt ſenſus ſit, *naturæ eſt hominum*, Ideſt, non ex ſpeciali Dei munere venit, ſed naturæ, per potentiam obedientialem ineſt, concedo. Et in hoc ſenſu, locutus eſt Auguſtinus. *Naturæ eſt hominum*, Per Potentiam naturalem, vt contradiſtinctam, ab obedientiali, nego. Et in hoc ſenſu, non locutus eſt Auguſtinus.

45 Hanc autem eſſe, veram, ac ſinceram, verborum Diui Auguſtini intelligentiam, nullus prorſus, qui eum legerit, ambigere poteſt. Nam, per ſupradicta verba, hoc enucleare intendit, nempè, quod poſſe habere fidem, quemadmodum, poſſe habere charitatem, hominem, ab homine non diſcernit. Habere verò, de facto, fidem, & charitatem, in Deum credere, ipſumquè ſuper omnia diligere, hominem diſcernit ab homine. Eo quia poſſe habere fidem, conuenit naturæ humanæ, per potentiam obedientialem, quæ eſt ipſamet natura, à Deo tanquàm ab Authore ſupernaturaliter agente, eleuabilis, vel ordinabilis: Potentia autem obedientialis humanæ naturæ, cum ſit ipſa natura, omnibuſquè communis, & ex ſpeciali Dei gratia, homini non conferatur, ab homine, hominem non diſcernit: Habere autem, fidem, & charitatem, eſt ex ſpeciali gratia Dei, & conſequenter, hominem diſcernit ab homine. D. Auguſt. Et quòd ita res ſe habeat, ipſum audiamus, eiuſquè verba fideliter referamus. Sic enim loquitur. *Non autem, ait Apoſtolus, quod autem potes habere, quod non accepiſti, ut poſſes habere, ſed ait, quid autem habes, quod non accepiſti? Proinde poſſe habere fidem, ſicut, poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum: Habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. Illa itaquè natura, in qua nobis, data eſt poſſibilitas, habēdi fidem, non diſcernit ab homine, ipſa verò fides, diſcernit ab infideli, fidelem.* hæc ille. Quæ verba, nequè explicatione, neque exageratione indigent, cum apertiſſima ſint.

Auguſt. Ad Confirmationem, Reſpondetur, Dupliciter D. Auguſtini Authoritatem, explicando, Primò quidem, hoc modo. *Et inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*, Propter pondus gratiæ, concedo. Propter pondus naturæ, nego. Etenim, Diuus Auguſtinus, cum dicit; *Feciſti nos Domine ad te*. De homine in ſtatu gratiæ condito, loquitur, Et ſenſus eſt, quòd vniuerſam hominis naturam, Deus condidit, vt finem ſupernaturalem acquirat. Cùm verò ſubdit. *Et inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Homini gratia tracto, & diuina charitate vulnerato, ſe coniungit. Multi enim ſancti fuere, qui hanc cordis inquietitudinem, ex pondere gratiæ prouenientem, proprijs vocibus explicarunt. Sic Regius Pſaltes. *Tunc ſatiabor, cum apparuerit gloria tua*. Pſal. 16. Sic Humilis diuinæ gratiæ, Prædicator. *Coarctor autem, è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Phil. 1. *Non habemus hic ciuitatem permanentē, ſed futuram, inquirimus*. Heb. 3. Sic Angelicus Eccleſiæ Doctor, Aquinas; qui D. Thom. Chriſto Domino, quam mercedem peteret, interroganti; *non aliam Domine*, Reſpondit; *niſi teipſum*. Et ſic, Auguſtinus, qui inter Auguſt. Dei Amicos, & gratia, & charitate, maximè fulſit: Non quando, hæreticorum peſtilentia ſauciatus, ſed dùm diuino, accenſus erat ardore, in hæc verba prorupit. *Tu enim excitas, vt laudare te delectet, Et inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*. Loquitur igitur, de inquietitudine cordis ſui, proueniente quidem, ex pondere, non naturæ, ſed ex Dei gratia, qua ad æternæ ſalutis centrum efficaciter eleuamur; Atq; ad excelſa præmia conſequenda, infallibiliter peruenimus.

46 Secundò, Diuus Auguſtinus, ſic explicari poteſt. *Et inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Ideſt, omne deſiderium noſtrum, in te clarè viſo, & non in alio ſecura, ac perfecta quiete ſatiatur.

Obijcies Secundò. Vnumquodquè naturaliter appetit ſuam perfectionem, & maximè maximam: Sed Viſio clara Dei, & Amor amicitiæ Dei clarè viſi, eſt hominis, maxima perfectio, Ergo homo naturaliter, & maximè, claram Dei viſionem appetit.

Reſpondetur breuiter, Ad hoc argumentum, quod eſt Scoti fundamentum, diſtinguendo maiorem. Vnumquodquè naturaliter appetit ſuam perfectionem, & maximè maximam ſibi tamen naturaliter proportionatam, concedo maiorem; Et maximè, maximam, ſupernaturaliter ſibi præſtitā, & naturaliter improportionatam, nego maiorem. Scotus. Ad minorem: ſed Viſio clara Dei, eſt maxima hominis perfectio, diſtinguo minorem. Eſt maxima perfectio hominis, ſed improportionata, & ſupernaturalis. Concedo minorem. Et naturaliter proportionata, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

47 Obijcies Tertiò; & Contra reſponſionem militat. Omnis inclinatio, omniſquè potentia, vel eſt Naturalis, vel Violenta, vel Neutra: ſed potentia, & inclinatio intellectualis creaturæ ad Deum clarè viſum; non eſt violenta. Quia videntes Deum, tanto pondere ad illum inclinant, tantaquè ſuauitate fruuntur, vt de ipſis Angelicis ſpiritibus, Deum ſemper intuentibus, dicatur. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. i. tanta delectatione proſpiciunt, vt numquam ipſorum diuina viſio,

Digitized by Google

viſio, in faſtidium ducat. neque poteſt dici neutra. vt ex ſe patet. Ergo à ſufficiẽti diuiſione eſt potentia, & inclinatio naturalis.

Reſpondetur negando maiorem. Falſum enim omnino eſt, omnem potentiam, vel eſſe naturalem; vel neutram, vel violentam; Potentia enim neutra, nulla eſt. vt optimè, communiter Thomiſtæ contra Scotũ probãt. Vera igitur, potẽtię diſtributio, eſt iſta. Omnis potentia, vel eſt naturalis, vel Violenta, vel Obedientialis, vel ſupernaturalis: Potentia naturalis, dicit ordinem naturalem ad formam naturaliter acquiſibilem. Vt materia prima reſpectu formæ ſublunaris. Violenta, eſt ad formam contra eius naturalem inclinationem. vt graue, poſſe ſurſum tendere. Obedientialis, eſt natura ipſa, vt ſubdita Deo, tanquam agẽti ſupernaturali. vt homini conuenit poſſe habere lumen gloriæ, &c. Potentia verò ſupernaturalis, dicit virtutem ſupernaturalem, vt poſſe videre Deum, & cæt. poſita igitur hac legitima potentię diſtributione, Reſpondetur ad argumentum, concedendo maiorem, & negando minorem, quam Scotus non probat.

Obijcies Quartò. Si intellectus creatus, non haberet naturale pondus, ad beatitudinem ſempiternam, ſeu, ad Deum clarè viſum, maximè eſſet, quia Deus clarè viſus eſt obiectum excedens intellectus creati proportionem: ſed talis exceſſus non Officit, quin intellectus ad Deum poſſit naturaliter inclinare. Ergo, &c. maior patet. probatur minor. Quia oculus noctuæ naturaliter inclinat ad videndum Solem, vt eſt in ſe: ſed Sol virtutem naturalem potentiæ viſiuæ, maximè excedit. & ſimiliter, intellectus humanus, ſubſtantias ſeparatas. & ens in quantùm ens, naturaliter cognoſcere inclinat. & tamen intellectus creati virtus, à ſubſtantijs ſeparatis exceditur. & ſimiliter ab ente in quantum ens. Ergo, &c.

48 Reſpondetur primò, declarando maiorem. Si intellectus creatus, &c. maximè eſſet quia Deus clarè viſus eſt excedens totam latitudinem virtutis naturalis, cuiuſcumquè, ſcilicet, intellectus creati, vel creabilis. Hoc modo declarata maiori, Conceditur maior. & negatur minor. & ad probationem primam. Concedo maiorem. & diſtinguo minorem. ſed Sol virtutem potentiæ viſiuæ noctuæ maximè excedit; excedit, inquam, virtutem naturalem quam actu habet, concedo minorem. excedit virtutem naturalem, quam habet, & habere poteſt, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem, concedo maiorem, quo ad vtramquè partem: & diſtinguo minorem; ſed intellectus creatus, &c. Reſpectu huius ſtatus, concedo minorem. Reſpectu intellectus humani, quantùm ad omnem eius ſtatum, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

49 Reſpondetur ſecundò, concedẽdo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Oculus noctuæ ſecundùm rationem ſpecificam, naturaliter inclinat ad videndum Solem, vt eſt in ſe, concedo maiorem. Secundùm rationem indiuidualem, nego maiorem. Vel ſub alijs verbis, diſtinguo maiorem. Potentia viſiua noctuæ, naturaliter inclinat ad videndum Solem, ſecundùm quòd, Sol poteſt eſſe obiectum, non excedens virtutem naturalem, potentiæ viſiuæ noctuæ, concedo maiorem. Ea ratione, qua eſt excedens, nego maiorem. Similiter dicendum eſt, de intellectu noſtro, reſpectu ſubſtantiarum ſeparatarum, & de ente in communi. Quoniam cenſeo, quòd nulla potentia habet naturalem appetitum; ad aliquam formam, ſeu, obiectum, ea ratione, qua eſt excedens, ſed ea ratione, qua potentia reſpicit obiectum, tanquàm naturaliter ſibi proportionatum. Quia igitur Sol, poteſt eſſe obiectum proportionatum potentiæ viſiuæ noctuæ, ideo poteſt ab ea, eius viſio naturaliter appeti: Et ſimiliter ſubſtantiæ ſeparatæ reſpectu intellectus, quia poſſunt eſſe obiectum intellectus noſtri, naturaliter proportionatum; Ideo in intellectu noſtro, eſt naturalis inclinatio, ad huiuſmodi cognoſcenda.

50 Obijcies Quintò, ex Valentia, pro Scoto. Appetere beatitudinem, ſeu, Deum clarè viſum, appetitu naturali, nihil aliud eſt, quàm habere quamdam capacitatem ad ſupradictam viſionem: ſed non eſt, in libertate alicuius poſitum, vt hanc naturæ capacitatem habeat, vel non habeat, ad claram Dei viſionem. Ergo omnes, & neceſſariò, beatitudinem in communi, & in particulari, naturaliter appetunt. Valentia.

Mira res. Sunt quidam Theologi, qui ita creatæ voluntatis præcipitant libertatem, vt etiam in libertatem vindicent intellectum, Qui, & ſi aliquando dubius, vel errans, nunquam tamen liber eſt, ſed veritate, neceſſariò conuincitur, quando ſibi eſt manifeſta: Quod autem in argumento aſſumitur, tanquàm à libero intellectu, voluntariè aſſeritur. Vnde.

Reſpondetur, negando maiorem, quæ à Valentia aſſumitur, non probatur, ſed nec probari poteſt.

Obijcies ſextò, pro eodem Scoto. Potentiam appetere aliquam formam, non eſt aliud, quàm illam, ad formam ordinari: ſed creatura intellectualis, ordinatur ad claram Dei viſionem. Ergo dicit naturalem inclinationem ad illam. Maior eſt Diui Thomæ, 1. phyſic., text. 81. lect. 15. Vbi hæc habet verba. *Nihil eſt aliud, materiam appetere for-* D. Thom.

CAPVT QVINTVM,

Modi dicendi, Valentiæ, & Recupiti, impugnantur.

Valentia. Recupit.

24 GRegorius de Valentia, qui ſupra, affirmans, in creatura intellectuali, dari pondus naturæ, ad claram Dei viſionem, ait; Nomine appetitus innati, tantummodo capacitatem videndi Deum, intelligi: Et Recupitus lib. 6. de verit. quæſt. 1. cap. 3. num. 22. cum Scoto, Contra Thomiſtas, naturalem appetitum ad claram Dei viſionem admittit: Timens autem, cum eodem Scoto, ad eamdem viſionem, potentiam naturalem affirmare, docet dari quidem, naturalem appetitum; non verò, potentiam naturalem; Et in fine capitis contra ſeipſum, hoc modo inſtans. *Non videtur explicabile, quid ſit hic appetitus naturalis, præter potentiam naturalem; Nam cum præcedat omnem actum ſecundum naturalem, non videtur poſſe coſiſtere in alio, quàm in actu primo naturali; Et ſic non videtur diſtingui appetitus innatus, ab ipſa potentia naturali; quæ tamen, nulla eſt in homine reſpectu viſionis Dei per eſſentiam,* Reſpondens ſic ait. *Respondeo, potentiam, quæ reſpectu ſummi boni, ut aſſequibilis, dicitur obedientialis, reſpectu eiuſdem, ut appetibilis, dici appetitum naturalem, prout eſt principium inclinatiuum, ad deſiderium frequens eiuſdem. Nam cum natura intellectiua creata, ſit ordinata intrinſecè ad cognitionem Dei imperfectam; & poſſit ulterius eleuari ad perfectam, in qua completur appetitus omnis boni, & omnis veri, naturaliter ab imperfecta excitatur, ad deſiderium perfectæ; Neque quieſcit, niſi illa habita: & hoc eſt, habere appetitum innatum viſionis.* hæc ille.

Valentia. Scotus. D. Thom.

25 Sed contra Valentiam argumentor primò. Quia aſſerere appetitum innatum, eſſe ſolam capacitatem, eſt contra Scotum, & contra Sanctum Thomam, Omneſque alios Doctores hanc controuerſiam diligentiſſimè diſputantes; quique omnes capacitatem, ad claram Dei viſionem in intellectuali creatura concedentes, perpenſè, de appetitu innato, ad inuicem digladiantur. Ergo. Et inſuper, Velit, nolit, Valentia; quamuis ſit cum Scoto verbaliter, eſt cum Diuo Thoma realiter. Quia Valentia, vltra capacitatem ad videndum Deum, aliam naturalem proportionem in creatura intellectuali, non admittit, ſed ſolam potentiam obedientialem, hoc autem eſt, quòd Diuus Thomas docet.

Valentia.

Confirmatur; Quia ſi nomine appetitus innati, ad intuitiuam Dei viſionem, ſola capacitas intelligeretur; Iam inter Scotum, & Thomiſtas, completa eſſet controuerſia, & Scotiſtæ, fruſtra Thomiſtis opponerentur; Nam Scotiſtæ, & Thomiſtæ, tamquam veri Chriſti fideles, ſupradictam capacitatem confitentur. Ergo ſi nomine appetitus innati, ſola capacitas intelligeretur, nulla eſſet inter Scotiſtas, & Thomiſtas de appetitu innato ad claram Dei viſionem controuerſia, niſi de ſolo nomine.

26 Secundò. Quia ſi ſola capacitas, ad rationem naturalis inclinationis, ac naturæ ponderis, eſſet ſufficiens, ſequeretur, quòd panis haberet naturalem inclinationem, vt conuertatur in Corpus Chriſti, & vinum in eiuſdem ſanguinem; quòd Accidens ſine ſubiecto exiſtat, & quòd natura ſubſtantialis creata, ſubſiſtentia diuina ſubſiſtat; & ſic in ſexcentis, & alijs infinitis caſibus: Hoc autem, apud omnes falſum eſt, & ridiculum. Ergo. Sequela iam patet; Quia Panis, & Vinum, Accidens, Natura ſubſtantialis, &c. Capacitatem habent ad ſupradicta. Ergo.

27 Contra Recupitum verò, ſic argumentor. Nam apertè docet, naturalem appetitum ad claram Dei viſionem, quem, paulò ante ſupradicta, multis tergiuerſationibus, approbauerat, & probauerat, non eſſe potentiam naturalem, ſed obedientialem tantùm, ſeu capacitatem; In qua re, videtur cum Valentia conuenire: docet etiam, hoc deſiderium, ab appetitu imperfecto excitari. Tunc ſic. Potentia, ſeu, inclinatio, quæ vt alia inclinatione imperfecta excitat, aliquid appetit; non eſt naturæ pondus; neque eſt tamquàm actus primus, ſed eſt actus ſecundus, & elicitus. Ergo non benè à Recupito, ſoluitur inſtantia, contra ſeipſum, à ſemetipſo inſtaurata.

Neque iuxta eius opinionem, rectè, & conſequenter loquitur. Nam appetitus naturalis, pro pondere naturæ acceptus, debet eſſe in potentia naturæ, ſeu, in potentia naturali, ſecundùm quòd naturalis eſt. Ergo ſi per Recupitum, non datur potentia naturalis, ſed tantùm obedientialis, ad claram Dei viſionem, non conſequenter ſuſtinet, ad eam dari, naturalem appetitum pro pondere naturæ.

Secundò. Quia potentia obedientialis (vt Recupitus ipſe quæſt. 15. num. 6. & 9. docet) non eſt propriè, & completè potentia. Ergo ad ipſam non ſequitur; ſeu, ipſa non eſt naturalis inclinatio. Probatur iſta conſequentia; Quia naturalis inclinatio, ſeu, naturæ pondus alicuius potentiæ, ſupponit potentiam in eſſe potentiæ, completè conſtitutam. Quomodo enim potentia, ad actũ tendit, antequàm habeat potentiæ rationem? Recupit.

28 Tertiò. Potentia obedientialis reſpectu viſionis beatificæ, non eſt aliud, quàm capa-

pa-

Digitized by Google

pacitas creaturæ, vt ad claram Dei viſionem, à Deo eleuari, inclinari, & ordinari poſſit. Ergo aptitudo actualem eleuationem, non dicit inclinationem, nec ordinem ad dictam viſionem, ſed inclinabilitatem, ſeu ordinabilitatem ad illam.

Tandem. Quia vt ex infra dicendis patebit, lumen gloriæ nullam actiuitatem intellectui præbet, iuxta Recupiti doctrinam: ſed virtus ſibi præſtita a natura, ſufficientiſſima eſt, præbere concurſum, ex parte intellectus, in ratione potentiæ vitalis exigitum. Ergo immeritò intellectus vocatur potentia obedientialis, reſpectu viſionis, non verò naturalis.

Navarret. Videatur Nauarrete, hic controuerſia 33. ad argumentum Valentiæ, qui aſſerit, in nulla opinione eſſe probabile, quòd per naturæ pondus, intelligatur capacitas ad beatitudinem, & iure optimo. Nam nullus iſtam capacitatem negat, & tamen dari pondus naturæ parum apparentiæ habet. Eſt igitur liberè, & voluntariè dicta, ac ſingularis, Opinio Valentiæ. Opinio autem Recupiti, non bene ſibi conſtat.

CAPVT SEXTVM.

Si In creatura intellectuali, daretur appetitus pro pondere naturæ, ad beatitudinem ſempiternam, In qua potentia collocaretur; In Intellectu, ſcilicet, An, In Voluntate?

Scotus. 29 SCotus, in 4. diſt. 49. quæſt. 10. ait, quòd in voluntate: his verbis. *Dico quòd duplex eſt appetitus in voluntate, naturalis, & liber. Naturalem, ſolùm dico, potentiam voluntatis, abſolutè, ſed non aliquid ſuperadditum voluntati.* Et paulò poſt, ibidem, inquit, *appetitu naturali, patet quòd voluntas, neceſſariò, & perpetuò, & ſummè, appetit beatitudinem, & hoc in particulari.*

Durandus in 4. eadem diſt. quæſt. 8. num. 8. ponit appetitum naturalem ad beatitudinem, in intellectu. Cuius iſta ſunt verba. *Iſte autem appetitus, non eſt appetitus voluntatis, ſed intellectus; quia ſicut probatum fuit; Beatitudo eſt actus, & perfectio intellectus: Appetitu autem naturali, vnumquodque appetit ſuam perfectionem, & non aliud; & ideo appetitu naturali, intellectus appetit beatitudinem, & non voluntas, niſi habitudinem accidentalem, quæ poteſt eſſe perfectio eius.*

Sotus. Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. ar. 1. concl. 1. Durandum impugnat, in eo quòd dicit ad beatitudinem, non voluntatem, ſed intellectum propendere. Dicit enim ipſe, quòd appetitus naturalis, ad beatitudinem ſupernaturalem, eſſet potiùs in voluntate, quàm in Intellectu. Quia quamuis negandum nō ſit, in intellectu eſſe propenſionem, & appetitum ad videndum diuinam eſſentiam, quia tamen, homo eſt, qui appetit videre diuinam eſſentiam, & proprius appetitus hominis, eſt voluntas, potiùs dicendum eſſe, appetitum, ac propenſionem naturalem videndi diuinam eſſentiam, eſſe in voluntate, quàm in intellectu.

30 Molina hic, diſp. 2. §. Meo tamen iudicio, defendit Durandum, contra Sotum, ſic dicens. *Quia voluntas eſt appetitus hominis, non quatenus eſt propenſio naturalis, ſine actu elicito, ſed quatenus homo per eam appetit actu elicito, quem cognitionem intellectus ſequitur. Vt enim homo per intellectum apprehendit omnia bona, ita per voluntatem, actu elicito, appetit illa omnia: Appetitu verò, ſumpto pro pondere naturæ, ſine actu elicito, per viſum quidem, appetit homo videre, per intellectum intelligere, per grauitatem deſcendere, & ita per reliquas potentias, appetit actus, quorum ſunt potentiæ, non vero, per voluntatem, ſed in intellectu, ad videndum Deum; In voluntate verò, ad amandum Deum clarè viſum poni debet.* Molina.

Verùm, huius controuerſiæ deciſio, de facili expeditur. Vnde pro determinatione veritatis, & in ordine,

31 Dico ſecundò, Si in creatura intellectuali daretur naturalis appetitus pro pōdere naturæ, ad beatitudinem ſupernaturalem in particulari; In voluntate, daretur innatus appetitus ad amorem amicitiæ Dei, & in intellectu, daretur innatus appetitus ad viſionem.

Hoc dictum, quò ad primam partem, eſt Scoti, nec à Durando negatur; quò ad ſecundam verò partem, eſt Durandi, neque à Scoto negari poteſt; Et probatur. Quia ſicut beatificus amor amicitiæ Dei, eſt volitiuæ potentiæ propria perfectio, ita eſt intellectus propria perfectio, viſio clara Dei. Ergo quemadmodum voluntas, naturali pondere ad amorem amicitiæ Dei inclinat, ita intellectus ad viſionem, & è contra.

32 Dico Tertiò, Si in creatura intellectuali, daretur innatus appetitus ad claram Dei viſionem, huiuſmodi appetitus, eſſet in intellectu, & in voluntate, etiam ſi beatitudo conſiſteret in actu voluntatis, non autem in actu intellectus.

Hoc dictum, videtur eſſe Contra Molinam, loco citato; ſic tamen illud probo. In volūtate daretur appetitus pro pondere naturæ, ad amandum Deum clarè viſum. Ergo daretur etiam, naturalis appetitus, in eadem voluntate, ad claram Dei viſionem; non

Digitized by Google

non quidem, vt ipſa voluntas, appetat videre, ſed quia voluntas inclinaret, ac naturaliter propenderet, vt intellectus habeat claram Dei viſionem. Antecedens eſt eiuſdem Molinæ, probatur autem conſequentia: Quia inclinans ad amandum Deum clarè viſum, eodem pondere, quo propendit ad amorem Dei, propendit etiam ad eiuſdem viſionem. Non enim poteſt naturaliter ad amandum Deum clarè viſum inclinare, & ad claram Dei viſionem conſequendam non propendere. Cum beatitudo, conſiſtat in amore amicitiæ, vel delectatione Dei, clarè viſi.

33 Dico Quartò. Si in creatura intellectuali, daretur innatus appetitus ad beatitudinem ſupernaturalem, & beatitudo ſupernaturalis, in clara Dei viſione conſiſteret, talis appetitus, non ſolùm eſſet in intellectu, verùm etiam in voluntate.

Scotus. Molin. Hoc dictum, eſt Soti, & Contra Molinam. Sed antequàm probetur, explicatur. Viſio clara Dei duobus modis conſiderari poteſt. Primò, pro vt eſt propria, ac præſtantiſſima intellectus in ratione potentiæ, ſpecialis perfectio. Secundò, pro vt eſt hominis beatitudo. Primo modo, Intellectus ad eam pondere naturali inclinat: Secundo verò modo, Voluntas.

Probatur igitur prima pars; Quia iuxta horum Doctorum opinionem, naturale pondus, ad claram Dei viſionem concedentiû, quælibet potentia dicit naturalem inclinationem ad ſuam maximam, præſtantiſſimamque operationem. Ergo in intellectu daretur naturale pondus, ad claram Dei viſionem, quæ eſt eiuſdem præſtantiſſima perfectio.

Probatur ſecunda pars. Quia pondus naturæ ad claram Dei viſionem, ſecundùm quòd eſt totius hominis ſumma perfectio, debet in eſſe potentiæ, per quam homo tendit ad bonum, & beatitudinem in communi: ſed tendit ad bonum, & beatitudinem in communi; tanquàm per naturale pondus per voluntatem. Ergo.

Confirmatur eadem ſecunda pars. Voluntas debet habere pondus ad omne illud, quod ad eius perfectionem pertinet: ſed viſio clara Dei, in ea ſuppoſito, eſſet quoddam bonû voluntatis. Ergo etiam huiuſmodi naturale pondus, ponitur in voluntate. Maior patet, probatur minor. Quia per claram Dei viſionem, voluntas poteſt ſuum obiectum conſequi, fruitionem, ac de Deo delectationem beatificam habere, ſine qua nihil horum ſaluari poteſt.

34 Poſſet tamen aliquis contra hæc, Diuû D.Thom. Thomam obijcere; qui infra quæſt. 78. ar. 1. in reſp. ad 3. ſic ait. *Si autem non indigeret anima rebus perceptis à ſenſu, niſi propter actionem ſenſuum, ſcilicet, ut ea ſentiret, non oporteret appetitiuum; ponere ſpeciale genus inter potentias animæ, quia ſufficeret appetitus naturalis potentiarum.* hæc ille: ſed homo indiget Deo propter actionem intellectiuam, vt, ſcilicet, illum cognoſcat. Ergo non oportet ponere appetitum pro pondere naturæ, ad claram Dei viſionem, in voluntate, quia ſufficeret appetitus innatus in intellectu.

Reſpondetur primò, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; ſed homo indiget Deo propter actionem intellectiuam, vt ſcilicet, illum cognoſcat, & per illam cognitionem ſit verè beatus, Deumquè tamquam obiectum beatificans, intra ſe poſſideat, concedo minorem. Vt illum cognoſcat, abſolutè, ſecundùm quòd eſt, tantummodo, intellectus in ratione potentiæ ſpecialis perfectio, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

35 Reſpondetur ſecundò, explicando Authoritatem D. Thomæ, hac diſtinctione. Aliud eſt dicere, oportet ponere appetitiuum, tamquàm ſpeciale genus inter potentias animæ, & Aliud eſt dicere, oportet ponere in appetitiuo, ſeu, In potentia appetitiua, innatum appetitum ad bonum, & ad beatitudinem hominis. Primum, non ſecundum intendit D. Thomas: Nos verò dicimus ſecundum, & non primum. Non enim dicimus, quòd ideo datur voluntas, quia debet dari naturale pondus in voluntate ad claram Dei viſionem, quæ eſt intellectus perfectio, & totius hominis perfecta beatitudo; ſed ſupponimus dari voluntatem, in qua affirmaremus innatum appetitum ad claram Dei viſionem.

Nec obſtat nobis Caietanus, infra, quæſt. 19. Caiet.
ar. 1. qui inter appetitum innatum, & elicitum, multa diſcrimina ponens, ſic ait. *Vnde apprehenſio ipſa, dupliciter poteſt appeti.*
36 *Primò naturali appetitu, & ſic ab intellectu appetitur, in quantum intellectus naturaliter inclinatur in hanc perfectionem ſuam, quæ eſt apprehendere res. Secundò rationali appetitu, & ſic à voluntate appetitur, vt apprehenſa.*

Non inquam, obſtat, quia Caietanus ibi, de apprehenſione ſecundùm quòd, eſt propria intellectus perfectio; ſermocinatus eſt; non autem de apprehenſione, quæ eſt viſio clara Dei, ſecundùm quòd, eſt quoddam hominis bonum. Et inſuper apud Caietanum, nullus datur innatus appetitus ad claram Dei viſionem, neque in intellectu, neque in voluntate. Itaquè loquitur, de apprehenſione abſolutè, & de actu elicito voluntatis conditionato, ſi intelligitur de homine habente fidem, non verò charitatem; De appetitu autem efficaci, & abſoluto; ſi loquitur de homine habente charitatem.

Quidquid autem ſit, de hac Doctorum varietate; Veritas eſt, quòd neque in intellectu, neque in voluntate, ad beatitudinem ſuper-

per-

Digitized by Google

pernaturalem, ſiuè illa, in clara Dei viſione, ſiuè in aliquo voluntatis actu, conſiſtat, innatus appetitus inuenitur.

CAPVT SEPTIMVM.

An Detur naturalis appetitus, ad Beatitudinem in communi.

37 DIco Quintò. Non datur naturalis appetitus ad beatitudinem in communi pro vt ly, in communi ad beatitudinem naturalem, & ſupernaturalem, ſe extendit.

Probatur, Quia beatitudo in communi conſiderata, etiam ad beatitudinem ſupernaturalem ſe extendit: ſed beatitudo ſupernaturalis intellectualis creaturæ, proportionem naturalem excedit. Ergo creatura intellectualis non habet pondus naturæ ad beatitudinem in communi, ſecundùm quòd beatitudinem ſupernaturalem includit. Ex ijs, quæ prò præcedenti dicto adduximus, probatur etiam præſens.

Dico ſextò, In creatura intellectuali non datur naturalis appetitus ad beatitudinem in communi, ſi beatitudo in communi ſumatur, vt ſe extendit ad beatitudinem naturalem, vniuerſaliter ſumptam. Pro vt, ſcilicet, diuitias, honores, voluptates, & contemplationem ſubſtantiarum ſeparatarum includit.

Hoc dictum cum ſequenti attentè Thomiſtæ conſiderent; ſi Scoti imaginationes cupiunt extinguere.

Probatur hoc dictum, hac ratione. Inclinatio naturæ, ſeu, naturæ pondus, ad beatitudinem, eſt à Deo, Ergo huiuſmodi pondus, eſt bonum, ac rectum. Patet illa conſequentia; quia quidquid eſt à ſummo bono, non eſt niſi bonum; ſed appetere beatitudinem in communi, pro vt includit etiam diuitias, honores, corporeaſquè delectationes; non eſt bona, ac recta inclinatio; cum re vera, beatitudo naturalis, nequaquàm in illis conſiſtere poſſit. Ergo beatitudo in communi pro vt includit honores, diuitias, &c. à creatura intellectuali, naturali pondere non appetitur. Antequàm diſputationem compleamus, operæ prætium eſt, Diui Thomæ mentem indagare, vnde quærimus.

CAPVT OCTAVVM.

Quid ſenſerit D. Thomas multoties dicens, creaturam intellectualem, appetere beatitudinem in cõmuni, non autem in particulari.

38 DOctor Angelicus, creaturam intellectualem, ad Beatitudinem, in communi, non autem in particulari, naturaliter inclinare, non ſemel atquè iterum, ſed ſæpe numero prompſit: Quod tamen Scotus inſpiciens, ægrè tulit, multiſquè impugnauit. Et quoniam, eius mentem, Scotus (vt puto) non aſſecutus eſt; Idcirco, eius intelligentiam, diligenter oportet ſciſcitari. quamobrem, Scotus.

Obſeruo primò, cum Diuo Thoma, & Caietano, de ente, & eſſentia, cap. 4. quæſt. 5. quòd natura ſecundùm ſe, neque eſt vniuerſalis, ſeu, communis, neque particularis, ſeu ſingularis. cuius ratio eſt, quia natura ſecundùm ſe, tantùm dicit prædicata eſſentialia, ſeù, formalitatem naturæ, vt natura eſt. Vbi adeſt quidem, intellectus abſtractio, ſed eſt formalis, non totalis. D. Thom. Caietan.

Obſeruo ſecundò, quòd natura ſecundùm ſe, quamuis non ſit vniuerſalis, ſeu, communis poſitiuè, ex vi tamen, talis conſiderationis, ideſt, abſtractionis formalis, qua, ſcilicet, ſecundũ ſua pdicata eſſentialia concipitur; habet vt ſit communis negatiuè, ideſt, vt non dicat formalem diſtinctionem.

Obſeruo Tertiò, quòd eſſe commune, negatiuè, dupliciter dici poteſt. Primò, quò ad modũ cõcipiẽdi, ſeu, ſignificandi. Secundò, quo ad rationem ſignificatam. Primo modo, ideo dicitur commune, quia ex modo, quo concipitur, vel ſignificatur, non concipitur, vt alicui applicatum. Secundo modo, dicitur commune, quia ratio concepta, eſt à pluribus abſtracta, vel pluribus communicabilis eſſe non repugnat. Exemplum primi V. G. Raphael, qui dicitur communis negatiuè, primo modo, quia eo modo, concipitur, & ſignificatur, ac ſi eſſet à pluribus abſtractus, vel pluribus communicabilis; non minus, quàm homo, & tamen, iuxta veriorem D. Thomæ ſententiam, quilibet Angelus conſtituit ſuam ſpeciem, taliter, quòd etiam per Dei potentiam abſolutam, plures Angeli ſub eadem ſpecie ſolo numero differentes, eſſe non

Digitized by Google

non poſſunt. Exemplum ſecundi, vt homo. qui non ſolùm dicitur communis, quo ad modum ſignificandi, ſed etiam quo ad rationem formalem hominis, cui, à pluribus abſtrahi, pluribuſquè communicari non repugnat.

Ex quo breuiter, Tranſeunter tamen, & extra inſtitutum, colligo; quòd Angelus Raphael, V.G. eſt ſpecies phyſicè, Logicè autem quo ad modum ſignificandi, & concipiendi tantùm, non autem quantùm ad rationem ſignificatam; Et ratio eſt manifeſta; Nam Raphael, V.G. dicit vnam naturam formaliter, non ſolo numero a Gabriele diſtinctam. Ergo eſt ſpecies phyſicè. & inſuper, quo ad modum ſignificandi, ac concipiendi, abſquè conditionibus explicatur. Ergo quantùm ad hoc, ſpeciei Logicæ, rationem ingreditur, per hoc ſolùm, ſcilicet, quia ex modo quo concipitur, de pluribus prędicari, non repugnat; & Tandem. Rationi formali Raphaelis de pluribus prædicari omnino repugnat, non ſolùm phyſicè, ſed etiam Logicè, eo quia, ſi Logicè, communicabilis eſſet, pluribus ſolo numero differentibus, neque per intellectum aſſignari poſſet, per quid Angeli de quibus Raphael V.G. prædicaretur, eſſent ſolo numero plures;

Ad rem. Quando D. Thomas ait, quòd homo, beatitudinem in communi, naturaliter appetit, ly, in communi, non accipitur, pro communi poſitiuè, vt probatum eſt, non pro communi, negatiuè, quò ad rationem ſignificatam, ſed quò ad modum ſignificandi, vel concipiendi duntaxat, & ſermo eſt de beatitudine formaliter ſumpta, non omnino præciſe, ſed naturaliter appetenti proportionata; vnde in ordine.

39 Dico Septimò. Creatura intellectualis naturaliter appetit beatitudinem, ſibi naturaliter proportionatam, ſi, ly, in communi, accipiatur communitate negatiua, & quoad modum ſignificandi, ideſt, vt dicit beatitudinem formaliter, ſed naturaliter ſibi proportionatam.

D. Thom. Quòd autem hæc ſit germana ſententia Diui Thomæ, ex eius verbis in varijs locis, colligi, confirmariquè poteſt. Nam p. p. q. 2. ar. p. ad primum hæc habet verba. *Cognoſcere Deum eſſe in aliquo communi, ſub quadam confuſione. eſt nobis naturaliter inſertum; in quantùm ſcilicet, Deus eſt hominis beatitudo; homo enim naturaliter appetit beatitudinem, & quod naturaliter deſideratur ab homine, naturaliter cognoſcitur ab eodem, ſed hoc non eſt ſimpliciter cognoſcere Deum eſſe, ſicut cognoſcere Venientem, non eſt cognoſcere Petrum. quamuis ſit Petrus Veniens, multi enim perfectum hominis bonum, quod eſt beatitudo, exiſtimant, diuitias. Quidam verò voluptates, Quidam aliquid aliud.* hæc ille. Quæ verba. Si diligenter expendantur, apertiſſimè præcedentia dicta confirmant. In illis enim habetur, quòd appetens beatitudinem formaliter, appetit etiam Deum, ſed materialiter, ſcilicet, quantùm ad rem ſignificatam, nam beatitudo quantùm ad rem ſignificatam, non eſt aliquid commune. Habetur inſuper; quòd appetens beatitudinem formaliter, cognoſcit Deum in aliquo cõmuni, & ſub quadam confuſione; hoc autem commune, non eſt commune communitate prædicationis, quantùm ad rem ſignificatam; ſed eſt ipſa beatitudo formaliter conſiderata, quæ in re, ſeu, materialiter, identificatur cum Deo; & tantummodo dicitur communis negatiuè, & quo ad modum ſignificandi; idquè eiuſdem Doctoris Angelici exemplo, apprimè manifeſtari poteſt. Quemadmodum enim cognoſcere venientem, non eſt cognoſcere Petrum: quamuis Petrus ſit ille, qui veniens eſt. Nam vt in ſummulis docuimus, cum dico cognoſco venientem, ly, venientem. intelligitur formaliter, id eſt, in ratione venientis; cum verò ſubiungitur; Veniens eſt Petrus, ly, veniens, accipitur materialiter, id eſt, pro Perſona, ſeu, homine veniente. Ecce quomodo, paritate ſeruata, ſumitur beatitudo in communi, pro beatitudine formaliter; & non pro aliquo communi poſitiuè; vel quo ad rationem ſignificatam.

40 Et prima ſecundæ quæſt. 1. ar. 5. in corp. ſic ait. *Cum vnumquodquè appetat ſuã perfectionem, illud appetit aliquis, vt vltimũ finem, quod appetit vt bonum perfectum, & completiuum ſui ipſius;* & ar. 6. in corp. Sic ait. *Quidquid homo appetit, appetit ſub ratione boni*, & ar. 7. in corp. *De ultimo*, inquit, *fine, poſſumus loqui dupliciter. Vno modo ſecundùm rationem ultimi finis. Alio modo ſecundùm id, in quo finis ultimi ratio, inuenitur. Quantùm igitur ad rationem ultimi finis, omnes conueniunt in appetitu finis ultimi; quia omnes appetunt ſuam perfectionem adimplere, quæ eſt ratio ultimi finis.* Et in reſponſione ad primum. *Illi*, inquit, *qui peccant, auertuntur ab eo, in quo uerè inuenitur ratio ultimi finis, non autem ab ipſa ultimi finis intentione, quam quærunt falsò, in alijs rebus.* In quibus locis, iam manifeſtè habetur, quòd ratio vltimi finis, & id in quo, ratio vltimi finis inuenitur, non diſtinguuntur, & quòd id in quo, ratio vltimi finis inuenitur; Eſt aliquod particulare, & conſequenter ratio vltimi finis, ſeu, beatitudinis, quò ad rem ſignificatam non diſtinguitur à re, in qua beatitudo conſiſtit, ſecundùm mentem Sancti Thomæ. Habentur etiam quæſt. 5. ar. 8. in corpore, hæc verba; *Beatitudo dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundùm communem rationem beatitudinis; & ſic neceſſe eſt, quòd omnis homo beatitudinem uelit; ratio autem beatitudinis communis, eſt;* D.Thom.

vt ſit

Digitized by Google

vt ſit bonum perfectum ſicut dictum eſt : cum autem bonum, ſit obiectum voluntatis ; perfectum bonum, eſt alicuius, quod totaliter eius voluntati ſatisfacit. Vnde appetere beatitudinem, non eſt aliud, quàm appetere vt voluntas ſatietur, quod quilibet vult. Alio modo poſſumus loqui de beatitudine ſecundùm ſpecialem rationem, quantùm ad id, in quo beatitudo conſiſtit ; & ſic non omnes cognoſcunt beatitudinem, quia neſciunt cui rei, communis ratio beatitudinis conueniat ; & per conſequens
41 *quantùm ad hoc non omnes eam volunt.* Doctoris Angelici verba. & præcipuè illa, nempè, *Ratio autem beatitudinis in communi, eſt vt ſit ſummum bonum perfectum, vt dictum eſt.* attentè conſidera. Nam per, ly, vt dictum eſt in margine, Articulus quintus, & ſeptimus, ſupra citati ſignantur: ſed in articulo 5. & 7. nomine beatitudinis, ſeu vltimi finis formaliter; intelligit tantummodo, bonum perfectiuum voluntatis: Ergo nomine beatitudinis communis, aliud non intelligit, quàm beatitudinis rationem formalem, ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, quæ non eſt communis poſitiuè, ſed negatiuè ; & negatiuè non quo ad rem ſignificatam, ſed quo ad modum ſignificandi. quare, &c. quibus ad mentem D. Thomæ præſuppoſitis.

Probatur breuiter noſtrum dictum. Beatitudo naturalis formaliter, ſecundùm rationem perfecti boni, ſatiantis naturam appetentem, eſt per ſe, & connaturaliter obiectum voluntatis. Ergo naturaliter appetitur.

CAPVT NONVM.

Probatur non dari pondus naturæ ad videndum Deum, vt Authorem naturæ.

DIco vltimo. Non datur in creatura intellectuali, naturalis appetitus ad videndum Deum clarè, & diſtinctè ſecundùm quòd eſt Author naturæ.

Probatur. Quia creatura intellectualis Deum,
42 vt Authorem naturæ clarè, & diſtinctè, naturalibus viribus cognoſcere nequit. Ergo neque etiam ad huiuſmodi viſionem naturaliter inclinatur. Antecedens patet. & magis patebit infra. conſequentia verò probatur. Quia quod non poteſt naturaliter aſſequi, nequit naturaliter appeti.

Confirmatur. Clara viſio Dei, vt Authoris naturæ, eſt obiectum ſupernaturale. Ergo creatura intellectualis, ad huiuſmodi claram Dei viſionem, non habet naturalem inclinationem. Antecedens patet. Quia ad huiuſmodi viſionem, requiritur lumen gloriæ, quod eſt ſimpliciter ſupernaturale, & inſuper non poteſt videri Deus, vt Author naturæ, quin etiam, vt Author gratiæ videatur. Ergo.

43 Dixi, quòd viſio clara Dei, vt Authoris naturæ, eſt obiectum ſupernaturale; non tamen dixi, quòd eſt cauſa ſupernaturalis. Eo quia, in ratione cauſæ, non dicitur cauſa ſupernaturalis, quatenus eſt Author naturæ; quoniam hac via dicitur cauſa naturalis. Nam vt Author naturæ producit naturam, & effectum naturalem. dicitur tamen cauſa ſupernaturalis, vt Author gratiæ, quia producit gratiam, & effectum ſupernaturalem. Verum in ratione obiecti: Deus vt Author naturæ, dicitur obiectum ſupernaturale. quia eius clara cognoſcibilitas; cuiuſcumquè creatæ, vel creabilis naturæ intellectualis vires naturales, excedit. & per conſequens, in ratione obiecti, eſt obiectum ſupernaturale. qua ratione cordium cogitationes, & futura contingentia, quamuis in ſe ſint entitates naturales; tamen, in ratione obiecti, ſunt obiecta ſupernaturalia. Quatenus, ſcilicet, cuiuſcunquè naturalis luminis virtutem cognoſcitiuam, excedunt. vnde ſolus Deus, eſt ſcrutator cordium, & futurorum contingentium cognoſcitiuus. Ergo à fortiori, Deus vt Author naturæ, cum ſit entitatis maximè ſupernaturalis, non obſtante quòd dicatur cauſa naturalis, habet rationem obiecti ſupernaturalis.

CAPVT DECIMVM.

Argumenta Pro Scoti, Aliorumquè opinione, Adducuntur, & Soluuntur.

44 SEd Contra iſtam determinationem Obiiciet aliquis, ex Scoto, Primò. Nam Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. ſic ait, *Poſſe habere fidem, & charitatem naturæ eſt hominum; habere autem, gratiæ eſt fidelium.* Ergo ex mente Auguſtini, homo naturaliter inclinat ad fidem, & charitatem. August.

Confirmatur ex eodem qui libr. 1. confeſſionum cap. 1. ſic deuotè, humiliterquè, clamat. *Feciſti nos Domine ad te, & inquie-*

Digitized by Google

tum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, Ergo homo naturaliter inclinat ad Deum.

Reſpondetur, explicando D. Auguſtini Authoritatē, in argumento poſitā, hoc modo. *Poſſe habere fidem, ſicut, Poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum.* Ita vt ſenſus ſit, *naturæ eſt hominum*, Ideſt, non ex ſpeciali Dei munere venit, ſed naturæ, per potentiam obedientialem ineſt, concedo. Et in hoc ſenſu, locutus eſt Auguſtinus. *Naturæ eſt hominum*, Per Potentiam naturalem, vt contradiſtinctam, ab obedientiali, nego. Et in hoc ſenſu, non locutus eſt Auguſtinus.

45 Hanc autem eſſe, veram, ac ſinceram, verborum Diui Auguſtini intelligentiam, nullus prorſus, qui eum legerit, ambigere poteſt, Nam, per ſupradicta verba, hoc enucleare intendit, nempè, quod poſſe habere fidem, quemadmodum, poſſe habere charitatem, hominem, ab homine non diſcernit: Habere verò, de facto, fidem, & charitatem, in Deum credere, ipſumquè ſuper omnia diligere, hominem diſcernit ab homine. Eo quia poſſe habere fidem, conuenit naturæ humanæ, per potentiam obedientialem, quæ eſt ipſamet natura, à Deo tanquàm ab Authore ſupernaturaliter agente, eleuabilis, vel ordinabilis: Potentia autem obedientialis humanæ naturæ, cum ſit ipſa natura, omnibuſquè communis, & ex ſpeciali Dei gratia, homini non conferatur, ab homine, hominem non diſcernit: Habere autem, fidem; & charitatem, eſt ex ſpeciali gratia Dei, & conſequenter, hominem diſcernit ab homine, Et quòd ita res ſe habeat, ipſum audiamus, eiuſquè verba fideliter referamus. Sic enim loquitur. *Non autem, ait Apoſtolus, quod autem potes habere, quod non accepiſti, vt poſſes habere, ſed ait, quid autem habes, quod non accepiſti? Proinde poſſe habere fidem, ſicut, poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum: Habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. Illa itaquè natura, in qua nobis, data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine, ipſa verò fides, diſcernit ab infideli, fidelem.* hæc ille. Quæ verba, nequè explicatione, neque exageratione indigent, cum apertiſſima ſint.

D. Auguſt.

Ad Confirmationem, Reſpondetur, Dupliciter D. Auguſtini Authoritatem, explicando, Primò quidem, hoc modo. *Et inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Propter pondus gratiæ, concedo. Propter pondus naturæ, nego. Etenim, Diuus Auguſtinus, cum dicit; *Feciſti nos Domine ad te.* De homine in ſtatu gratiæ condito, loquitur, Et ſenſus eſt, quòd vniuerſam hominis naturam, Deus condidit, vt finem ſupernaturalem acquirat. Cùm verò ſubdit. *Et inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Homini gratia tracto, & diuina charitate vulnerato, ſe coniungit. Multi enim ſancti fuere, qui hanc cordis inquietitudinem, ex pondere gratiæ prouenientem, proprijs vocibus explicarunt. Sic Regius Pſaltes. *Tunc ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.* Sic Humilis diuinæ gratiæ, Prædicator. *Coarctor autem, è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Non habemus hic ciuitatem permanentē, ſed futuram, inquirimus.* Sic Angelicus Eccleſiæ Doctor, Aquinas; qui Chriſto Domino, quam mercedem peteret, interroganti; *non aliam Domine*, Reſpondit; *niſi teipſum.* Et ſic, Auguſtinus, qui inter Dei Amicos, & gratia, & charitate, máximè fulſit: Non quando, hæreticorum peſtilentia ſauciatus, ſed dùm diuino, accenſus erat ardore, in hæc verba prorupit. *Tu enim excitas, vt laudare te delectet, Et inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Loquitur igitur, de inquietitudine cordis ſui, proueniente quidem, ex pondere, non naturæ, ſed ex Dei gratia, qua ad æternæ ſalutis centrum efficaciter eleuamur; Atq; ad excelſa præmia conſequenda, infallibiliter peruenimus.

Auguſt. Pſal. 16. Phil. 1. Heb. 3. D. Thom. Auguſt.

46 Secundò, Diuus Auguſtinus, ſic explicari poteſt. *Et inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Ideſt, omnè deſiderium noſtrum, in te clarè viſo, & non in alio ſecura, ac perfecta quiete ſatiatur.

Obijcies Secundò. Vnumquodquè naturaliter appetit ſuam perfectionem, & maximè maximam: Sed Viſio clara Dei, & Amor amicitiæ Dei clarè viſi, eſt hominis, maxima perfectio, Ergo homo naturaliter, & maximè, claram Dei viſionem appetit.

Reſpondetur breuiter, Ad hoc argumentum, quod eſt Scoti fundamentum, diſtinguendo maiorem. Vnumquodquè naturaliter appetit ſuam perfectionem; & maximè maximam ſibi tamen naturaliter proportionatam, concedo maiorem; Et maximè, maximam, ſupernaturaliter ſibi præſtitā, & naturaliter improportionatam, nego maiorem. Ad minorem: ſed Viſio clara Dei, eſt maxima hominis perfectio, diſtinguo minorem. Eſt maxima perfectio hominis, ſed improportionata, & ſupernaturalis. Concedo minorem. Et naturaliter proportionata, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Scotus.

47 Obijcies Tertiò; & Contra reſponſionem militat. Omnis inclinatio, omniſquè potentia, vel eſt Naturalis, vel Violenta, vel Neutra: ſed potentia, & inclinatio intellectualis creaturæ ad Deum clarè viſum; non eſt violenta, Quia videntes Deum, tanto pondere ad illum inclinant, tantaquè ſuauitate fruuntur, vt de ipſis Angelicis ſpiritibus, Deum ſemper intuentibus, dicatur. *In quem deſiderant Angeli proſpicere* .i. tanta delectatione proſpiciunt, vt numquam ipſorum diuinæ

viſio,

Digitized by Google

viſio, in faſtidium ducat. neque poteſt dici neutra. vt ex ſe patet. Ergo a ſufficiēti diuiſione eſt potentia, & inclinatio naturalis.

Reſpondetur negando maiorem . Falſum enim omnino eſt, omnem potentiam, vel eſſe naturalem; vel neutram, vel violentam; Potentia enim neutra, nulla eſt. vt optimè, communiter Thomiſtæ contra Scotu probāt. Vera igitur, potētię diſtributio, eſt iſta. Omnis potentia, vel eſt naturalis, vel Violenta, vel Obedientialis, vel ſupernaturalis: Potentia naturalis, dicit ordinem naturalem ad formam naturaliter acquiſibilem . Vt materia prima reſpectu formæ ſublunaris. Violenta, eſt ad formam contra eius naturalem inclinationem. vt graue, poſſe ſurſum tendere. Obedientialis, eſt natura ipſa, vt ſubdita Deo, tanquam agēti ſupernaturali, vt homini conuenit poſſe habere lumen gloriæ, &c. Potentia verò ſupernaturalis, dicit virtutem ſupernaturalem, vt poſſe videre Deum , & cæt. poſita igitur hac legitima potentię diſtributione , Reſpondetur ad argumentum, concedendo maiorem , & negando minorem , quam Scotus non probat .

Obijcies Quartò . Si intellectus creatus, non haberet naturale pondus, ad beatitudinem ſempiternam, ſeu, ad Deum clarè viſum , maximè eſſet , quia Deus clarè viſus eſt obiectum excedens intellectus creati proportionem: ſed talis exceſſus non Officit , quin intellectus ad Deum poſſit naturaliter inclinare . Ergo, &c. maior patet . probatur minor. Quia oculus noctuæ , naturaliter inclinat ad videndum Solem , vt eſt in ſe : ſed Sol virtutem naturalem potentiæ viſiuæ, maximè excedit. & ſimiliter, intellectus humanus, ſubſtantias ſeparatas. & ens in quantum ens, naturaliter cognoſcere inclinat. & tamen intellectus creati virtus, à ſubſtantijs ſeparatis exceditur. & ſimiliter ab ente in quantum ens. Ergo, &c.

48 Reſpondetur primò, declarando maiorem. Si intellectus creatus, &c. maximè eſſet quia Deus clarè viſus eſt excedens totam latitudinem virtutis naturalis , cuiuſcumquè, ſcilicet, intellectus creati , vel creabilis. Hoc modo declarata maiori , Conceditur maior. & negatur minor. & ad probationem primam . Concedo maiorem . & diſtinguo minorem . ſed Sol virtutem potentiæ viſiuæ noctuæ maximè excedit; excedit, inquam, virtutem naturalem quam actu habet, concedo minorem. excedit virtutem naturalem, quam habet, & habere poteſt, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam . Ad ſecundam probationem , concedo maiorem , quo ad vtramquè partem: & diſtinguo minorem; ſed intellectus creatus, &c. Reſpectu huius ſtatus, concedo minorem. Reſpectu intellectus humani, quantùm ad omnem eius ſtatum, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

49 Reſpondetur ſecundò, concedēdo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Oculus noctuæ ſecundùm rationem ſpecificam, naturaliter inclinat ad videndum Solem, vt eſt in ſe, concedo maiorem. Secundùm rationem indiuidualem , nego maiorem . Vel ſub alijs verbis, diſtinguo maiorem. Potentia viſiua noctuæ , naturaliter inclinat ad videndum Solem, ſecundùm quòd, Sol poteſt eſſe obiectum, non excedens virtutem naturalem, potentiæ viſiuæ noctuæ, concedo maiorem. Ea ratione , qua eſt excedens , nego maiorem. Similiter dicendum eſt, de intellectu noſtro , reſpectu ſubſtantiarum ſeparatarum, & de ente in communi. Quoniam cenſeo, quòd nulla potentia habet naturalem appetitum ; ad aliquam formam, ſeu, obiectum , ea ratione, qua eſt excedens, ſed ea ratione , qua potentia reſpicit obiectum, tanquàm naturaliter ſibi proportionatum . Quia igitur Sol, poteſt eſſe obiectum proportionatum potentiæ viſiuæ noctuæ, ideo poteſt ab ea, eius viſio naturaliter appeti: Et ſimiliter ſubſtantiæ ſeparatæ reſpectu intellectus, quia poſſunt eſſe obiectum intellectus noſtri, naturaliter proportionatum; Ideo in intellectu noſtro, eſt naturalis inclinatio , ad huiuſmodi cognoſcenda .

50 Obijcies Quintò, ex Valentia, pro Scoto. Appetere beatitudinem, ſeu, Deum clarè viſum , appetitu naturali , nihil aliud eſt , quàm habere quamdam capacitatem ad ſupradictam viſionem: ſed non eſt, in libertate alicuius poſitum, vt hanc naturæ capacitatem habeat , vel non habeat, ad claram Dei viſionem . Ergo omnes, & neceſſariò, beatitudinem in communi , & in particulari , naturaliter appetunt. Valentia.

Mira res . Sunt quidam Theologi , qui ita creatæ voluntatis præcipitant libertatem , vt etiam in libertatem vindicent intellectum, Qui, & ſi aliquando dubius , vel errans, nunquam tamen liber eſt, ſed veritate, neceſſariò conuincitur, quando ſibi eſt manifeſta: Quod autem in argumento aſſumitur , tanquàm à libero intellectu , voluntariè aſſeritur. Vnde.

Reſpondetur, negando maiorem, quæ à Valentia aſſumitur, non probatur, ſed nec probari poteſt .

Obijcies ſextò, pro eodem Scoto. Potentiam appetere aliquam formam, non eſt aliud , quàm illam, ad formam ordinari: ſed creatura intellectualis, ordinatur ad claram Dei viſionem. Ergo dicit naturalem inclinationem ad illam. Maior eſt Diui Thomæ, 1. phyſic., text. 81. lect. 15. Vbi hæc habet verba. *Nihil eſt aliud, materiam appetere formam,* D. Thom.

mam, quàm eam, ordinari ad formam. Minor etiam patet. Ergo, &c.

51 Hoc argumentum, in fauorem Scoti formaui, vt Aduerſariorum tenebræ, euaneſcant; atquè Angelicæ veritatis ſplendor, ſuæ lucis radium emittat. Pro huius igitur, Argumenti ſolutione, & Thomiſticæ doctrinæ intelligentia, eſt obſeruandum, cum D.Thoma, 1. phyſic. text. 81. lect. 15. & infra, quæſt. 78. ar. 1. ad 3. Quòd *Appetitus naturalis, eſt inclinatio cuiuſcunque rei, in aliquod, ex natura ſua*. D.Thom.

Verba Doctoris Angelici, & præſertim, ly, *ex natura ſua*, perpenſe conſidera, quoniam noſtro inſtituto, magnopere ſeruiunt. Nam creatura intellectualis, tribus modis, ad aliquam formam ordinari poteſt. Obedientialiter, ſcilicet, Supernaturaliter, & Naturaliter. Primo modo, conſideratur vt ſubiectum capax formæ ſupernaturalis, ac Deo, tanquàm ſupernaturaliter agenti ſubijcibile: & dicitur potentia obedientialis, quæ non dicit ordinari, ſeu, actualem ordinationem, ſed ordinabilitatem ad dictam formam, & ad Deum, vt ad talis formæ Authorem. Secùndo modo, eſt ipſa actualis ordinatio ad bonum ſupernaturale, vel ad actum ſupernaturalem, & huiuſmodi eſt ordo, quem creatura intellectualis, dicit ad Fidem, Lumen gloriæ, Charitatem, & ad alios habitus ſupernaturales, quos diuinitus, actualiter habet, & ſimiliter, eſt ordo quem dicit creatura intellectualis, per habitum ſupernaturalem, ad actum ſupernaturalem, quem medio habitu ſupernaturali producere poteſt. Tertio modo, ordinatur ad aliquam formam ex natura ſua; & ſic dicitur potentia naturalis. Idem autem ſonat, Ex natura ſua, ac ex ſe ipſa eſt cum forma proportionata, & eiuſdem ordinis. Naturalis igitur inclinatio, nequè iuxta primam, nequè iuxta ſecundam acceptionem, in creatura intellectuali, inueniri poteſt; ſed iuxta tertiam dumtaxat. Cuius ratio eſt. Quia creatura intellectualis, ex natura ſua non ordinatur ad Deum, ſecundùm quòd, eſt agens ſupernaturale. Nam hoc, de Dei munere venit: Ordinatur autem, ex natura ſua, ad formas naturaliter acquiſibiles, reſpectu quarum proportionem habet.

Reſpondetur igitur ad argumentum, explicando maiorem. Potentiam appetere aliquam formam, non eſt aliud, quàm illam ad formam ordinari, ex natura ſua, concedo maiorem. Ab aliquo principio ſupernaturali, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. cò quia, Creatura intellectualis, ordinatur ad Deum clarè videndum, ex principio gratiæ, nempè à Deo, tamquàm ab Authore ſupernaturali. quare, &c.

52 Inſurget aliquis pro Scoto. Aliæ creaturæ, homine inferiores, pro vt ſunt Deo ſubijcibiles, non poſſunt habere fidem, lumen gloriæ, ſpem, & charitatem. Ergo quòd homo poſſit habere fidem, &c. eſt ex natura ſua; & conſequenter ex natura ſua ad ſtatum ſupernaturalem ordinatur. Scotus.

Ex ſupradictis patet Reſponſio. Concedendo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo eſt ex natura ſua Obedientialiter, concedo conſequentiam. Eſt ex natura ſua, Ideſt, connaturaliter, nego conſequentiam. Quod eſt dicere, Intellectualis creaturæ natura, capacitatem habet, vt à Deo, tanquàm, à ſupernaturaliter Agente, ad ſupernaturalem beatitudinem, eleuari, & ordinari poſſit; Non autem, quòd illa natura, ad dictam beatitudinem, ſit ex ſe ordinata, ſeu, Naturaliter propenſionem habeat.

53 Obijcies Septimò. Quælibet creatura habet aliquem finem, in quo naturaliter quieſcit, & ad quem naturaliter inclinat: ſed nullus poteſt aſſignari finis, in quo naturaliter intellectualis creatura quieſcat, niſi in clara Dei viſione. Ergo, &c. Maior patet, & minor probatur. Nam quidquid aliud à Deo, creatura intellectualis poſſideat, nunquam quieſcit; ſed ſemper aliquid vltra appetendum reſtat. Vnde Regius Pſaltes, hoc demoſtrans ad Deum exclamauit dicens. *Tunc ſatiabor, cum apparuerit gloria tua*. Pſal. 16.

Reſpondetur, Concedendo maiorem. & diſtinguendo minorem, ſed nullus poteſt aſſignari finis in quo, naturaliter quieſcat, Suppoſito, quòd homo, ex Dei ſpeciali munere, ſit ad tàm ſublimem beatitudinem ordinatus, Concedo minorem. Si fuiſſet tantummodo in puris naturalibus conſtitutus, nego minorem. Cognoſceret enim quòd quamuis Deus ſit magis in ſe cognoſcibilis, ab ipſo tamen, lumine ſuæ naturæ, vltra cognoſci non poteſt; & per conſequens, prudenter ageret, & in ea abſtractiua de Dei cognitione, eiuſquè amore quieſceret.

54 Quòd ſi Scotiſta, huic doctrinæ, renuat quieſcere, Retorqueatur, hoc modo in Scotiſtas, argumentum. Per Scotum, quælibet creatura intellectualis, naturaliter appetit beatitudinem in communi, & in particulari, nempè, Viſionem Dei, eiuſquè Amorem amicitiæ, non qualitercunquè ſed in ſummo: ſed non omnes Beati ſummam, & maximam Dei viſionem, vel amorem, habent. Cum vnus, pro diuerſa meritorum quantitate Deum perfectius alio videat. Ergo in illis, naturalis appetitus non eſt ſatiatus. Ergo nullus Beatus, in ſua felicitate quieſcit, quod eſt falſum. Scotus.

Scotus, & Scotiſtæ Reſpondent, quòd quamuis omnes appetant, Deum in ſummo videre, tamen, quia vnuſquiſquè, maiorem viſio- Scotus.

viſionem, vel amorem ſibi, ratione ſuorum meritorum, non conuenire, cognoſcit. Ideo vnuſquiſquè eſt ſua cognitione, ſuoquè Dei amore, contentus.

Quidquid ſit de huius doctrinæ veritate. Eodem prorſus modo, & veriùs, Thomiſtæ dicunt; nempè, quòd intellectualis creatura, ſi fuiſſet in puris naturalibus condita, fuiſſet etiam ſola Dei abſtractiua cognitione, eiuſquè amore ſatiata, nilq; aliud magis cognoſcendum, ac diligendum appeteret. Quia nil aliud, ſibi eſſe poſſibile, vel vltra eſſe debitum, rectè cognoſceret.

55 Nec huic doctrinæ; Scotus aduerſari poteſt, licet aduerſetur. Nam ipſemet in 3. diſt. 26. quæſt. 1. §. Dico igitur. Sic ait. *Ad abſolutè deſiderare, præſupponitur conceptio intellectus, oſtendens ſibi deſideratum, ſicut poſſibile deſideranti.* Vbi non loquitur, de poſſibili reſpectu deſiderantis abſolutè, ſed reſpectu deſiderantis, in tali ſtatu. Nam loquitur de deſiderio deſperantium, in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem. Quamuis enim, beatitudo ſit poſſibilis homini abſolutè; non tamen eſt poſſibilis deſperantibus, & Damnatis; & per conſequens, quia Damnati, ſciunt illam ſibi nō eſſe poſſibilem, eam non appetunt. Ergo à fortiori, creatura intellectualis, in puris naturalibus condita; eſto quòd Viſionem claram Dei, ſupernaturaliter poſſibilem eſſe, optimè nouerit; Attamen naturaliter acquiri non poſſe, abſconditum ei non eſſet; & conſequenter, erit ſola abſtractiua cognitione contenta. Quia, ſcilicet, eſſet ſupernaturaliter poſſibilis, naturaliter impoſſibilis, Ideo ad beatitudinem naturalem perueniens, non appetet vltra videre Deum; ibiquè quieſceret. Scotus.

Obijcies Octauò. Quies in viſione clara Dei, iam habita, eſt naturalis. Ergo inclinatio ad claram Dei viſionem, eſt naturalis. Patet conſequentia. Quia, quies correſpondet, Motui, & Viæ. Ergo ſi Quies in termino, eſt naturalis, etiam Via, ſeu, inclinatio eſt naturalis. Probatur Antecedens. Quia viſio beatifica, omnem ſatiat appetitum.

56 Reſpondetur diſtinguendo antecedens: Quies in viſione clara Dei iam habita, eſt naturalis, Eminenter, Virtualiter, & ſufficienter; Concedo antecedens. Formaliter, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Senſus reſponſionis eſt, quòd viſio clara Dei, non ſolùm gratiæ appetitum, ſeu, appetitum ex gratia procedentem, cui formaliter correſpondet, ſatiat, & quietat; Verùm etiam, naturalem appetitum. Eo quia, Viſio beatifica, finis naturalis continet perfectionem; & aliquid vltra.

57 Vnde, ſi beatitudo naturalis, nec in cognitione abſtractiua Dei, neq; in eius Amore conſiſteret, ſed in aliquo alio, Adhuc, per viſionem claram Dei, ſatiatus maneret appetitus, propter eminentialem eiuſdem cognitionis continentiam, ſupra omnem aliam cognitionem. Quare D. Gregorius 4. Dialog. cap. 33. *quid eſt*, inquit, *quod non videant, qui videntem, omnia vident.* Quem locum D. Thomas, in hac quæſt. ar. 8. explicans, ſic ait, *Gregorius loquitur, quantùm ad ſufficientiam obiecti, ſcilicet Dei, quod quantum in ſe eſt, ſufficienter continet omnia.* D. Greg. D.Thom.

Obijcies Nonò, deſtruendo præcipuum Thomiſtarum fundamentum, videlicet,

58 Viſio clara Dei, non poteſt naturaliter aſſequi. Ergo neque poteſt naturaliter appeti: ſed hoc fundamentum, nullum eſt. Ergo. Probatur minor. Primò. Quia Anima ſeparata habet naturalem inclinationem, vt corpori reuniatur, vt docet D. Thomas, p.p. quæſt. 76. ar. 2. ad 6. ſed Anima ſeparata, non poteſt naturaliter, corpori reuniri. Ergo nullum eſt Thomiſtarum fundamentum. Secundò. Quia In homine datur naturalis inclinatio ad rectè, rationabiliter, iuſteque viuendum: ſed homo ſine ſpeciali Dei auxilio, non poteſt rectè viuere. Ergo id quod prius. D.Thom.

Reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem. Anima ſeparata, habet naturalem inclinationem, vt corpori reuniatur. Ratione termini proportionati, ſibiquè connaturalis, Concedo maiorem. Ratione fieri, ſeu, medij vnionis, nego maiorem. Ad minorem: ſed anima ſeparata, non poteſt naturaliter corpori reuniri, diſtinguo minorem. Ratione fieri, ſeu, medij vnionis, concedo minorem. Ratione termini, ſeu, finis, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Reſpondetur Secundò. Explicando prius Thomiſtarum fundamentum, nempè, Viſio

59 clara Dei, non poteſt naturaliter aſſequi. Ergo non poteſt naturaliter appeti. Hoc modo. Non poteſt naturaliter aſſequi, pro quocumquè tempore, In quocumque ſtatu; & reſpectu cuiuſcumque indiuidui. Ergo non poteſt naturaliter appeti, Vnde, ſi in aliquo indiuiduo, poteſt naturaliter aſſequi, poteſt etiam naturaliter appeti. Eo quia ſi in alijs indiuiduis, non poteſt; hoc erit ex ſpeciali impedimēto, non ex intrinſeca repugnantia. Quo ſuppoſito, Ad argumentum, Reſpondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius primam probationem, concedo maiorem; & diſtinguo minorem. Sed anima ſeparata, Ratione ſeparationis, ſeu, vt ſeparata eſt, non poteſt naturaliter corpori reuniri, concedo minorem. Vt Anima eſt, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Explicatur iſta reſponſio. Anima ſeparata du-

dupliciter conſiderari poteſt. ſecundùm ſe, id eſt, quatenus Anima eſt. Et ratione ſtatus, quatenus, ſcilicet, ſeparata eſt. Primo modo, non poteſt ſibi denegari, quod ſibi naturaliter conuenit: ſed Animæ, vt anima eſt, conuenit, vt ſit actus corporis; Ideo, Anima, etiam dum eſt a corpore ſeparata, dicit ordinem, & naturalem inclinationem ad ſuum corpus, tanquàm ad ſuam compartem, Quando verò, vt ſeparata conſideratur, accipitur pro vt eſt extra ſuum corpus, & hoc eſt, quia ſuum corpus, iam amplius non eſt; ſed corruptum eſt, Cum ſit per aliam ſubſtantialem, & incompoſſibilem formam, informatum; taliter, quòd illa forma, non eſt diſpoſitio ad vitam, ſed

60 vitæ contraria. Quapropter, eſt animæ impoſſibile, vt corpori reuniatur, niſi diuina omnipotentia interponatur. Forma, enim, debet introduci in materia diſpoſita; non verò, in materia, diſpoſitionibus, illi, contrarijs, ſubiecta. Quare ſi anima ſeparata, ſtatim atquè corpus, in quo fuerat, ingrederetur; mouere vtiquè poſſet (ſi tamen poſſet) informare non poſſet. Quia eſt ſub forma, quæ non eſt diſpoſitio ad Animam, ſed vitæ deſtructio. Sicut eſt forma cadaueris. Ideo igitur; Anima ſeparata, appetit corpori reuniri, ſecundùm quòd Anima eſt, non ſecundùm quòd ſeparata eſt, quia, Vt Anima eſt, corporis actus eſt; Vt ſeparata eſt, proprium corpus, non habet, niſi diſpoſitionibus contrarijs ſubiectũ, Quòd ſi Anima ſeparata haberet corpus ſibi benè diſpoſitum, atquè proportionatũ. Dico quòd naturaliter poſſet corpori reuniri. Hanc autem eſſe Angelici Præceptoris mentem, ex eius verbis manifeſtè colligitur, hæc enim ſunt D. Thomæ verba loco citato. *Secundùm ſe corpori vniri, conuenit animæ, ſicut ſecundùm ſe, conuenit leui eſſe ſurſum. Et ſicut corpus leue, manet quidem leue, cum à loco proprio fuerit ſeparatum, cum aptitudine tamen, & inclinatione ad proprium locum. Ita anima humana, manet in ſuo eſſe, cum fuerit à corpore ſeparata, habens aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis vnionem.* D.Thom.

Ad ſecundam probationem Reſpondetur, diſtinguendo, ſeu, explicando maiorem, In homine datur naturalis inclinatio ad rectè, rationabiliter, iuſteq, viuendum, Rectitudine, & iuſtitia naturali, concedo maiorem; Rectitudine, & iuſtitia ſupernaturali, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Et quamuis homo, in ſtatu naturæ lapſæ ad operandum, ac iuſtè naturaliter viuendum, indigeat ſpeciali gratia Dei. Hoc prouenit, ratione lapſus, & ex ijs, quæ in materia de gratia, Deo fauente dicemus.

61 Obijcies Decimò. Homo ex natura ſua eſt imago Dei, Iuxta illud. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; & illud *Ad imaginem, quippè, Dei, factus eſt homo*; Sed omne ſimile, naturaliter appetit ſibi ſimile. Ergo creatura intellectualis naturaliter appetit viſionem Dei. Geneſ. 1. & 9.

Reſpondetur explicando maiorem, Homo ex natura ſua, eſt imago Dei, imperfecta, concedo maiorem. Perfecta, nego maiorem: ſed omne ſimile, &c. diſtinguo minorem, Appetit naturaliter, imperfectè, cõcedo minorem. Perfectè, nego minorem, Ergo, &c. nego conſequentiam.

Explicatur iſta reſponſio. Duplex eſt imago, ſeu, ſimilitudo. Perfecta, & Imperfecta. Perfecta, eſt illa, cui non deeſt aliquid quod inſit illi, de quo expreſſa eſt. Imperfecta verò, eſt illa, quæ in aliquo deficit, ab eo de quo expreſſa eſt. Vtraquè autem imago, ad appetendum id cuius eſt imago, inclinat, ſed vnaquæquè, iuxta modum ſuum, Perfecta nimirum, perfectè; Imperfecta, imperfectè. Homo autem eſt Dei imago imperfecta. Vnde à Sacra Scriptura, non vocatur imago Dei, ſed *ad imaginem Dei*. Quod ideo dicitur, quia imperfectam habet, imaginis Dei rationem. vt optimè aduertit D. Thomas infra, quæſt. 93. ar. 1. in corp. his verbis. *Et hoc ſignificat Scriptura cum dicit, hominem factum ad imaginem Dei. Præpoſitio enim, Ad, Acceſſum quendam ſignificat, qui competit rei diſtanti.* Peccat igitur argumentum, quia ab appetitu cognitionis Dei, ad appetitum viſionis Dei tranſit. Aliud enim eſt, appetere cognoſcere Deum, Aliud verò appetere viſionem Dei. In plus enim ſe, habet, cognoſcere Deum, quàm videre Deum. Quia cognoſcere, poteſt ſumi intuitiuè, & abſtractiuè: Videre autem, eſt cognoſcere tantum intuitiuè. D.Th.

62 Obijcies vndecimò. Ex illo Pſalmi 33. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*. Et ex illo Ioannis 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*. Per quæ verba, naturalis exprimitur inclinatio. Pſal. 33. Ioan. 14.

Reſpondetur, Falſum eſſe, per illa verba, naturalem exprimi inclinationem ex antecedentibus enim, clarè conſtat, ex ardenti, erga Deum charitatis ardore, dimanaſſe.

CA

Digitized by Google

CAPVT VNDECIMVM.

Authoritates Diui Thomæ, quæ ab Aduerſarijs Adducuntur, Legitimè explicantur.

OBijcies tandem, ex D. Thoma, ſuper prolog. primi ſent. vbi ſic ait. *Vnum-* D.Thom. 63 *quodquè ſuauiter eſt diſpoſitum, quando collocatur in ſuo fine, quem naturaliter deſiderat: & hoc nobis collatum eſt per Chriſtum, quando nos in gloriam æternam induxit; quam naturaliter homo appetit*, & Opuſc. 70. ar. vltimo ſic ait. *Quamuis enim homo naturaliter inclinetur in finem Vltimum, non tamen poteſt naturaliter illum conſequi; ſed ſolùm per gratiã, & hoc eſt propter eminentiam illius finis*. Et hic, ait. *quod ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam cum intuetur effectum; & ex hoc admiratio in hominibus conſurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ, pertingere non poſſit ad primam cauſam rerum, remanebit inane deſiderium naturæ*. Et idem in lib. 3. cont. gent. cap. 50. repetit ex quibus D. Thomæ verbis, videtur D. Thomas oppoſitam ſuſtinuiſſe ſententiam.

Reſpondetur explicando D. Thomæ Authoritates; Nam Authoritas, ex prologo pri- D.Thom. 64 mi ſent. quæ prima facie, aliqualem videtur habere apparentiam, ſi tamen attentè legatur eſt leuis, contra nos, exageratio. Ibi enim Angelicus Doctor, manifeſtare intendit, quòd quamuis ad ſapientiam, quę eſt toti Trinitati communis, cuncta in finem, quem, vnumquodquè naturaliter appetit, ordinare pertineat. Etiam hoc, quod eſt ad finem ordinare, per quamdam appropriationem, filio, attribuitur. Eo quia per Chriſtum, eſt nòbis collatum, quando nos in gloriam induxit æternam, Itaquè D. Thomas, nec explicitè, nec implicitè, hominem naturaliter, ſempiternam appetere beatitudinem, dixit; vt legenti patet. Sed proponens illud, quod de ſapientia æterna dicitur, *Attingit omnia à fine, Vſque ad finem, fortiter, diſponens omnia, ſuauiter, &c.* Explicanſquè, quomodo omnia diſponit. Sic ait. *Vnumquodquè ſuauiter eſt diſpoſitum, quando collocatur in ſuo fine, quem naturaliter deſiderat*; Poſtea verò deducit, quod hoc, quod eſt ad finem ordinare, per quamdam appropriationem, conuenit filio Dei; & propterea, immediatè ſubdit, *Et hoc nobis collatũ eſt per Chriſtum, quando nos in gloriam æternam induxit*, quaſi diceret, quando nos, non ad finem naturalem; ſed ad ſempiternam gloriam induxit. Itaquè, reſponſio conſiſtit in hoc; quòd D. Thomas, numquam dixit, hominem, gloriam æternam naturaliter appetere; cum autem dixit, *Vnumquodquè naturaliter appetit, finem*. Non loquitur ſpecialiter de homine; ſed vniuerſaliter de omni ente. Nam non dixit. Homo Tunc ſuauiter eſt diſpoſitus, quãdo in vita æterna, quam naturaliter appetit collocatur; ſed dixit, *Vnumquodquè ſuauiter eſt diſpoſitum, &c.* Vnde non rectè à quibuſdam, poſt illa verba. *Quando*, ſcilicet, *nos in gloriam æternam induxit*, addunt hæc alia. *quam naturaliter homo appetit*. Et miror, quomodo Sotus, aduerſariam opinionem, tenui ratione fulcitam, amplectens, vt eam expreſſa D. Thomæ Authoritate, firmaret, fallaci 65 pronunciatione eiuſdem verba, non erubuit adducere; quodquè Alij noſtri Thomiſtæ, neglexerunt aduertere.

Hæc enim ſunt D. Thomæ, verba. *Suauiter autem Vnumquodquè, tunc diſpoſitum eſt, quando in ſuo fine, quem naturaliter deſiderat collocatum eſt. Hoc etiam ad filium ſpecialiter pertinet; qui cum ſit Verus, & naturalis Dei filius, nos in gloriam Paternæ hæreditatis induxit*. Et paulo poſt, ſic ait. *Ad conſequutionem enim finis, exigitur præparatio, per quam, omne quod non competit fini tollitur: Ita Chriſtus, Vt nos in finem æternæ gloriæ induceret, Sacramentorum medicamenta præparauit; quibus à nobis peccati Vulnus abſtergitur*. Et paucis interiectis, gloriæ quantitatem declarans, Sic ait. *Partus ipſius Chriſti ſunt Fideles. Iſtius partus ſunt Sancti. Qui ſunt in gloria. de quo fructu Cant. 5. Veniat dilectus* Cant.5. *meus, in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Iſtos inebriat abundantiſſima ſui fruitione, de qua fruitione, & Ebrietate,* Pſal.35. *Pſalm. inebriabuntur ab Vbertate domus tuæ. Et dicitur Ebrietas, quia omnem menſuram rationis, & deſiderij excedit. Vnde Iſaiæ 64.* Iſai.64. *oculus non Vidit, Deus abſquè te, &c.* Vbi apertè D. Thomas; facit tranſitum, a fine naturali rerum; ad finem hominis ſupernaturalem; dum ait. *ad conſecutionem enim finis, exigitur, &c. Ita Chriſtus etiam, Vt nos in finem æternæ gloriæ induceret, &c.* Nota ly, *ita Chriſtus, Vt nos in finem, æternæ glorię*, quaſi enim diceret, quòd ſicut omnia, homine inferiora, ad ſuum finem naturalem ordinantur, per media ſibi à Deo collata. Ita homo ad finem æternæ gloriæ, id eſt, ad finem ſupernaturalem. Et hæc videtur mihi germana huius loci D. Thomæ intelligentia, Non ergo fidelis ſeries, eſt ſeruata verborum.

66 Ad ſecundam Authoritatem ex Opuſc. 70. ſuper Boetium de Trinit. deprõptam. Reſpondetur, explicando D. Thomam de appetitu naturali ad vltimum finem, ſeu, ad D.Thom. beatitudinem in communi, non verò in particulari, Verum, ſi nomine Beatitudinis in communi, aliquod commune per prædicationẽ de beatitudine naturali, & ſuper-

natu-

naturali, apparente, & vera, intelligatur, falſum exiſtimo dari naturalem appetitum, in communi, vt in quarto dicto probaui. Si autem nomine beatitudinis in communi, intelligatur beatitudo formaliter, verum eſt. Et ſenſus D. Thomæ eſt iſte. Homo naturaliter appetit finem, ſeu, beatitudinẽ ſibi naturaliter conuenientem. Sed verba ſequentia, nempè, *Non tamen poteſt naturaliter illum conſequi*, Altiori intelligentia interpretanda ſunt. Quoniam per nos, quod poteſt naturaliter appeti, poteſt etiã naturaliter conſequi. Quomodo ergo verba D.Thomæ ſubſiſtunt?

67 Pro intelligentia igitur, verborum Diui Thomæ, eſt breuiter obſeruandum. Quòd finis naturalis creaturæ intellectualis, dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo, reſpectu hominis ad vlteriorem, ſublimioremquè finem, ex ſpeciali gratia à Deo ordinati, vt nunc de facto contingit. Vel reſpectu hominis, nudè, ſeu, in puris naturalibus conſtituti, ſi, videlicet, à Deo, in huiuſmodi ſibi connaturali ſtatu ſiſtendo, conditus fuiſſet. Et quidem, ſi hoc ſecundo modo conſideretur, dicendum eſt, quòd finis, ſeu, beatitudo, quam homo naturaliter appetit, ab eodem poſſet naturaliter cõſequi. Si autem primo modo, poteſt vtiquè naturaliter appeti, non tamen poteſt naturaliter conſequi. Optimè igitur D.Thomas (D.Thom.) dixit, quòd homo beatitudinem (ſubaudi naturalem) poteſt naturaliter appetere, nõ tamen illam poteſt naturaliter aſſequi: Et ratio eſt, Quia homo iuxta diſpoſitionem, in qua de facto reperitur, non poteſt beatitudinem naturalem, conſequi; non conſequendo ſupernaturalem; Vnde Dæmones, non ſolùm beatitudinem ſupernaturalem, verùm etiam naturalem, peccando perdiderunt. Quia propter beatitudinem ſupernaturalem conſequendam conditi erant, à qua declinantes, etiam naturalem amiſerunt.

68 Ad alias D.Thomæ Authoritates, Reſpondetur. D.Thomam, loqui de appetitu (D Thom.) pro actu elicito, non de appetitu pro pondere naturæ, nam de illo appetitu loquitur, qui ex cognitione ſequitur, ſed appetitus qui cognitionem ſequitur, eſt appetitus elicitus. Ergo loquitur de appetitu elicito. Minor, & conſequentia patent, & ab omnibus amplectuntur. Probatur maior, ex verbis D. Thomæ. Sic enim ait. *Ineſt enim homini, naturale deſiderium, cognoſcendi cauſam cum intuetur effectum, & ex hoc admiratio in hominibus conſurgit*. Quòd quidem aduertens Recupitus, idem omninò affirmat; verumtamen contendit, quòd (Recupit.) ex tali appetitu elicito, arguitur appetitus naturæ. De quo magis patebit veritas, diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO NONA.

VTRVM IN CREATVRA INTELLECTVALI, detur appetitus naturalis elicitus, ad claram Dei viſionem.

In quinque Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur Titulus.

1 Determinauimus, nullum appetitum innatum, in creatura intellectuali, ad claram Dei viſionem reperiri. Vt autem, controuerſiæ, de eiuſdem appetitu, extremam poſſimus ponere manum, reſtat de appetitu elicito diſputandum; Quod in præſenti, & ſequenti diſputatione complebimus. Pro tituli igitur, & totius diſputationis intelligentia, eſt,

Obſeruandum primò, quòd Appetitus elicitus, tribus modis nuncupari poteſt, naturalis. Effectiuè. Subiectiuè. & Modaliter. Appetitus elicitus, naturalis effectiuè, dicitur ille, qui à potentia appetitiua, præuia cognitione, proprijs naturæ viribus, eſt elicitus. Vnde, Appetitus elicitus, ab innato in hoc, maximè differt. Quia elicitus, eſt productus, eſtquè actus ſecundus:

dus:

Digitized by Google

dùs: Appetitus verò, qui eſt naturæ pondus, eſt ipſamet natura, ex ſeipſa, ad aliquam perfectionem recipiendam, vel operationem producendam ordinata: & ſimiliter, Appetitus elicitus naturalis, diſtinguitur à ſupernaturali; Quia, Naturalis, viribus naturæ, ſupernaturalis verò, viribus ſupernaturalibus, eſt elicitus. Appetitus naturalis ſubiectiuè, dicitur ille, qui ſubiecto naturali ineſt, ſiue ſit in ſe, ſeu, in ſua entitate naturalis; ſiue ſit ſupernaturalis; in quo ſenſu, omnis forma ſupernaturalis, ſubiecto naturali inhærens, dicitur naturalis ſubiectiuè. Appetitus naturalis modaliter, dicitur ille, qui eſt per modum naturæ. Et hoc, dupliciter contingere poteſt. Vno modo, vt idem ſit dicere, per modum naturæ, ac, connaturaliter quomodocunquè, ideſt, vel connaturaliter ad gratiam, vel ad naturam. Altero verò modo, vt idem ſit dicere, eſt appetitus naturalis modaliter, ac appetitus neceſſarius.

2 Obſeruandum ſecundò, quòd hic appetitus naturalis elicitus, ſeu, naturalis modaliter, pro vt idem ſonat, ac neceſſarius, ſeu, ad vnum determinatus, etiam eſt duplex. Naturalis, ſeu, Neceſſarius, quò ad ſpecificationem. Et neceſſarius quò ad exercitium. Appetitus naturalis, quò ad ſpecificationem, dicitur ille, qui ſi elicitur, non poteſt non eſſe, niſi circa tale obiectum, Vel, quando obiectum proponitur, non poteſt odio haberi, ſi eſt bonum; ſi eſt malum, non poteſt amari. Ita quòd ſi potentia prorumpet in actum circa illud; ſi bonum eſt, erit actus amoris. actus autem odij, ſi erit circa malum.

Obſeruandum tertiò, quòd Appetitus elicitus, etiam eſt duplex, Abſolutus, ſcilicet, ſeu, efficax; Et Conditionatus, ſeu, inefficax. Abſolutus, & efficax, dicitur ille, qui ad obiectum aliquod proſequendum totis viribus, atquè conatibus, quantùm in ſe eſt enixè operam præſtat. Vt cum quis abſolutè, & efficaciter diuitias appetit, dat operam medijs, diuitias acquirendi. Appetitus verò conditionatus, & inefficax, dicitur ille, qui ex ſimplici complacentia, ad bonum tendit, media tamen

3 ad illud acquirendum, non curat acquirere, ſed multoties, oppoſitum occurrere poteſt. Verbi Gratia. Iuſtus Iudex, omnes homines cupit viuere vitam. Verumtamen, quia iuſtus eſt, ad ipſum ſpectat, Reos punire, torquere, & pro qualitate criminum nonnullos, vita priuare. Primus Iudicis appetitus, eſt inefficax, & conditionatus. Secundus verò, eſt efficax, & abſolutus.

Obſeruandum vltimò, quòd appetitus elicitus, naturalis effectiuè, ſiue, abſolutus ſiue, conditionatus; dupliciter contingere poteſt. Reſpectu hominis fidelis, ſeu, habentis fidem, non verò charitatem; & Reſpectu hominis fide carentis. In præſenti igitur diſputatione, quærimus. Vtrum in creatura intellectuali, detur appetitus elicitus naturalis effectiuè, ſiue, ſit abſolutè efficax, ſiue inefficax, reſpectu hominis habentis fidem, non verò charitatem, & reſpectu hominis infidelis. Et Omnibus iſtis modis, quæſitum enucleare oportet.

CAPVT SECVNDVM.

Doctorum opiniones referuntur.

4 SVnt quidam Iuniores Theologi, qui appetitum elicitum, naturalem effectiuè, ad claram Dei viſionem, pro vt in ſe eſt, in creatura intellectuali conſtituunt, & admittunt. Ita Recupitus, de Deo vno lib. 6. de verit. quæſt. 1. cap. 3. à num. 21. vſque ad 22. incluſiuè. Vaſq. diſ. 22. c. 4. & 5 Ferrarienſis. 3. cont. gent. cap. 51. affirmat in creatura intellectuali, dari naturalem appetitum effectiuè, ad claram Dei viſionem, non quidem, pro vt eſt Author ſupernaturalis, ſed ſecundùm quòd, eſt cauſa prima, & ordinis naturalis. Recupit. Ferrar.

Aliorum autem eſt opinio, quòd datur in creatura intellectuali, appetitus elicitus naturalis effectiuè .i. ex viribus naturæ productus ad Deum clarè videndum, vt eſt in ſe; non quidem loquendo de homine abſolutè conſiderato, ſed de homine, vt per fidem ad fælicitatem æternam ordinato. Hæc opinio à multis tribuitur Caietano, ſed immeritò.

5 Alia verò, eſt opinio; Non poſſe dari viribus naturæ, appetitum elicitum, & efficacem, reſpectu viſionis clarè Dei, pro vt eſt in ſe, benè tamen poſſe dari appetitum inefficacem. Ita ferè communiter Thomiſtæ. Medina part. 1. quæſt. 3. aric. 8. Bagnes, & Zumel hic, Martinez, part. 1. quæſt. 3. ar. 8. Concl. 3. Nazarius, hic Controuer. 2. concl. 4. Ioannes de Sancto Thoma, hic, in art. ſuo. 3. concl. 2. §. Ex quo colligitur, Collegium Salmanticenſe, tract. 2. de Viſione Dei, diſput. 2. dub. 5. concl. 1. & Alij. Medina. Bannes. Zumel. Martinez. Nazar Ioan. de S. Thom. Salmāt.

K CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Determinatio Veritatis.

6 PRo determinatione autem veritatis, Dico primò. Nullus datur appetitus elicitus, naturalis effectiuè, abſolutus, & efficax ad claram Dei viſionem.

Hoc dictum, eſſe expreſſam ſententiam Diui Thomæ exiſtimo.

Probatur igitur primò, Authoritate D. Thomæ de verit. quæſt. 22. ar. 7. in corp. Nam in titulo quærens. *Vtrum aliquis mereatur, volendo illud quod de neceſſitate vult.* Sic ait. *Homini inditus eſt appetitus vltimi finis ſui, v. ſ. licet appetat naturaliter, ſe eſſe completum in bonitate. Sed in quo iſta completio conſiſtat, vtrum in virtutibus, vel ſcientijs, vel delectabilibus, vel huiuſmodi alijs; non eſt ei determinatum à natura. Quando ergo, ex propria ratione adiutus diuina gratia, apprehendit aliquod ſpeciale bonum, vt ſuam beatitudinem, in quo verè ſua beatitudo conſiſtit, tunc meretur, non ex hoc, quòd appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit, ſed ex hoc, quòd appetit hoc ſpeciale, quod non naturaliter appetit; vt viſionem Dei. In quo tamen ſecundùm rei veritatem ſua beatitudo conſiſtit. Si verò, aliquis per rationem erroneam deducatur, vt appetat aliquid ſpeciale, vt ſuam beatitudinem, puta, corporales delectationes, in quibus tamen, ſecundùm rei veritatem ſua beatitudo non conſiſtit, ſic appetendo beatitudinem demeretur; non quia appetit beatitudinem, ſed quia indebitè appetit hoc, vt beatitudinem, in quo beatitudo non eſt.* Et tandem ſic finit. *Et hoc modo ſancti merentur appetendo Deum, vel vitam æternam.* Hæc ille.

D.Thom.

7 Ex quibus D. Thomæ verbis, efficax deducitur pro noſtro dicto argumentum. Primò, Secundùm Sanctum Thomam, ſicut quis appetendo diuitias, vel honores, vt veram beatitudinem, peccat; Ita etiam, ſi quis appetit claram Dei viſionem, tanquam veram beatitudinem, meretur: ſed nullus poteſt habere meritum reſpectu vitæ æternæ, ex proprijs naturæ viribus. Ergo nullus poteſt appetitu abſoluto, & efficaci, (in quo propriè, ratio meriti, vel demeriti ſaluatur) viſionem claram Dei appetere. Secundò. Quia per eumdem Sanctum Thomam, homo non à natura, ſed ex propria ratione, mediante gratia diuina, ad claram Dei viſionem inclinat. Ergo non poteſt appetitu abſoluto, & efficaci viſionem claram Dei appetere, tanquam ſupremam beatitudinem, ex ſolis naturæ viribus.

Hic idem tenetur concedere Scotus, in 4. diſt. 49. quæſt. 10. §. 2. quantum ad velle, circa finem quæſtionis, vbi hæc habet verba. *Secundò quantùm ad velle elicitum, dico. quòd cùm habent cognitionem de beatitudine, & eam conſiderant, poſſunt habere volitionem ſequentem appetitum naturalem, ei cõformem; & poſſunt actu elicito appetere beatitudinem; ſicut & mali in via. Affectione tamen commodi immoderata; quia non moderata affectione iuſtitiæ; quo iuſti appetunt, vt commodum eis; & ideo immoderatius appetũt eam, quàm iuſti. Et ideo concedo. quòd Damnati velle elicito appetunt beatitudinem.* Hæc ille. In quibus verbis, apertè affirmat Scotus, quòd non niſi affectione immoderata, poteſt aliquis ſine gratia, actu elicito beatitudinem appetere, & paulo poſt ſic ait, *Dico. quòd, duplex eſt volitio; Vna eſt efficax, quæ eſt reſpectu finis, per media ad illum finem conſequendum ordinata. Alia eſt ſimplex, ſeu, conditionalis, quæ eſt reſpectu alicuius finis, non exequendo media ad illum finem conſequendum, ſed ſimpliciter appetitur finis ille, & vellet tendere in ipſum ſi poſſet, & ſi obiectum eſſet ſecundùm ſe præſens. Primo modo, non eſt volitio alicuius apprehenſi, ſub ratione impoſſibilis, ſed tantùm, ſub ratione poſſibilis.* Hæc ille.

Scotus.

8 Qui quamuis loquatur de beatitudine quæ oſtenditur, vt impoſſibilis, nihilominus tamen, ex eius verbis, efficax etiam pro noſtro dicto formatur argumentum.

9 Hoc modo. Primò. Appetere beatitudinem, eo modo quo conſequi eſt impoſſibile, eſt appetere illam immoderatè; ſed clara viſio Dei non eſt per vires naturæ conſequibilis. Ergo eſt appetere illam immoderatè. Nos autem loquimur de appetitu prudenti, & moderato. Secundò. Appetitus efficax (vt rectè Scotus) eſt reſpectu finis per media ordinata ad illum finem conſequendum: Sed vires naturæ, non ſunt media ordinata ad claram Dei viſionem conſequendam. Ergo appetitu naturali effectiuè, abſoluto, & efficaci, non poteſt homo appetere claram Dei viſionem. Scotus.

Probatur inſuper. Quæ ſunt ſupra rationem naturalem, non poſſunt ab homine ex proprijs naturæ viribus appetitu abſoluto, &

10 efficaci naturaliter appeti: ſed clara Dei viſio, eſt ſupra rationem naturalem. Ergo non poteſt ab homine, appetitu elicito naturali, & abſoluto appeti. Probatur maior. quæ ſunt ſupra naturalem virtutem intellectus, ſunt etiam ſupra naturalem virtutem voluntatis; Quemadmodum igitur ponitur fides in intellectu, vt circa ſupernaturalia ſpeculetur, ita etiam ponenda eſt charitas in voluntate, vt circa illa, poſſit inclinare. Ergo quæ ſunt ſupra rationem naturalem, non poſſunt ab homine naturaliter appeti. Minor etiam patet. Quia Gratia, & ſempiterna vita, cum ſint maxima Dei dona, ſunt ſupra naturalem hominis facultatem.

Con-

Digitized by Google

Confirmatur primò. Per lumen naturale, homo demonſtratiuè cognoſcit, quòd Deus proprijs naturæ creatæ viribus, clarè videri non poteſt. Ergo à voluntate ipſius, appetitu naturali elicito, & abſoluto, clara Dei viſio appeti nequaquam poteſt. Antecedens ſuppono certum, & magis patebit diſp. v1.[illegible] huius a. 1. & ar. 4. Probatur autem conſequentia, Quia obiectum voluntatis, eſt bonum apprehenſum, & voluntati, vt poſſibile repræſentatum. Ergo quod ab intellectu cognoſcitur, vt impoſſibiliter conſequendum, non poteſt ab illius voluntate appetitu prudenti, moderato, & efficaci deſiderari. Probatur inſuper conſequentia. Quia Spes eſt de bono arduo, ſed poſſibili; deſperatio verò, eſt de bono impoſſibili: ita quòd, vbi eſt deſperatio, appetitus abſolutus, & efficax, omniſq; amor ceſſat. Ergo ſi viſio clara Dei, cognoſcitur vt naturaliter inconſequibilis, in viribus naturæ ſiſtendo, nulla ſpes, ſed deſperatio tantùm de illa eſſe poteſt; & conſequenter, nullus amor, vel naturalis appetitus, abſolutus, & efficax.

11 Confirmatur Secundò. Quia appetitus elicitus, abſolutus, & efficax, quantùm eſt de ſe, proſecutiuus eſt, & intentum, executioni mandare procurat: Sed impoſſibile eſt, vt ex proprijs naturæ viribus, creatura intellectualis claram Dei viſionem, conſequatur. Ergo impoſſibile eſt, vt creatura intellectualis, ex proprijs naturæ viribus appetitu naturali effectiuè, abſoluto, & efficaci, appetat claram Dei Viſionem. Maior patet, ex diſcrimine, quod inter appetitum conditionatum, ſiuè inefficacem; & appetitum abſolutum, & efficacem reperitur. Nam appetitus inefficax, non eſt ſollicitus de medijs inueniendis, nec ad illa reperienda conatur; At verò, appetitus abſolutus, & efficax, ita ſe habet, vt ad media opportuna inuenienda conetur. hæc ratio, cum confirmationibus, fundatur ſuper Doctrinam D. Thomæ, & Scoti iam adductam.

Dico Secundo. Homo vt eleuatus per fidem in intellectu, manens verò, in puris natura-
12 libus in voluntate; non poteſt naturaliter effectiuè, appetitu abſoluto, & efficaci, claram Dei viſionem appetere.

Hoc dictum, nonnulli volunt eſſe, Contra Caietanum, hic. Et p. 2. quæſt. 3. ar. 8. & Corradum ibidem. Ego autem firmiter teneo, & nullatenus dubito, hoc dictum eſſe Caietani, non contra Caietanum. Quod ita probo, primò quidem. Quia Caietanus p. 2. loco citat. ſic ait. *De homine ordinato, à diuina prouidentia ad illam patriam, &c.* Ergo quando Caietanus ait, quòd homo vt ordinatus ad fælicitatem, appetit naturaliter videre Deum, loquitur de homine ordinato à diuina prouidentia ad illam Patriam: ſed diuina prouidentia, non ſolùm per fidem in intellectu, verùm etiam per Spem, & Charitatem hominem ad illam Patriam ordinat. Ergo hoc dictum eſt Caietani, non contra Caietanum. Secundò quia ſic ſumitur homo ad beatitudinem ordinatus à Caietano, quomodo ſciebat Caietanus hominem debere ad beatitudinem ordinari: ſed Caietanus rectè ſciebat hominem ordinari ad beatitudinem, non ſolùm per fidem in intellectu, ſed etiam per ſpem, & charitatem in voluntate. Ergo non in alio ſenſu eſt intelligendus. Maior patet. Probatur minor. Quia Caietanus p. 2. quæſt. 62. ar. 1. hæc habet verba. *Sicut,* inquit, *apparet in nobis reſpectu fælicitatis naturalis. In parte*
13 *namquè apprehenſiua, habemus habitum principiorum, quo inditum eſt, vt beatitudo ſit appetenda, omne bonum proſequendum; & omne malum fugiendum, & ſi qua ſunt huiuſmodi, beatitudini annexa. In parte autem appetitiua, habemus naturalem inclinationem in bonum proprium, quæ plus eſt, quàm virtus. Vnde conſequens eſt; vt ad beatitudinem ſupernaturalem proportionaliter ordinemur, in vtraquè parte. Et ſic prima principia rectarum operationum, ad huiuſmodi fælicitatem ordinantia, vt ei commenſurata, de ipſo vltimo fine Deo: ſed vt obiecto ſupernaturalis beatitudinis, erunt in intellectu, & in appetitu, ita inchoantia per modum habitus, Deum ſic ſumptum in mente noſtra. Sicut principia naturalia ſtabiliunt in ea finem naturalem. Et hoc eſt, quod in littera dicitur, quòd per iſta principia, quæ vocantur virtutes Theologicæ, ita ordinamur ad beatitudinem ſupernaturalem, ſicut per principia naturalia ad finem connaturalem. Sunt ergo iſtæ virtutes, de fine tanquàm de obiecto proprio; de virtutibus autem, quæ ſunt de his, quæ ſunt ad finem ſupernaturalem, quaſi proportionatè. Infra erit ſermo. ſunt enim virtutes morales infuſæ, vt infra patebit.* Hæc ille. Et hæc omnia verbaliter tranſcripſi, vt mens Caietani ſit cunctis aperta. Quoniam quidam Doctores ipſum obſcitanter legentes; & ex innata cupiditate impugnandi, nonnunquam illi falſas opiniones imponunt; Vel eum non intelligendo impugnant. Patet, igitur, quid per hominem ad fælicitatem ordinatum ſentiat Caietanus, nimirum hominem ex duplici parte, ex parte, ſcilicet, intellectus per Fidem, & per Spem, & per Charitatem ex parte voluntatis, intelligit hominem ad fælicitatem ordinari. Vnde non ſunt audiendi, oppoſitum imponentes Caietano, ſiue ſint Thomiſtæ, ſiue non.

Caietan. Conrad.

14 Probatur igitur noſtrum dictum primò. Authoritatibus D. Thomæ, quæ firmam pro concluſione continent rationem. Etenim D. Thomas, p. 2. quæſt. 62. ar. 1. in corp. ſic ait. *Per virtutem perficitur homo ad*

Digitized by Google

actus, quibus in beatitudinem ordinatur. Eſt autem duplex hominis beatitudo, ſiuè fælicitas. Vna quidem proportionata humanæ naturæ, ad quam, ſcilicet, homo peruenire poteſt, per principia ſuæ naturæ. Alia autem, eſt beatitudo naturam hominis excedens; ad quam homo ſola diuina virtute peruenire poteſt, ſecundùm quamdam diuinitatis participationem; ſecundùm quòd dicitur. 2. Petri. 2. quòd per Chriſtum facti ſumus conſortes diuinæ naturæ. Et quia huiuſmodi beatitudo, proportionem humanæ naturæ excedit, principia naturalia hominis, ex quibus procedit ad benè agendum, ſecundùm ſuam proportionem, non ſufficiunt, ad ordinandum hominem in beatitudinem prædictam. Vnde oportet, quòd ſuperaddantur homini diuinitus, aliqua principia, per quæ ita ordinetur ad beatitudinem ſupernaturalem, ſicut per principia naturalia ordinatur ad finem cõnaturalem, non tamen abſquè adiutorio diuino: & huiuſmodi principia, virtutes dicũtur Theologicæ. Tum quia habent Deum pro obiecto, in quantùm per eas rectè ordinamur in Deum, &c. hæc ille.

15 Et quæſt. 63. ar. 3. in corp. hæc habet verba. *Oportet effectus eſſe ſuis cauſis, & principijs proportionatos. Omnes autem virtutes tàm intellectuales, quàm morales, quæ ex noſtris actibus acquiruntur, procedunt ex quibuſdam naturalibus principijs, in nobis præexiſtẽtibus, loco quorum, naturalium principiorum, conferuntur nobis, à Deo virtutes Theologicæ, quibus ordinamur ad finem ſupernaturalem. Vnde oportet quòd his Theologicis virtutibus, proportionaliter reſpondeant alij habitus diuinitus cauſati in nobis, &c.* Et ibidem in reſpõſione ad 3. ſic ait. *Virtus illorum principiorum, naturaliter inditorum, non ſe extendit vltrà proportionem naturæ. Et ideo in ordine ad finem ſupernaturalem, indiget homo, perfici per alia principia ſuperaddita,* Et ſupra q. 62. citat. ad. 3. ſic ait. *Ad Deum naturaliter ratio, & voluntas ordinatur, pro vt eſt naturæ principium, & finis; ſecundùm tamen proportionem naturæ. Sed ad ipſum ſecundùm quòd eſt obiectum beatitudinis ſupernaturalis, ratio, & voluntas, ſecundùm ſuam naturam, non ordinantur ſufficienter.* Hæc ille.

16 In, & ex quibus verbis, hæc ratio continetur, & colligitur. Voluntas per illud claram Dei viſionem appetit, appetitu abſoluto, & efficaci; per quod ad illam ſufficienter ordinatur: Sed voluntas ad claram Dei viſionem, quæ eſt voluntatis obiectũ per naturæ vires, non ſufficienter ordinatur. Ergo per vires naturæ, appetitu elicito, & efficaci, non poteſt illam appetere.

Confirmatur. Quia ex ſupradictis D. Thomæ verbis, Beatitudo ſupernaturalis, eſt excedens proportionem humanæ naturæ. Ergo naturaliter, ſeu, ex viribus naturæ, appetitu abſoluto, & efficaci non poteſt naturaliter appeti.

D. Thom.

Probatur Secundò. Intellectus ſine lumine ſupernaturali, nõ poteſt cognoſcere Deũ, vt Authorem gratiæ. Ergo nequè etiam voluntas ſine lumine ſupernaturali, ex ſolis naturæ viribus, claram Dei viſionem abſoluto, & efficaci appetitu appetere poteſt. Antecedens patet, & magis patebit infra. probatur autem conſequentia, ab optima paritate. Sicut ſe habet intellectus in ordine ad verum ſupernaturale; ita voluntas ad bonum ſupernaturale. Et quidem ſi loquamur de homine in ſtatu naturę lapſæ, maiori cum debilitate voluntas, reſpicit bonum, quàm intellectus verum; eo quia ratione peccati, fuit magis vulnerata voluntas, quàm intellectus. Multi enim rectè intelligentes, ſunt malè volentes. Ergo ſi intellectus, ex ſolo naturali lumine, eſt improportionatus, & impotens ad cognoſcẽdum obiectum ſupernaturale, multo magis, erit impotens, & improportionata voluntas.

D. Thom.

17 Confirmatur. Intellectus ſine fide, non poteſt aſſenſu certo, & infallibili myſterijs fidei, pro vt à Deo reuelatis aſſentiri. Ergo nequè voluntas poteſt Deum clarè viſum, vt vltimum finem ſupernaturalem appetitu abſoluto, & efficaci ſine lumine ſupernaturali appetere. Patet conſequentia. Quia ſicut virtus intellectus naturalis, deficit ab aſſenſu certo, & infallibili, reſpectu myſteriorum fidei, ita virtus naturalis voluntatis, deficit ab appetitu abſoluto, & efficaci vltimi finis ſupernaturalis.

Confirmatur Secundò: Voluntas ſine virtute ſupernaturali, eſt intrinſecè impotens, & improportionata ad vltimum finem ſupernaturalem appetendum. Ergo indiget virtute qua conſtituatur intrinſecè potens; ſed per ſolam illius virtutem naturalem, non conſtituitur intrinſecè potens. Ergo abſquè virtute ſupernaturali, non poteſt appetere viſionem claram Dei. Probatur antecedens. Quia vt voluntas ſit intrinſecè potens appetere Deum, vt finem ſupernaturalem; indiget charitate, quæ cum ſit habitus per ſe infuſus, non dat faciliter, ſed ſimpliciter poſſe. Ergo, &c.

18 Confirmatur Tertiò. Quia viſio clara Dei, eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo non appetitur abſoluto, & efficaci appetitu naturali, effectiuè. Probatur conſequẽtia. Quia Actio ſpecificatur ab obiecto. Ergo ſi obiectum volitum eſt ſupernaturale, etiam actus abſolutus, & efficax, debet eſſe ſupernaturalis.

Recupitus, qui ſupra. n. 21. ad 5. Reſpõdet, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguit antecedẽs. Actio ſpecificatur ab obiecto, & medio quo ad obiectum tendit, concedit; & non medio, quo tendit ad obiectum

ctum, negat: In caſu (inquit) noſtro creatura intellectualis appetit Deum clarè viſum medio naturali, & hoc non inconuenit. Quia exiſtentia Dei, eſt maximè ſupernaturalis; & tamen poteſt ab intellectu per medium naturale cognoſci. Ita ſimiliter ſuppoſita cognitione Dei per medium naturale, poteſt voluntas illum appetere.

19 Contra hanc reſponſionem ſic argumentor. Quia intellectus per effectus naturales, poteſt venire in cognitionem Dei, ſecundùm quòd eſt in ſe maximè ſupernaturalis, quo ad an eſt, nō tamen poteſt illum cognoſcere per effectus naturales, vt eſt Author gratiæ, & cauſa ſupernaturalis. Et inſuper. Si intellectus, Deum vt Authorem ſupernaturalem, per media naturalia cognoſceret, cognoſceret quoquè, non eſſe per media naturalia viſibilem. Ergo illum voluntati, ſub hac eadem ratione proponeret. Ergo illum voluntati proponeret tanquam inappetibilem per vires naturæ. Ergo voluntas abſquè ſpeciali Dei ſupernaturali auxilio, non poteſt claram Dei viſionem appetitu naturali effectiue, efficaci, & abſoluto appetere. Antecedens patet. Prima conſequentia, conſtat ex antecedenti. Eo quia intellectus proponit obiectum voluntati, Eo modo quo cognoſcit eſſe poſſibile. Secunda conſequentia probatur ex prima. Quia vnumquodquè obiectum, quod ab intellectu tanquam impoſſibile demonſtratur, proponitur etiam vt inappetibile, ea ratione qua tanquàm impoſſibile præſentatur: ſed in caſu noſtro, Deus clarè viſus ab intellectu proponeretur, vt impoſſibiliter per virtutem naturalem conſequendus, & ſolùm per virtutem ſupernaturalem poſſibiliter videndus. Ergo primo modo proponitur vt inappetibilis, ſecundo modo, vt appetibilis. Vltima conſequentia eſt manifeſta. Quia voluntas appetitu abſoluto, & efficaci, non appetit aliquid, niſi ſub ratione poſſibilis. Quomodo igitur Recupitus dicit, quòd viſio clara Dei, appetitur appetitu elicito per media naturalia? Vel enim loquitur de appetitu elicito voluntatis; & ſic currit noſtrum argumentum. Vel de appetitu intellectus, & hoc eſt omnino, & apud omnes falſum, quia appetitus elicitus; eſt tantùm in voluntate, & nullo modo in intellectu. Sicut cognitio eſt tantùm in intellectu, & nullo modo in voluntate.

Recupit.

CAPVT QVARTVM.

Explicatur mens Diui Thomæ, & Ab Aduerſariorum calumnijs, defenditur Caietanus.

PRo vera igitur, ac germana, verborum Diui Thomæ intelligentia, nempè, *Ineſt homini naturale deſiderium, cognoſcendi cauſam, cum intuetur effectum.*

20 Obſeruo primò, quòd Viſio clara Dei, dupliciter appeti poteſt. Primò. Ex præcedenti cognitione effectuum. Secundò. Quatenus fidelibus, vt præmium, vel Corona, per fidem immediatè promittitur. Diuus Thomas hic, non loquitur hoc ſecundo modo, ſed primo. Etenim verba litteræ clarè ſonant. *Ineſt* inquit, *homini naturale deſiderium, cognoſcendi cauſam, cum intuetur effectum.*

Obſeruo ſecundò, quòd cum duo ſint effectuum genera, Quidam, ſcilicet, effectus ſunt naturales; Quidam verò ſupernaturales; propoſitio Diui Thomæ, de omni effectu verificari poteſt, vt videbimus.

21 Obſeruo Tertiò, quòd quamuis ex vtrorumquè effectuum, naturalium, videlicet, & ſupernaturalium cognitione, videndi Deum, inſurgat appetitus, Differenter tamen hoc contingere poteſt. Nam quando Dei cognitio, ex effectuum naturalium cognitione appetitur, ille appetitus non eſt ad claram Dei viſionem immediatè, ſed ad cognitionem Dei, naturaliter conſequendam: Ad videndam verò, Deitatis maieſtatem vt in ſe eſt, nullus datur ex effectuum naturalium cognitione, naturalis appetitus, qui ſit elicitus, & naturalis effectiuè, niſi appetitus inefficax; & huiuſmodi appetitus inefficax, non eſt Deum videndi immediatè, ſed mediatè, & per quandam conſequentiam: quando verò ex cognitione effectuum ſupernaturalium videndi Deum, inſurgit appetitus, dupliciter etiam contingere poteſt. Primò. Ex cognitione inadæquata, & incompleta effectuum ſupernaturalium, ſeu, gratiæ, & gloriæ. Secundò. Ex ipſorum cognitione completa. Incompleta effectuum ſupernaturalium cognitio, conſiſtit in hoc, vt cognoſcantur quantùm ad aliqua, non verò, quantùm ad omnia ipſorum prædicata. Ideſt, quantùm ad hoc, præcisè, quòd ſupernaturalitatem, ſeu, exceſſum ſupra naturam dicunt. Completa autem effectuum ſupernaturalium cognitio, (completa, inquam, non compræhenſiua)

tunc

Digitized by Google

tunc eſt, quando effectus ſupernaturales, quantùm ad omnia ipſorum propria prædicata, ad rationem ſupernaturalitatis ſpectantia noſcuntur. quando, videlicet, cognoſcuntur, ſecundum quòd, manu ducunt creaturam intellectualem, ad attingendum Deum, vt in ſe eſt.

23 Obſeruo Quartò, quòd quamuis effectus gratiæ, & gloriæ, non poſſint lumine naturali certè cognoſci, lumine tamen fidei, à nobis viatoribus cognoſcuntur. Verùm qui ſint effectus gratiæ, & gloriæ, explicãdum reſtat. Effectus igitur gratiæ, ſunt, Iuſtificatio impij, Viam iniquitatis derelinquere, Ad Deum toto corde conuerti, Ipſumquè ſuper omnia, media charitate diligere. Fides, Spes, Charitas, cæteriquè habitus, vel virtutes ſupernaturales, &c. Iſti ſunt effectus gratiæ. Effectus autem gloriæ ſunt, Diuinis contemplationibus animam nutrire, ſpiritualem dulcedinem ex Sacramenti Euchariſtiæ frequentatione ſentire, Homines deſerere, Angelos quærere, Orationibus, prædicationibuſquè inſtanter, ac delectabiliter attendere, ſolum Deum puramente ſectari, &c. Illi ſunt effectus gratiæ, & gloriæ quos per fidem credimus, & quoſdam in nobis, quadam deuota coniectura experimur.

24 Obſeruo tandem, quòd quando homo ex effectuum ſupernaturalium cognitione, appetitu abſoluto, & efficaci, appetit Deũ videre; meretur eodem prorſus modo, ac ſi, eumdem appetitum abſolutum, & efficacem eliceret, ex immediata, per fidem, reuelatione eiuſdem viſionis, in ratione præmij, & coronæ. Eo quia per eumdem charitatis habitum, ad dictam viſionem, efficaciter inclinat. Vnde inter appetitum abſolutum videndi Deum, ex immediata per fidem reuelatione, & ex effectuum cognitione procedentem; nullum in ratione meriti diſcrimen inuenitur, ſed occaſionaliter dumtaxat eſt differentia. Quia ſcilicet, appetitus ex effectuum cognitione procedens, & per voluntatem media charitate elicitus, neceſſariò ſupponit effectuũ ſupernaturalium cognitionem; Alter verò appetitus non item. Hęc attentè conſidera. Vnde.

25 Dico Tertiò. Homo per fidem cognoſcens aliquos effectus gratiæ, & gloriæ, incompletè tamen, & habens ſpem, & charitatem, in voluntate, ſi aliunde, viſionis claræ Dei poſſibilitas, per fidem, videlicet, ei non fuerit ſpecialiter reuelata, eamdem viſionem, appetitu abſoluto, & efficaci non appetit.

Non dico, quòd homo ſic conſtitutus, ad claram Dei viſionem abſolutè appetendam, virtutem non habeat ſufficientem. Quoniam per Fidem, Spem, & Charitatem, clara Dei viſio, appetitu prudenti, abſoluto, & efficaci appeti poteſt. Dico tamen, quòd homo, qui ſupra, Appetitu abſoluto, non appetit Deum videre, non quidem defectu virtutis ex parte appetentis, ſed ratione obiecti, cuius poſſibilitas, in caſu noſtro, non ſupponitur reuelata. hoc poſito breuiter ſic,

26 Probatur. Deſiderium prudens, abſolutum, & efficax, tendit ad obiectum, quod eſt appetenti poſſibile. Ergo ſi viſio clara Dei non ſupponitur per fidem reuelata, & effectus ſupernaturales incompletè cognoſcũtur, vt explicauimus; non poteſt appetitu abſoluto, & efficaci deſiderari.

Dico Quartò. Homo eleuatus per fidem in intellectu, per ſpem, & charitatem in volũtate, & cognoſcens aliquos effectus gratiæ, & gloriæ, cognitione completa, poteſt appetitu abſoluto, & efficaci, ex præcedenti cognitione talium effectuum, viſionem claram Dei appetere.

27 Probatur. Cognoſcens effectus gratiæ, & gloriæ, cognitione completa, cognoſcit etiam, quòd huiuſmodi effectus, ideo dicũtur ſupernaturales, quia manuducunt, & ordinant creaturam intellectualem, ad Deum vt eſt in ſe. Ergo cognoſcens effectus gratiæ, & gloriæ, completè, & habẽs charitatem, poteſt claram Dei viſionem, appetitu abſoluto, & efficaci appetere.

Dico Quintò. Homo ſiue eleuatus per fidem in intellectu, ſiue per quamcumquè reuelationem, poſſibilitatem clarè Dei viſionis aliquo modo cognouerit; ſiuè nullo modo fuerit eleuatus, poteſt ſine charitate appetere claram Dei viſionem appetitu elicito naturali, inefficaci tamen, & conditionato.

Probatur Primò. Quia intellectus abſquè habitu fidei, aſſenſu quodam coniecturali, poteſt myſterijs fidei aſſentiri. Ergo etiam voluntas, abſquè charitate, poteſt inefficaciter, & conditionaliter, claram Dei viſionem appetere.

28 Probatur Secundò. Appetitu conditionato, & inefficaci, poſſunt etiam aliqua euidenter impoſſibilia deſiderari. Ergo à fortiori poteſt etiam appeti, eodem appetitus genere, clara Dei viſio, de cuius omnimoda impoſſibilitate, nulla extat manifeſta probatio.

Probatur Tertiò. Quia omne bonum, vt bonum, ex ſe eſt appetibile. Ergo quia viſio clara Dei, eſt quodam magnum bonum, eſt etiam quoddam appetibile. Ergo voluntas poteſt illam appetere, illamquè velle in eſſe intellectus, niſi aliquid obſtet: ſed hoc eſt appetere appetitu inefficaci, & conditionato. Ergo.

29 Itaquè propoſitio Diui Thomæ, nempe, *Ineſt homini naturale deſiderium videndi cauſam cum intuetur effectum*. Iuxta ſupradictos dicendi modus, eſt vniuerſaliter vera. Nec oppoſitum tenuit Caietanus.

Ve-

Digitized by Google

Verumtamen, pro vt ſeruit ad immediatè probandum intentum, quod eſt Theologicæ conſiderationis, & ad Theologos, non ad Gentiles eſt ſermo; Ideo profundior eſt, ac verior, interpretatio Caietani. Vt autem hæc veritas magis elucefcat, quæ contra hanc determinationem ſolent opponi, ſoluere oportet.

CAPVT QVINTVM.

Argumenta in contrarium proponuntur, & diluuntur.

30 SEd Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò, Quia D. Thomas non ſemel, atquè iterum, ſed pluries, ac pluries, in creatura intellectuali, ad claram Dei viſionem, dari naturalem appetitum affirmat. D.Thom. Nam in 3. cont. gent. cap. 50. hæc habet verba. *Non poteſt eſſe, quod in cognitione, quam ſubſtantiæ ſeparatæ habent de Deo; quieſcat naturale deſiderium. Omne enim quod eſt imperfectum in aliqua ſpecie, deſiderat conſequi perfectionem illius ſpeciei, &c.* Et paulo poſt, *Ex hac,* inquit, *cognitione, quam habent ſubſtantiæ ſeparatæ, non quieſcit naturale deſiderium, ſed incitatur magis ad diuinam ſubſtantiam videndam.* Et ibidem. *Ex cognitione,* inquit, *effectuum incitatur deſiderium ad cognoſcendam cauſam. Vnde, & homines phyloſophari cæperunt, cauſas rerum inquirentes. Non quieſcit igitur, ſciendi deſiderium naturale, omnibus ſubſtantijs intellectualibus indutum, niſi cognitis ſubſtantijs effectuũ, etiam ſi ſubſtantiæ cauſam cognoſcant. Per hoc igitur, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ cognoſcunt omnium rerum, quarum ſubſtantias vident, eſſe Deum cauſam. Non quieſcit naturale deſideriũ in ipſis, niſi ipſius Dei ſubſtantiam videant.* Et paulo poſt. Ibidem. *Ex quibus* (inquit) *concluditur, quòd vltima fælicitas ſubſtantiæ ſeparatæ, non eſt in illa cognitione Dei, qua cognoſcunt per ſubſtantias ſeparatas, cum adhuc earum deſiderium ducat eos vſquè in Dei ſubſtantiam.*

31 Et cap. 51. hæc habet verba. *Cum autem impoſſibile ſit, naturale deſiderium eſſe inane, quod quidem eſſet, ſi non eſſet poſſibile peruenire ad diuinam ſubſtantiam intelligendam: quod naturaliter omnes mentes deſiderant. Neceſſè eſt dicere, quòd poſſibile eſt ſubſtantiam Dei videri, per intellectum, à ſubſtantijs ſeparatis, & animabus noſtris.*

Et in hoc art. in fine Corp. hæc habet verba. *Ineſt homini naturale deſiderium, cognoſcendi cauſam, cum intuetur effectum; & ex hoc, admiratio in hominibus conſurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ, pertingere non poſſit ad primam cauſam rerum, remanebit inane deſiderium naturæ.* Idem repetit p. 2. quæſt. 3. ar. 8.

In omnibus præallegatis, conſimilibuſquè D. Thomæ locis, de appetitu elicito eſt ſermo, non de innato. Etenim appetitus de quo D. Thomas loquitur, cognitionem ſequitur. Ergo omnia prædicta loca, contra ea, quæ in præſenti diſputatione determinauimus, militare videntur, Quibus tamen ſatisfaciendum eſt. Vnde,

32 Ferrarienſis 3. cont. gent. cap. 51. D. Thomam de appetitu elicito naturali, videndi Deum in ratione cauſæ, ſecundùm quòd eſt Author naturæ, exponit. Ferrar.

Caietanus hìc, & p. 2. cit. D. Thomam explicat de appetitu naturali hominis conſiderati, non ſecundùm ſe, & abſolutè, ſed vt ad beatitudinem ſempiternam ordinati. Expoſitionem tamen Caietani nonnulli reijciunt, & contra eam. Caietan.

Primò arguitur, ex Ferrarienſi 3. cont. gent. cit. quia S. Thomas in illis verbis, ait, quòd illud deſiderium, ineſt omni homini, & omni intellectui: ſed deſiderium vidēdi Deum clarè, in fide, & charitate fundatum, non in eſt omni homini; & omni intellectui. Cum non omnes fidem, & charitatem habeant. Ergo Verba S. Thomę non poſſunt in hoc ſenſu commodè explicari. Ferrar.

Secundò ex Recupito lib. 6. de verit. quæſt. 1. num. 13. *Quia S. Thomas apertè id probat*, nempè, poſſibilitatem viſionis, *Ex eo quòd,* Recupit.
33 *ineſt homini naturale deſiderium videndi cauſam cũ intuetur effectum: ſed gratiam, & gloriã homo non intuetur, vt patet. Ergo non poteſt loqui de effectibus ſupernaturalibus, quos nõ videmus, ſed loquitur de naturalib⁹, quos videmus.*

Tertiò ex eodem, ibidem. Quia Caietani explicatio, *Non quadrat, neque in appetitum innatum, neque in elicitum, Non in innatum. Quia hic, eſt intrinſecus, & neceſſarius; & ſic non poteſt pendere ex ſuppoſitione reuelationis merè extrinſecæ, & liberæ, Neque quadrat in elicitum. Tum quia expreſsè dicit talem appetitum videndi Deum ineſſe intellectui: appetitus autem elicitus, non poteſt eſſe niſi in potentia appetitiua, quæ eſt voluntas. Tum quia, hic appetitus elicitus videndi Deum, vt cauſam effectuum ſupernaturalium, ſuppoſita reuelatione, neceſſariò eſt appetitus ſupernaturalis: Nam & obiectum eſt ſupernaturale; nempè, viſio Dei: & medius terminus eſt ſupernaturalis, nempè gratia; & cognitio ipſa ex qua oritur hic appetitus eſt ſupernaturalis, nempè, reuelatio eiuſdem gratiæ. Si igitur talis appetitus elicitus videndi Deum, vt cauſam effectuum ſupernaturalium, nullo modo poteſt eſſe naturalis, non habet locum ratio Diui Thomæ, quæ procedit merè ex appetitu naturali. Quia ſcilicet eſſet inane deſiderium naturæ.* Hæc Recupitus contra Caietanum.

34 Quartò, poſſet contra Caietanum, ſic ar-

Digitized by Google

argumentari. Cognitis effectibus ſupernaturalibus, homo non poteſt appetere Deũ, niſi vt cauſam ſupernaturalem, & conſequenter iuxta interpretationem Caietani, non appeteretur Deus vt in ſe eſt, ſed in ratione cauſæ.

Explicatio Ferrarienſis, bona eſt, & ſufficiens, ſed non eſt contemnenda interpretatio Caietani.

Caietan. Pro clara autem Caietani intelligentia, eſt obſeruandum, quòd *Creatura rationalis, poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo abſolutè. Alio modo Vt ordinata eſt ad fælicitatem. Si primo modo conſideretur: Sic naturale eius deſiderium, non ſe extendit Vltra naturæ facultatem, & ſic concedo quòd non naturaliter deſiderat uiſionem Dei, in ſe abſolutè. Si uerò ſecundo modo conſideretur: Sic naturaliter deſiderat uiſionem Dei. quia ut ſic, nouit quoſdam effectus, puta gratiæ, & gloriæ, quorum cauſa eſt Deus, ut Deus eſt abſolutè, non ut uniuerſale agens. Notis autem effectibus, naturale eſt cuilibet intellectui, deſiderare notitiam cauſæ, & propterea deſiderium uiſionis Diuinæ; & ſi non ſit naturale intellectui creato Abſolutè, eſt tamen naturale ei, ſuppoſita reuelatione talium effectuum*. Ita Caietanus, de verbo ad verbum hic.

Vbi animaduerte, quòd Caietanus nomine hominis abſolutè conſiderati, intelligit hominem ſecundùm virtutem naturalem, ſecundùm quòd diſtinguitur ab homine per fidem ad beatitudinem ſupernaturalem ordinato. Et conſequenter negat ineſſe homini abſolutè conſiderato appetitum naturalem abſolutum, & efficacem ad videndum Deum vt in ſe eſt; appetitum verò inefficacem ad claram Dei viſionem, & vt ad primam rerum cauſam, concedit. Vt ipſum in hoc dubio hic, & prima 2. quæſt. 3. ar. 8. legenti patet. Caietanum igitur defendentes, ad impugnationes in contrarium poſitas reſpondetur, & ad primam.

Aluarez. Reſpondeo cum Doctiſſimo Aluarez, p. 2. quæſt. 3. ar. 8. explicando maiorem. Diuus Thomas, in illis verbis, ait, quòd illud deſiderium, ineſt omni homini, & omni intellectui, eleuato, ſeu, ordinato ad beatitudinem per fidem, & charitatem, concedo. Ineſt omni homini, Abſolutè conſiderato, nego. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia. Et hoc ſi ſermo ſit de appetitu abſoluto, & efficaci.

Ferrar. Quòd ſi maioris roboris eſſet Ferrarienſis argumentum; etiam contra Ferrarienſem militaret. Nam appetitus elicitus, cognoſcendi Deum in ratione primæ cauſæ, non

37 ineſt omni homini, & omni intellectui. Quoniam Paruuli nõ habent ſpeculatiuam effectuum cognitionem; & conſequenter, neque etiam appetitum elicitum videndi Deum, in ratione primæ cauſæ. Idem patet in Amentibus, &c.

Quòd ſi dicat; Debere intelligi de omni homine cogitante, ac diſcurrente; non autem de omni homine, omniquè intellectu exiſtente.

Contra. Ergo iam ſuum debilitat argumentum; & quod pro Ferrarienſe dicitur, reſpectu omnis intellectus cognoſcentis effectus naturales, cur pro ſententia Caietani, dici non poteſt, quòd D. Thomas loquitur de omni intellectu, & homine ad fælicitatem ordinato? Ferrar.

Dices. Appetitus conditionatus, poteſt ad impoſſibilia terminari. Ergo ratio Diui Thomæ non ſuadet intentum, ad minus iuxta illam interpretationem, qua de appetitu naturali inefficaci, propoſitio Diui Thomæ exponitur. Probatur Conſequentia. Quia ex naturali deſiderio inefficaci, non ſequitur poſſibilitas rei deſideratæ.

38 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Ex naturali deſiderio inefficaci non probatur, Demonſtratiuè poſſibilitas rei deſideratæ, cõcedo. Suaſiuè, nego antecedens; & hoc præcipuè tunc eſt, quando appetitur aliquid, & non conſtat de eius impoſſibilitate, atque ſapientioribus, appetitus ineſt. Sic eſt in caſu noſtro. Viſio clara Dei naturaliter appetitur appetitu inefficaci, & non conſtat de eius omnimoda impoſſibilitate, & ex effectuum cognitione, appetitus videndi Deum ſapientibus ineſt.

Ad ſecundam impugnationem, Reſpondetur. diſtinguendo maiorem. Sanctus Thomas apertè probat, ex eo quòd ineſt homini

39 naturale deſiderium videndi cauſam, dum intuetur effectum. Hoc modo. Ita vt per ly, intuetur ſignificetur hoc, quod eſt per reuelationem cognoſcere, quaſi idem valeat dicere, Intuetur, ac ſi dixiſſet, cognoſcit, Concedo maiorem; Ita vt, ly, intuetur, idem ſit, ac clarè, & intuitiuè cognoſcit; nego maiorem. Ad minorem: ſed non intuetur, &c. diſtinguo minorem. non intuetur, id eſt, non cognoſcit intuitiuè, concedo minorem. Non intuetur, id eſt, nõ cognoſcit per reuelationem, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Non enim nouum eſt, quòd hoc verbum, *intuetur*, accipiatur etiam pro cognitione obſcura, ſicut etiam, videre, aliquando pro cognitione obumbrata accipitur, vt cum dicitur. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem faciem ad faciem.* Et Iob. 36. dicitur. *Omnes homines vident eum, Vnuſquiſquè intuetur Procul.* Præterquam quòd falſum eſt dicere, quòd intellectus noſter, intuitiuè cognoſcat effectus naturales in ratione effectus, Nam cognoſcit diſcurrendo, & abſtrahendo. 1. Cor. 13. Iob 36.

40 Ad tertiam impugnationem, Reſpondetur, negando maiorem; & dico quòd, qua-

Digitized by Google

quadrat in appetitum elicitum. & Ad primam improbationem, nego antecedens. Falſum enim omnino eſt, D.Thomam loqui, de appetitu intellectus. Nam expreſſiſſimè, dicit, quòd *ineſt homini naturale deſiderium, &c.* non autem dicit, ineſt intellectui. Homo autem intelligit & vult; Intelligit quidem per intellectum,& appetitu elicito non vult, niſi per voluntatem. & hoc modo interpretari debet D. Thomas p.2. quæſt. 3. ar.8. in corp. dum ait. quòd *intellectui remanet naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, cognoſcens effectum.* Nam nomine intellectus accipit hominem intelligentem. Vnde in fine Corporis dicit. Quòd in ſolo Deo, Beatitudo hominis conſiſtit, & eodem modo interpretandus eſt Caietanus ibidem: Certè oppoſita interpretatio eſt adeò vera, quemadmodum eſt verum dicere, quòd intellectus eſt volens. (D.Thom.) (Caietan.)

Ad ſecundam probationem eiuſdem Impugnationis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Supponit enim, Appeti-

41 tum nullo modo eſſe naturalem, ex hoc quòd eſt entitatiuè ſupernaturalis. Non cogitans quòd poteſt dici naturalis, id eſt connaturalis, vel etiam naturalis modaliter, & hoc loquendo de appetitu hominis ordinati ad beatitudinem per fidem, & charitatem. quoniam loquendo de homine ordinato ad beatitudinem per fidem in intellectu, abſquè tamen ſpe, & charitate, in voluntate, appetitus eſt entitatiuè naturalis, & inefficax. Eo modo, quo ſupra explicauimus. Itaquè non negat Caietanus ex cognitione effectus naturalis naturalem appetitum elicitum,& inefficacem ad videndum Deum in ratione primæ cauſæ. Sed tantùm dicit, quòd cognitis effectibus ſupernaturalibus gratiæ, & gloriæ, inſurgit appetitus ad videndum Deum vt eſt in ſe. qui quidem appetitus eſt entitatiuè naturalis ſi eſt à voluntate, abſquè auxilio ſupernaturali, ſed inefficax; ſupernaturalis autem, ſi eſt mediante charitate. naturalis verò modaliter, quia eſt connaturalis gratiæ.

Ad Quartam impugnationem, iam patet reſponſio, ex explicatione Caietani.

42 Hæc pro Caietani defenſione. Liceat autem mihi, Doctorum explicationibus, tantiſper aliquid addere, vt littera Diui Thomæ pompaticè ſplendeat. Vnde breuiter.

Obſeruo, quòd duplex eſt deſiderium conditionatum, ſeu Velleitas, Velleitas, ſcilicet, excitata; & Velleitas impedita. Velleitas excitata, eſt reſpectu alicuius boni deſiderabilis, cuius conſecutionis impoſſibilitas non cognoſcitur, immo ex ſuperiori lumine eius conſecutio poſſibilis demonſtratur, & Aliàs ex plurium effectuum cognitione incitatur. Velleitas verò impedita, dicitur *illa*, quæ eſt reſpectu alicuius boni, cuius conſecutionis impoſſibilitas volenti eſt manifeſtè cognita. Quando igitur D. Thomas, ſæpè numero dicit, quòd ineſt homini naturale deſiderium videndi Deum viſis eius effectibus; debet intelligi de deſiderio, non quidem pro pondere naturæ, vt probauimus, ſed de deſiderio conditionato, quod eſt Velleitas; Velleitas quidem; non ex aperta conſecutionis impoſſibilitate impedita, ſed Velleitas, Pulchritudine, Varietate, Nobilitate, ac mira effectuum multitudine incitata, ſeu, excitata, atquè ex conſecutionis impoſſibilitate non perturbata.

43 Obſeruo Tertiò, quòd Velleitas ex effectuum cognitione excitata, non ideo, in caſu noſtro dicitur, quaſi ſuppoſita conſecutionis poſſibilitate ſuperiori lumine præſentata, in velle efficax,& abſolutum tranſeat; quoniam, vt probauimus, homo abſq; charitate, non poteſt appetitu abſoluto, & efficaci, viſionem claram Dei deſiderare: ſed id quod dicimus eſt, quòd illa naturalis Velleitas, videndi Deum, ſuppoſita effectuum cognitione, & poſſibilitate non quieſcit, donec homo per vires ſupernaturales, ad claram Dei viſionem de facto peruenerit.

44 Quòd autem hoc, ſit D. Thomæ intentum, ex duobus colligo. Primum eſt. Modus loquendi D. Thomæ, nempè, quòd non quieſcet, ſed incitatur naturale deſiderium niſi peruenerit in cognitionem ſubſtantiæ Dei. Secundum eſt. Quòd Diuus Thomas loquitur de deſiderio ſubſtantiarum ſeparatarum, quæ in ſtatu viæ, non verò in ſtatu comprehenſionis, hoc deſiderium habent, & in gratia creatæ ſunt; & per conſequens per lumen fidei poſſibilem claram Dei viſionem credunt, & naturalis Velleitas incitatur, & excitatur, non verò impeditur. His igitur poſitis breuiter. D.Thom.

Reſpondeo, explicando D.Thomam, de appetitu quidem naturali, non tamen efficaci, ſed conditionato, qui dicitur Velleitas, Velleitas inquam, excitata, non impedita: hæc autem Velleitas excitata, impoſſibile eſt, vt ſit circa obiectum impoſſibiliter conſequendum.

45 Obijcies Secundò. Hæretici ſunt abſquè Fide, Spe,& Charitate: ſed quidam hæretici, Viſionis claræ Dei poſſibilitatem concedentes, appetitu abſoluto,& efficaci, claram Dei viſionem appetunt. Nam conantur illam aſſequi, illamque aſſequendam ſperant. Ergo ex ſolis naturę viribus, voluntas poteſt appetere claram Dei viſionem appetitu abſoluto,& efficaci.

Reſpondetur concedendo maiorem;& diſtinguendo minorem: Sed quidam hæretici appetunt claram Dei viſionem Appetitu ex conſcientia Erronea, & ex mixtione

L mul-

multorum errorum proueniente, concedo minorem. Appetitu proueniente, ex Deo ſincerè, & ſuper omnia dilecto, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam. Vnde ipſorum conatus, ad claram Dei viſionem perueniendum, per media hæreticorum propria, prodeſt illis ad mortem potius, quàm ad vitam.

46 Obijcies tertiò. Si voluntas non poſſet appetitum elecitum ex proprijs naturæ viribus habere reſpectu viſionis claræ Dei; ſequeretur, quòd homo demoſtratiuè ſciret, ſe eſſe in gratia, abſquè diuina reuelatione: ſed hoc eſt à fide alienum, iuxta illud, *neſcit homo an odio, uel amore dignus ſit*. Probatur verò ſequela, quia homo per fidem eleuatus, cognoſcit quando habet actum abſolutum, & efficacem reſpectu viſionis claræ Dei. Ergo demoſtratiuè cognoſcit ſe eſſe in gratia Dei. Antecedens patet, & etiam conſequētia. Nam per nos, homo abſquè gratia, non poteſt appetitu abſoluto, & efficaci appetere, vt videat Deum.

Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, nego antecedens. Homo enim per fidem ordinatus, ſi ſit abſquē charitate, non poteſt ex ſincero corde ad media recurrere; niſi eius voluntas fuerit charitate informata. Quando autem Aliquis fidelis, ſæpe ſæpius, Ad Sacramenta recurrit. Omni diligentia per Sacramētum pœnitentiæ accedit, & abſolutionem peccatorum recipit; Sacramento Euchariſtiæ reficitur; Non propterea demonſtratiuè, ſed ex quadam deuota coniectura ſe eſſe in gratia cognoſcit. Vnde quamuis operans putet omnia propter Deum ſuper omnia dilectum facere, contingere tamen poteſt, quòd non ita ſit, Aut quia abſoluens non habuerit abſoluendi voluntatem, vel quòd non ſit Sacerdos, aut Baptizatus, vel quod ex aliqua paſſione, vel propter proprium operantis commodum, actiones illæ fiant, &c. quare amor ille, licet putatiuè extimetur efficax, potuit eſſe inefficax. Sed de his in p. 2. quæſt, 109. artic. 3. & 4. Remanet determinandum, quomodo appetitus creaturæ intellectualis, dicatur naturalis, non quidem entitatiuè, ſed modaliter, vnde ſit in ordine.

DISPVTATIO DECIMA.

VTRVM APPETITVS AD CLARAM Dei viſionem ſit neceſſarius, quo ad ſpecificationem.

In Tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur Titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 DE appetitu elicito Viatorum, non verò Beatorum eſt præſens diſputatio; Et ſenſus eſt vtrum Viſio beatifica, ſi eſſet alicui Viatori propoſita, Viator illam reſpuere poſſit. Loquimur de appetitu neceſſario quo ad ſpecificationem, non verò de appetitu neceſſario quo ad exercitium. Quoniam apud omnes certum eſt, & experientia conſtat, viſionem claram Dei à nullo Viatore necaſſario neceſſitate quo ad exercitium, amari.

Duæ ſunt in hac diſputatione Doctorum opiniones. Quidam Theologi non ſolùm reſpectu beatitudinis in communi, ſed etiam reſpectu beatitudinis in particulari, & ſupernaturalis, nempè, Viſionis claræ Dei appetitum neceſſarium neceſſitate quo ad ſpecificationem, in creatura rationali affirmant. Ita Salas p. 2. quæſt. 5. Salas.
tract. 2. diſp. 12. ſect. 3. num. 28. Vaſquez Vaſquez.
diſp. 21. in eadem p. 2. Peſantius hic. Peſantius
Suarez lib. 2. de attributis Dei cap. 7. num. Suarez.
10, & 11. Monteſina p. 2. quæſt. 5. ar. 8. Mōteſina
diſp. 7. quæſt. 3.

Quidam

Digitized by Google

2 Quidam autem, docent, In creatura intellectuali, nullum appetitu neceſſariu, neque quo ad exercitiu, neque quo ad ſpecificationē dari, ad clarā Dei viſionē. Ita cōmuniter Thomiſtæ, & præſertim Caietanus, infra quæſt. 82. ar. 1. Nazarius hic controuerſ. 2. §. *ſecundum genus diſtinctionis*. Aluarez p. 2. quæſt. 3. ar. 8. diſp. 27. num. 3. Martinez, ibidem, dub. 2. Collegium Salmāticenſe loco cit. dub. 5. concl. 2. Conradus p. 2. quæſt. 10. ar. 2. Durandus, in 4. diſt. 49. quæſt. 8. Scotus ibidem, quæſt. 10. & eſt communior ſententia inter Theologos.

Caietan. Nazarius. Aluarez. Martinez. Salmant. Conrad.

CAPVT SECVNDVM.

Diſputationis Reſolutio.

PRo determinatione ergò veritatis, Dico primò. Homo Viator, ſed in gratia confirmatus, appetit appetitu elicito, & 3 neceſſario quo ad ſpecificationem, beatitudinem ſupernaturalem, ſeu claram Dei viſionem.

Probatur. Quia homo in gratia conſtitutus, ſuppoſito quòd ſit etiam in gratia confirmatus, propoſita ſibi beatitudine ſupernaturali, ſeu, clara Dei viſione, quamuis pro hic, & nunc poſſit elicere, & non elicere actum dilectionis erga illam, non tamen poteſt eam reſpuere, & oppoſitum appetere, quemadmodum ex tali ſuppoſitione, mortaliter peccare non poteſt.

Dico Secundò. Homo Viator etiam in gratia conſtitutus, non tamen in gratia confirmatus, nulla neceſſitate viſionem claram Dei appetit, appetitu abſoluto, & efficaci.

Probatur primò. Quia homo viator, etiam in gratia conſtitutus, non verò in gratia confirmatus, poteſt peccare, venialiter, & mortaliter. Ergo poteſt claram Dei viſionem non velle, contradictoriè, & contrariè. Patet conſequentia. quia ſi non poſſet non velle viſionem beatificam ad minus quo ad ſpecificationem; non poſſet peccare reſpectu talis obiecti; imo nullo modo peccare poſſet. Nam ſi clara viſio Dei appetitu abſoluto, & efficaci neceſſario appetitur neceſſitate quo ad ſpecificationem. Ergo omnia quæcunque vult homo appetit propter illam; vnde ſi peccare poſſet, ad minus implicitè, actum cōtrarium claræ Dei viſioni haberet. Antecedens autem apud omnes eſt clarum.

4 Probatur ſecundò ratione quam doctiſſimus Aluarez adducit, quamque Collegium Salmāticenſe proſequitur, & extendit. Voluntas non mouetur neceſſariò quò ad ſpecificationem; niſi à Deo clarè viſo; vel ab obiecto adæquato: ſed Deus reſpectu hominis viatoris non eſt clarè viſus: vt ſupponimus, Neque eſt adæquatum voluntatis obiectum. Ergo non neceſſitat voluntatem, neceſſitate quo ad ſpecificationem. Antecedens patet. Quia quælibet neceſſitas, cuiuſcumquè potentiæ vel eſt ex intrinſeco modo tendendi potentiæ ad obiectum; vel ex ipſa ratione obiecti: Voluntas autem hominis viatoris, non habet neceſſitatem quo ad ſpecificationem, ex parte modi tendendi ad claram Dei viſionem, Cum ſit ex ſe omnino libera. Ergo tota neceſſitas prouenit ex obiecto infinito clarè viſo. Vel ex obiecto adæquato. Immo ex obiecto infinito clarè viſo, voluntas ideo neceſſitatur, quia obiectum infinitum clarè viſum conſideratur tanquam obiectum adæquatum. Nam appetitur vt eſt ſumma bonitas, & omnium aliarum rerum continens bonitatem. Quare cum viſio clara Dei, non ſit voluntatis viatoris obiectum adæquatum non poteſt ipſam aliquo modo neceſſitare.

5 Reſpōdent nonnulli, diuinam eſſentiam, ſeu, Deum clarè viſum, Virtualiter, & eminenter, continere omne bonum. Sicut beatitudo in communi. Ergo ſicut beatitudo in communi, neceſſitat voluntatem, quo ad ſpecificationem, ita etiam viſio clara Dei.

Sed contra hanc reſponſionem, optimè inſurgit Aluarez, loco citato, & rationem ſic formo. Ad neceſſitandam voluntatem quo ad ſpecificationem, non ſufficit vt obiectum ſecundùm ſe, virtualiter contineat omne bonum, ſed neceſſè eſt, vt voluntas in illo ſi metur, per hoc quòd illi ratio talis boni, ſub nulla indifferentia, nōn ſolum ſpeculatiuè, ſed etiam practicè oſtēdatur: ſed homo Viator non ſemper reſpicit Deum practicè, tanquàm continentem virtualiter omne bonum. Nam Deus in ſeipſo eſt ſummum bonum, & ab intellectu creato cognoſcitur tanquàm ſummum bonum ſpeculatiuè; Cæterum practicè, non ita res ſe habet; Eo quia liberè recedit à Deo, & per peccatum mortale indebitè ad creaturas ſe conuertit. Iuxta illud Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*. Ierem. 2.
Immo homo fidelis ſplendore gratiæ inſignitus, atque ardore charitatis inflammatus, proprio voluntatis arbitrio, in laqueum incidit Diaboli, & ad eius opera diligenda miſerabiliter ſe conſtringit, Ergo.

6 Confirmatur. Obiectū voluntatis Vniuſcūq; viatoris, non dum in gratia cōfirmati, eſt bonum pro vt ſe extendit ad bonum, verum, & ad bonum apparens; taliter quòd indifferenter ſe habet ad vtrumquè; & quandoquè, & faxit Deus. quòd

quòd non plerumquè, eligit bonum apparens; & bonum verum derelinquit. Ergo viſio clara Dei nullo modo neceſſitat voluntatem.

Si quis tamen dixerit, hoc verum eſſe reſpectu voluntatis abſolutæ, & efficacis, non tamen reſpectu voluntatis, ſeu, actus eliciti, inefficacis, & conditionati.

Contra. Quia quamuis reſpectu viſionis claræ Dei, ex ſolis naturæ viribus, voluntas actum conditionatum, & inefficacem habere poſſit, vt diximus; non tamen huiuſmodi actus inefficax, & conditionatus neceſſariò à voluntate elicitur. Nam vt optimè arguit Martinez, appetitus vltimi finis neceſſarius, non debet eſſe conditionatus, ſed abſolutus, & perfectus. Quia Appetitus vltimi finis, eſt prima regula, & primum principium totius moralis rectitudinis, & omnium actuum voluntatis. Ergo appetitus neceſſarius, vel eſt abſolutus, vel nullus eſt.

7 Reſpondent quidam aliter, ad argumentum; quòd omnes homines appetunt viſionem claram Dei; Ratione tamen difficultatis, & incommoditatis propter eius difficilem acquiſitionem; propter carnis, ſcilicet, macerationem, pænitentiam, ieiunia, &c. ab appetitu beatificæ viſionis retrahuntur.

Contra, Et Reſponſio potius eſt ad oppoſitum, quàm ad propoſitum. Nam quòd homo difficultatem ſentiat, & incommoda ad viſionem beatificam acquirendam, tanquam vltimum ſuum finem inueniat; Aliundè prouenire non poteſt, niſi quia liberè illam appetit, quando appetit. Etenim ſi neceſſariò quo ad ſpecificationem eam diligeret, laboraret, & conaretur, ne oppoſitum actum eliciat. Ergo ſignum eſt, quòd non neceſſitat voluntatem.

8 Confirmatur. Ideo homo non poteſt velle non eſſe beatus, loquendo de beatitudine formaliter, quia Beatitudo in communi, id eſt formaliter, neceſſariò neceſſitate quo ad ſpecificationem appetitur. Quòd ſi anguſtiæ, & miſeriæ ab extrinſeco prouenientes, illum circumdent, toto conatu ab illis liberari procurat. Et ſi eas aufugere nequit, non propterea illas vult; ſed quia beatitudinem acquirere nō valet; & miſerias ferre cogitur; dolet, triſtatur, & torquetur. Ergo ſi quis non poſſet beatitudinem ſupernaturalem conſequi, oppoſitum eius non appeteret; ſed torqueretur, & triſtaretur. Quod quidem non contingit. Nam multi in finibus, Viſioni beatificæ contrarijs, delectantur, & pacificè conquieſcunt. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in Contrarium, & diluuntur.

9 SEd Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Omnibus Diui Thomæ Authoritatibus; In præcedenti diſputat. adductis, quibus D. Thomas expreſsè aſſerit, dari naturale deſiderium in creatura intellectuali, viſis effectibus videndi cauſam, id eſt, Deum: ſed D. Thomas non intelligitur per nos, de appetitu naturali pro pondere naturæ. Ergo intelligitur de appetitu naturali, id eſt, neceſſario. S. Thom.

Reſpondetur, D. Thomam interpretandum eſſe de appetitu naturali entitatiuè, ſed inefficaci; non tamen neceſſariò, ſed quaſi neceſſario. Quia plerumque contingit; eſtquè naturæ conforme.

Obijcies ſecundò. Authoritate Caietani, qui in hoc articulo dicit, quod homo, vt ordinatus ad fælicitatem naturaliter appetit videre Deum, & ita nonnulli in doctrina Caietani parum experti, eum intellexerunt. Caietan.

10 Reſpondetur tamen. Caietanum hic, per deſiderium naturale, non intelligere deſiderium neceſſarium quo ad ſpecificationem. Contradiceret enim ſibimet, infra quæſt. 82. reſpondendo 4. argumento Scoti. vbi docet, finem vltimum in particulari omnino liberè eſſe volitum. intelligit igitur per ly naturale, id eſt, conforme naturæ gratiæ, & vt clarius loquamur, Eius verba referamus; Nam Tomo tertio ſuorum opuſculorum tract. 8. ad Fratrem Iacobum Crecton Lectorem Theologiæ, de hac re interrogantem, atquè eumdem Caietanum conſulentem. Sic ait Caietanus. *Ad primum dubium reſpondemus. quòd ly naturaliter, non ſecundum eamdem ſignificationem in vtroque loco ſumitur. Nam in quæſt. 12. naturale attenditur penes naturam, tanquàm principium, ita quòd naturalis appetitus appellatur, qui prouenit à principio indito, ſecundùm ſupradictum diuinæ gratiæ ordinem. Vt enim locutio naturalis eſt homini à principijs naturalibus; ita appetere Cæleſtis patriæ fælicitatem: naturale eſt homini ex principijs gratiæ. quia ex illis, natum eſt prouenire. In quæſtione autem 82. naturale attenditur penes modum, vt diſtinguitur contra liberum. Ideoquè ibi dicitur, quòd naturaliter, id eſt, non liberè, velle Deum in particulari, &c. ſolis beatis conuenit. Vnde nulla*

nulla

Digitized by Google

relinquitur, inter dicta, diſſonantia. Hæc Caietanus.

Caietan. Vt autem plenè, ac planè profundum Caietani Sermonem declaremus, eſt breuiter obſeruandum, quòd Caietanus, per hominem ad beatitudinem ordinatum; non intelligit hominem cum fide in intellectu; abſque charitate in voluntate: quamuis hæc intelligentia veram contineat doctrinam; & per eam littera ſuum probet intentum. Eo modo quo præcedenti diſputatione explicauimus. Ratio autem huius eſt, quia vbi expreſſa extat Authoris explicatio; Fruſtra adducitur, commentatoris, alia, vel oppoſita expoſitio: Caietanus autem de hac re, a Fratre Iacobo Crecton, ſpecificè interrogatus, ſe declarat dicens, quòd illud hominis deſiderium ad Deum vt eſt in ſe, eſt ex principijs gratiæ, vt ex verbis iam adductis conſtat. Ergo ex Charitate. Ergo malè intelligitur de homine ordinato ad beatitudinem per fidem in intellectu, abſquè charitate in voluntate.

Obſeruandum ſecundò, quòd quando Caietanus ait, effectus gratiæ, & gloriæ, eſſe
Caietan. 11 effectus Dei, quorum cauſa eſt Deus, vt Deus eſt abſolutè, non vt vniuerſale agẽs, non ita debet intelligi, quaſi Deus in ratione Deitatis, & non per intellectum, & voluntatem, effectus gratiæ, & gloriæ producat; hoc enim eſt apud omnes falſum: ſed debet intelligi de cauſa non effectiua, ſed finali; ſeu, terminatiua, & exemplari; exemplari quidem, quia effectus gratiæ, & gloriæ, imitantur Deum ſecundum id quod eſt in ſe; ſed hoc infra magis explicabitur; Finali verò, & terminatiua, quia Deus vt eſt in ſe, & nõ vt vniuerſale agens effectus gratiæ, & gloriæ, terminat. Quod autem hæc ſit mens Caietani ex eiuſdem verbis manifeſtè colligitur. Sic enim hic circa finem concludit. *Conſtat autem ex 2. cont. gent. cap. 4. quòd creaturæ non ſunt de conſideratione Theologica, niſi vt ordinantur, gubernantur, prædeſtinantur à Deo, in Deum, vt ſupremum omnium finem: alioquin non in ordine ad altiſſimam cauſam, & propriam Theologo Theologica conſiderarentur.* Hæc ille; Vbi Caietanus. Non obſcurè ſe declarat; ſermonem de Deo in ratione cauſæ, non purè effectiuæ; ſed finalis. Nam loquitur de Deo, ſecundùm quòd eſt vltimus finis, vt patet, per illa verba. *Creaturæ non ſunt de conſideratione Theologica, niſi vt ordinantur, gubernantur, prædeſtinantur à Deo in Deum, vt ſupremum omnium finem. Alioquin non in ordine ad altiſſimam cauſam;* Et per hæc patet planè, explicatio Caietani.

Obiicies Tertiò. Viſio clara Dei eſt quoddam maximum bonum, nullam includens
12 rationem mali, includens omnem rationem boni, Ergo neceſſitat voluntatem, quò ad ſpecificationem.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Viſio clara Dei ſecundùm ſe & exercitè, ſecundùm quòd eſt actio cognoſcẽs Deum clarè & diſtinctè, eſt quoddam maximum bonum, &c. Concedo antecedens. Obiectiuè intellectui creato Deum non videnti repræſentata, nego antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Nam viſio clara Dei, ſecundùm quòd obiectiuè Viatori proponitur appetenda; non dicit maiorem bonitatem, quàm ipſe Deus; & nihilominus; Deus in via, non neceſſitat voluntatem, nequè quò ad exercitium, nequè quo ad ſpecificationem, quare, &c.

Obiicies Quartò, ex D. Auguſtino lib. 4. Contra Iulianum cap. 3. & lib. 13. de Trinit. cap. 8. vbi ait. Omnes naturali inſtinctu velle eſſe beatos. Auguſt.

Reſpondetur, Auguſtinum locutum eſſe de beatitudine in communi, quamuis tranſeunter, nonnulla de beatitudine in particulari tetigiſſe videatur.

Digitized by Google

DISPVTATIO VNDECIMA.

VTRVM DE FIDE CERTVM SIT BEATOS IN Patria, Deum intuitiuè videre.

In Tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Refertur ſententia dogmati catholico aduerſaria.

1 SVnt quædam Fidei dogmata, quibus pauci ſe opponunt hæretici; huic autem, quod eſt videre Deum per eſſentiam; quàm plurimi aduerſantur. Nam multi aſſerunt Deum à Beatis in Patria non videri de facto, nec videri poſſe. Ita apud quoſdam, Iudæi antiqui, Videatur D. Hieronymus ſuper p. cap. Iſaiæ ſuper illa verba. *Audite uerbum Dni principes Sodomorum*. Sanctus tamen Gregorius lib. 18. mor. cap. 38. Suppreſſis verò Authorum nominibus, Sic ait: *Fuerunt nonnulli qui Deum dixerunt, etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem ſua conſpici: ſed in natura minimè Videri*. Hunc errorem ſecuti ſunt Armeni, vt refert Alphonſus de Caſtro, hæreſi prima. verbo beatitudo; & Pratheolus. in Elencho hæreticorum, verbo Armeni, qui contendunt Beatos in Patria, Deum prout eſt in ſe, non videre, ſed illos beatificari putant; in quodam fulgore, ſeu, claritate ab ipſo manante. Quemadmodum videntes aerem lumine Solis illuſtratum; dicuntur videre Solem, non in ſe, ſed in

Hieron.

Gregor.

Armen.
Alphonſ. de Caſtro
Pratheol.

2 ſplendore ſuo. Et iuxta hunc modum, explicant loca Sacræ Scripturæ, cum illis dicitur, quòd Beati vident Deum. Eundem errorem Alphonſus de Caſtro, & Cardinalis Turrecremata. lib. 4. de Eccleſia cap. 35. attribuit Almarico contra quem vt refert Ioannes de Sancto Thoma hic Sanctus Pater noſter Dominicus in Concilio Lateranenſi ſub Innocẽtio Tertio, mirificè diſputauit. Attribuitur etiam ab eodem Alphonſo de Caſtro idem error Abailardo, Arnaldo, & quibuſdam modernis Græcis. Et quòd admirabilius eſt. Pater Gabriel Vaſquez, Societatis Ieſu, pro hoc errorem adducit Chriſoſtomum, Euthymium, Theofilactum, Theodoretum, Ambroſium, Hieronymum, Cyrillum, Baſilium, & alios, ſed temerè, & immeritò, vt patebit Diſputatione ſequenti.

Turrecr.
Almaric.

S. Dom.

Abailard.
Arnald.
Vaſquez.

CAPVT SECVNDVM.

Veritas Catholica ſtabilitur.

3 PRo determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Omnino de fide certum eſt, intellectum creatum in Patria de facto videre Deum per eſſentiam.

Probatur quamplurimis Sacræ Scripturæ teſtimonijs. Dicitur enim in Pſalmo 83. *Videbunt Regem in decore ſuo*, id eſt in Deitate. vt Gloſa interlinealis, exponit, ſeu, in viſione clara, & beatifica. Et Pſal. 8o. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*. Et Pſalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Syon*. Et Pſal. 139. *In ſecula ſeculorum laudabunt te. Habitabunt recti cum vultu tuo.* Vbi D. Auguſtinus hæc habet verba. *quid fiet, vt dirigant cor? quia quando ad ſe flectunt, torquent cor: quando autem ad dominum intendunt, dirigunt cor. & Vbi erit Voluptas, vbi requies, vbi gaudium, vbi beatitudo? Numquid in ſe? Non. ſed in quo ſunt lux. Nunc autem lux in Domino, dixit. Ideo vide quid ſequitur inhabitabunt recti cum vultu tuo. Malè cum illis fuit in vultu ſuo, benè illis erit cum vultu tuo. Quando vultum ſuum amauerunt, in ſudore vultus ſui panem manducauerunt. Redeant, & deterſo ſudore, finitis laboribus, pereunte gemitu, veniet illis facies tua, abundans ſufficientia;* & paulo poſt. *Adhuc purgemus vultum noſtrum, vt gaudeamus ad vultum ipſius. Filij enim Dei ſumus, ſed non dum apparuit, quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus. quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quia inhabitabunt recti cum vultu tuo. putas ne, cum vultu Patris, & non cum vultu filij? An cum vultu Filij, & non cum vultu Patris? An vnus quoddamodo vultus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti? Videamus ſi non nobis ipſe filijs promittit vul-*

Pſal. 83
Pſal. 8o
Pſal. 83
Pſal. 139
Augu.

tum

Ioann 3. *tum ſuum, Unde nos lætos faciat, &c.*
Et Ioannis tertio. *Videbimus eum ſicuti eſt.* quem locum affert D. Thomas, hic, in argumento; Sed contra: & de veritate q. 8. ar. 1. & ratione huius teſtimonij, oppoſitam

D. Thom. ſententiam vocat *hæreticam*; & ad idem probandum eodem vtitur teſtimonio, tertio cont. gent. cap. 51. & alibi. Et pro hoc

Auguſt. eodem teſtimonio videatur Auguſtinus Epiſt. 111., & 112.

5 Dicitur etiam Ioan. 14. *Qui diligit me,*
Ioann. 14. *diligetur à patre meo; & ego manifeſtabo me ipſum ei*, quem locum, de clara Dei viſione intellexit D. Gregorius loco cit. & ad hanc concluſionem probandam adduxit D. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 2. a. 1.

Et Lucæ 22. dicitur, *Ego diſpono Vobis, ſicut*
Lucæ 22. *diſpoſuit mihi Pater meus regnũ, Ut edatis, & bibatis ſuper menſam meã in Regno meo.* Quẽ
D. Thom. locum D. Thomas 3. cont. gent. cap. 51.
6 Sic exponit. *Super menſam ergo Dei manducant, & bibunt, qui eadem felicitate fruuntur, qua Deus fælix eſt, Videntes eum illo modo quo ipſe Videt ſe ipſum.*

Et Matthæi 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi*
Matt. 5. *Deum Videbunt.* Quem locum Sanctus Auguſtinus. Epiſt. 112. de videndo Deo. Et hom. 14. in Matthæum, De clara Dei viſione exponit, & idem dicit Diuus Gregorius loco citato, eundem Matthæi locum exponens,

1. Corint. 13. Et 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Quem locum D. Tho-
D. Thom. mas ibidem ſic explicat, *Cognoſcimus Deum in Vita iſta, in quantùm inuiſibilia Dei, per*
Rom. 1. *creaturas cognoſcimus. Ut dicitur Rom. 1. Et ita tota creatura eſt nobis ſicut ſpeculum quoddam. Quia ex ordine, & bonitate, & magnitudine quæ in nobis à Deo cauſata ſunt; Venimus in cognitionem ſapientiæ, bonitatis, & Eminentiæ diuinæ; & hæc cognitio, dicitur cognitio in ſpeculo.* Et ſequitur. *Vlterius autem, ſciendum eſt. Quòd huiuſmodi ſimilitudo quæ eſt ſimilitudinis in alio relucentis, eſt duplex. Aliquando eſt clara, & aperta. Sicut illa, quæ eſt in ſpeculo. Aliquando obſcura, & occulta. & tunc illa Viſio dicitur Ænigmatica. Sicut cum dico. Me Mater genuit, Et eadem gignitur ex me. Iſtud, eſt perſimile occultum, Et dicitur de glacie, quæ gignitur ex aqua congelata; & aqua gignitur ex glacie reſoluta. Sic ergo patet, quòd Viſio per ſimilitudinem ſimilitudinis, eſt in ſpeculo. Perſimile occultum, in Ænigmate. Sed perſimile clarum, & apertum facit aliam ſpeciem allegoricæ Viſionis. In quantum ergo inuiſibilia Dei, per creaturas cognoſcimus; dicimur Videre per ſpeculum. In quantùm Verò, illa inuiſibilia ſunt nobis occulta. Videmus in Ænigmate. Vel Aliter. Videmus nunc per ſpeculum, id eſt, per rationem noſtram. & tunc ly, per, deſignat Virtutem tantùm. quaſi dicat, Videmus per ſpeculum, id eſt, Virtute animæ noſtræ.* Et poſt pauca. *Ideo nihil aliud vult dicere Apoſtolus cum dicit, uidebimus in Patria facie ad faciem, quàm quòd uidebimus ipſam Dei eſſentiam.*

Idem de Angelicis ſpiritibus dicitur Matt. 18. Matt 18.
Angeli eorum in cælis, ſemper Vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. Super quem locum, Legendus eſt D. Thomas.

Idem definitum eſt à Benedicto XII. ſiuè XI. D. Thom.
quoniam, quidam aſſerunt fuiſſe Benedi- Benedictus 11.
ctum XI. quidam verò, Bened. XII. qui in vel 12.
extrauagante. Sic habet, *definimus Animas beatas uidere diuinam eſſentiam immediatè, ſe, benè & clarè, & apertè, illis oſtendentem.*
Idem definitur in Concilio Florentino, in decreto de purgatorio. Vbi definitur, quòd Conciliũ
Animæ exeuntes à purgatorio vident Deũ Florẽtinũ
Trinum, & vnum ſicuti eſt. Verba concilij ſunt iſta. *Illorum etiam animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerant, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, uel in ſuis corporibus, uel eiſdem exutæ corporibus, ſint purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè Deum Trinum, & unum, ſicuti eſt: meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectius.*

CAPVT TERTIVM.

Authoritates in contrarium explicantur.

SEd contra iſtam determinationem. Obijciet aliquis, Primò. Ex illo Geneſ. 32. vbi Geneſ. 32
Iacob dicit. *Vidi Dominum facie ad faciem:* ſed hunc locum explicant Theologi de viſione in imagine corporea aſſumpta. Ergo eodem modo, poſſunt loca ſuperius adducta explicari; & conſequenter non faciunt ſenſum de fide certum.

Reſpondetur, Concedendo maiorem, & minorem; & negando conſequentiam. & Ratio negationis eſt, quia vt communiter Theologi explicant, locus ex Geneſis. 32. ex contextu patet, quòd loquitur de viſione corporea & imaginaria: At verò, loca pro catholica concluſione relata, ex contextu patet, quòd de viſione intellectuali loquuntur.

Obiicies ſecundò. Ex illo Exodi 33. in quo Moyſes a Domino faciem eius videre Exodi 33.
petebat. *Oſtende*, dicebat, *mihi faciem tuam ut ſciam te.* Et Dominus Reſpondit. *Non poteris faciem meam uidere. non enim uidebit* Ioann. 1.
me homo, & uiuet, Et Ioan. 1. dicitur: *Deum nemo uidit unquam. Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Et primæ ad Timotheum 6. dicitur. *Qui lucem habitat in-* 1. Tim 6.

ac-

Digitized by Google

acceſſibilem. *Quem nullus hominum uidit, ſed nec uidere poteſt*; Et multa alia ſimilia loca, quæ inuiſibilem Deum nominant. Vt etiam eſt illud. *Regi ſæculorum immortali, inuiſibili*, &c. [1.Tim. 1.] Ergo ex Sacra Scriptura Deus vt eſt in ſe videri non poteſt.

Reſpondetur omnia loca Sacræ Scripturæ in contrarium adducta, vel quæ adduci poſſunt. Aliquo horum modorum explicari debent. Vel de viſu corporeo. Vel per vires proprias, & naturales. Vel in hac vita iuxta legem Dei ordinariam. Vel de cognitione comprehenſiua. Prima Authoritas in contrarium adducta, explicanda eſt de viſione Dei in hac vita, & per legem Dei ordinariam. Ita D. Gregorius lib. 18. moralium. [Gregor.]

Hoc idem verba ipſa Sacræ Scripturę teſtantur. Nam petens Moyſes diuinam videre naturam. *Oſtende mihi*, inquit, *faciem tuam*, ſeu, *Oſtende mihi te ipſum*. Reſponſum obtinuit, *Faciem meam uidere non poteris, poſteriora mea uidebis; non enim homo uidebit me, & uiuet*. Quaſi diceret, Non me videbit homo, in hac vita mortali viuens. Itaq; Moyſes dicens. *Vidi Dominum facie ad faciem*. Faciem Dei non videbat. Vnde proſequebatur clamans. *Oſtende mihi faciem tuam*. hoc eſt, Faciem quam vidi, non eſt facies tua. Oſtende igitur mihi faciem tuam. Ita Auguſtinus de videndo Deo, Epiſt. 112. cap. 7. vbi ſic ait. *Quid ergo? Ille non erat ipſe? Si non eſſet ipſe, non diceret, Oſtende mihi temetipſum, ſed oſtende mihi Deum. Et tamen ſi eius naturam, ſubſtantiamquè conſpiceret, multo minus diceret, Oſtende mihi te ipſum. Ipſe ergo erat, in ea ſpecie qua apparere uoluerat; non autem ipſe apparebat in natura propria; quam Moyſes uidere cupiebat. Ea quippè promittitur Sanctis in alia uita. Vnde quod reſponſum eſt Moyſi, uerum eſt. Quia nemo poteſt faciem Dei uidere, & uiuere. id eſt, Nemo poteſt eum in hac uita uidere uiuens, ſicuti eſt*. Hæc ille. [Auguſt.] Videatur etiam Diuus Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 2. ar. 7. ad 4.

10 Secunda Authoritas pluribus expoſitionibus, & commode explicari poteſt, hoc modo. *Deum nemo uidit unquam*. Viribus naturæ. De potentia ordinaria. In hac vita mortali. Vel comprehenſiuè. Videantur D. Thom. hic, in reſponſione ad 1. Auguſtinus Epiſt. 112. & Cõmuniter Theologi. [D.Thom. Auguſt.]

Alia authoritas, ex 1. ad Timot. 6. rectè aliquo horum modorum explicatur, nimirum, *Lucem habitat inacceſſibilem*. Per vires naturæ, vel per cognitionẽ comprehẽſiuã. [1.Tim. 6.]

Similiter cum 1. ad Timot. 1. Deus vocatur *inuiſibilis*, debet, & poteſt exponi, De viſione corporea. Viribus naturæ. Comprehenſiuè. Vel in hac vita mortali per legem Dei ordinariam. [1.Tim. 1.]

Solet etiam in contrarium adduci illud 1. Petri 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*: ſed deſiderium eſt de re non habita. Ergo Angeli non vident Deum. [1.Petr. 1.]

Huic optimè, ac eruditè occurrit Diuus Thomas infra, quæſt. 58. ar. 1. ad 2. dupliciter
11 Sacræ Scripturæ adductam authoritatem explicans, his verbis: *deſiderium illud Angelorum non excludit rem deſideratam, ſed eius faſtidium. Vel dicuntur deſiderare Dei uiſionem, quantum ad nouas reuelationes, quas pro opportunitate negotiorum à Deo recipiunt*. [D.Thom.] Videantur Diuus Gregorius, lib. 18. moralium cap. 39. & Diuus Auguſtinus tom. 9. ſuper 1. cap. Ioannis tract. 3. circa finem dictam authoritatem explicantes de deſiderio quo ad nouas reuelationes, non de deſiderio videndi Deum, vel hoc alio modo. [Gregor. Auguſt.] *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, id eſt, quem Angeli videntes, numquam in faſtidium de illius viſione veniunt. vtraque explicatio eſt D. Thomæ. [D.Thom.]

Solet etiam obijci illud quod ſcriptum eſt in libro Iob. c. 1. veniſſe Angelos in conſpectu Dei, & veniſſe cum eis Diabolum. Ergo vel dicendum eſt, quòd Diabolus vidit Deum; vel quòd Alij Angeli, nequè etiam Deum vident. Sed Diabolus non vidit Deum. Ergo nequè Angeli. [Iob. c. 1.]

12 Ad quod tamen breuiter Reſpondetur, cum D. Auguſtino Epiſt. 112. de videndo Deo. cap. 10: Vbi ſic, inquit; *Quod ſcriptum eſt in libro Iob, Veniſſe Angelos in conſpectu Dei, & ueniſſe cum eis Diabolum. Non ideo Diabolus Deum uidiſſe credendus eſt. Ipſi enim dicti ſunt ueniſſe in conſpectum Dei, non Deus in conſpectũ eorum. Veniunt autem in aſpectum noſtrum quæ uidemus, non à quibus uidemur, ut aſſiſterent coram Deo; non ut coram ipſis Deus*. Hęc Auguſtinus. [Auguſt.] Et verba aurea ſunt, & vera.

DISPV.

Digitized by Google

rali illuſtrationi; ſed in quibuſdā quæ excedunt naturalem cognitionē. Hæc ille. Et q. 114. ar. 2. in corp. hęc habet verba. *Vita autē æterna eſt quoddā bonū excedens proportionem naturæ creatæ: quia etiā excedit cognitionem, & deſideriū eius; ſecundū illud 2. ad Cor. 2. Nec Oculus uidit, nec Auris audiuit, nec in Cor hominis aſcendit, &c.* hęc ille. Ex quibus verbis apertiſſimè declaratur, quòd poſſibilitas viſionis beatificæ, in qua vita conſiſtit æterna, cuiuſcumquè creatę, ac naturalis cognitionis ſuperat facultatem. Ex quibus, 1. Cor. 2.

9 Hęc ratio formatur, & in ordine probatur ſecundò ratione. Quod ſuperat facultatem naturalem cuiuſcūq; creati intellectus, per eiuſdē naturalē facultatē, cognoſci nō poteſt: ſed viſio beatifica eſt huiuſmodi. Ergo per virtutē naturalē cuiuſcūq; intellectus, cognoſci non poteſt. Maior patet ex terminis. Et minor ex ſupradictis D. Thomæ locis manifeſtè colligitur.

Confirmatur primò. Viſio beatifica eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo nō poteſt naturaliter ab aliquo intellectu creato cognoſci. Antecedens patet. Probatur autē conſequentia. Quia quod eſt ſupernaturale, non poteſt cognoſci niſi p lumē ſupernaturale.

Confirmatur ſecundò. Quia effectus ſupernaturalis nō poteſt produci niſi à cauſa ſupernaturali. Ergo cognoſcibilitas ſupernaturalis nō poteſt ab aliquo intellectu cognoſci, niſi per lumen ſupernaturale. Antecedens patet. Probatur autē cōſequētia à paritate. Quòd autē poſſibilitas Viſionis Beatificæ ſit ſupernaturalis cognoſcibilitas; ex eo patet, Quia eſt entitas ſimpliciter ſupernaturalis nullū habēs effectū proprium naturalem.

11 Reſpōdet Vulpes, diſp. 23. ar. 3. n. 4. & 5. quòd *hæc ratio quamquam efficaciſſima ſit ad probãdum non eſſe naturaliter notum Viſionem Dei clarā, eſſe nobis poſſibilem actiuè; ſeu, quo ad attingentiā ſecundū naturales vires effectā, & ſtante huius ſtatus imperfectione, nec euidenter ſciri, poſſe communicari per eleuationem, non tamen probat, quin ſit naturaliter notum eſſe illi paſſiuè poſſibilem.* Vulpes.

Sed contra argumentor primò; Quia impoſſibile eſt, quòd intellectus creatus ad viſionē Dei merè paſſiuè concurrat.

Secundò, Quia eſto intellectus creatus ad viſionem Dei merè paſſiuè ſe haberet, nequè etiam eius poſſibilitas poteſt demōſtratiuè probari. Nam Viſio Dei eſt ſupernaturalis. Ergo inter intellectū creatū & viſionē claram Dei nulla eſt connaturalis proportio.

12 Confirmatur, Quia ſi intellectus creatus merè paſſiuè ad Dei viſionem concurreret, adhuc illam tanquā maximū Dei donū reſpiceret. Ergo nulla eſſet inter ipſam, & intellectum creatum naturalis proportio.

Tertiò, Quia idem dici poſſet de gratia ſanctificãte, fide, & charitate, &c. quod eſt falſum. Probatur ſequela. Quia reſpectu eorū anima paſſiuè ſe habet, & omnia huiuſmodi animam perficiunt. Quòd ſi negetur minor, & ſequela conceditur; Tunc ſic. Sed lumine gloriæ euidenter cognito, euidenter quoquè poſſibilitas viſionis actiuè cognoſcitur. Ergo Intentum. Minoris ſubſumptio patet; Quia euidens eſt intellectū cū lumine gloriæ viſionem clarā actiuè elicere poſſe: ſed lumine naturali luminis glorię poſſibilitas demonſtratiuè cognoſcitur, vt ſupponitur. Ergo.

13 Quartò. Intellectus creatus viſionis Beatificæ poſſibilitatem paſſiuè poteſt demonſtratiuè cognoſcere. Ergo etiam actiuè. probatur conſequentia. Quia per Scotum lumen ſupernaturale nō eſt abſolutè neceſſarium ad producendam ſupernaturalem cognitionem, imo intellectus ex parte ſua habet totam virtutem agendi. Ergo ſi cognoſcit viſionis beatificæ poſſibilitatem paſſiuè, cognoſcit etiam actiuè. Probatur conſequētia. Quia cognoſcit habere virtutem agendi, illamquè ex parte intellectus ſufficere.

Reſpondet Recupitus dicens nullum eſſe argumentū, quia inſtantiā habet manifeſtam. *Certum enim eſt exiſtentiam ipſam Dei non minus eſſe ſupernaturalem, quo ad ſubſtantiam, quàm ſit Viſi Dei. Imo magis. Cū ſit in ordine ſupremo increato: & tamē exiſtentia Dei quo ad entitatem ſupernaturalis, demonſtratur ratione naturali. Non igitur benè infertur, &c.* Hæc ille. numero 31. quæ. 1. 1. cit.

14 Sed Contra hāc reſponſionē, & fugam. Sic argumentor. Quia teſte eodē Recupito. eadem q. 1. c. 3. n. 21. exiſtentia ipſa Dei ſupernaturalis, ideo ratione naturali demonſtratur, Quia fit per medium naturale: ſed poſſibilitas viſionis beatificæ nullum habet mediū naturale, per quod poteſt demōſtratiuè probari. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Quia mediū demōſtrandi eſt aliquis effectus naturalis ipſius Dei: ſed nullus aſſignari poteſt aliquis proprius effectus naturalis viſionis claræ Dei. Ergo. Recupit.

15 Probatur Quartò. Si ſolo lumine naturali intellectus creatus poſſibilitatem viſionis Beatificæ poſſet demonſtratiuè probare; poſſet quoquè media per quæ eſt acquiſibilis demonſtratiuè cognoſcere: ſed hoc eſt impoſſibile. Ergo & illud vnde ſequitur. Minor patet. Quia viſio beatifica acquiritur per media ſupernaturalia, nempè, per lumen gloriæ, gratiam, &c. ſed impoſſibile eſt ſolo lumine naturali media ſupernaturalia, puta, gratiam, & lumen gloriæ cognoſcere. Ergo. Probatur verò ſequela. Quia cognoſcens euidenter poſſibilitatem finis, cognoſcit etiam euidenter, media per quæ poteſt conſequi finis. Ergo cognoſcens euidenter viſionis claræ Dei poſſibilitatem, cognoſceret etiam media.

16 Reſpondet Vaſquez p. 1. diſp. 20. cap. 2. diſtin- Vaſquez.

Digitized by Google

multorum errorum proueniente, concedo minorem. Appetitu proueniente, ex Deo ſincerè, & ſuper omnia dilecto, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Vnde ipſorum conatus, ad claram Dei viſionem perueniendum, per media hæreticorum propria, prodeſt illis ad mortem potius, quàm ad vitam.

46 Obijcies tertiò. Si voluntas non poſſet appetitum elicitum ex proprijs naturæ viribus habere reſpectu viſionis claræ Dei; ſequeretur, quòd homo demoſtratiuè ſciret, ſe eſſe in gratia, abſquè diuina reuelatione: ſed hoc eſt à fide alienum, iuxta illud, *neſcit homo an odio, uel amore dignus ſit*. Probatur verò ſequela, quia homo per fidem eleuatus, cognoſcit quando habet actum abſolutum, & efficacem reſpectu viſionis claræ Dei. Ergo demoſtratiuè cognoſcit ſe eſſe in gratia Dei. Antecedens patet, & etiam conſequētia. Nam per nos, homo abſquè gratia, non poteſt appetitu abſoluto, & efficaci appetere, vt videat Deum.

Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, nego antecedens. Homo enim per fidem ordinatus, ſi ſit abſquè charitate, non poteſt ex ſincero corde ad media recurrere; niſi eius voluntas fuerit charitate informata. Quando autem Aliquis fidelis, ſæpeſæpius, Ad Sacramenta recurrit. Omni diligentia per Sacramētum pœnitentiæ accedit, & abſolutionem peccatorum recipit; Sacramento Euchariſtiæ reficitur; Non propterea demonſtratiuè, ſed ex quadam deuota coniectura ſe eſſe in gratia cognoſcit. Vnde quamuis operans putet omnia propter Deum ſuper omnia dilectum facere, contingere tamen poteſt, quòd non ita ſit, Aut quia abſoluens non habuerit abſoluendi voluntatem, vel quòd non ſit Sacerdos, aut Baptizatus, vel quod ex aliqua paſſione, vel propter proprium operantis commodum, actiones ille fiant, &c. quare amor ille, licet putatiuè exiſtimetur efficax, potuit eſſe inefficax. Sed de his in p. 2. quæſt. 109. artic. 3. & 4. Remanet determinandum, quomodo appetitus creaturæ intellectualis, dicatur naturalis, non quidem entitatiuè, ſed modaliter, vnde ſit in ordine.

DISPVTATIO DECIMA.

VTRVM APPETITVS AD CLARAM Dei viſionem ſit neceſſarius, quo ad ſpecificationem.

In Tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur Titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 DE appetitu elicito Viatorum, non verò Beatorum eſt præſens diſputatio; Et ſenſus eſt vtrum Viſio beatifica, ſi eſſet alicui Viatori propoſita, Viator illam reſpuere poſſit. Loquimur de appetitu neceſſario quo ad ſpecificationem, non verò de appetitu neceſſario quo ad exercitium. Quoniam apud omnes certum eſt, & experientia conſtat, viſionem claram Dei à nullo Viatore neceſſario neceſſitate quo ad exercitium, amari.

Duæ ſunt in hac diſputatione Doctorum opiniones. Quidam Theologi non ſolùm reſpectu beatitudinis in communi, ſed etiam reſpectu beatitudinis in particulari, & ſupernaturalis, nempè, Viſionis claræ Dei appetitum neceſſarium neceſſitate quo ad ſpecificationem, in creatura rationali affirmant. Ita Salas p. 2. quæſt. 5. tract. 2. diſp. 12. ſect. 3. num. 28. Vaſquez diſp. 21. in eadem p. 2. Peſantius hic. Suarez lib. 2. de attributis Dei cap. 7. num. 10, & 11. Monteſina p. 2. quæſt. 5. ar. 8. diſp. 7. quæſt. 3.

Salas. Vaſquez. Peſantius. Suarez. Môteſina.

Quidam

2 Quidam autem, docent, In creatura intellectuali, nullum appetitu neceſſariu, neque quo ad exercitiu, neque quo ad ſpecificationē dari, ad clarā Dei viſionē. ita cōmuniter Thomiſtæ, & præſertim Caietanus, infra quæſt. 82. ar. 1. Nazarius hic controuerſ. 2. §. *ſecundum genus diſtinctionis*. Aluarez p. 2. quæſt. 3. ar. 8. diſp. 27. num. 3. Martinez, ibidem, dub. 2. Collegium Salmāticenſe loco cit. dub. 5. concl. 2. Conradus p. 2. quæſt. 10. ar. 2. Durandus, in 4. diſt. 49. quæſt. 8. Scotus ibidem, quæſt. 10. & eſt communior ſententia inter Theologos.

Caietan. Nazarius. Aluarez. Martinez. Salmant. Conrad.

CAPVT SECVNDVM.

Diſputationis Reſolutio.

PRo determinatione ergo veritatis, Dico primò. Homo Viator, ſed in gratia confirmatus, appetit appetitu elicito, & neceſſario quo ad ſpecificationem, beatitudinem ſupernaturalem, ſeu claram Dei viſionem.

3 Probatur. Quia homo in gratia conſtitutus, ſuppoſito quòd ſit etiam in gratia confirmatus, propoſita ſibi beatitudine ſupernaturali, ſeu, clara Dei viſione, quamuis pro hìc, & nunc poſſit elicere, & non elicere actum dilectionis erga illam, non tamen poteſt eam reſpuere, & oppoſitum appetere, quemadmodum ex tali ſuppoſitione, mortaliter peccare non poteſt.

Dico Secundò. Homo Viator etiam in gratia conſtitutus, non tamen in gratia confirmatus, nulla neceſſitate viſionem claram Dei appetit, appetitu abſoluto, & efficaci.

Probatur primò. Quia homo viator, etiam in gratia conſtitutus, non verò in gratia confirmatus, poteſt peccare, venialiter, & mortaliter. Ergo poteſt claram Dei viſionem non velle, contradictoriè, & contrariè. Patet conſequentia. quia ſi non poſſet non velle viſionem beatificam ad minus quo ad ſpecificationem; non poſſet peccare reſpectu talis obiecti; imo nullo modo peccare poſſet. Nam ſi clara viſio Dei appetitu abſoluto, & efficaci neceſſario appetitur neceſſitate quo ad ſpecificationem. Ergo omnia quæcunque vult homo appetit propter illam; vnde ſi peccare poſſet, ad minus implicitè, actum cōtrarium claræ Dei viſioni haberet. Antecedens autem apud omnes eſt clarum.

4 Probatur ſecundò ratione quam doctiſſimus Aluarez adducit, quamque Collegium Salmāticenſe proſequitur, & extendit. Voluntas non mouetur neceſſariò quò ad ſpecificationem; niſi à Deo clarè viſo; vel ab obiecto adæquato: ſed Deus reſpectu hominis viatoris non eſt clarè viſus: vt ſupponimus, Neque eſt adæquatum voluntatis obiectum. Ergo non neceſſitat voluntatem, neceſſitate quo ad ſpecificationem. Antecedens patet. Quia quælibet neceſſitas, cuiuſcumquè potentiæ vel eſt ex intrinſeco modo tendendi potentiæ ad obiectum; vel ex ipſa ratione obiecti: Voluntas autem hominis viatoris, non habet neceſſitatem quo ad ſpecificationem, ex parte modi tendendi ad claram Dei viſionem, Cum ſit ex ſe omnino libera. Ergo tota neceſſitas prouenit ex obiecto infinito clarè viſo. Vel ex obiecto adæquato. Immo ex obiecto infinito clarè viſo, voluntas ideo neceſsitatur, quia obiectum infinitum clarè viſum conſideratur tanquam obiectum adæquatum. Nam appetitur vt eſt ſumma bonitas, & omnium aliarum rerum continens bonitatem. Quare cum viſio clara Dei, non ſit voluntatis viatoris obiectum adæquatum non poteſt ipſam aliquo modo neceſsitare.

5 Reſpōdent nonnulli, diuinam eſſentiam, ſeu, Deum clarè viſum, Virtualiter, & eminenter, continere omne bonum. Sicut beatitudo in communi. Ergo ſicut beatitudo in communi, neceſsitat voluntatem, quo ad ſpecificationem, ita etiam viſio clara Dei.

Sed contra hanc reſponſionem, optimè inſurgit Aluarez, loco citato, & rationem ſic formo. Ad neceſsitandam voluntatem quo ad ſpecificationem, non ſufficit vt obiectum ſecundùm ſe, virtualiter contineat omne bonum, ſed neceſsè eſt, vt voluntas in illo ſi metur, per hoc quòd illi ratio talis boni, ſub nulla indifferentia, nōn ſolum ſpeculatiuè, ſed etiam practicè oſtēdatur: ſed homo Viator non ſemper reſpicit Deum practicè, tanquàm continentem virtualiter omne bonum. Nam Deus in ſe ipſo eſt ſummum bonum, & ab intellectu creato cognoſcitur tanquàm ſummum bonum ſpeculatiuè; Cæterum practicè, non ita res ſe habet; Eo quia liberè recedit à Deo, & per peccatum mortale indebitè ad creaturas ſe conuertit. Iuxta illud Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*. Iерем. 2. Immo homo fidelis ſplendore gratiæ inſignitus, atque ardore charitatis inflammatus, proprio voluntatis arbitrio, in laqueum incidit Diaboli, & ad eius opera diligenda miſerabiliter ſe conſtringit. Ergo.

6 Confirmatur. Obiectū voluntatis Vniuſcūq; viatoris, non dum in gratia cōfirmati, eſt bonum pro vt ſe extendit ad bonum, verum, & ad bonum apparens; taliter quòd indifferenter ſe habet ad vtrumquè; & quandoquè, & faxit Deus. quòd

quòd non plerumquè, eligit bonum apparens; & bonum verum derelinquit. Ergo viſio clara Dei nullo modo neceſſitat voluntatem.

Si quis tamen dixerit, hoc verum eſſe reſpectu voluntatis abſolutæ, & efficacis, non tamen reſpectu voluntatis, ſeu, actus eliciti, inefficacis, & conditionati.

Contra. Quia quamuis reſpectu viſionis claræ Dei, ex ſolis naturæ viribus, voluntas actum conditionatum, & inefficacem habere poſſit, vt diximus; non tamen huiuſmodi actus inefficax, & conditionatus neceſſariò à voluntate elicitur. Nam vt optimè arguit Martinez, appetitus vltimi finis neceſſarius, non debet eſſe conditionatus, ſed abſolutus, & perfectus. Quia Appetitus vltimi finis, eſt prima regula, & primum principium totius moralis rectitudinis, & omnium actuum voluntatis. Ergo appetitus neceſſarius, vel eſt abſolutus, vel nullus eſt.

7 Reſpondent quidam aliter, ad argumentum; quòd omnes homines appetunt viſionem claram Dei; Ratione tamen difficultatis, & incommoditatis propter eius difficilem acquiſitionem; propter carnis, ſcilicet, macerationem, pœnitentiam, ieiunia, &c. ab appetitu beatificæ viſionis retrahuntur.

Contra, Et Reſponſio potius eſt ad oppoſitum, quàm ad propoſitum. Nam quòd homo difficultatem ſentiat, & incommoda ad viſionem beatificam acquirendam, tàquam vltimum ſuum finem inueniat; Aliundè prouenire non poteſt; niſi quia liberè illam appetit, quando appetit. Etenim ſi neceſſariò quo ad ſpecificationem eam diligeret, laboraret, & conaretur, ne oppoſitum actum eliciat. Ergo ſignum eſt, quòd non neceſſitat voluntatem.

8 Confirmatur. Ideo homo non poteſt velle non eſſe beatus, loquendo de beatitudine formaliter, quia Beatitudo in communi, id eſt formaliter, neceſſariò neceſſitate quo ad ſpecificationem appetitur. Quòd ſi anguſtiæ, & miſeriæ ab extrinſeco prouenientes, illum circumdent, toto conatu ab illis liberari procurat. Et ſi eas aufugere nequit, non propterea illas vult; ſed quia beatitudinem acquirere nō valet; & miſerias ferre cogitur; dolet, triſtatur, & torquetur. Ergo ſi quis non poſſet, beatitudinem ſupernaturalem conſequi, oppoſitum eius non appeteret; ſed torqueretur, & triſtaretur. Quod quidem non contingit. Nam multi in finibus, Viſioni beatificæ contrarijs, delectantur, & pacificè conquieſcunt. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in Contrarium, & diluuntur.

9 SEd Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Omnibus Diui Thomæ Authoritatibus; In præcedenti diſputat. adductis, quibus D. Thomas expreſsè aſſerit, dari naturale deſiderium in creatura intellectuali, viſis effectibus videndi cauſam, id eſt, Deum: ſed D. Thomas non intelligitur per nos, de appetitu naturali pro pondere naturæ. Ergo intelligitur de appetitu naturali, id eſt, neceſſario. S. Thom.

Reſpondetur, D. Thomam interpretandum eſſe de appetitu naturali effectiuè, ſed inefficaci; non tamen neceſſariò, ſed quaſi neceſſario. Quia plerumque contingit; eſtquè naturæ conforme.

Obijcies ſecundò. Authoritate Caietani, qui in hoc articulo dicit, quod homo, vt ordinatus ad fælicitatem naturaliter appetit videre Deum, & ita nonnulli in doctrina Caietani parum experti, eum intellexerunt. Caietan.

10 Reſpondetur tamen. Caietanum hic, per deſiderium naturale, non intelligere deſiderium neceſſarium quo ad ſpecificationem. Contradiceret enim ſibimet, infra quæſt. 82. reſpondendo 4. argumento Scoti. vbi docet, finem vltimum in particulari omnino liberè eſſe volitum. intelligit igitur per ly naturale, id eſt, conforme naturæ gratiæ, & vt clarius loquamur, Eius verba referamus; Nam Tomo tertio ſuorum opuſculorum tract. 8. ad Fratrem Iacobum Crecton Lectorem Theologiæ, de hac re interrogantem, atquè eumdem Caietanum conſulentem. Sic ait Caietanus. *Ad primum dubium reſpondemus. quòd ly naturaliter, non ſecundum eamdem ſignificationem in vtroque loco ſumitur. Nam in quæſt. 12. naturale attenditur penes naturam, tanquàm principium, ita quòd naturalis appetitus appellatur, qui prouenit à principio indito, ſecundùm ſupradictum diuinæ gratiæ ordinem. Vt enim locutio naturalis eſt homini à principijs naturalibus; ita appetere Cœleſtis patriæ fælicitatem: naturale eſt homini ex principijs gratiæ. quia ex illis, natum eſt prouenire. In quæſtione autem 82. naturale attenditur penes modum, vt diſtinguitur contra liberum. Ideoquè ibi dicitur, quòd naturaliter, id eſt, non liberè, velle Deum in particulari, &c. ſolis beatis conuenit. Vnde nulla*

nulla

Digitized by Google

relinquitur, inter dicta, diſſonantia. Hæc Caietanus.

Vt autem plenè, ac planè profundum Caietani Sermonem declaremus, eſt breuiter obſeruandum, quòd Caietanus, per hominem ad beatitudinem ordinatum; non intelligit hominem cum fide in intellectu; abſque charitate in voluntate: quamuis hæc intelligentia veram contineat doctrinam; & per eam littera ſuum probet intentum. Eo modo quo præcedenti diſputatione explicauimus. Ratio autem huius eſt, quia vbi expreſſa extat Authoris explicatio; Fruſtra adducitur, commentatoris, alia, vel oppoſita expoſitio: Caietanus autem de hac re, a Fratre Iacobo Crecton, ſpecificè interrogatus, ſe declarat dicens, quòd illud hominis deſiderium ad Deum vt eſt in ſe, eſt ex principijs gratiæ, vt ex verbis iam adductis conſtat. Ergo ex Charitate. Ergo malè intelligitur de homine ordinato ad beatitudinem per fidem in intellectu, abſquè charitate in voluntate. — Caietan.

Obſeruandum ſecundò, quòd quando Caietanus ait, effectus gratiæ, & gloriæ, eſſe
31 effectus Dei, quorum cauſa eſt Deus, vt Deus eſt abſolutè, non vt vniuerſale agẽs, non ita debet intelligi, quaſi Deus in ratione Deitatis, & non per intellectum, & voluntatem, effectus gratiæ, & gloriæ producat; hoc enim eſt apud omnes falſum: ſed debet intelligi de cauſa non effectiua, ſed finali; ſeu, terminatiua, & exemplari; exemplari quidem, quia effectus gratiæ, & gloriæ, imitantur Deum ſecundum id quod eſt in ſe: ſed hoc infra magis explicabitur; Finali verò, & terminatiua, quia Deus vt eſt in ſe, & nõ vt vniuerſale agens effectus gratiæ, & gloriæ, terminat. Quod autem hæc ſit mens Caietani ex eiuſdem verbis manifeſtè colligitur. Sic enim hic circa finem concludit. *Conſtat autem ex 2. cont. gent. cap. 4. quòd creaturæ non ſunt de conſideratione Theologica, niſi vt ordinantur, gubernantur, prædeſtinantur à Deo, in Deum, vt ſupremum omnium finem: alioquin non in ordine ad altiſſimam cauſam, & propriam Theologo Theologicæ conſiderarentur*. Hæc ille; Vbi Caietanus. Non obſcurè ſe declarat; ſermonem de Deo in ratione cauſæ, non purè effectiuæ; ſed finalis. Nam loquitur de Deo, ſecundùm quòd eſt vltimus finis, vt patet, per illa verba. *Creaturæ non ſunt de conſideratione Theologica, niſi vt ordinantur, gubernantur, prædeſtinantur à Deo in Deum, vt ſupremum omnium finem. Alioquin non in ordine ad altiſſimam cauſam*; Et per hæc patet planè, explicatio Caietani. — Caietan.

Obijcies Tertiò. Viſio clara Dei eſt quoddam maximum bonum, nullam includens
32 rationem mali, includens omnem rationem boni, Ergo neceſſitat voluntatem, quò ad ſpecificationem.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Viſio clara Dei ſecundùm ſe & exercitè, ſecundùm quòd eſt actio cognoſcẽs Deum clarè & diſtinctè, eſt quoddam maximum bonum, &c. Concedo antecedens. Obiectiuè intellectui creato Deum non videnti repræſentata, nego antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Nam viſio clara Dei, ſecundùm quòd obiectiuè Viatori proponitur appetenda; non dicit maiorem bonitatem, quàm ipſe Deus; & nihilominus; Deus in via non neceſſitat voluntatem, nequè quò ad exercitium, neque quo ad ſpecificationem, quare, &c.

Obijcies Quartò, ex D. Auguſtino lib. 4. Contra Iulianum cap. 3. & lib. 13. de Trinit. cap. 8. vbi ait. Omnes naturali inſtinctu velle eſſe beatos. August.

Reſpondetur, Auguſtinum locutum eſſe de beatitudine in communi, quamuis tranſeunter, nonnulla de beatitudine in particulari tetigiſſe videatur.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO VNDECIMA.

VTRVM DE FIDE CERTVM SIT BEATOS IN Patria, Deum intuitiuè videre.

In Tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Refertur ſententia dogmati catholico aduerſaria.

1 SVnt quædam Fidei dogmata, quibus pauci ſe opponunt hæretici; huic autem, quod eſt videre Deum per eſſentiam quàm plurimi aduerſantur. Nam multi aſſerunt Deum à Beatis in Patria non videri de facto, nec videri poſſe. Ita ipſi quoſdam, Iudæi antiqui, Videatur D. Hieronymus ſuper 1. cap. Iſaiæ ſuper illa verba. *Audite uerbum Dei principes Sodomorum*. Sanctus tamen Gregorius lib. 18. mor. cap. 38. Suppreſſis verò Authorum nominibus, Sic ait: *Fuerunt nonnulli qui Deum dixerunt, etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem ſua conſpici: ſed in natura minimè Videri*. Hunc errorem ſecuti ſunt Armeni, vt refert Alphonſus de Caſtro, hæreſi prima. verbo beatitudo; & Pratheolus in Elencho hæreticorum, verbo Armenij, qui contendunt Beatos in Patria, Deum prout eſt in ſe, non videre, ſed illos beatificari putant, in quodam fulgore, ſeu, claritate ab ipſo dimanente. Quemadmodum videntes aerem lumine Solis illuſtratum,

Hieron.

Greger.

Armen.
Alphonſ. de Caſtro
Pratheol.

2 dicuntur videre Solem, non in ſe, ſed in ſplendore ſuo. Et iuxta hunc modum, explicant loca Sacræ Scripturæ, cum illis dicitur, quòd Beati vident Deum. Eundem errorem Alphonſus de Caſtro, & Cardinalis Turrecremata. lib. 4. de Eccleſia cap. 35. attribuit Almarico contra quem, vt refert Ioannes de Sancto Thoma hic Sanctus Pater noſter Dominicus in Concilio Lateranenſi ſub Innocētio Tertio, mirificè diſputauit. Attribuitur etiam ab eodem Alphonſo de Caſtro idem error Abailardo, Arnaldo, & quibuſdam modernis Græcis. Et quòd admirabilius eſt. Pater Gabriel Vaſquez, Societatis Ieſu, pro hoc errorem adducit Chriſoſtomum, Euthymium, Theofilactum, Theodoretum, Ambroſium, Hieronymum, Cyrillum, Baſilium, & alios; ſed temerè, & immeritò, vt patebit Diſputatione ſequenti.

Turrecr.
Almaric.

S. Dom.

Abailard.
Arnald.
Vaſquez.

CAPVT SECVNDVM.

Veritas Catholica ſtabilitur.

3 PRo determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Omnino de fide certum eſt, intellectum creatum in Patria de facto videre Deum per eſſentiam.

Probatur quamplurimis Sacræ Scripturæ teſtimonijs. Dicitur enim in Pſalmo 33. *Videbunt Regem in decore ſuo*, id eſt in Deitate. vt Gloſa interlinealis, exponit, ſeu, in viſione clara, & beatifica. Et Pſal. 80. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*. Et Pſalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Syon*. Et Pſal. 139. *In ſæcula ſæculorum laudabūt te. Habitabunt recti cum vultu tuo*. Vbi D. Auguſtinus hæc habet verba. *quid fiet, vt dirigant cor? quia quando ad ſe flectunt, torquent cor: quando autem ad dominum intendunt, dirigunt cor. & Vbi erit voluptas, vbi requies, vbi gaudium, vbi beatitudo? Numquid in ſe? Non. ſed in quo ſunt lux. Nunc autem lux in Domino, dixit. Ideo vide quid ſequitur inhabitabunt recti cum vultu tuo. Malè enim illis fuit in vultu ſuo, benè illis erit cum vultu tuo. Quando vultum ſuum amauerunt, in ſudore vultus ſui panem manducauerunt. Redeant, & deterſo ſudore, finitis laboribus, pereunte gemitu, veniet illis facies tua, abundans ſufficientia*; & paulo poſt. *Adhuc purgamus vultum noſtrum, vt gaudeamus ad vultum ipſius. Filij enim Dei ſumus, ſed non dum apparuit, quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus. quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quia inhabitabunt recti cum vultu tuo. putas ne, cum vultu Patris, & non cum vultu Filij? An cum vultu Filij, & non cum vultu Patris? An vnus quoddamodo vultus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti? Videamus ſi non nobis ipſe filijs promittit vultum*

Pſal. 33.
Pſal. 80.
Pſal. 83.
Pſal. 139.
Auguſt.

Digitized by Google

tum ſuum, Vnde nos lætos faciat, &c. Ioann 3.

Et Ioannis tertio. *Videbimus eum ſicuti eſt.* quem locum affert D. Thomas, hic, in argumento; Sed contra: & de veritate q. 8. ar. 1. & ratione huius teſtimonij, oppoſitam ſententiam vocat *hæreticam*; & ad idem probandum eodem vtitur teſtimonio, tertio cont. gent. cap. 51. & alibi. Et pro hoc eodem teſtimonio videatur Auguſtinus Epiſt. 111., & 112. D. Thom. Auguſt.

5 Dicitur etiam Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à patre meo; & ego manifeſtabo me ipſum ei*, quem locum, de clara Dei viſione intellexit D. Gregorius loco cit. & ad hanc concluſionem probandam adduxit D. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 2. ar. 1. Ioann. 14.

Et Lucæ 22. dicitur, *Ego diſpono Vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnũ, Vt edatis, & bibatis ſuper menſam meã in Regno meo.* Quẽ locum D. Thomas 3. cont. gent. cap. 51. Lucæ 22. D. Thom.

6 Sic exponit. *Super menſam ergo Dei manducant, & bibunt, qui eadem felicitate fruuntur, qua Deus fælix eſt, videntes eum illo modo quo ipſe videt ſe ipſum.*

Et Matthæi 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Quem locum Sanctus Auguſtinus. Epiſt. 112. de videndo Deo. Et homil. 14. in Matthæum, De clara Dei viſione exponit, & idem dicit Diuus Gregorius loco citato, eundem Matthæi locum exponens. Matt. 5.

Et 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Quem locum D. Thomas ibidem ſic explicat. *Cognoſcimus Deum in Vita iſta, in quantùm inuiſibilia Dei, per creaturas cognoſcimus, Vt dicitur Rom. 1. Et ita tota creatura eſt nobis ſicut ſpeculum quoddam. Quia ex ordine, & bonitate, & magnitudine quæ in nobis à Deo cauſata ſunt; Venimus in cognitionem ſapientiæ, bonitatis, & Eminentiæ diuinæ; & hæc cognitio, dicitur cognitio in ſpeculo.* Et ſequitur. *Vlterius autem, ſciendum eſt. Quòd huiuſmodi ſimilitudo quæ eſt ſimilitudinis in alio relucentis, eſt duplex. Aliquando eſt clara, & aperta. Sicut illa, quæ eſt in ſpeculo. Aliquando obſcura, & occulta. & tunc illa viſio dicitur Æ nigmatica. Sicut cum dico. Me Mater genuit, Et eadem gignitur ex me. Illud, eſt perſimile occultum. Et dicitur de glacie. quæ gignitur ex aqua congelata: & aqua gignitur ex glacie reſoluta. Sic ergo patet, quòd viſio per ſimilitudinem ſimilitudinis, eſt in ſpeculo. Perſimile occultum, in Ænigmate. Sed perſimile clarum, & apertum facit aliam ſpeciem allegoricæ viſionis. In quantum ergo inuiſibilia Dei, per creaturas cognoſcimus; dicimur videre per ſpeculum. In quantùm verò, illa inuiſibilia ſunt nobis occulta. Videmus in Ænigmate. Vel Aliter. Videmus nunc per ſpeculum, id eſt, per rationem noſtram. & tunc* (ſ) *per, deſignat virtutem tantùm. quaſi dicat, Videmus per ſpeculum, id eſt, virtutẽ animæ noſtræ.* Et poſt pauca. *Ideo nihil aliud vult dicere Apoſtolus cum dicit, videbimus in Patria facie ad faciem, quàm quòd videbimus ipſam Dei eſſentiam.* 1. Corint. 13. D. Thom. Rom. 1.

Idem de Angelicis ſpiritibus dicitur Matt. 18. *Angeli eorum in cælis, ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Super quem locum, Legendus eſt D. Thomas. Matt 18. D. Thom.

Idem definitum eſt à Benedicto XII. ſiuè XI. quoniam, quidam aſſerunt fuiſſe Benedictum XI. quidam verò, Bened. XII. qui in extrauagante. Sic habet, *definimus Animas beatas videre diuinam eſſentiam immediatè, ſe, benè & clarè, & apertè, illis oſtendentem.* Benedictus 11. vel 12.

Idem definitur in Concilio Florentino, in decreto de purgatorio. Vbi definitur, quòd Animæ exeuntes à purgatorio vident Deũ Trinum, & vnum ſicuti eſt. Verba concilij ſunt iſta. *Illorum etiam animas, qui poſt baptiſmum ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè Deum Trinum, & vnum, ſicuti eſt: meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectius.* Conciliũ Florẽtinũ

CAPVT TERTIVM.

Authoritates in contrarium explicantur.

Sed contra iſtam determinationem. Obijciet aliquis, Primò. Ex illo Geneſ. 32. vbi Iacob dicit. *Vidi Dominum facie ad faciem*: ſed hunc locum explicant Theologi de viſione in imagine corporea aſſumpta. Ergo eodem modo, poſſunt loca ſuperius adducta explicari; & conſequenter non faciunt ſenſum de fide certum. Geneſ. 32

Reſpondetur, Concedendo maiorem, & minorem; & negando conſequentiam. & Ratio negationis eſt, quia vt communiter Theologi explicant, locus ex Geneſis, 32. ex contextu patet, quòd loquitur de viſione corporea & imaginaria: At verò, loca pro catholica concluſione relata, ex contextu patet, quòd de viſione intellectuali loquuntur.

Obijcies ſecundò. Ex illo Exodi 33. in quo Moyſes a Domino faciem eius videre petebat. *Oſtende*, dicebat, *mihi faciem tuam ut ſciam te.* Et Dominus Reſpondit. *Non poteris faciem meam uidere. non enim uidebit me homo, & uiuet*, Et Ioan. 1. dicitur: *Deum nemo uidit unquam. Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Et primæ ad Timotheum 6. dicitur. *Qui lucem habitat in-* Exodi 33. Ioann. 1. 1. Tim 6.

Digitized by Google

rali illuſtrationi; ſed in quibuſdã quæ excedunt naturalem cognitionẽ. Hæc ille. Et q.114.ar.2.in corp. hęc habet verba. *Vita autẽ æterna eſt quoddã bonũ excedens proportionem naturæ creatæ: quia etiã excedit cognitionem, & deſiderium eius; ſecundũ illud 2.ad Cor.2. Nec Oculus vidit, nec Auris audiuit, nec in Cor hominis aſcendit, &c.* hęc ille. Ex quibus verbis apertiſſimè declaratur, quòd poſſibilitas viſionis beatificæ, in qua vita conſiſtit æterna, cuiuſcumquè creatę, ac naturalis cognitionis ſuperat facultatem. Ex quibus, 1.Cor.2.

9 Hęc ratio formatur, & in ordine probatur ſecundò ratione. Quod ſuperat facultatem naturalem cuiuſcũq; creati intellectus, per eiuſdẽ naturalẽ facultatẽ, cognoſci nõ poteſt: ſed viſio beatifica eſt huiuſmodi. Ergo per virtutẽ naturalẽ cuiuſcũq; intellectus, cognoſci non poteſt. Maior patet ex terminis. Et minor ex ſupradictis D.Thomæ locis manifeſtè colligitur.

Confirmatur primò. Viſio beatifica eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo nõ poteſt naturaliter ab aliquo intellectu creato cognoſci. Antecedens patet. Probatur autẽ conſequentia. Quia quod eſt ſupernaturale, non poteſt cognoſci niſi p lumẽ ſupernaturale.

Confirmatur ſecundò. Quia effectus ſupernaturalis nõ poteſt produci niſi à cauſa ſupernaturali. Ergo cognoſcibilitas ſupernaturalis nõ poteſt ab aliquo intellectu cognoſci, niſi per lumen ſupernaturale. Antecedens patet. Probatur autẽ cõſequẽtia à paritate. Quòd autẽ poſſibilitas Viſionis Beatificæ ſit ſupernaturalis cognoſcibilitas; ex eo patet, Quia eſt entitas ſimpliciter ſupernaturalis nullũ habẽs effectũ proprium naturalem.

11 Reſpõdet Vulpes, diſp.23.ar.3.n.4.& 5. quòd *hæc ratio quamquam efficaciſſima ſit ad probãdum non eſſe naturaliter notum Viſionem Dei clarã, eſſe nobis poſſibilem actiuè; ſeu, quo ad attingentiã ſecundũ naturales vires effectã, & ſtante huius ſtatus imperfectione, nec euidenter ſciri, poſſe communicari per eleuationem, non tamen probat, quin ſit naturaliter notum eſſe illi paſſiuè poſſibilem.* Vulpes.

Sed contra argumentor primò; Quia impoſſibile eſt, quòd intellectus creatus ad viſionẽ Dei merè paſſiuè concurrat.

Secundò, Quia eſto intellectus creatus ad viſionem Dei merè paſſiuè ſe haberet, nequè etiam eius poſſibilitas poteſt demõſtratiuè probari. Nam Viſio Dei eſt ſupernaturalis. Ergo inter intellectũ creatũ & viſionẽ claram Dei nulla eſt connaturalis proportio.

12 Confirmatur, Quia ſi intellectus creatus merè paſſiuè ad Dei viſionem concurreret, adhuc illam tanquã maximũ Dei donũ reſpiceret. Ergo nulla eſſet inter ipſam, & intellectum creatum naturalis proportio.

Tertiò, Quia idem dici poſſet de gratia ſanctificãte, fide, & charitate, &c. quod eſt falſum. Probatur ſequela. Quia reſpectu eorũ anima paſſiuè ſe habet, & omnia huiuſmodi animam perficiunt. Quòd ſi negetur minor, & ſequela conceditur; Tunc ſic. Sed lumine gloriæ euidenter cognito, euidenter quoquè poſſibilitas viſionis actiuè cognoſcitur. Ergo Intentum. Minoris ſubſumptio patet; Quia euidens eſt intellectũ cũ lumine gloriæ viſionem clarã actiuè elicere poſſe: ſed lumine naturali luminis glorię poſſibilitas demonſtratiuè cognoſcitur, vt ſupponitur. Ergo.

31 Quartò. Intellectus creatus viſionis Beatificæ poſſibilitatem paſſiuè poteſt demonſtratiuè cognoſcere. Ergo etiam actiuè. probatur conſequentia. Quia per Scotum lumen ſupernaturale nõ eſt abſolutè neceſſarium ad producendam ſupernaturalem cognitionem, imo intellectus ex parte ſua habet totam virtutem agendi. Ergo ſi cognoſcit viſionis beatificæ poſſibilitatem paſſiuè, cognoſcit etiam actiuè. Probatur conſequẽtia. Quia cognoſcit habere virtutem agendi, illamquè ex parte intellectus ſufficere.

Reſpondet Recupitus dicens nullum eſſe argumentũ, quia inſtantiã habet manifeſtam. *Certum enim eſt exiſtentiam ipſam Dei non minus eſſe ſupernaturalẽ, quo ad ſubſtantiam, quàm ſit Viſi Dei. Imo magis. Cũ ſit in ordine ſupremo increato: & tamẽ exiſtentia Dei quo ad entitatem ſupernaturalis, demonſtratur ratione naturali. Non igitur benè infertur, &c.* Hæc ille. numero 31. quæſt. 1. cit.

14 Sed Contra hãc reſponſionẽ, & fugam. Sic argumentor. Quia teſte eodẽ Recupito. eadem q.1.c.3.n.21. exiſtentia ipſa Dei ſupernaturalis, ideo ratione naturali demonſtratur, Quia fit per medium naturale: ſed poſſibilitas viſionis beatificæ nullum habet mediũ naturale, per quod poteſt demõſtratiuè probari. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Quia mediũ demõſtrandi eſt aliquis effectus naturalis ipſius Dei: ſed nullus aſſignari poteſt aliquis proprius effectus naturalis viſionis claræ Dei. Ergo. Recupit.

15 Probatur Quartò. Si ſolo lumine naturali intellectus creatus poſſibilitatem viſionis Beatificæ poſſet demonſtratiuè probare; poſſet quoquè media per quæ eſt acquiſibilis demonſtratiuè cognoſcere: ſed hoc eſt impoſſibile. Ergo & illud vnde ſequitur. Minor patet. Quia viſio beatifica acquiritur per media ſupernaturalia, nempè, per lumen gloriæ, gratiam, &c. ſed impoſſibile eſt ſolo lumine naturali media ſupernaturalia, puta, gratiam, & lumen gloriæ cognoſcere. Ergo. Probatur verò ſequela. Quia cognoſcens euidenter poſſibilitatem finis, cognoſcit etiam euidenter, media per quæ poteſt conſequi finis. Ergo cognoſcens euidenter viſionis claræ Dei poſſibilitatem, cognoſceret etiam media.

16 Reſpondet Vaſquez p.2.diſp.20.cap.2. Vaſquez.

diſtinguendo ſequelam. Si ſolo lumine naturali intellectus creatus poſſibilitatem viſionis beatificæ poſſet demonſtratiuè probare, poſſet etiam media cognoſcere, Vagè, & Indeterminatè, concedit. Determinatè, negat. Vaſqueſij autem verba iſta ſunt. *Quòd non cognoſcantur ſpeciatim media, quibus beatitudo cõſequẽda eſt, nihil obſtat quo minus demonſtrari queat, hominem poſſe beari, ſiuè per hęc media, ſiuè per alia id fieri debeat, aut poſſit.*

Contra. Cognoſcens aliquem finem eſſe poſſibilem, licet non cognoſcat hæc, vel illa media determinatè, debet tamen cognoſcere non implicare media ad illum finem conſequendum proportionata, quęcumquè illa ſint: ſed viſio clara Dei eſt quidam finis

17 ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo euidenter, ſeù demonſtratiuè cognoſcens viſionem claram Dei eſſe poſſibilem, cognoſceret etiam euidenter non implicare media proprotionata ad huiuſmodi viſionem cõſequendam: ſed media ad claram Dei viſionem conſequendam proportionata, ſunt Gratia, Charitas, lumen gloriæ, &c. Ergo cognoſcens determinatè poſſibilitatem viſionis beatificæ, eodem lumine quo huiuſmodi poſſibilitatem cognoſcit, gratiam fidem, charitatem, ac lumen gloriæ poterit determinatè cognoſcere.

18 Confirmatur. Suppoſita Viſionis claræ Dei poſſibilitate, intellectus creatus ſolo lumine naturali euidenter cognoſcit lumen naturale eſſe inſufficiens; & conſequenter euidenter cognoſcit, quòd ſi lumen naturale non eſt ſufficiens, neceſſariò lumen ſupernaturale ad tam excelſam cognitionem eliciendam proportionatum exigitur: ſed hoc eſt lumen gloriæ determinatè, & non Vagè, quo ad rationem formalem luminis, licet poſſit eſſe Vagè cognitum quo ad nominis circumlocutionem. Ergo, &c.

19 Pro huius intelligentia eſt obſeruandũ, quòd ad cognoſcendũ euidenter poſſibilitatem alicuius finis determinatè ſumpti, ſicuti eſt videre Deum, non ſufficit medium ſupernaturale in communi cognoſcere, ſed omninò neceſsè eſt, mediorũ cum fine proportionem ſcire; Aliàs cognoſci non poſſet illud medium eſſe efficax ad cõſequendum finem, & licet ad aliquem finẽ cõſequendũ media aliqua Vagè noſſe ſufficiat, in hoc ſenſu, videlicet, quòd cũ multa media proportionata ſint ad illum finẽ conſequendũ, ſufficit illa indeterminatè cognoſcere, tanquam ſufficientia ad finis conſecutionem: Attamen nõ ſufficit media Vagè cognoſcere in hoc ſenſu videlicet, quòd ſũt media ſupernaturalia præciſè; ſed omninò neceſſariũ eſt, determinatè cognoſcere hoc, nẽpe, quòd aliqua media ſupernaturalia poſſibilia ſunt, quæ ad ſupradictum finem conſequendũ ex ſe proportionẽ habent. Quando

20 Ergo Vaſquez dicit media Vagè ſumpta ſufficere, ſi Vagè primo modo conſideret, rectè dicit, ſed noſtrum argumẽtum currit. Si ſecũdo modo, eſt impoſſibile cognoſcere determinatã finis poſſibilitatem euidenter, & non cognoſcere aliqua determinata media per quæ finis conſequi poſſit.

Confirmatur ſecundò. Quia cognoſcens Vagè media, quibus viſio beata conſequenda eſt, determinatè cognoſceret, hoc, nimirum, lumen ſupernaturale intellectuale per quod poteſt videri Deus, talis ac tantæ virtutis eſt, vt per illud videatur Deus: quodcunq; illud ſit: ſed hoc eſt lumen gloriæ determinatè cognoſcere. Ergo nulla eſt Vaſquez reſponſio. maior patet. Quia quando media apprehendũtur vt media, ſiue Vagè, ſiue determinatè, omnino neceſſum eſt, vt hoc determinatè ſciatur, videlicet; quòd omnẽ, ſufficientem virtutem ad finis conſecutionẽ habeat. Aliàs id quod talẽ virtutẽ nõ haberet, nõ eſſet inter media ſufficiẽtia numerãdum. Minor etiã eſt clara. Quia hoc nomine luminis gloriæ intelligimus, lumen ſcilicet, intellectuale quò Deum videmus.

21 Probatur Quintò noſtrum dictũ, contra Scotum à fortiori. Non poteſt ratione naturali demonſtrari animam intellectiuam eſſe immortalẽ. Ergo multò minus ratione naturali demõſtrari poteſt, intellectũ creatum poſſe videre Deũ. Antecedens eſt Scoti. in 4. diſt. 43. q. 2. §. *de ſecunda propoſitione.* Probatur autem conſequentia. Quia ſi non poteſt ratione naturali demõſtrari animam intellectiuã eſſe immortalẽ. Ergo neq; etiã eſſe ſpiritualem: ſed quod nõ eſt ſpirituale non poteſt videre Deu. Ergo cõtra Scotũ, multo minus intellectus creatus ſolo lumine naturali poteſt demonſtratiuè probare, poſſe videri Deum. Scotus.

22 Si pro Scoto dicatur, diſtinguendo antecedens, Non poteſt, &c. ſtante imperfectione ſtatus iſtius, conceditur antecedens. Sublata huius ſtatus imperfectione, negatur antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Nam Scotus. in. 4. loco citato clarè ſemetipſum explicat, dicens, quòd *per rationem naturalem poſſibilitas viſionis Dei, poteſt probari ſublata imperfectione ſtatus iſtius, quo ad cognitionem.* Vnde in q. 1. prologi, Quia locutus eſt iuxta huius ſtatus imperfectionem, dixit non poſſe demonſtratiuè probari. Scotus.

Contra hãc Scotiſtarũ fugam, ſic argumẽtor Scotus.

23 primò. Quando Scotus contra noſtrum dictũ argumẽtabatur, manebat in ſtatus iſtius imperfectione, Vel erat ab eo, ſtatus iſtius, imperfectio ſublata? Nõ ſecũdũ. Quia Scotus ipſe fatetur, ſe in hoc ſtatu eſſe, per illa verba, ſcilicet, *Poteſt probari ſublata imperfectione ſtatus iſtius.* Iam ſtatum in quo ipſe cum alijs incolabat demonſtrauit. Si Primum. Quomodo ergo, ipſe probare potuit? Sic enim contra Scotum argumentor. Mi-

Digitized by Google

Poſsibilitas viſionis beatificæ probari poteſt ſublata imperfectione ſtatus iſtius, in iſtius ſtatus imperfectione probari non poteſt: SED IPSE TVNC ERAT IN IMPERFECTIONE STATVS ISTIVS. Ergo nequè etiam ipſe probare poterat, & conſequenter non bene probauit.

Scotus. Auguſt. Quanta autem attentione, ac diligentia, Scotus in hoc puncto proceſſerit; obſerua cum Diuo Auguſtino. 9. de Trinit. cap. 12. quòd *manifeſtum eſt poſſe fieri, vt ſit aliquid ſcibile, ideſt, quòd ſciri poſſit, & tamen neſciatur: Illud autem fieri non poſſe, vt ſciatur, quòd ſcibile non fuerit*. Et hoc eſt lumine naturali clariſſimum. Hoc tamen nõ obſtante, Scotus ait, quòd poſsibilitas viſionis claræ Dei, manente ſtatus iſtius imperfectione, probari non poteſt; ſublata verò poteſt: & ipſe manens in imperfectione ſtatus iſtius, ad demonſtrandum pergit. Si demonſtrari non poteſt, manente ſtatus iſtius imperfectione, & Scotus in ſtatus iſtius imperfectione manebat; Quomodo probat, ſi fieri non poteſt, vt ſciatur, quod ſcibile non fuerit? Quomodo ergo ab hoc nodo, & modo loquendi contradictionem implicante, extricatur?

24 Argumentor ſecundò. Tunc aliquid in alio ſtatu cognoſcitur eſſe poſsibile, quando cognoſcendi impedimentum, mutato ſtatu, diſſoluitur: Quando autem impedimentum cognoſcibilitatis in omni ſtatu perſeuerat; ſublata ſtatus imperfectione, incognoſcibile remanet ſicut prius: ſed ſublata huius præſentis ſtatus imperfectione, reſpectu poſsibilitatis viſionis beatificæ eadem cognoſcoſcendi difficultas perſeuerat. Ergo nequè etiam ſublata huius ſtatus imperfectione, poſsibilitas viſionis beatificæ ſolo lumine naturali poteſt demoſtratiuè probari. Maior patet. Probatur minor. Quia impedimentum, quare viſio clara Dei pro hoc ſtatu, demoſtratiuè probari nequit, aliud non eſt; niſi viſionis claræ Dei ſupernaturalitas, & intellectus creati naturalis cognoſcitiuitas: ſed ſublata huius ſtatus imperfectione, viſio clara Dei, dè ſupernaturali, non fit naturalis; & intellectus creati natiua cognoſcendi virtus, non fit ſupernaturalis; ſed ſemper viſio eſt ſupernaturalis, & virtus naturalis cognoſcendi intellectus, ſemper eſt naturalis: Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur, & exploduntur Scotica argumenta.

25 Contra iſtam determinationem poſſet aliquis obijcere primò ex Scoto, hoc modo. *Omnis potentia habens obiectum primum, & adæquatum, poteſt per ſe in quodlibet contentum ſub illo obiecto: ſed primum obiectum intellectus humani eſt ens. Ergo & quodlibet in quo ſaluatur ratio entis eſt obiectum per ſe eius: ſed impoſſibile eſt quod quietetur in aliquo niſi in ſummo totius analogiæ immediate. Sicut nec viſus quietatur niſi in pulcherrimo viſibili: ſed hoc non poteſt eſſe in cognitione eius in vniuerſali. Quia cognitio vt in vniuerſali, non eſt illius vt in ſe. Ergo erit eius vt ſecundum ſe in particulari. Ergo erit vt ſic capax beatitudinis.*

Hæc ratio placet Vaſquez loco cit. num. 7. & 8. Cartuſianus autem in. 4. diſt. 49. quæſt. 4. §. *Circa præhabita.* Ambas rationes, *pueriles nimis, & groſſas* appellat.

26 Argumentum hoc Scoti, Vel ſupponit fidem, Vel ſecluſa fide procedit. Si primum. Scotus benè probat intellectum creatum poſſe videre Deum; ſed nihil pro ſuo intento probat. Quia viſionis claræ Dei poſsibilitatem per rationem naturalem probare tenetur. Si ſecundum. de facili diluitur. Vnde in forma ad argumentum reſpondetur primò. concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed primum obiectum intellectus humani eſt ens, vt abſtractiuè, vel intuitiuè cognoſcibile, concedo minorem: Vt tantùm intuitiuè cognoſcibile, nego minorem. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

27 Ad illud autem quod ſubſumit, videlicet, ſed impoſsibile eſt quòd quietetur in aliquo, niſi in ſummo totius analogiæ immediatè; Meminiſſe debet, quòd hæc eſt ratio D. Thomæ; quam Scotus iam impugnauerat; & modo vt efficaciam ſuo conferat argumento, ad rationem D. Thomæ recurrit. De cuius tamen efficacia, atquè intelligentia, ſupra aliqua diximus, & reliqua, poſt pauca dicemus.

28 Reſpondetur ſecundò. Concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: ſed primum obiectum intellectus humani, eſt ens modo ſibi proportionato, & poſsibili concedo minorem. Eſt ens modo ſibi impoſsibili, nego minorem. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Ergo & quodlibet in quo ſaluatur ratio entis, modo ſibi poſſibili, cõcedo cõſequentiam. In quo ſaluatur ratio entis modo ſibi impoſsibili, nego cõſequentiam: diceret enim philoſophus quòd poſſibilitas viſionis claræ Dei, eſt ens ipſi naturaliter incognoſcibile; & quòd Deus naturaliter cognoſcitur per effectus naturales; per quorum cognitionem videri non poteſt. Vnde in ſolo lumine naturali fundati. Dicẽdum eſt, quòd Deus clarè viſus intra latitudinem obiecti intellectus creati non continetur. Non enim eſt ens modo conuenienti, ac poſſibili intellectui creato.

Vnde ſi Scoti argumentũ omnino cõcluderet,

29 probaret etiam quòd Deus comprehenſiuè cognoſci poſſet ab intellectu creato.

Nam Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis eſt ens,& continetur ſub ente ſecundùm quòd ens eſt quid commune ſecundùm prædicationem omni enti.

Si dicatur pro Scoto, quòd Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis eſt extra latitudinem intellectus finiti. Dicet Philoſophus, quòd Deus clarè viſus, etiam eſt extra latitudinem intellectus creati. Quia non poſſet aſſignari ratio conuincens quare detur cognitio intuitiua Dei,quæ ſit infra comprehenſiuā. Et eodem modo aliquis poſſet dicere, quòd intellectus creatus per ſua naturalia poteſt videre Deum, licet comprehendere non poſſet.

30 Obijcies ſecundò ex eodem Scoto, ex parte actus. *Quod eſt ſimpliciter perfectionis in aliquo genere,ſi competit inferiori in illo genere, competit & ſuperiori: ſed cognitio intuitiua competit ſenſui. Ergo multo magis intellectui. Ergo non tantùm ipſius quidditatis materialis, nec cauſæ ab ea,eſt tantùm cognitio beatifica.*

Hæc ratio eſt adeo efficax, vt quidam Scoti opinionem amplectentes, Scotum contradictionis arguant, illamq; tanquam *nullam* reſpuant. Ita Auguſtinus Nyphus 2.met. diſp. 3.cap. 4. & ſequitur Vaſquez p. 2. quæſt.5.ar.1.diſp.20.cap.2.num.5.

Aug. Ny. Vaſquez.

Peccat quoquè argumentum, In maiori; & In minori. In maiori quidem primò. quia ſi vera eſſet, omnis operatio potentiæ ſuperioris cognoſcitiuæ deberet eſſe intuitiua. Probatur quia omnis operatio potentiæ ſenſitiuæ exterioris eſt intuitiua. Ergo etiam omnis operatio potentiæ ſuperioris cognoſcitiuæ erit intuitiua. Probatur ex Scotico axiomate.Nimirum,Quod eſt perfectionis ſimpliciter in aliquo genere, &c. hoc autem eſt omnino falſum. Quia non omne obiectum cognitum à phantaſia, vel ab intellectu intuitiuè cognoſcitur.

31 Secundò. quia cognitio quam per fidem habemus de Deo eſt perfectior quàm cognitio ſcientifica quam habemus de rebus infimis, & tamen rerum infimarum cognitio eſt clara; cognitio autem Dei per fidem eſt obſcura.

Tertiò. Quia incorruptibilitas eſt perfectior corruptibilitate in genere corporis, & tamen competit inferiori, non autem ſuperiori.Nam cœlum eſt incorruptibile,homo verò corruptibilis. Perfectior autem eſt homo, cum ſit animatus quàm cœlum. Et quamuis Scotus ſuſtineat cęlum eſſe intrinſecę corruptibile, ab omnibus tamen communiter impugnatur.

32 Quartò. Quia Axioma Scoticum vt proportionem habeat; debet intelligi reſpectu eiuſdem obiecti. videlicet, illud obiectum quod intuitiuè cognoſcitur à potentia inferiori,poteſt quoque intuitiuè cognoſci à Superiori. Et tunc non aliud ſequeretur, niſi quòd ſenſibilia poſſunt intuitiuè ab intellectu noſtro cognoſci.

Peccat etiam in minori. Eo quia ratio intuitiuæ cognitionis in ſenſibus externis, non prouenit ex perfecta participatione cognitionis, ſed ex indigentia potentiæ cognoſcentis. Quia, nimirum, potentia ſenſitiua externa ad hoc vt aliquid cognoſcat, ab exiſtentia apparenter, vel realiter,obiecti omnino dependet, quod eſt de imperfectione cognitionis intuitiuę ſenſus externi. ob defectum virtutis cognoſcitiuæ, non valentis niſi pręſentiā inſpicere obiecti,apprehēdendo tantùm, non autē iudicando: cognitio autē intuitiua iudicatiua, eſt quæ perfectionē ſimpliciter dicit,ita quòd ſi vna ratio ab altera ſecernatur, pſtātior erit cognitio iudicatiua, & abſtractiua: quàm intuitiua, & non iudicatiua. Vnde Ad Argumentum,

Reſpondetur Primò, Negando maiorem vniuerſaliter.

33 Reſpondetur Secundò, diſtinguendo maiorem. Quod eſt perfectionis ſimpliciter in aliquo genere ſi competit inferiori in illo genere, competit & ſuperiori, Reſpectu obiecti non excedentis capacitatem, concedo maiorem. Reſpectu obiecti excedentis capacitatem,nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia. Nam philoſophus diceret: cognoſcere Deum intuitiuè, excedere intellectus creati capacitatem;quod non debet in præſenti ſupponi, ſed probari.

Reſpondetur Tertiò, diſtinguendo maiorem, & in idem redit. Quod eſt perfectionis ſimpliciter in aliquo genere, ſi competit

34 inferiori in illo genere competit,& ſuperiori, Reſpectu illius obiecti ratione cuius in illo ſuperiori, non arguitur perfectio infinita, concedo maiorem. Si in illo ſuperiori arguitur perfectio infinita, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia: & ratio eſt, quia diceret Philoſophus,quòd cognitio intuitiua Dei, argueret in creatura perfectionem infinitam.Nec oppoſitum demonſtratiuè probatur, ſed fide creditur; & ſuppoſita fide demonſtratur.

Reſpondetur Quartò, Admiſſa maiori, diſtinguendo minorem: Sed cognitio intuitiua,

35 & non iudicatiua, conuenit ſenſui, concedo minorem. Sed cognitio intuitiua, & iudicatiua, conuenit ſenſui, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam.Nam perfectionis ſimpliciter eſt, cognitio intuitiua iudicatiua; non autem tantùm intuitiua.

36 Reſpondetur Quintò,Admiſſa maiori,& diſtinguendo minorem. Sed cognitio intuitiua corporea, competit ſenſui concedo minorem.Sed cognitio intuitiua ſpiritualis competit ſenſui, nego minorem.Ergo,&c. nego conſequentiam. Quia perfectior eſt

co-

cognitio abſtractiua ſpiritualis; quàm cognitio intuitiua corporea.

37 Reſpondetur Sextò. diſtinguendo eamdem minorem: Sed cognitio intuitiua competit ſenſui; Propter virtutis cognoſcitiuæ deficientiam, nimirum, propter actualem dependentiam ab actuali obiecti externi vera, vel apparenter, exiſtentia, Concedò minorem, Competit ſenſui propter potentiæ cognoſcitiuæ excellentiam, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Quia tunc quod competit inferiori competit etiam ſuperiori; quando inferiori conuenit ratione perfectionis, non verò quando conuenit ratione indigentiæ.

Tandem. Obſerua, quòd, cognitionem intuitiuam, dicere perfectionem: Dupliciter intelligi poteſt. Primò quoad rationem virtutis & efficacitatis, ſeu, luminis claritatem. Secundò quoad rationem attingentiæ actualis exiſtentiæ, Cognitio intuitiua, non ex ſecundo, ſed ex primo capite perfectionem habet. Nam Deus non habet cognitionem intuitiuam reſpectu poſſibilium: habet tamen cognitionem intuitiuam reſpectu exiſtentium; & non propterea perfectior eſt cognitio intuitiua Dei, reſpectu creaturarum exiſtentium, quàm eadem cognitio, reſpectu poſſibilium: ſecundùm quod dicitur ſimplicis intelligentiæ. Vnde ad oſtendendam vtriuſquè æqualem luminis claritatem. dicitur. *Vocat ea quę non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt.* Rom. 4.

CAPVT QVARTVM.

Proponuntur duo argumenta Recupiti, & ſoluuntur.

38 OBijciet aliquis tertiò, pro ſententia Scoti ex Recupito, quæſt. 1. de veritate c. 5. num. 28. hoc modo. *Deus Vt in ſe eſt, habet rationem Veri. Ergo Deus ut in ſe eſt, reſpectu cuiuſcumquè intellectus, habet rationem intelligibilis. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Omne id quod eſt intra rationem formalem conſtitutiuam obiecti intelligibilis, reſpectu cuiuſcumquè intellectus, eſt intelligibile à quocumquè intellectu: ſed Deus Vt habet rationem Veri, eſt intra rationem formalem conſtitutiuam obiecti intelligibilis, reſpectu cuiuſcumquè intellectus. Ergo Deus ut in ſe eſt, intelligibilis eſt, à quocumquè intellectu. Maior patet. Quia hoc eſt eſſe intra obiectum potentiæ. Eſſe attingibile à potentia; ſiue naturaliter, ſiue ſaltem obedientialiter: Si enim nullo modo eſt attingibile à potentia planè eſt extra obiectum potentiæ. Minor probatur. Quia ratio veri ut ſic, eſt conſtitutiuum formale obiecti intelligibilis ſpecificantis quodcumquè intellectiuum.* Recupit.

39 Reſpondetur, Concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: Sed Deus vt habet rationem veri, Abſtractiuè cognoſcibilis, eſt intra rationem formalem obiecti, &c. concedo minorem, ſed Deus vt habet rationem veri, Intuitiuè cognoſcibilis, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Ratio veri vt ſic, Abſtractiuè, vel Intuitiuè cognoſcibilis. eſt conſtitutiuum formale obiecti intelligibilis, &c. concedo antecedens. Ratio veri vt ſic, vt tantum intuitiuè cognoſcibilis, nego antecedens. quare, &c.

40 Si argumentum aliquid probaret, probaret etiam, quòd Deus poſſit comprehenſiuè cognoſci ab intellectu creato. Eodem enim tenore verborum, argumentum poſſet ſic formari. Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis, habet rationem veri. Ergo Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis, reſpectu cuiuſcunquè intellectus habet rationem intelligibilis; & ſic per totum argumentum diſcurrendo. Per eamdem diſtinctionem ad omnes confirmationes quas Recupitus affert, reſpondetur. Recupit.

41 Obijcies Quartò. ex eodem, num. 30. *Deus cognoſcitur naturaliter à noſtro intellectu abſtractiuè. Ergo ab eodem, ſaltem ſupernaturaliter, eſt cognoſcibilis intuitiuè: Antecedens patet experientia. Nequè enim hæc ipſa quæſtio fieri poſſet. Vtrum Deus ſecundum ſuam eſſentiam cognoſci poſſit intuitiuè, niſi ipſamet eius eſſentia, de qua id quæritur, cognoſceretur à nobis ſaltem confusè, & abſtractiuè. Conſequentia in qua tota Vis eſt, Probatur. Quia ſi Deus cognoſcitur à nobis abſtractiuè; iam eſt intra obiectum noſtri intellectus. Si enim eſſet extra; nullo modo cognoſci poſſet; nequè abſtractiuè. Si eſt intra obiectum abſtractiuè, non repugnabit perfectiori modo attingi à noſtro intellectu, ſcilicet, Intuitiuè. Intuitio enim, & abſtractio, non conſtituunt obiecta, ſed ſunt modi attingendi obiectum.*

42 Confirmatur primò. *Quia hic modus tendendi in obiectum per intuitionem eſt perfectio ſimpliciter cuiuſcumquè potentiæ intellectiuæ, Nam ſicut imperfectio ſimpliciter illius, eſt cognoſcere obiectum Vt non in ſe eſt: ita perfectio ſimpliciter eiuſdem eſt, cognoſcere obiectum Vt in ſe eſt. Ergo Deus Vt in ſe eſt, eſt intra obiectum perfectiuum talis potentiæ.*

Confirmatur ſecundò, *Quia poſito ſemel ente increato intra obiectum noſtri intellectus, modus cognoſcendi illud per abſtractionem, Vel intuitionem, tenet ſe ex parte potentiæ, tali, Vel tali modo in illud tendentis: ſed id quod eſt ex parte potentiæ non repugnat ſuppleri per confortationem, & eleuationem potentiæ, Ergo* ex

Digitized by Google

ex eo quòd de facto cognoſcamus Deum abſtractiuè; benè argui poteſt de poſſibili, quòd poſſit idem cognoſci à potentia eleuata, & confortata, intuitiuè. Hæc ille.

43 Recupitus, quod verum eſt, & à nobis conceditur, optimè probat; Id verò, de quo eſt controuerſia; quaſi ſupponit & vt verum aſſumit, vt ipſum legenti patet. Recupit.

Reſpondetur igitur ad argumentum, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. (loquimur ſecluſa fide). Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. *Si Deus cognoſcitur à nobis abſtractiuè; iam eſt intra obiectum*, Vt Abſtractiuè cognoſcibilis, concedo antecedens. Vt Intuitiuè cognoſcibilis; nego antecedens. Ad cuius probationem, Nego antecedens, nempè, *Si eſt intra obiectum abſtractiuè, non repugnabit perfectiori modo attingi à noſtro intellectu, ſcilicet, intuitiuè*. Ad cuius probationem, nego antecedens, quod non probat.

44 Ad primam confirmationem, Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Hic modus tendendi in obiectum per intuitionem, eſt perfectio ſimpliciter cuiuſcumquè potentiæ intellectiuæ, Reſpectu alicuius obiecti creati, concedo antecedens. Reſpectu obiecti increati, nego antecedens. Nam philoſophus dicet, intellectui creato non poſſe tantam ineſſe perfectionem.

Ad ſecundam confirmationem, Reſpondetur, quòd *poſito ſemel, & c. modus cognoſcendi illud ens increatum per abſtractionem, vel per intuitionem, tenet ſe, ex parte potentiæ*; & etiam obiecti; Deus enim intuitiuè cognoſcibilis, non eſſet intra latitudinem obiecti intellectus creati.

45 Hoc quoquè argumentum, ſub eadem forma, ſi aliquid valeret, probaret etiam, quòd Deus ab intellectu creato poteſt cõprehenſiuè cognoſci, hoc modo. Deus poteſt intuitiuè cognoſci. Ergo etiam comprehenſiuè. Probatur conſequentia. Quia ſi poteſt intuitiuè cognoſci, iam eſt intra obiectum formale, ac ſpecificatiuum intellectus creati. Ergo non implicat vt poſſit perfectius cognoſci per comprehenſionem: & eodem modo ambæ confirmationes inſtaurari poſſunt.

Quod ſi diceret; Diſparem eſſe rationem, de cognitione intuitiua, & comprehenſiua. Quia ad cognoſcendum Deum intuitiuè, ſufficit lumen finitum; Ad cognoſcendum verò Deum comprehenſiuè, requiritur lumen infinitum.

46 Philoſophus, primò diceret; hoc eſſe probandum. Quia ad cognoſcendum Deũ intuitiuè, requiritur etiam lumen infinitũ, & viſio infinita, licet huius oppoſitũ fides catholica doceat: Ratione verò naturali, Recupitus non probat, nec probare poteſt, ſed probandum aſſumit.

Secundò diceret philoſophus, quòd eodem prorſus modo diſcurrendum eſt, de cognitione abſtractiua reſpectu intuitiuæ, nẽpe; quòd ad cognoſcendum Deum abſtractiuè, ſufficit lumen finitum: Ad cognoſcendum verò Deum intuitiuè, nullum eſſe poſſibile lumen creatum, & finitum.

CAPVT QVINTVM.

Reliqua Argumenta diluuntur.

47 OBijciet autem aliquis contra noſtrum dictum quintò. Diuus Thomas hic, & alijs locis, Viſionis beatificæ poſſibilitatem, ratione probat. Ergo Ratione naturali poteſt viſionis beatificæ poſſibilitas demonſtrari.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens D. Thomas, &c. Ratione probabili, & ſuaſiua probat, concedo. Ratione demonſtratiua, nego. Et hoc ſi rationes Diui Thomę ſecluſa fide procedant. Si autem ſuppoſita fide, Rationes eius poſſunt eſſe Theologicæ demonſtrationes.

Contra, Diuus Thomas in lib. cont. Gentiles probat Deum poſſe videri ab intellectu creato. Ergo rationibus naturalibus, & conuincentibus. Probatur conſequentia. Quia Rationibus ſuaſibilibus contra Gentiles argumentari non licet. D. Tomas

48 Reſpondetur quòd D. Thomas in lib. contra gent. non ſemper Gentilibus argumenta tanquàm ab ipſis ſoluenda proponit. Etenim Aliquando affert rationes ad conuincendum aduerſarios. Aliquando ad inſtruendum catholicos, Quando Primo modo argumentatur, rationes ſunt veritatem demonſtrantes; Quando ſecundo modo, non operepretium eſt, rationes adducere euidentes. Sic eſt in caſu noſtro. hoc quòd dico eſt Diui Thomæ .1. contra gent. cap. 8. & 9. cap. enim 9. hæc habet verba.

Ad huiuſmodi autem veritatem manifeſtandam, ſunt adhibendæ aliquæ rationes veriſimiles ad exercitium quidem, & Solatium fidelium; non autem ad aduerſarios conuincendos. Quia ipſa rationum inſufficientia, eos magis in ſuo errore confirmaret; Dum æſtimarent, nos propter tam debiles rationes, veritati fidei conſentire; Et cap. 8. præcedenti aurea hæc verba præmiſerat. *Humana igitur ratio ad cognoſcendum fidei veritatem, quæ ſolùm videntibus diuinam ſubſtantiam poteſt eſſe notiſſima; ità ſe habet, quòd ad eam poteſt aliquis, veras ſimilitudines colligere: quæ tamen non ſufficiunt, ad hoc quòd prædicta veritas quaſi demonſtratiuè, vel per ſe intellecta comprehendatur. Vtile tamen eſt*, Nota. *Vt in huiuſmodi rationibus, quantumcumquè debilibus, ſe mens humana exerceat. Dummodo deſit comprehendendi*,

vel

Vel demonſtrandi præſumptio. Quia de rebus altiſſimis, etiam parua, & debili conſideratione, aliquid poſſe inſpicere, iucundiſſimum eſt. Hæc ille.

Dices. Supra dictum eſt, quòd impoſſibile eſt Velleitatem excitatam, & non impeditam, eſſe de re impoſſibili. Ergo ratio D. Thomæ in naturali appetitu inefficaci fundata, eſt demonſtratio.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Dictum eſt quòd impoſſibile eſt Velleitatem excitatam, & non impeditam, eſſe de re impoſſibili, Per vehementem ſuſpicionem, magnam ſuaſionem, & probabilem opinionem, concedo. Per euidentem demonſtrationem, nego. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia non eſt euidens, quòd Velleitas excitata non poteſt eſſe de re impoſſibili, ſed hoc à Philoſophis, ac Theologis ſuſtinetur, per quamdam vehementem ſuſpicionem, magnam ſuaſionem, ac probabilem opinionem; vt dictum eſt.

50 Obijcies Sextò, deſtruendo præcipuum noſtræ concluſionis fundamentum, hoc modo. Si ratione naturali viſionis claræ Dei poſſibilitas, demonſtrari nequit, Ideo eſt, quia viſio clara Dei eſt ſupernaturalis: ſed ratio iſta nulla eſt. Ergo. Sequela patet. Probatur minor. Primò. Quia intellectus noſter lumine naturali euidenter cognoſcit Dei ſupernaturalitatem, quæ eſt omnium maximè ſupernaturalis. Ergo non repugnat ratione ſupernaturalitatis. Antecedens probatur: Intellectus creatus lumine naturali cognoſcit Deum eſſe ens à ſe, actum purum, illimitatum, & ſupra quamcumquè entitatem creatam, & creabilem: ſed hoc eſt eſſe ſupernaturale. Ergo intellectus creatus lumine naturali cognoſcit Dei ſupernaturalitatem.

51 Secundò. Non datur, nec dabilis eſt viſio perfectior, ac ſupernaturalior viſione, qua Deus ſe ipſum perfectiſſimè videt: ſed intellectus creatus lumine naturali cognoſcit viſionem increatam Dei, Deum, ſcilicet, ſe ipſum cognoſcere. Ergo poteſt quoquè cognoſcere poſsibilitatem viſionis creatæ. Maior, & minor patent; & conſequentia eſt euidens.

52 Reſpondetur. Concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo antecedens. Intellectus creatus lumine naturali cognoſcit ſupernaturalitatem Dei, Mediante eiuſdem Dei effectu naturali, concedò. Non mediante effectu naturali, nego antecedēs. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt. Quia ſupernaturalitas Dei habet effectum naturalem, qui eſt lumini naturali proportionatus; At verò viſio clara Dei reſpectu intellectus creati nullum habet effectum naturalem, ratione cuius intellectus creatus efficaciter poſsit ad eius cognitionem peruenire. Quare &c.

53 Ad ſecundam probationem. Concedo maiorem, & diſtinguo minorem, ſed intellectus creatus lumine naturali cognoſcit viſionem Dei increatam, ſuppoſita Dei cognitione per effectus naturales, concedo minorem. Non ſuppoſita Dei cognitione per effectus naturales, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. In tantùm enim intellectus creatus per lumen naturale cognoſcit viſionem increatam Dei, in quantùm Deum eſſe per effectus naturales, intelligentem eſſe cognoſcit.

Contra. Maior eſt ſupernaturalitas Dei quàm ſupernaturalitas creata. Ergo ſi proprijs naturæ viribus intellectus creatus ſupernaturalitatem Dei, poteſt demonſtratiuè cognoſcere, ſupernaturalitatem quoquè viſionis claræ Dei creatæ, facilius cognoſcere poſſet.

54 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Maior ſed facilior; eſt cognitu, ſupernaturalitas Dei, quàm ſupernaturalitas creata, concedo antecedens. Maior ſed difficilior cognitu, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt. Quia licet Deus ſit ſubſtantia maximè ſupernaturalis, producit tamen effectus naturales, per quos eius ſupernaturalitatem cognoſcere poſſumus.

55 Vnde, Retorqueo argumentum. Maior eſt ſpiritualitas Dei quàm ſpiritualitas Angeli: ſed non de facili Angeli ſpiritualitatem poſſumus demonſtratiuè probare. Ergo multo minus poſſumus per rationem oſtendere Deum eſſe ſpiritualem. Similiter. Magis perfecta eſt exiſtentia Dei, quàm exiſtentia Angeli: ſed ſecluſa fide non poſſumus demonſtratiuè probare dari Angelos. Ergo neque etiam poſſumus ſecluſa fide lumine naturali, Dei exiſtentiam, oſtendere. qui tamen, argumentandi modus, vitioſus eſt. eo quia permiſcuè aſſumit, & confudit; Maius, ſeu, perfectius, ac difficilius. quod eſt falſum. Aliud enim eſt dicere; Maior eſt ſupernaturalitas Dei, quàm ſupernaturalitas creata: & Aliud eſt dicere, Difficilior eſt cognitu ſupernaturalitas Dei, quàm ſupernaturalitas creata. Primum eſt verum. Secundum omnino falſum. eo quia ſupernaturalitas Dei, effectus producit naturales. Cum ſit prima omnium effectuū naturalium cauſa. ſupernaturalitas verò creata, hoc non habet. Quare patet diſparitas, & reſponſio.

56 Quòd ſi inſurgas. Supernaturale, vt ſupernaturale. Ideo dicitur quia vires ſuperat naturales. Quia, videlicet, cum ſit effectus ſupernaturalis, non poteſt produci à cauſa naturali. Ergo lumine naturali, nequaquàm cognoſci poteſt ſupernaturalitas Dei

Dei. Valet ergo iſta conſequentia. Si eſt maior ſupernaturalitas; Ergo eſt cognitu difficilior.

Reſpondetur, concedendo antecedens. ſed negando ſuppoſitum antecedentis. Supponit enim antecedens, hoc quod eſt, Deum eſſe ens per eſſentiam, actum purũ, & videre ſe ipſum; eſſe tantummodo cognoſcibilitatem ſupernaturalem. Dico enim eſſe cognoſcibilitatem naturalem, & ſupernaturalem; ſupernaturalem quidem, ſi conſideretur ſecundum ſe, & abſolutè: Naturalem verò, ſi conſideretur per demonſtrationem, & diſcurſum ab effectibus naturalibus. Nec implicat ſubſtantiam ſupernaturalem, ſecundùm quòd eſt principium naturæ, eſſe cognoſcibilitatem naturalem. Quia huiuſmodi cognitio non eſt ſubſtantiæ ſupernaturalis, ſecundùm quod in ſe eſt, ſed ſecundùm quòd eſt principium rei naturalis. Quod quidem à ſupernaturalibus accidentibus abeſt. Rectè igitur arguũt Thomiſtę, non poſſe lumine naturali viſionis beatificæ poſsibilitatem oſtenſiuè probari; Quia eſt ſupernaturalis, nullum habens effectum naturalem.

57 Quòd ſi quis obſiſteret dicens. Deus vt Author naturæ ſpectat ad ordinem naturalem, & non dicitur cauſa ſupernaturalis, ſed naturalis, licet prima; Dicitur verò cauſa ſupernaturalis, per hoc quòd producit effectum ſupernaturalem. Ergo falſum eſt, quod diximus, nempè, Deum eſſe ſupernaturalem, per hoc quòd eſt Author naturæ, ens à ſe, &c.

Reſpondeo ad hoc, Amplius quod dicebam exagerando; dicens, quòd niſi Deus eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, Author naturæ

58 eſſe non poſſet. Cum autem dicitur, quòd Deus vt Author naturæ ad ordinem naturæ pertinet; & vocatur cauſa naturalis, veriſsimum eſt. Non eſt autem bona iſta conſequentia. Ergo Deus vt Author naturæ, eſt ens naturale: Et cauſa deceptionis aliquorum eſt; Quia fortè, ea ratione qua Deus eſt naturæ Author, putant eſſe ſubſtantiam naturalem; & ea ratione, qua eſt Author gratiæ, ſubſtantiam ſupernaturalem. ſed hi multùm elongantur à vero. Eo quia Deus ſemper eſt ſubſtantia ſupernaturalis, ſiue vt Author naturæ, ſiuè vt Author gratiæ conſideretur. Immo addo & repeto, quòd dicebam. Si Deus non eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, non eſſet Author naturæ, & habet quòd ſit naturæ Author, ex hoc quòd eſt ſubſtantia ſupernaturalis.

59 Quòd quidem, vt clarius explicetur, obſeruandum eſt, Quòd Deus vt Author naturæ pertinet ad ordinem naturæ, vt cauſa, & principium illius, non quia in ſe ſit ſubſtantia naturalis, ſed quia cum ſubſtantia ſupernaturalis ſit: ſubſtantiam, & accidentia infra ordinem diuinum producit; hæc enim propterea naturalia dicuntur, quia infra ordinem diuinum ſunt. Nam ſubſtantia, ideo dicitur naturalis (& hoc bene nota). Quia eſt infra ordinem diuinum. Et Accidentia ideo naturalia dicuntur, Quia dantur iuxta proportionem, & connaturalem exigentiam ſubſtantiæ creatæ, ſeu naturalis, Ad hoc, ſcilicet, vt ſubſtantia operetur, calefaciendo, vegetando, ſentiendo, intelligendo, &c. At verò, Deus vt Author gratiæ, ſpectat ad ordinem gratiæ, & dicitur Author ſupernaturalis, per hoc quòd quædam accidentia producit, quæ ſubſtantiam creatam ad Deum videndum vt in ſe eſt, ipſoquè fruendum ordinant. Itaquè Deus ad ordinem naturæ pertinere dicitur non, entitatiuè; ſed ratione effectus, ſeu, termini producti. Et dicitur cauſa ſupernaturalis, ratione effectus ſupernaturalis: ſemper tamen eſt ſubſtantia ſupernaturalis. Benè igitur diximus, intellectum creatum proprijs naturæ viribus Dei ſupernaturalitatem increatam cognoſcere poſſe; non autem creatam ſupernaturalitatem; niſi lumine ſupernaturali perfuſum, & illuſtratum. Quando ergo intellectus cognoſcit Deum eſſe Authorem naturæ, per effectus qui ad talem ducunt cognitionem, cognoſcit vtiquè Deum eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem; ſed ſolùm in ratione cauſæ, eſſe naturalem. Patet hoc ſecundum. Quia cauſa naturalis, ea dicitur, quæ producit effectum naturalem: ſed natura eſt effectus naturalis, Ergo Deus in ratione cauſæ dicitur cauſa naturalis. Patet etiam primum. Quia eſſe Authorem naturæ, eſt eſſe ſupra omnem naturam. Ergo eſt eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem.

Obijcies tandem. Poſſibilitas viſionis beatificæ, eſt euidenter credibilis. Ergo eſt euidenter poſſibilis. Antecedens patet, Quia quod eſt à Deo reuelatum eſt euidẽter credibile: ſed viſio clara Dei eſt à Deo reuelata. Cum ſit de fide certa. Ergo eſt euidenter credibilis. Probatur autem conſequentia. Quia non eſt credibile niſi verum. Ergo quod eſt euidenter credibile, eſt euidenter verum, & poſſibile.

Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo eſt euidenter poſſibile, ac demonſtrabile per extrinſeca, concedo conſequentiam. Per intrinſeca nego conſequentiam. quare, &c.

Explicatur iſta reſponſio. Aliquid ex duplici capite probari poteſt. Ex principijs proprijs, & ex ſui natura ſibi conuenientibus. Et ex principijs extrinſecis ſuæ naturæ. Primo modo, fit per cauſas proprias, quando demonſtratur à priori, vel per proprios effectus à poſteriori. Vt cum demonſtratur riſibilitas de homine per rationalitatem. Et è contra, Rationalitas per riſibilitatem.

Per

Digitized by Google

Nulla itaquè creatura Deum videt, non materialis tantùm; ſed etiam immaterialis; ſi quidem ipſis quoquè immaterialibus Virtutibus inuiſibilis eſt Deus, in ſua natura; licet prout ſibi conceditur, Deum uideant. hæc ille. Vbi illa obſeruentur verba, nempè, *Prout ſibi conceditur; Deum uident*. quæ idem ſonant ac verba Chryſoſtomi, nempè, *per condeſcenſum, & indulgentiam*. & ſenſus eſt, quòd non videt creatura Deum, quantùm viſibilis eſt; ſed quantùm illi conceditur: iuxta ſcilicet, luminis creati quantitatem. Et ſuper Matt. 5. *Anima*, inquit, *puram ſuſcipere uiſionem qua Deum attingit*.

Theoph. 37 Theophylactus ibidem, ſuper idem caput, eodem modo explicandus eſt, videlicet, de cognitione comprehenſiua; Nam ibidem *docet, nullam creaturam uidiſſe ipſam Dei ſubſtantiam, ſed ſimilitudinem, & apparentiam quamdam; ſicut capere poterat. Quia neque Angeli uident Dei ſubſtantiam, quamuis dicantur uidere faciem eius*. Vbi aperte duo docet. Vnum, quòd Angeli vident faciem Dei; & faciem Dei omnino reuelatam, vt ait, ſuper illud 1. ad Corin. 13. Et ecce cognitio intuitiua; Alterum verò, quòd non vident Dei ſubſtantiam, ſed ſimilitudinem, & apparentiam quamdam; ſicut capere poterant. id eſt, non ſicut viſibilis eſt infinitè: ſed finitè. Quia ſic capere poterát. Et ſup. Matt. cap. 18. dicit, *Angelos videre per omnia Dei faciem*. Ecce quomodò ſententiam catholicam expreſsè fatetur.

1. Cor. 13.

Matt. 18.

Theodor. 38 Theodoretus; Interpretrandus eſt, de cognitione comprehenſiua. Loquebatur enim in odium, ac deteſtationem opinionis Anomæorum. Nec valet Vaſquez exageratio. Quoniam per ly, *nec percipi poſſe, nec videri*. ſemper intelligit viſionem comprehenſiuam; & cum ſubdit. *quòd poſtquam Deus homo factus eſt: viſus eſt etiam ab Angelis*. Debet interpretari hoc modo. Quòd Deus in ſe; ſeu Chriſtus vt Deus, incomprehenſibilis eſt, ratione verò humanæ naturæ aſſumptæ, ab Angelis comprehenſus eſt.

Vaſquez.

Theodor. Quòd ſi quis dixerit; Theodoretum ſuſtinuiſſe Angelos eſſe corporeos, explicandus eſt de cognitione, ſeu viſione corporea, quo ad cognitionem intuitiuam: & de viſione comprehenſiua; loquendo quo ad cognitionem intellectiuam.

39 Sanctus Hieronymus; loquitur manifeſtè de cognitione comprehenſiua. de cognitione verò tantùm intuitiua, Chriſtianæ fidei dogma apertè fatetur, & eius verba paulo antea prætulimus.

Iſidorus. Iſidorus, loquitur de cognitione comprehenſiua; non quia ſic volunt Scholaſtici, verba patrum in ſenſum Scholaſticorum pertrahere; ſed quia verba Iſidori id manifeſtè declarant; videre enim eius eſſentiam plenè, ſolius eſt Dei.

2.

Difficilè tamen videtur; quod contra hanc reſponſionem Vaſquez induxit. Quia, ſcilicet, Iſidorus, poſt verba relata, ſic ſubiungit. *Sola enim ſibi, integrè nota eſt Trinitas; & humanitati ſuſcepta, quæ Tertia eſt in Trinitate perſona*. Vaſquez.

40 Cui obiectioni, Recupitus lib. 6. de verit. quæſt. 1. cap. 6. num. 36. Reſpondens, ſic ait. Vel æſtimandus eſt Iſidorus, tribuiſſe Chriſto viſionem Dei comprehenſiuam: Vel explicandus per communicationem Idiomatum, vt explicat Sanctus Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 1. quare ſubdit. *quæ Tertia eſt in Trinitate perſona*. Vel denique emendandus eſt Codex; & legendus; iuxta id, quod idem dicit in lib. 1. ſent. cap. 3. vbi repetens eadem planè verba, dicit. *ſibi ſoli integrè nota eſt Trinitas; & humanitas Chriſti ſuſcepta*. Facit autem hunc ſenſum, quòd neque Trinitas comprehendi poteſt, neq; Chriſti humanitas ſecundùm dignitatem quam habet vt diuinati vnita.

Recupit.

Iſidorus.

S. Antoni.

Prima explicatio, non eſt admittenda. Non enim, vt ab vno Iſidorum ſaluemus errore; de alio accuſare debemus. & præcipuè quando verè & piè explicari poteſt.

Secunda explicatio, quæ eſt Sancti Antonini, bona eſt, & mihi placet. Nec videtur à littera aliena; nam in tantùm humanitati aſſumptæ Iſidorus comprehenſiuam Deitatis attribuit cognitionem; in quantùm eſt tertia in Deitate perſona, id eſt, in quantùm eſt vna ex tribus perſonis. Sic enim intelligi debet, ly, eſt Tertia Trinitatis perſona. iuxta quem ſenſum; etiam Pater Æternus: poteſt dici Tertia in Trinitate perſona. Sic communiter, quantùm ad hanc particulam, Iſidorum Theologi explicant. Ergo loquitur de humanitate ratione ſuppoſiti diuini: & voluit per hunc loquendi modum, Chriſti diuinitatem commendare.

Antonin. Iſidorus.

42 Tertia explicatio; placere non poteſt. Quia, vt eruditè aduertit Doctiſſimus Aluarez 3. p. quæſt. 10. ar. 1. vbi ſic ait *Reſpondetur in cap. illo 3. allegato non habentur prædicta verba: ſed hæc (Trinitas ſibi ſoli, integrè nota eſt; & humanitas à Chriſto ſuſcepta) vt patet ex nouiſſima editione, quæ apud nos extat; & ſenſus eſt. Solum Deum comprehendere myſterium Trinitatis, & myſterium Incarnationis. ſeu, Verbum diuinum, in duabus naturis ſubſiſtens. Quod veriſſimum eſt. Reperiuntur tamen, formaliter illa verba, in eodem Iſidoro, cap. 42. (& eſt locus adductus à Vaſquez) in Exodo. & vt difficultatem effugiant quidam exiſtimant, textum eſſe vitiatũ. Sed hoc non poteſt dici. Quoniam Scholiaſtes Iſidori, affirmat, non eſſe dubitandum de veritate prædictæ lectionis. Cum in octo codicibus manuſcriptis habeatur*. hæc Aluarez, & optimè.

Aluarez.

Et inſuper, poteſt Iſidorus, in bonum ſenſum 43 duci; & Diuus Thomas, illum ſupra dictũ lo-

D. Thom.

Digitized by Google

diſtinguendo ſequelam. Si ſolo lumine naturali intellectus creatus poſſibilitatem viſionis beatificæ poſſet demonſtratiuè probare, poſſet etiam media cognoſcere, Vagè, & Indeterminatè, concedit. Determinatè, negat. Vaſqueſij autem verba iſta ſunt. *Quòd non cognoſcantur ſpeciatim media, quibus beatitudo cōſequēda eſt, nihil obſtat quo minus demonſtrari queat, hominem poſſe beari, ſiuè per hęc media, ſiuè per alia id fieri debeat, aut poſſit.*

Contra. Cognoſcens aliquem finem eſſe poſſibilem, licet non cognoſcat hæc, vel illa media determinatè, debet tamen cognoſcere non implicare media ad illum finem conſequendum proportionata, quęcumquè illa ſint: ſed viſio clara Dei eſt quidam finis
17 ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo euidenter, ſeu demonſtratiuè cognoſcens viſionem claram Dei eſſe poſſibilem, cognoſceret etiam euidenter non implicare media proprotionata ad huiuſmodi viſionem cōſequendam: ſed media ad claram Dei viſionem conſequendam proportiōnata, ſunt Gratia, Charitas, lumen gloriæ, &c. Ergo cognoſcens determinatè poſſibilitatem viſionis beatificæ, eodem lumine quo huiuſmodi poſſibilitatem cognoſcit, gratiam fidem, charitatem, ac lumen gloriæ poterit determinatè cognoſcere.

18 Confirmatur. Suppoſita Viſionis claræ Dei poſſibilitate, intellectus creatus ſolo lumine naturali euidenter cognoſcit lumen naturale eſſe inſufficiens; & conſequenter euidenter cognoſcit, quòd ſi lumen naturale non eſt ſufficiens, neceſſariò lumen ſupernaturale ad tam excelſam cognitionem eliciendam proportionatum exigitur: ſed hoc eſt lumen gloriæ determinatè, & non Vagè, quo ad rationem formalem luminis, licet poſſit eſſe Vagè cognitum quo ad nominis circumlocutionem. Ergo, &c.

19 Pro huius intelligentia eſt obſeruandū, quòd ad cognoſcendū euidenter poſſibilitatem alicuius finis determinatè ſumpti, ſicuti eſt videre Deum, non ſufficit medium ſupernaturale in communi cognoſcere, ſed omninò neceſsè eſt, mediorū cum fine proportionem ſcire; Aliàs cognoſci non poſſet illud medium eſſe efficax ad cōſequendum finem, & licet ad aliquem finē cōſequendū media aliqua Vagè noſſe ſufficiat, in hoc ſenſu, videlicet, quòd cū multa media proportionata ſint ad illum finē conſequendū, ſufficit illa indeterminatè cognoſcere, tanquàm ſufficientia ad finis conſecutionem: Attamen nō ſufficit media Vagè cognoſcere in hoc ſenſu videlicet, quòd sūt media ſupernaturalia præcisè; ſed omninò neceſſariū eſt, determinatè cognoſcere hoc, nēpe, quòd aliqua media ſupernaturalia poſſibilia ſunt, quæ ad ſupradictum finem conſequendū ex ſe proportionē habent. Quando
20 Ergo Vaſquez dicit media Vagè ſumpta ſufficere, ſi Vagè primo modo conſideret, rectè dicit, ſed noſtrum argumētum currit. Si ſecūdo modo, eſt impoſſibile cognoſcere determinatā finis poſſibilitatem euidenter, & non cognoſcere aliqua determinata media per quæ finis conſequi poſſit.

Confirmatur ſecundò. Quia cognoſcens Vagè media, quibus viſio beata conſequenda eſt, determinatè cognoſceret, hoc, nimirum, lumen ſupernaturale intellectuale per quod poteſt videri Deus, talis ac tantæ virtutis eſt, vt per illud videatur Deus: quodcunq; illud ſit: ſed hoc eſt lumen gloriæ determinatè cognoſcere. Ergo nulla eſt Vaſquez reſponſio. maior patet. Quia quando media apprehendūtur vt media, ſiuè Vagè, ſiue determinatè, omnino neceſſum eſt, vt hoc determinatè ſciatur, videlicet; quòd omnē, ſufficientem virtutem ad finis conſecutionē habeat. Aliàs id quod talē virtutē nō haberet, nō eſſet inter media ſufficiētia numerādum. Minor etiā eſt clara. Quia hoc nomine luminis gloriæ intelligimus, lumen ſcilicet, intellectuale quò Deum videmus.

21 Probatur Quintò noſtrum dictū, contra Scotum à fortiori. Non poteſt ratione naturali demonſtrari animam intellectiuam eſſe immortalē. Ergo multòminus ratione naturali demōſtrari poteſt, intellectū creatum poſſe videre Deū. Antecedens eſt Scoti. in 4. diſt. 43. q. 2. §. *de ſecunda propoſitione.* Probatur autem conſequentia. Quia ſi non poteſt ratione naturali demōſtrari animam intellectiuā eſſe immortalē. Ergo neq; etiā eſſe ſpiritualem: ſed quod nō eſt ſpirituale non poteſt videre Deu. Ergo cōtra Scotū, multo minus intellectus creatus ſolo lumine naturali poteſt demonſtratiuè probare, poſſe videri Deum. Scotus.

22 Si pro Scoto dicatur, diſtinguendo antecedens, Non poteſt, &c. ſtante imperfectione ſtatus iſtius, conceditur antecedens. Sublata huius ſtatus imperfectione, negatur antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Nam Scotus. in. 4. loco citato clarè ſemetipſum explicat, dicens, quòd *per rationem naturalem poſſibilitas viſionis Dei, poteſt probari ſublata imperfectione ſtatus iſtius, quo ad cognitionem.* Vnde in q. 1. prologi, Quia locutus eſt iuxta huius ſtatus imperfectionem, dixit non poſſe demonſtratiuè probari. Scotus.

Contra hāc Scotiſtarū fugam, ſic argumētor Scotus.
23 primò. Quando Scotus contra noſtrum dictū argumētabatur, manebat in ſtatus iſtius imperfectione, Vel erat ab eo, ſtatus iſtius, imperfectio ſublata? Nō ſecūdū. Quia Scotus ipſe fatetur, ſe in hoc ſtatu eſſe, per illa verba, ſcilicet, *Poteſt probari ſublata imperfectione ſtatus iſtius.* Iam ſtatum in quo ipſe cum alijs incolabat demonſtrauit. Si Primum, Quomodo ergo, ipſe probare potuit? Sic enim contra Scotum argumentor.

Mi-

Digitized by Google

Poſsibilitas viſionis beatificæ probari poteſt ſublata imperfectione ſtatus iſtius, in iſtius ſtatus imperfectione probari non poteſt: SED IPSE TVNC ERAT IN IMPERFECTIONE STATVS ISTIVS. Ergo neque etiam ipſe probare poterat, & conſequenter non bene probauit.

Scotus. Auguſt. Quanta autem attentione, ac diligentia, Scotus in hoc puncto proceſſerit; obſerua cum Diuo Auguſtino .9. de Trinit. cap. 12. quòd *manifeſtum eſt poſſe fieri, ut ſit aliquid ſcibile, ideſt, quòd ſciri poſſit, & tamen neſciatur: Illud autem fieri non poſſe, ut ſciatur, quòd ſcibile non fuerit.* Et hoc eſt lumine naturali clariſſimum. Hoc tamen nō obſtante, Scotus ait, quòd poſsibilitas viſionis claræ Dei, manente ſtatus iſtius imperfectione, probari non poteſt; ſublata verò poteſt: & ipſe manens in imperfectione ſtatus iſtius, ad demonſtrandum pergit, Si demonſtrari non poteſt, manente ſtatus iſtius imperfectione, & Scotus in ſtatus iſtius imperfectione manebat; Quomodo probat, ſi fieri non poteſt, vt ſciatur, quod ſcibile non fuerit? Quomodo ergo ab hoc nodo, & modo loquendi contradictionem implicante, extricatur?

24 Argumentor ſecundò. Tunc aliquid in alio ſtatu cognoſcitur eſſe poſsibile, quando cognoſcendi impedimentum, mutato ſtatu, diſſoluitur: Quando autem impedimentum cognoſcibilitatis in omni ſtatu perſeuerat; ſublata ſtatus imperfectione, incognoſcibile remanet ſicut prius: ſed ſublata huius præſentis ſtatus imperfectione, reſpectu poſsibilitatis viſionis beatificæ eadem cognoſcoſcendi difficultas perſeuerat. Ergo neque etiam ſublata huius ſtatus imperfectione, poſsibilitas viſionis beatificæ ſolo lumine naturali poteſt demoſtratiuè probari. Maior patet. Probatur minor. Quia impedimentum, quare viſio clara Dei pro hoc ſtatu, demoſtratiuè probari nequit, aliud non eſt, niſi viſionis claræ Dei ſupernaturalitas, & intellectus creati naturalis cognoſcitiuitas: ſed ſublata huius ſtatus imperfectione, viſio clara Dei, de ſupernaturali, non fit naturalis; & intellectus creati natiua cognoſcendi virtus, non fit ſupernaturalis; ſed ſemper viſio eſt ſupernaturalis, & virtus naturalis cognoſcendi intellectus, ſemper eſt naturalis: Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur, & exploduntur Scotica argumenta.

25 Contra iſtam determinationem poſſet aliquis obijcere primò ex Scoto, hoc modo. *Omnis potentia habens obiectum primum, & adæquatum, poteſt per ſe in quodlibet contentum ſub illo obiecto: ſed primum obiectum intellectus humani eſt ens. Ergo & quodlibet in quo ſaluatur ratio entis eſt obiectum per ſe eius: ſed impoſſibile eſt quod quietetur in aliquo niſi in ſummo totius analogiæ immediate. Sicut nec viſus quietatur niſi in pulcherrimo viſibili: ſed hoc non poteſt eſſe in cognitione eius in vniuerſali. Quia cognitio vt in vniuerſali, non eſt illius vt in ſe. Ergo erit eius vt ſecundum ſe in particulari. Ergo erit vt ſic capax beatitudinis.*

Hæc ratio placet Vaſquez loco cit. num. 7. & 8. Carthuſianus autem in .4. diſt. 49. quæſt. 4. §. *Circa præhabita.* Ambas rationes, *pueriles nimis, & groſſas* appellat.

26 Argumentum hoc Scoti, Vel ſupponit fidem, Vel ſecluſa fide procedit. Si primum. Scotus benè probat intellectum creatum poſſe videre Deum; ſed nihil pro ſuo intento probat. Quia viſionis claræ Dei poſsibilitatem per rationem naturalem probare tenetur. Si ſecundum. de facili diluitur. Vnde in forma ad argumentum reſpondetur primò. concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed primum obiectum intellectus humani eſt ens, vt abſtractiuè, vel intuitiuè cognoſcibile, concedo minorem: Vt tantùm intuitiuè cognoſcibile, nego minorem. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

27 Ad illud autem quod ſubſumit, videlicet, ſed impoſsibile eſt quòd quietetur in aliquo, niſi in ſummo totius analogiæ immediatè; Meminiſſe debet, quòd hæc eſt ratio D. Thomæ; quam Scotus iam impugnauerat; & modo vt efficaciam ſuo conferat argumento, ad rationem D. Thomæ recurrit. De cuius tamen efficacia, atque intelligentia, ſupra aliqua diximus, & reliqua, poſt pauca dicemus.

28 Reſpondetur ſecundò. Concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: ſed primum obiectum intellectus humani, eſt ens modo ſibi proportionato, & poſsibili concedo minorem. Eſt ens modo ſibi impoſsibili, nego minorem. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Ergo & quodlibet in quo ſaluatur ratio entis, modo ſibi poſſibili, cōcedo cōſequentiam. In quo ſaluatur ratio entis modo ſibi impoſsibili, nego cōſequentiam: diceret enim philoſophus quòd poſſibilitas viſionis claræ Dei, eſt ens ipſi naturaliter incognoſcibile; & quòd Deus naturaliter cognoſcitur per effectus naturales; per quorum cognitionem videri non poteſt. Vnde in ſolo lumine naturali fundati. Dicēdum eſt, quòd Deus clarè viſus intra latitudinem obiecti intellectus creati non continetur. Non enim eſt ens modo conuenienti, ac poſſibili intellectui creato.

29 Vnde ſi Scoti argumentū omnino cōcluderet, probaret etiam quòd Deus comprehenſiuè cognoſci poſſet ab intellectu creato.

Digitized by Google

Nam Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis eſt ens,& continetur ſub ente ſecundùm quòd ens eſt quid commune ſecundùm prædicationem omni enti.

Si dicatur pro Scoto, quòd Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis eſt extra latitudinem intellectus finiti. Dicet Philoſophus, quòd Deus clarè viſus, etiam eſt extra latitudinem intellectus creati. Quia non poſſet aſſignari ratio conuincens quare detur cognitio intuitiua Dei,quæ ſit infra comprehenſiuã. Et eodem modo aliquis poſſet dicere, quòd intellectus creatus per ſua naturalia poteſt videre Deum, licet comprehendere non poſſet.

30 Obijcies ſecundò ex eodem Scoto, ex parte actus. *Quod eſt ſimpliciter perfectionis in aliquo genere,ſi competit inferiori in illo genere, competit & ſuperiori: ſed cognitio intuitiua competit ſenſui. Ergo multo magis intellectui. Ergo non tantùm ipſius quidditatis materialis, nec cauſæ ab ea,eſt tantùm cognitio beatifica.*

Hæc ratio eſt adeo efficax, vt quidam Scoti opinionem amplectentes, Scotum contradictionis arguant, illamq; tanquam *nullam* reſpuant. Ita Auguſtinus Nyphus 2.met. diſp. 3.cap. 4. & ſequitur Vaſquez p. 2. quæſt.5.ar.1.diſp.20.cap.2.num.5.

Aug. Ny. Vaſquez.

Peccat quoquè argumentum, In maiori; & In minori. In maiori quidem primò. quia ſi vera eſſet, omnis operatio potentiæ ſuperioris cognoſcitiuæ deberet eſſe intuitiua. Probatur quia omnis operatio potentiæ ſenſitiuæ exterioris eſt intuitiua. Ergo etiam omnis operatio potentiæ ſuperioris cognoſcitiuæ erit intuitiua. Probatur ex Scotico axiomate.Nimirum,Quod eſt perfectionis ſimpliciter in aliquo genere, &c. hoc autem eſt omnino falſum. Quia non omne obiectum cognitum à phantaſia, vel ab intellectu intuitiuè cognoſcitur.

31 Secundò. quia cognitio quam per fidem habemus de Deo eſt perfectior quàm cognitio ſcientifica quam habemus de rebus infimis, & tamen rerum infimarum cognitio eſt clara; cognitio autem Dei per fidem eſt obſcura.

Tertiò. Quia incorruptibilitas eſt perfectior corruptibilitate in genere corporis, & tamen competit inferiori, non autem ſuperiori.Nam cœlum eſt incorruptibile,homo verò corruptibilis. Perfectior autem eſt homo, cum ſit animatus quàm cœlum. Et quamuis Scotus ſuſtineat cęlum eſſe intrinſecę corruptibile, ab omnibus tamen communiter impugnatur.

32 Quartò. Quia Axioma Scoticum vt proportionem habeat; debet intelligi reſpectu eiuſdem obiecti. videlicet, illud obiectum quod intuitiuè cognoſcitur à potentia inferiori,poteſt quoque intuitiuè cognoſci à Superiori. Et tunc non aliud ſequeretur, niſi quòd ſenſibilia poſſunt intuitiuè ab intellectu noſtro cognoſci.

Peccat etiam in minori. Eo quia ratio intuitiuæ cognitionis in ſenſibus externis, non prouenit ex perfecta participatione cognitionis, ſed ex indigentia potentiæ cognoſcentis. Quia, nimirum, potentia ſenſitiua externa ad hoc vt aliquid cognoſcat, ab exiſtentia apparenter, vel realiter,obiectũ omnino dependet, quod eſt de imperfectione cognitionis intuitiuę ſenſus externi. ob defectum virtutis cognoſcitiuæ, non valentis niſi pręſentiã inſpicere obiecti,apprehẽdendo tantùm; non autẽ iudicando: cognitio autẽ intuitiua iudicatiua, eſt quæ perfectionẽ ſimpliciter dicit,ita quòd ſi vna ratio ab altera ſecernatur, pſtãtior erit cognitio iudicatiua, & abſtractiua: quàm intuitiua, & non iudicatiua. Vnde Ad Argumentum,

Reſpondetur Primò, Negando maiorem vniuerſaliter.

33 Reſpondetur Secundò, diſtinguendo maiorem. Quod eſt perfectionis ſimpliciter in aliquo genere ſi competit inferiori in illo genere, competit & ſuperiori, Reſpectu obiecti non excedentis capacitatem, concedo maiorem. Reſpectu obiecti excedentis capacitatem,nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia. Nam philoſophus diceret: cognoſcere Deum intuitiuè, excedere intellectus creati capacitatem;quod non debet in præſenti ſupponi, ſed probari.

Reſpondetur Tertiò, diſtinguendo maiorem, & in idem redit. Quod eſt perfectionis ſimpliciter in aliquo genere, ſi competit
34 inferiori in illo genere competit, & ſuperiori, Reſpectu illius obiecti ratione cuius in illo ſuperiori, non arguitur perfectio infinita, concedo maiorem. Si in illo ſuperiori arguitur perfectio infinita, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia: & ratio eſt, quia diceret Philoſophus,quòd cognitio intuitiua Dei, argueret in creatura perfectionem infinitam.Nec oppoſitum demonſtratiuè probatur, ſed fide creditur; & ſuppoſita fide demonſtratur.

Reſpondetur Quartò, Admiſſa maiori, diſtinguendo minorem: Sed cognitio intuitiua,
35 & non iudicatiua, conuenit ſenſui, concedo minorem. Sed cognitio intuitiua, & iudicatiua, conuenit ſenſui, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam.Nam perfectionis ſimpliciter eſt, cognitio intuitiua iudicatiua; non autem tantùm intuitiua.

36 Reſpondetur Quintò,Admiſſa maiori,& diſtinguendo minorem. Sed cognitio intuitiua corporea, competit ſenſui concedo minorem.Sed cognitio intuitiua ſpiritualis competit ſenſui, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam. Quia perfectior eſt

Digitized by Google

cognitio abſtractiua ſpiritualis; quàm cognitio intuitiua corporea.

37 Reſpondetur Sextò, diſtinguendo eamdem minorem: Sed cognitio intuitiua competit ſenſui; Propter virtutis cognoſcitiuæ deficientiam, nimirum, propter actualem dependentiam ab actuali obiecti externi, vera, vel apparenter, exiſtentia, Concedò minorem, Competit ſenſui propter potentiæ cognoſcitiuæ excellentiam, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Quia tunc quod competit inferiori competit etiam ſuperiori; quando inferiori conuenit ratione perfectionis, non verò quando conuenit ratione indigentiæ.

Tandem. Obſerua, quòd, cognitionem intuitiuam, dicere perfectionem: Dupliciter intelligi poteſt. Primò quoad rationem virtutis & efficacitatis, ſeu, luminis claritatem. Secundò quoad rationem attingentiæ actualis exiſtentiæ, Cognitio intuitiua, non ex ſecundo, ſed ex primo capite perfectionem habet. Nam Deus non habet cognitionem intuitiuam reſpectu poſſibilium: habet tamen cognitionem intuitiuam reſpectu exiſtentium; & non propterea perfectior eſt cognitio intuitiua Dei, reſpectu creaturarum exiſtentium, quàm eadem cognitio, reſpectu poſſibilium: ſecundùm quòd dicitur ſimplicis intelligentiæ. Vnde ad oſtendendam vtriuſquè æqualem luminis claritatem, dicitur. *Vocat ea quę non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt.* Rom. 4.

CAPVT QVARTVM.

Proponuntur duo argumenta Recupiti, & ſoluuntur.

38 OBijciet aliquis tertiò, pro ſententia Scoti ex Recupito, quæſt. 1. de veritate c. 5. num. 28. hoc modo. *Deus vt in ſe eſt, habet rationem veri. Ergo Deus ut in ſe eſt, reſpectu cuiuſcumquè intellectus, habet rationem intelligibilis. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Omne id quod eſt intra rationem formalem conſtitutiuam obiecti intelligibilis, reſpectu cuiuſcumquè intellectus, eſt intelligibile à quocumquè intellectu: ſed Deus vt habet rationem veri, eſt intra rationem formalem conſtitutiuam obiecti intelligibilis, reſpectu cuiuſcumquè intellectus. Ergo Deus ut in ſe eſt, intelligibilis eſt, à quocumquè intellectu. Maior patet. Quia hoc eſt eſſe intra obiectum potentiæ. Eſſe attingibile à potentia; ſiue naturaliter, ſiue ſaltem obedientialiter: Si enim nullo modo eſt attingibile à potentia planè eſt extra obiectum potentiæ. Minor probatur. Quia ratio ueri ut ſic, eſt conſtitutiuum formale obiecti intelligibilis ſpecificantis quodcumquè intellectiuum.* Recupit.

39 Reſpondetur, Concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: Sed Deus vt habet rationem veri, Abſtractiuè cognoſcibilis, eſt intra rationem formalem obiecti, &c. concedo minorem, ſed Deus vt habet rationem veri, Intuitiuè cognoſcibilis, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Ratio veri vt ſic, Abſtractiuè, vel Intuitiuè cognoſcibilis. eſt conſtitutiuum formale obiecti intelligibilis, &c. concedo antecedens. Ratio veri vt ſic, vt tantum intuitiuè cognoſcibilis, nego antecedens. quare, &c.

40 Si argumentum aliquid probaret, probaret etiam, quòd Deus poſſit comprehenſiuè cognoſci ab intellectu creato. Eodem enim tenore verborum, argumentum poſſet ſic formari. Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis, habet rationem veri. Ergo Deus vt comprehenſiuè cognoſcibilis, reſpectu cuiuſcunquè intellectus habet rationem intelligibilis; & ſic per totum argumentum diſcurrendo. Per eamdem diſtinctionem ad omnes confirmationes quas Recupitus affert, reſpondetur. Recupit.

41 Obijcies Quartò. ex eodem, num. 30. *Deus cognoſcitur naturaliter à noſtro intellectu abſtractiuè. Ergo ab eodem, ſaltem ſupernaturaliter, eſt cognoſcibilis intuitiuè: Antecedens patet experientia. Neque enim hæc ipſa quæſtio fieri poſſet. Vtrum Deus ſecundùm ſuam eſſentiam cognoſci poſſit intuitiuè, niſi ipſamet eius eſſentia, de qua id quæritur, cognoſceretur à nobis ſaltem confuſè, & abſtractiuè. Conſequentia in qua tota vis eſt, Probatur. Quia ſi Deus cognoſcitur à nobis abſtractiuè; iam eſt intra obiectum noſtri intellectus. Si enim eſſet extra; nullo modo cognoſci poſſet; neque abſtractiuè. Si eſt intra obiectum abſtractiuè, non repugnabit perfectiori modo attingi à noſtro intellectu, ſcilicet, Intuitiuè. Intuitio enim, & abſtractio, non conſtituunt obiecta, ſed ſunt modi attingendi obiectum.*

42 Confirmatur primò. *Quia hic modus tendendi in obiectum per intuitionem eſt perfectio ſimpliciter cuiuſcumquè potentiæ intellectiuæ, Nam ſicut imperfectio ſimpliciter illius, eſt cognoſcere obiectum vt non in ſe eſt: ita perfectio ſimpliciter eiuſdem eſt, cognoſcere obiectum vt in ſe eſt. Ergo Deus vt in ſe eſt, eſt intra obiectum perfectiuum talis potentiæ.*

Confirmatur ſecundò, *Quia poſito ſemel ente increato intra obiectum noſtri intellectus, modus cognoſcendi illud per abſtractionem, vel intuitionem, tenet ſe ex parte potentiæ, tali, vel tali modo in illud tendentis: ſed id quod eſt ex parte potentiæ non repugnat ſuppleri per confortationem, & eleuationem potentiæ, Ergo* ex

Digitized by Google

ex eo quòd de facto cognoſcamus Deum abſtractiuè; benè argui poteſt de poſſibili, quòd poſſit idem cognoſci à potentia eleuata, & confortata, intuitiuè. Hæc ille.

43 Recupitus, quod verum eſt, & à nobis conceditur, optimè probat; Id verò, de quo eſt controuerſia; quaſi ſupponit & vt verum aſſumit, vt ipſum legenti patet. Recupit.

Reſpondetur igitur ad argumentum, concedendo antecedens, & negando conſequentiam (loquimur ſecluſa fide). Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. *Si Deus cognoſcitur à nobis abſtractiuè; iam eſt intra obiectum*, Vt Abſtractiuè cognoſcibilis, concedo antecedens. Vt Intuitiuè cognoſcibilis; nego antecedens. Ad cuius probationem, Nego antecedens; nempè, *Si eſt intra obiectum abſtractiuè, non repugnabit perfectiori modo attingi à noſtro intellectu, ſcilicet, intuitiuè*. Ad cuius probationem, nego antecedens, quod non probat.

44 Ad primam confirmationem, Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Hic modus tendendi in obiectum per intuitionem, eſt perfectio ſimpliciter cuiuſcumquè potentiæ intellectiuæ, Reſpectu alicuius obiecti creati, concedo antecedens. Reſpectu obiecti increati, nego antecedens. Nam philoſophus dicet, intellectui creato non poſſe tantam ineſſe perfectionem.

Ad ſecundam confirmationem, Reſpondetur, quòd *poſito ſemel, &c. modus cognoſcendi illud ens increatum per abſtractionem, vel per intuitionem, tenet ſe, ex parte potentiæ*; & etiam obiecti; Deus enim intuitiuè cognoſcibilis, non eſſet intra latitudinem obiecti intellectus creati.

45 Hoc quoquè argumentum, ſub eadem forma, ſi aliquid valeret, probaret etiam, quòd Deus ab intellectu creato poteſt cõprehenſiuè cognoſci, hoc modo. Deus poteſt intuitiuè cognoſci. Ergo etiam comprehenſiuè. Probatur conſequentia. Quia ſi poteſt intuitiuè cognoſci, iam eſt intra obiectum formale, ac ſpecificatiuum intellectus creati. Ergo non implicat vt poſſit perfectius cognoſci per comprehenſionem: & eodem modo ambæ confirmationes inſtaurari poſſunt.

Quod ſi diceret; Diſparem eſſe rationem, de cognitione intuitiua, & comprehenſiua. Quia ad cognoſcendum Deum intuitiuè, ſufficit lumen finitum; Ad cognoſcendum verò Deum comprehenſiuè, requiritur lumen infinitum.

46 Philoſophus, primò diceret; hoc eſſe probandum. Quia ad cognoſcendum Deũ intuitiuè, requiritur etiam lumen infinitũ, & viſio infinita, licet huius oppoſitũ fides catholica doceat: Ratione verò naturali, Recupitus non probat, nec probare poteſt, ſed probandum aſſumit.

Secundò diceret philoſophus, quòd eodem prorſus modo diſcurrendum eſt, de cognitione abſtractiua reſpectu intuitiuæ, nẽpe; quòd ad cognoſcendum Deum abſtractiuè, ſufficit lumen finitum: Ad cognoſcendum verò Deum intuitiuè, nullum eſſe poſſibile lumen creatum, & finitum.

CAPVT QVINTVM.

Reliqua Argumenta diluuntur.

47 OBijciet autem aliquis contra noſtrum dictum quintò. Diuus Thomas hic, & alijs locis, Viſionis beatificæ poſſibilitatem, ratione probat. Ergo Ratione naturali poteſt viſionis beatificæ poſſibilitas demonſtrari.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens D. Thomas, &c. Ratione probabili, & ſuaſiua probat, concedo. Ratione demonſtratiua, nego. Et hoc ſi rationes Diui Thomę ſecluſa fide procedant. Si autem ſuppoſita fide, Rationes eius poſſunt eſſe Theologicæ demonſtrationes.

Contra, Diuus Thomas in lib. cont. Gentiles probat Deum poſſe videri ab intellectu creato. Ergo rationibus naturalibus, & conuincentibus. Probatur conſequentia. Quia Rationibus ſuaſibilibus contra Gentiles argumentari non licet. D. Tomas

48 Reſpondetur quòd D. Thomas in lib. contra gent. non ſemper Gentilibus argumenta tanquàm ab ipſis ſoluenda proponit. Etenim Aliquando affert rationes ad conuincendum aduerſarios. Aliquando ad inſtruendum catholicos. Quando Primo modo argumentatur, rationes ſunt veritatem demonſtrantes; Quando ſecundo modo, non operepretium eſt, rationes adducere euidentes. Sic eſt in caſu noſtro. hoc quòd dico eſt Diui Thomæ .1. contra gent. cap. 8. & 9. cap. enim 9. hæc habet verba.

Ad huiuſmodi autem veritatem manifeſtandam, ſunt adhibendæ aliquæ rationes veriſimiles ad exercitium quidem, & Solatium fidelium; non autem ad aduerſarios conuincendos. Quia ipſa rationum inſufficientia, eos magis in ſuo errore confirmaret; Dum æſtimarent, nos propter tam debiles rationes, veritati fidei conſentire; Et cap. 8. præcedenti aurea hæc verba præmiſerat. *Humana igitur ratio ad cognoſcendum fidei veritatem, quæ ſolùm videntib⁹ diuinam ſubſtantiam poteſt eſſe notiſſima; ità ſe habet, quòd ad eam poteſt aliquis, veras ſimilitudines colligere: quæ tamen non ſufficiunt, ad hoc quòd prædicta veritas quaſi demonſtratiuè, vel per ſe intellecta comprehendatur. Vtile tamen eſt*, Nota. *Vt in huiuſmodi rationibus, quantumcumquè debilibus, ſe mens humana exerceat. Dummodo deſit comprehendendi, vel*

Digitized by Google

Vel demonſtrandi præſumptio. *Quia de rebus altiſſimis, etiam parua, & debili conſideratione, aliquid poſſe inſpicere, iucundiſſimum eſt*. Hæc ille.

Dices, Supra dictum eſt, quòd impoſſibile eſt Velleitatem excitatam, & non impeditam, eſſe de re impoſſibili. Ergo ratio D. Thomæ in naturali appetitu inefficaci fundata, eſt demonſtratio.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Dictum eſt quòd impoſſibile eſt Velleitatem excitatam, & non impeditam, eſſe de re impoſſibili, Per vehementem ſuſpicionem, magnam ſuaſionem, & probabilem opinionem, concedo. Per euidentem demonſtrationem, nego. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia non eſt euidens, quòd Velleitas excitata non poteſt eſſe de re impoſſibili, ſed hoc à Philoſophis, ac Theologis ſuſtinetur, per quamdam vehementem ſuſpicionem, magnam ſuaſionem, ac probabilem opinionem; vt dictum eſt.

50 Obijcies Sextò, deſtruendo præcipuum noſtræ concluſionis fundamentum, hoc modo. Si ratione naturali viſionis claræ Dei poſſibilitas, demonſtrari nequit, Ideo eſt, quia viſio clara Dei eſt ſupernaturalis: ſed ratio iſta nulla eſt. Ergo. Sequela patet. Probatur minor. Primò. Quia intellectus noſter lumine naturali euidenter cognoſcit Dei ſupernaturalitatem, quæ eſt omnium maximè ſupernaturalis. Ergo non repugnat ratione ſupernaturalitatis. Antecedens probatur: Intellectus creatus lumine naturali cognoſcit Deum eſſe ens à ſe, actum purum, illimitatum, & ſupra quamcumquè entitatem creatam, & creabilem: ſed hoc eſt eſſe ſupernaturale. Ergo intellectus creatus lumine naturali cognoſcit Dei ſupernaturalitatem.

51 Secundò. Non datur, nec dabilis eſt viſio perfectior, ac ſupernaturalior viſione, qua Deus ſe ipſum perfectiſſimè videt: ſed intellectus creatus lumine naturali cognoſcit viſionem increatam Dei, Deum, ſcilicet, ſe ipſum cognoſcere. Ergo poteſt quoquè cognoſcere poſsibilitatem viſionis creatæ. Maior, & minor patent; & conſequentia eſt euidens.

52 Reſpondetur. Concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo antecedens. Intellectus creatus lumine naturali cognoſcit ſupernaturalitatem Dei, Mediante eiuſdem Dei effectu naturali, concedò. Non mediante effectu naturali, nego antecedẽs. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt. Quia ſupernaturalitas Dei habet effectum naturalem, qui eſt lumini naturali proportionatus; At verò viſio clara Dei reſpectu intellectus creati nullum habet effectum naturalem, ratione cuius intellectus creatus efficaciter poſsit ad eius cognitionem peruenire. Quare &c.

53 Ad ſecundam probationem. Concedo maiorem, & diſtinguo minorem, ſed intellectus creatus lumine naturali cognoſcit viſionem Dei increatam, ſuppoſita Dei cognitione per effectus naturales, concedo minorem. Non ſuppoſita Dei cognitione per effectus naturales, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. In tantùm enim intellectus creatus per lumen naturale cognoſcit viſionem increatam Dei, in quantùm Deum eſſe per effectus naturales, intelligentem eſſe cognoſcit.

Contra. Maior eſt ſupernaturalitas Dei quàm ſupernaturalitas creata. Ergo ſi proprijs naturæ viribus intellectus creatus ſupernaturalitatem Dei, poteſt demonſtratiuè cognoſcere, ſupernaturalitatem quoquè viſionis claræ Dei creatæ, facilius cognoſcere poſſet.

54 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Maior ſed facilior; eſt cognitu, ſupernaturalitas Dei, quàm ſupernaturalitas creata, concedo antecedens. Maior ſed difficilior cognitu, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt. Quia licet Deus ſit ſubſtantia maximè ſupernaturalis, producit tamen effectus naturales, per quos eius ſupernaturalitatem cognoſcere poſſumus.

55 Vnde, Retorqueo argumentum. Maior eſt ſpiritualitas Dei quàm ſpiritualitas Angeli: ſed non de facili Angeli ſpiritualitatem poſſumus demonſtratiuè probare. Ergo multo minus poſſumus per rationem oſtendere Deum eſſe ſpiritualem. Similiter. Magis perfecta eſt exiſtentia Dei, quàm exiſtentia Angeli: ſed ſecluſa fide non poſſumus demonſtratiuè probare dari Angelos. Ergo nequè etiam poſſumus ſecluſa fide lumine naturali, Dei exiſtentiam, oſtendere. qui tamen, argumentandi modus, vitioſus eſt. eo quia permiſcuè aſſumit, & confudit; Maius, ſeu, perfectius, ac difficilius. quod eſt falſum. Aliud enim eſt dicere, Maior eſt ſupernaturalitas Dei, quàm ſupernaturalitas creata: & Aliud eſt dicere, Difficilior eſt cognitu ſupernaturalitas Dei, quàm ſupernaturalitas creata. Primum eſt verum. Secundum omnino falſum. eo quia ſupernaturalitas Dei, effectus producit naturales. Cum ſit prima omnium effectuũ naturalium cauſa. ſupernaturalitas verò creata, hoc non habet. Quare patet diſparitas, & reſponſio.

56 Quòd ſi inſurgas. Supernaturale, vt ſupernaturale. Ideo dicitur quia vires ſuperat naturales. Quia, videlicet, cum ſit effectus ſupernaturalis, non poteſt produci à cauſa naturali. Ergo lumine naturali, nequaquàm cognoſci poteſt ſupernaturalitas Dei

Nulla itaquè creatura Deum videt, non materialis tantùm; ſed etiam immaterialis; ſi quidem ipſis quoquè immaterialibus Virtutibus inuiſibilis eſt Deus, in ſua natura; licet prout ſibi conceditur, Deum uideant. hæc ille. Vbi illa obſeruentur verba, nempè, *Prout ſibi conceditur; Deum uident.* quæ idem ſonant ac verba Chryſoſtomi, nempè, *per condeſcenſum, & indulgentiam.* & ſenſus eſt, quòd non videt creatura Deum, quantùm viſibilis eſt; ſed quantùm illi conceditur: iuxta ſcilicet, luminis creati quantitatem. Et ſuper Matt. 5. *Anima*, inquit, *puram ſuſcipere uiſionem quæ Deum attingit.*

Theoph. 37 Theophylactus ibidem, ſuper idem caput, eodem modo explicandus eſt, videlicet, de cognitione comprehenſiua; Nam ibidem *docet, nullam creaturam uidiſſe ipſam Dei ſubſtantiam, ſed ſimilitudinem, & apparentiam quamdam; ſicut capere poterat. Quia neque Angeli uident Dei ſubſtantiam, quamuis dicantur uidere faciem eius.* Vbi apertè duo docet. Vnum, quòd Angeli vident faciem Dei; & faciem Dei omnino reuelatam, vt ait, ſuper illud 1. ad Corin. 13. Et ecce cognitio intuitiua; Alterum verò, quòd non vident Dei ſubſtantiam, ſed ſimilitudinem, & apparentiam quamdam; ſicut capere poterant. id eſt, non ſicut viſibilis eſt infinitè: ſed finitè. Quia ſic capere poterat. Et ſup. Matt. cap. 18. dicit, *Angelos videre per omnia Dei faciem.* Ecce quomodò ſententiam catholicam expreſsè fatetur. (1. Cor. 13. — Matt. 18.)

Theodor. 38 Theodoretus; Interpretandus eſt, de cognitione comprehenſiua. Loquebatur enim in odium, ac deteſtationem opinionis Anomæorum. Nec valet Vaſquez exageratio. Quoniam per ly, *nec percipi poſſe, nec videri.* ſemper intelligit viſionem comprehenſiuam; & cum ſubdit. *quòd poſtquam Deus homo factus eſt: viſus eſt etiam ab Angelis.* Debet interpretari hoc modo. Quòd Deus in ſe; ſeu Chriſtus vt Deus, incomprehenſibilis eſt, ratione verò humanæ naturæ aſſumptæ, ab Angelis comprehenſus eſt. (Vaſquez.)

Theodor. Quòd ſi quis dixerit; Theodoretum ſuſtinuiſſe Angelos eſſe corporeos, explicandus eſt de cognitione, ſeu viſione corporea, quo ad cognitionem intuitiuam: & de viſione comprehenſiua; loquendo quo ad cognitionem intellectiuam.

39 Sanctus Hieronymus; loquitur manifeſtè de cognitione comprehenſiua. de cognitione verò tantùm intuitiua, Chriſtianæ fidei dogma apertè fatetur, & eius verba paulo antea prætulimus.

Iſidorus. Iſidorus, loquitur de cognitione comprehenſiua; non quia ſic volunt Scholaſtici, verba patrum in ſenſum Scholaſticorum pertrahere; ſed quia verba Iſidori id manifeſtè declarant; videre enim eius eſſentiam plenè, ſolius eſt Dei.

Difficilè tamen videtur; quod contra hanc reſponſionem Vaſquez induxit. Quia, ſcilicet, Iſidorus, poſt verba relata, ſic ſubiungit. *Sola enim ſibi, integrè nota eſt Trinitas; & humanitati ſuſcepta, quæ Tertia eſt in Trinitate perſona.* (Vaſquez.)

40 Cui obiectioni, Recupitus lib. 6. de verit. quæſt. 1. cap. 6. num. 36. Reſpondens, ſic ait. Vel æſtimandus eſt Iſidorus, tribuiſſe Chriſto viſionem Dei comprehenſiuam: Vel explicandus per communicationem Idiomatum, vt explicat Sanctus Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 1. quare ſubdit. *quæ Tertia eſt in Trinitate perſona.* Vel denique emendandus eſt Codex; & legendus; iuxta id, quod idem dicit in lib. 1. ſent. cap. 3. vbi repetens eadem planè verba, dicit. *ſibi ſoli integrè nota eſt Trinitas; & humanitas Chriſti ſuſcepta.* Facit autem hunc ſenſum, quòd neque Trinitas comprehendi poteſt, neq; Chriſti humanitas ſecundùm dignitatem quam habet vt diuinati vnita. (Recupit. — Iſidorus. — S. Antoni.)

Prima explicatio, non eſt admittenda. Non enim, vt ab vno Iſidorum ſaluemus errore; de alio accuſare debemus. & præcipuè quando verè & piè explicari poteſt.

Secunda explicatio, quæ eſt Sancti Antonini, bona eſt, & mihi placet. Nec videtur à littera aliena; nam in tantùm humanitati aſſumptæ Iſidorus comprehenſiuam Deitatis attribuit cognitionem; in quantùm eſt tertia in Deitate perſona, id eſt, in quantùm eſt vna ex tribus perſonis. Sic enim intelligi debet, ly, eſt Tertia Trinitatis perſona. iuxta quem ſenſum; etiam Pater Æternus: poteſt dici Tertia in Trinitate perſona. Sic communiter, quantùm ad hanc particulam, Iſidorum Theologi explicant. Ergo loquitur de humanitate ratione ſuppoſiti diuini: & voluit per hunc loquendi modum, Chriſti diuinitatem commendare. (Antonin. — Iſidorus.)

42 Tertia explicatio; placere non poteſt. Quia, vt eruditè aduertit Doctiſſimus Aluarez 3. p. quæſt. 10. ar. 1. vbi ſic ait *Reſpondetur in cap. illo 3. allegato non habentur prædicta verba: ſed hæc (Trinitas ſibi ſoli, integrè nota eſt; & humanitas à Chriſto ſuſcepta) vt patet ex nouiſſima editione, quæ apud nos extat; & ſenſus eſt. Solum Deum comprehendere myſterium Trinitatis, & myſterium Incarnationis. ſeu, Verbum diuinum, in duabus naturis ſubſiſtens. Quod veriſſimum eſt. Reperiuntur tamen, formaliter illa verba, in eodem Iſidoro, cap. 42. (& eſt locus adductus à Vaſquez) in Exodo. & vt difficultatem effugiant quidam exiſtimant, textum eſſe vitiatū. Sed hoc non poteſt dici. Quoniam Scholiaſtes Iſidori, affirmat, non eſſe dubitandum de veritate prædictæ lectionis. Cum in octo codicibus manuſcriptis habeatur.* hæc Aluarez, & optimè. (A'uarez.)

Et inſuper, poteſt Iſidorus, in bonum ſenſum

43 duci; & Diuus Thomas, illum ſupra dictū (D. Thom.)

Digitized by Google

locum pluries adduxit; & optimè explicauit. quare nulla neceſſitate codex falſitatis arguitur.

D.Thom. Iſidorus. Reſpondetur itaquè, explicando Iſidorum cum Sancto Thoma .3. p. quæſt.10.ar.1. ad 1. vbi hæc habet verba explicans Iſidorum. *Ad primum ergo dicendum, quòd homo aſſumptus conformatur diuinæ Trinitati in ſui cognitione, non ratione comprehenſionis; ſed ratione cuiuſdam excellentiſſimæ cognitionis præ cæteris creaturis.* Hæc ille. Itaquè paritas conſiſtit in hoc; quòd diuina ſubſtantia à ſolo Deo comprehenſiuè cognoſcitur; & à ſola humanitate Chriſti Domini in quadam maxima excellentia.

44 Sanctus Ambroſius, exponitur de cognitione comprehenſiua, & falſum omnino eſt, locum Ambroſij retuliſſe Auguſtinum, & nihil de illo dixiſſe. Namquè illum locum Auguſtinus adduxit; & pro catholica ſententia explicauit; Nec aliquid aliud addidit, ſupra eius intelligentiam. Quia de mente Ambroſij, qui eum ad fidem Catholicam traxit, nullatenus dubitauit. Ambroſ. Auguſt.

Baſilius. Sanctus Baſilius communiter de cognitione comprehenſiua exponitur. Vnde loco à Vaſquez citato ſubiungit, *Ego verò, arbitror, non homines ſolum, ſed omnem etiam rationalem naturam; ipſius comprehenſionem excedere. Rationalem autem nunc creatam dico. Nam ſoli filio notus eſt Pater; & Spiritui Sancto; nemo enim nouit Patrem, niſi Filius: & Spiritus Sanctus omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei. quid igitur eximium cognitione unigeniti aut Sancti Spiritus relinquent, ſiquidem ipſi eſſentiæ ipſius comprehenſionem habent.* hæc ille. Notentur hæc vltima verba, nempè, quid igitur eximium, &c. Nam ſi creaturæ tribuitur, ſeu, conceditur cognitio tantùm intuitiua, non verò comprehenſiua, remanet aliquid maximè eximium Vnigenito, ac Spiritui Sancto tantummodo attribuendum, nempè, cognitio Dei, non tantùm intuitiua, ſed comprehenſiua.

Epiphan. 45 Sanctus Epiphanius etiam explicatur de cognitione comprehenſiua, ſic enim ait, in loco à Vaſquez adducto. *Impoſſibile eſt uidere Deum, humanam naturam; & non datur, ut uiſibile, uideat inuiſibile.* Viſione ſcilicet, comprehenſiua. Vnde ibidem vocat Deum inuiſibilem, & incomprehenſibilem; quare paulo poſt, catholicam declarat ſententiam. his verbis. *At inuiſibilis Deus, benignitate ſua, ac potentia, potens facit, quod impotens erat; & dignatus eſt, ſua potentia, ut inuiſibile uideret.* hæc ille.

Reſpondetur ſecundò. Explicando Epiphanium de cognitione intuitiua Dei; per vires naturæ. Si quando verò, dicit, Deum eſſe inuiſibilem, etiam à Beatis; tunc interpretandus eſt, de cognitione comprehenſiua.

Cirillus Alexand. 46 Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem. cap. 22. à Vaſquez citato. & pro ſe adducto, ſic ait. *Soli conſubſtantiali filio Pater uiſibilis eſt, & nulli præter eum alij: Viſionem autem, in his Deo conuenientem; ſemper intelligas.* hæc ille. Vi quorum verborum, Cyrillus explicandus eſt, de cognitione comprehenſiua. vt patet per illa vltima verba; *Viſionem in his Deo conuenientem ſemper intelligas.*

Cyrillus Ieroſolymitanus Chatecheſi .6. à Vaſquez adductus. hæc habet verba. *Vident ſanè Angeli; ſed non ita ut eſt, ſed ſecundùm quòd eſt, & ipſi capiunt. Ipſe enim Ieſus dicit, quòd Patrem nemo uidit, niſi qui eſt de cælo; hic uidit Patrem. uident Angeli, ita ut capiunt, & Archangeli, ita ut poſſunt. Throni uerò, & dominationes, plus quidem, quã illi; ſed minus, tamen, quàm pro Dei benignitate. Solus autem Spiritus Sanctus ita ut oportet uidet. Ille enim ſcrutatur omnia etiam profunda Dei. Et Vnigenitus Dei filius, ita ut oportet etiam cognoſcit. Nequè enim Patrem quiſquàm cognoſcit, niſi Filius; & cui his reuelauerit. Videt quantum oportet, & enarrat per Spiritum, ſecundùm quòd unuſquiſquè capit Deum.* hæc ille. Hæc Authoritas, manifeſtè excludit ab Angelis comprehenſiuam Dei, non verò tantùm intuitiuam cognitionem. & explicanda eſt, eo modo quo Chryſoſtomi Authoritatem explicauimus; per condeſcenſum, & indulgentiam. Nam etiam inter Beatos, datur maior, & minor condeſcenſus; quandoquidem minus Beati, per condeſcenſum à cognitione magis Beati; & hoc idem Chriſtus Dominus explicauit; cum dixit, *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Ieroſol

Nyſſenus in loco allegato ſemetipſum apertè declarat; quòd concedit illam promiſſionem, in illis verbis Matt. 5. Nyſſenus Matt. 5.
Deum videbunt. *Beati, ſcilicet, mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* per hoc quòd, idem ſit, videre Deum, & habere Deum. Illi enim verè habent Deum, qui eum poſſident; & illi verè poſsident; qui immediatè vident. Qui vult Sanctos Patres rectè intelligere debet erga eos deuotionem pietatemquè ſeruare. Vnde benè Auguſtinus tract. 8. in Ioannem, inquit, *Sit primò pietas in credente, & erit fructus in intelligente.*

DISPV-

DISPVTATIO XIII.

VTRVM AD VIDENDVM DEVM INTVITIVè, requiratur viſio infinita.

In duo Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur titulus, & veritas ſtabilitur.

1 Aliud eſt quærere, Vtrum intellectus creatus poſſit videre Deum per eſſentiam viſione infinita; & Aliud, Vtrum ad videndum Deum per eſſentiam, ſeu, intuitiuè ſit infinita viſio neceſſaria. Quemadmodum, aliud eſt diſputare, de poſſibilitate rei, & aliud de neceſſitate. Primum difficultatis punctum, ſpecialiter diſputabitur infra; Secundum in præſenti diſquirimus. Pertinet enim præſens diſputatio ad principalis quæſiti deciſionem, videlicet, Vtrum Deus clarè viſus contineatur intra latitudinem obiecti intellectus creati, ſeu, Vtrum Deus ab intellectu creato poſſit videri per eſſentiam. Etenim Hæretici negantes intellectum creatum poſſe videre Deum intuitiuè, vltra Sacræ Scripturæ Authoritates, quibus ſuam amentiam obũbrare conati ſunt, etiam rationes ducebãt, & principalior eſt hæc. Quia, nimirum, Ad videndum obiectum infinitum, requiritur cognitio infinita.

Pro determinatione ergo veritatis; Dico
2 breuiter. Ad cognoſcendum Deum intuitiuè, non requiritur viſio infinita.

Hoc dictũ exiſtimo eſſe de fide; vel ſi nõ eſt expreſsè de fide certũ, ad minus eſſe erroneũ, & valde temerariũ oppoſitũ aſſerere. Nã in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 22. damnatur quidam Libellus, ab Auguſtino de Roma Archiepiſcopo Nazareno editus, plures includens errores, inter quos vnus erat iſte, videlicet, *Anima Christi uidet Deum tam clarè, & intensè, quantùm clarè, & intensè Deus videt ſeipſum.* Et quamuis Concilium Baſilienſe nullius ſit roboris, vel momenti, tamen, quantùm ad hoc, fuit à Martino V. approbatum.

Baſilienſ. Auguſ. de Roma.

Martin. V.

Et in Concilio Florentino, de Purgatorio, determinatur quòd animæ purgatæ in cœlum mox recipiuntur, & intuentur clarè ipſum Deum Trinum, & Vnum ſicuti eſt: *Meritorum tamen diuerſitate vnum hominem, alio perfectiùs.* Quòd ſi viſione infinita ab intellectu creato videretur Deus; Et Christus Dominus tàm intensè diuinam intueretur eſſentiam, quantùm clarè, & intensè Deus ſe ipſum videt. Nec non, Vnus Beatus, pro meritorum diuerſitate perfectius diuinã eſſentiã non videret; quod eſt contra fidem. Quo poſito hac ratione

Florent.

3 probatur. Ad cognoſcẽdum Deum cognitione infra comprehenſiuam, non requiritur cognitio ſimpliciter infinita. Ergo cognitio, qua Deus videtur à Beatis, non eſt neceſſe, vt ſit infinita. Probatur antecedẽs, Quia cognitio infinita non eſt infra, ſed eſt eſſentialiter comprehenſiua. Probatur autem conſequentia. Quia Beati videntes Deum intuitiuè, illum non comprehendunt, ſed eum cognoſcunt cognitione infra comprehenſiuam. Hæc ratio ſuppoſita fide efficaciſſima eſt.

CAPVT SECVNDVM.

Argumenta in contrarium diluuntur.

Sed contra iſtam determinationem, Obijciet aliquis Primò. Deus eſt infinitus.
4 Ergo cognitio, qua videtur Deus, debet eſſe infinita. Probatur conſequentia, quia quo perfectius eſt obiectum, eo perfectior debet eſſe cognitio: ſed obiectum eſt ſimpliciter infinitum. Ergo cognitio debet eſſe ſimpliciter infinita.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem declaro maiorem hoc modo. Quò perfectius eſt obiectum, eò perfectior eſt cognitio. Vel eſt arguentis ſermo, de

Digitized by Google

cognitione adæquata; Vel, de inadæquata. Et quidem ſi ſermo ſit de cognitione adæquata; concedimus totum; ſed non ſumus in caſu, quia nos aſſerimus ad videndum Deum intuitiuè, & inadæquatè non eſſe neceſſariam cognitionem infinitam: Ad cognoſcendum verò Deum comprehenſiuè, & adæquatè, eſſe neceſſariam cognitionem infinitam.

Si verò ſermo ſit, de cognitione tantùm intuitiua, & inadæquata, de qua eſt præſens di-
5 ſputatio; Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Quò perfectius eſt obiectum, eò perfectior eſt cognitio, comparatiuè ad alias cognitiones reſpectu obiecti imperfectioris, concedo maiorem. Simpliciter nego minorem. Tunc conceſſa minori, Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

Contra, obiectum non ſolùm comparatiuè, ſed etiam ſimpliciter, in caſu noſtro, eſt infinitum. Eſt enim Deus. Ergo etiam cognitio, ſimpliciter eſt infinita, & non ſolùm comparatiuè. Probatur conſequentia. Quia ſicut creſcit obiectum ſupra obiectum, ſic cognitio ſupra cognitionem.

6 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Sicut creſcit obiectum ſupra obiectum, ita cognitio adæquata ſupra cognitionem, concedo. Ita cognitio inadæquata; Adhuc diſtinguo. Comparatiuè, & proportionaliter, concedo. Simpliciter, abſolutè, & æqualiter, nego.

Pro cuius reſponſionis, & doctrinæ intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd Aliter fit tranſitus ab obiecto creato, ad increatum; & Aliter fit tranſitus, à cognitione finita ad infinitam. Nam ipſo facto quòd fit tranſitus ab obiecto finito, ita ut atquè obiectum ſequens, dicitur infinitum; Ad hoc autem vt cognitio dicatur ſimpliciter infinita, non ſufficit vt ab obiecto finito, ad infinitum pergat. Cuius ratio eſt. Quia obiectum infinitum conſiſtit in indiuiſibili, & conſequenter eſt in ſe ſimpliciter infinitum: Cognitio verò obiecti ſimpliciter infiniti, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed quædam eſt adæquata, & quædam inadæquata: & conſequenter cognitio non dicitur infinita, quia eſt ſupra cognitionem, cuiuſcumquè obiecti creati, & finiti; Dicitur autem infinita, quia eſt reſpectu obiecti ſimpliciter infiniti, & infinitè illud attingit. Vnde cognitio clara, & quidditatiua non tamen comprehenſiua obiecti ſimpliciter infiniti, eſt quidem infinita comparatiuè, id eſt, in ordine ad cognitiones aliorum obiectorum, non autem eſt ſimpliciter infinita Quia Ad hoc vt ſit ſimpliciter infinita, neceſſariò requiritur, & quòd ſit ſupra aliorum obiectorum cognitiones, & quòd ſit obiecto infinito commenſurata.

7 Itaquè tranſitus de obiecto ad obiectum, & de cognitione, ad cognitionem, ſic debet attendi, nimirum, Ab obiecto finito, ad infinitum, A cognitione finita, ad infinitam, & non A cognitione obiecti finiti, ad cognitionem obiecti infiniti. Etenim non ſolùm cognitio obiecti finiti eſt finita; Verum etiam cognitio obiecti infiniti, dummodo ſit inadæquata.

Ex quo patet nullam eſſe calculationem illam, quæ contra præſens dictum inſtaurari ſolet, Videlicet, ad cognoſcendum obiectum perfectum vt vnum, requiritur cognitio perfecta vt vnum; Et ad cognoſcendum obiectum perfectum vt duo, requiritur cognitio perfecta vt duo, & ſic de ſingulis. Ergo ad cognoſcendum obiectum ſimpliciter infinitum requiritur cognitio
8 ſimpliciter infinita. Non inquam valet, ſi ſermo ſit de cognitione inadæquata obiecti infiniti, ſed ſufficit vt cognitio obiecti infiniti, in infinitum excedat cognitionem cuiuſcumquè obiecti finiti, Ratione ordinis; id eſt, data cognitione quidditatiua obiecti infiniti, inter cognitiones obiectorum finitorum, & cognitionem inadæquatam obiecti infiniti, eſt infinitus exceſſus, quantùm ad hoc, quòd quantumcumquè in infinitum creſcat obiecti creati cognitio, nunquam ad obiecti infiniti cognitionem, quo ad perfectionem valebit attingere.

9 Obijcies ſecundò. Cognitio clara Dei in infinitum excedit omnes alias cognitiones. Ergo eſt in ſe ſimpliciter infinita. antecedens eſt iam conceſſum. Probatur autem conſequentia. Quia ideo Deus eſt ſimpliciter infinitus, quia in infinitum excedit omnes creaturas. Ergo ſimiliter, quia cognitio clara Dei in infinitum excedit omnes alias cognitiones, erit ſimpliciter infinita.

10 Confirmatur Primò, Viſio qua Beati Deum vident, excedit infinitas cognitiones. Ergo eſt ſimpliciter infinita in ratione cognitionis. Antecedens probatur, quia infinitæ ſunt hominum, & Angelorum cognitiones. Cum homines, & Angeli infiniti, ſint poſſibiles: ſed viſio clara Dei, quibuſcumquè cognitionibus extra Deum poſitis, ſemper eis excellentior inuenitur. Ergo. Probatur autem conſequentia. Quia quod eſt ſupra infinitas cognitiones eſt ſimpliciter infinitũ in ratione cognitionis.

Confirmatur Secundò. Sicut quantitas, Verbi Gratia, quæ in infinitum omnes quantitates excedit, eſt ſimpliciter infinita in ratione quantitatis, ita cognitio quæ in infinitum excedit omnes cognitiones eſt ſimpliciter infinita in ratione cognitionis: ſed viſio qua Beati Deum vident in infinitum omnes alias cognitiones excedit. Ergo in ratione cognitionis debet eſſe ſimpliciter infinita.

Re-

Digitized by Google

11 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, Cognitio clara Dei in infinitum excedit omnes alias cognitiones, Ratione ordinis, concedo antecedens. In infinitum ſimpliciter; nego. Ergo, &c. nego conſequentiam. Etenim Viſio clara Dei, in tantùm in infinitum omnes alias cognitiones extra Deū excedit, in quantùm cognitiones infra Deum, quantumcumque in infinitum, quo ad perfectionem creſcant, nunquam poterunt ad perfectionem Viſionis claræ Dei peruenire. Cæterum in ſe non dicit perfectionem ſimpliciter infinitam. Tum quia eſt inadęquata. Tum quia non excedit in infinitum omnes cognitiones, Eo modo quo, Deus excedit omnes creaturas; ſed eſt ſupra omnes cognitiones infra Deum: Reſpectu verò Dei, poſſunt dari infinitæ viſiones, quarum vna ſemper ſit alia perfectior, & per idem patet ad confirmationes. Non enim Viſio clara, qua Beati Deum vident, excedit omnes cognitiones, ſed tales, nempè infra Deum.

12 Dices. Per nos inter viſiones Dei poteſt dari viſio perfectior, & perfectior in infinitum. Ergo deueniendum eſt ad aliquam viſionem ſimpliciter infinitam.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Imo oppoſitum deduco hoc modo, Datur proceſſus in infinitum inter viſiones Dei. Ergo non poteſt dari, ſeu, non poteſt in cognitionem ſimpliciter infinitum perueniri. Quia ſic non eſſet proceſſus in infinitum, ſed potius acceſſus ad infinitam. Aliud argumentum remanet diſſoluendum, petens quare oculus corporeus non poteſt videre Angelum, & intellectus creatus poteſt videre Deum, quod diſputatione ſequenti complebimus.

DISPVTATIO XIV.

QVARE OCVLVS CORPOREVS NON POTEST eleuari ad videndum Angelum, & intellectus creatus poteſt eleuari ad videndum Deum?

Per Vnicum Caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio Veritatis, ac dubij in contrarium reſolutio.

1 SVpponimus oculum corporeum non poſſe ad videndum Angelum qui eſt Spiritus creatus eleuari, vt infra art. tertio demonſtrabimus. Quo poſito eſt commune, ac difficilè contra Catholicam veritatem argumentum à fortiori depromptum, vt in huius diſputationis fine videbimus; & propterea præſentem formauimus diſputationem. Vnde pro determinatione veritatis,

Dico breuiter. Oculus corporeus non poteſt eleuari ad videndum Angelum; poteſt tamen intellectus creatus eleuari ad videndum Deum.

Probatur. Angelus non habet id quod requiritur ad rationem formalem obiecti potentiæ ſenſitiuæ; Deus verò habet id quod requiritur ad rationem formalem obiecti intellectus creati. Ergo oculus corporeus, non poteſt eleuari ad videndum Angelum; poteſt tamen intellectus creatus eleuari ad videndum Deum. Conſequentia eſt euidens; probatur autem antecedens. Quia Angelus non habet ſenſibilitatem cum ſit ſubſtantia ſpiritualis; Deus verò habet intelligibilitatem cum ſit omnino ſpiritualis. Ergo. patet conſequentia. Quia ad rationem formalem obiecti potentiæ viſiuæ, & cuiuſcumquè potentiæ ſenſitiuæ requiritur ſenſibilitas; Ad rationem autem formalem obiecti intellectus creati requiritur, & ſufficit immaterialitas. Et quamuis immaterialitas Dei ſit infinita, tamen, poteſt finitè à finito intellectu cognoſci ſecundùm extrinſecam eius intelligibilitatem, pro vt explicauimus ſupra. Quare, &c.

2 Sed contra illam determinationem obijciet aliquis, Argumento iam inſinuato, & communi. Oculus corporeus non poteſt videre Angelum. Ergo neque etiam intellectus

Digitized by Google

lectus creatus poteſt videre Deum. Antecedens eſt verum, & infra ar. 3. probabitur. Probatur autem conſequentia. Quia maior improportio, & diſtantia eſt, inter intellectum creatum, & Deum, quàm inter oculum corporeum, & Angelum. Ergo ſi oculus corporeus non poteſt eleuari ad videndum Angelum, neque etiam intellectus creatus ad videndum Deum. Patet conſequentia. Nam, Ideo oculus corporeus nequit ad videndum Angelum eleuari, quia oculus corporeus per multùm ab Angelo diſtat. Probatur autem antecedens, Quia multò magis diſtat Increatum à creato, infinitum à finito, quàm creatum à creato, & finitum à finito.

3 Reſpondetur cum communi Theologorum ſolutione, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Maior improportio, & diſtantia eſt inter intellectum creatum, & Deum, quàm inter oculum corporeum, & Angelum, In ratione entis, concedo. In ratione obiecti, & potentiæ, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

4 Sed contra hoc eſt argumentum. Diſtantia, & improportio in ratione obiecti eſt ipſiſſima diſtantia in ratione Entis. Ergo ſi Deus magis diſtat ab intellectu creato in ratione entis, diſtabit quoquè in ratione obiecti. Conſequentia eſt euidens. Probatur autem antecedens. Quia Idcirco Angelus eſt extra rationem obiecti cuiuſcumquè potentiæ ſenſitiuæ, quia eſt talis entitas, puta, ſpiritualis. Ergo.

Relictis aliorum Theologorum dicendi modis, breuiter Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Diſtantia in ratione entis, conſtituentis rationem formalem obiecti, eſt ipſiſſima diſtantia in ratione entis, concedo. Eſt ipſiſſima diſtantia in ratione entis conſtituentis modum, non verò rationem formalem obiecti, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

5 Explicatur iſta reſponſio. Neceſſariò concedendum eſt, quòd ratio obiectiua, ſeu, ratio formalis alicuius obiecti ex ratione entitatis, ſeù, alicuius formalitatis conſtituitur, & ratio talis obiecti, ex ratione talis entitatis, ſeu, talis formalitatis. V.G. Ratio formalis obiecti potentiæ ſenſitiuæ vt ſic, eſt entitas in ratione ſenſibilis. Ratio autem formalis talis potentiæ, nempè, viſiuæ, conſtituitur ex ratione entitatis explicatæ per formalitatem lucidi, ſeù colorati, obiecti potentiæ auditiuæ, per ſonum, & ſic de ſingulis. Verumtamen non omnis ratio entis rationem obiecti conſtituit. Quoniam datur aliqua entis ratio, quæ formalem rationem obiecti ſupponit, & modum tantùm obiecti conſtituit. Explico hoc. Ratio immaterialitatis, ſeù, ſpiritualitatis, eſt ratio entitatiua quæ eſt ratio formalis obiecti intelligibilis; Ratio verò creati,

6 vel increati, finiti, vel infiniti, non conſtituit rationem formalem, ſed modum obiecti. Vnde ens increatum, & infinitum, ex hoc quòd eſt immateriale, habet rationem formalem intelligibilis, & conſequenter, eſt intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ, cuius obiectum debet eſſe immateriale; ex hoc autem quòd, Increatum, & Infinitum eſt; ſupra modum naturalem cognoſcendi intellectus creati exceſſum dicit: Verùm cum obiectum potentiæ viſiuæ quantùm ad eius rationem formalem, ſit ens ſenſibile viſibile; Angelus autem ſit omnino inſenſibilis, ideo rectè dictum eſt, quòd magis diſtat Angelus ab oculo corporeo in ratione obiecti, quàm Deus ab intellectu creato. Eo quia Angelus ab oculo corporeo diſtat quantùm ad rationem formalem entis, quæ eſt conſtitutiua obiecti: Deus autem conuenit cum intellectu quantùm ad rationem formalem entis conſtituentis obiectum, nempè quantùm ad rationem immaterialitatis, & ſolùm in modo obiecti diſtat, id eſt, in ratione

7 creati, & increati, finiti, & infiniti; Et quia iſte modus omnem virtutem creatam non excedit, ſed naturalem dumtaxat; Ideo per lumen gloriæ ſuppleri poteſt, non quo ad proportionem propriè dictam, ſed quo ad habitudinem potentiæ, & obiecti vt in Commentario dictum eſt. Diſparitas igitur eſt iſta. Ideo Angelus magis in ratione obiecti ab oculo corporeo diſtat, quàm Deus ab intellectu creato. Quia Angelus eſt omnino incorporeus, & ſpiritualis, quæ ſpiritualitas, eſt ratio entitatiua omnino extrahens à ratione obiecti ſenſibilis; Deus autem, quamuis ſit increatus, & infinitus, tamen eſt ſpiritualis, & ratione immaterialitatis habet rationem formalem obiecti intelligibilis, Ratione verò infinitatis alia intelligibilia excedit.

8 Dices eſſe creatum, & increatum, finitum, & infinitum conſtituunt diuerſas potentias formaliter. Ergo etiam conſtituunt diuerſa obiecta formaliter. Patet antecedens; Quia intellectus Angelicus, vel humanus, formaliter diſtinguitur ab intellectu diuino, per hoc quòd intellectus diuinus eſt increatus, & infinitus, intellectus verò Angelicus, vel humanus, eſt creatus, & finitus. Conſequentia autem patet à pari.

9 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio autem diſparitatis eſt, quia Ratio Increati, & infiniti, pro vt ex parte potentiæ ſe tenet, non permittit, vt potentia increata, & infinita, finitè, & potentia creata, & finita infinitè cognoſcat: obiectum autem increatum, & infinitum quamuis ſecundùm intrinſecam

eius

eius intelligibilitatem, petat infinitè cognoſci, non tamen repugnat ei, vt finitè cognoſcatur. Quare finitum, & infinitum, creatum, & increatum, pro vt ex parte obiecti ſe tenent, non conſtituunt rationem formalem, ſed modum obiecti.

DISPVTATIO XV.

VTRVM POSSIBILITAS VISIONIS BEATIFICÆ poſſit ratione naturali demonſtratiuè probari.

In quinque Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 PRo tituli intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd lumen naturale intellectus creati, dupliciter conſiderari poteſt. Primò, ſecluſo omni auxilio ſupernaturali. Secundò vt coniunctum aliquo ſupernaturali adiutorio, non agente, ſeu effectum producente, ſed vt perficiente, ſecundùm quòd lumen minus perfectum in ratione illuminati, ex coniunctione ad lumen perfectius magis perficitur. In præſenti diſputatione indiſcriminatim diſquirimus. Vtrum, videlicet, aliqua ratione naturali poſſibilitas viſionis claræ Dei poſſit oſtenſiuè probari.

2 In qua tamen re; Quidam affirmant poſſe ratione naturali poſſibilitatem viſionis claræ Dei oſtendi. Ita Scotus, in 4. diſt. 49. quæſt. 8. §. *Reſpondeo*, & ſignanter. §. *uidetur tamen mihi.* Vbi dicit, quòd ſublata imperfectione ſtatus iſtius, quo ad cognitionem, poteſt cognoſci poſſibilitas huius viſionis. Verba Scoti ſunt iſta. *Videtur tamen mihi, quòd per rationem naturalem poteſt probari ſublata imperfectione ſtatus iſtius, quo ad cognitionem, quòd poteſt cognoſci quòd natura humana, ſit capax Beatitudinis ueræ.* hæc ille. Vbi tamen, non loquitur manifeſtè, de probatione oſtenſiua. cum tantummodo dicat: quòd per rationem naturalem poteſt probari. Inſinuat verò de ratione demonſtratiua ſermonem habere; per ea verba. nempè *ſublata imperfectione ſtatus iſtius, quo ad cognitionem.* Scotus.

3 Et quoniam Scotus in quæſt. 1. prologi. §. *Nota quòd nullum.* Videtur oppoſitum dicere, nempè, non poſſe ratione naturali demonſtrari. & verba Scoti ſunt iſta. *Nota quòd nullum ſupernaturale poteſt ratione naturali oſtendi ineſſe uiatori; uel neceſſariò requiri ad perfectionem eius. Nec etiam habens, poteſt cognoſcere illud ſibi ineſſe: igitur impoſſibile eſt hoc probare contra Philoſophum ratione naturali.* Et eadem quæſt. multo poſt. §. *Reſpondeo naturali ratione oſtenditur.* hæc habet verba. *Naturali ratione oſtenditur neceſſarium eſſe ſcire alteram partem determinatè huius contradictionis. Fruitio eſt finis. Fruitio non eſt finis. hoc eſt, quòd intellectus non ſit merè dubius; uel neuter in hoc problemate: An fruitio ſit finis. Quia talis dubitatio, uel ignorantia; impediret inquiſitionem finis. Non autem oſtenditur ratione naturali quòd hæc pars, ſit neceſſariò cognoſcenda. Et hoc modo rationes prædictæ, ut ſunt naturales, concludunt de altera parte contradictionis, hac, uel illa, non determinatè de hac; niſi ex creditis tantum.* hæc ille. Scotus.

4 Ideo quidam Scotiſtæ de quorum numero eſt Vulpes. tom. 1. diſp. 23. ar. 3. num. 4. & 5. vt Scotum explicent; diſtinguunt, hoc modo. Intellectus humanus ſecluſa fide eiuſquè principijs, pro ſtatu iſto ex viribus duntaxat naturæ, ratione naturali nequaquàm probare poteſt claram Dei viſionem ſibi eſſe poſſibilem, nec actiuè, nec paſſiuè. & hoc modo eſt intelligendus Scotus. §. *Nota quòd nullum ſupernaturale.* Si verò ſermo ſit de intellectu, omni reuelatione ſecluſa; creatum intellectum ſiue Angelicum ſiue humanum; ſublata imperfectione ſui ſtatus, naturali ratione probare poſſe claram intuitiuamquè Dei viſionem paſſiuè ſumptam; non tamen actiuè eſſe poſſibilem, & ſic intelligendus eſt Scotus in 4. diſt. & quæſt. citata. Vulpes.

5 Verumtamen prima pars in litteram Scoti non quadrat; præſertim in verbis à no-

Digitized by Google

DISPVTATIO DVODECIMA.

QVID SANCTI PATRES SENSERINT.

In Septem Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Gabrielis Vaſquez contra Sanctos Patres opinio, recitatur.

Vaſquez. 1 PAter Gabriel Vaſquez hic, diſp. 37. cap. 2. poſtquam in cap. 1. eiuſdem diſputationis, hæreticos aſſerentes Deum videri non poſſe per eſſentiam, ſub breuitate retulerit, pro eadem aduerſa Eccleſiæ ſententia. c. 2. & 3. adducit & congerit, glorioſam grauiorum Patrum eiuſdem Eccleſiæ cateruam. Sic loquens. *Non longè ab hac ſententia*, ideſt hæreticorum, *fuiſſe videntur nonnulli, ex grauioribus Eccleſiæ Patribus*. Qui autem, & quot Sancti, Eccleſiæ Patres, à Vaſquez contra Eccleſiæ doctrinam, fuerint commemorati, Audite.

Chryſoſtomus.	Hieronymus.	Baſilius.
Euthymius.	Primaſius.	Epiphanius.
Theophylactus.	Iſidorus.	Cyrillus Alexandrinus.
Theodoretus.	Ambroſius.	Cyrillus Ieroſolimitan⁹.
		& Nyſſenus.

2 In quorum laudem, in fine tertij capitis, hæc verba promit. *Hos Patres ſi ſincerè loqui velimus, vix poſſumus in bonum ſenſum interpretari.* Et Chryſoſtomum, in titulo ſecundi capitis his verbis exornat. *Chryſoſtomum non ſatis ſincerè videri locutum de clara Dei uiſione.* Et capite 6. Soluens hæreticorum, & hæreticæ opinionis argumenta, Armenos, & Chryſoſtomum ſimul miſcet. Verba ſunt iſta. *Pro ſententia Armenorum, & Chryſoſtomi primum videtur eſſe illud, &c.* & in eodem capite num. 21. in fine, opinionis hæreticæ denuo commemorationem faciens, Armenos alioſquè hæreticæ ſententiæ, veros proprioſquè Patronos ſupprimit, & ponit ſolius Chryſoſtomi nomen. dicens. *Deinde adduci poteſt pro ſententia Chryſoſtomi illud, &c.* quaſi Chryſoſtomus tàm impiæ ſententiæ primus Author extiterit. Et quamuis contendat omnes Patres ſupra poſitos, hęreticam ſuſtinuiſſe ſententiam, Chryſoſtomum nominat, eo quia vt ipſemet c. 3. num. 4. ait Chryſoſtomum, & Theodoretum, *reliqui tanquàm Magiſtros ſequuti ſunt.* Contēdit itaquè Vaſquez Chryſoſtomum, cæteroſquè prænominatos grauiores Eccleſiæ Patres ſuſtinuiſſe, Deum à Beatis clarè, & intuitiuè non videri.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

3 PRo determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Certum eſt ſupradictos, cęteroſquè Sanctos Eccleſiæ Patres Deum videri poſſe per eſſentiam tenuiſſe.

Probatur. Quia D. Io. Chryſoſtomus, quē primum, ac Ducem pro aduerſa Eccleſiæ ſententia Vaſquez eſſe contendit, ſuper 2. epiſ. Pauli ad Corint. hom. 7. hęc verba profert. *Cum Iudæos alloqueretur Moyſes, velabat faciem ſuam, cum autem ſe conuerteret ad Deum, tollebat velamen. Hæc porro erat figura futuri, videlicet, quòd poſteaquam conuerſi fuerimus ad Dominum, tunc viſuri ſumus gloriam Legis, nudamquè Legiſlatoris faciem. Quin potius, non hoc tantum continget, ſed tunc futuri ſimus, etiam in ordine Moyſi. Vides vt accuſat Iudæum de fide, declarans eum qui ad gratiam venerit, non ſolum poſſe videre Moyſen, verum etiam in eodem cum Legiſlatore, ordine collocari. Non enim tantum, inquit, uidebis gloriam, quam tunc non uidebas, ſed ipſe in eadem futurus es gloria: atquè adeò in longe, etiam maiore, & uſque adeo magna, ut illa ne gloria quidem gloriam*

M Bea-

Beatorum erit multo magis perfecta quàm
gloria Moyſis, & quòd hæc gloria con-
ſiſtit in hoc, vt videamus gloriam legis,
nudamquè Legislatoris faciem. Quod
quidem non debet intelligi, de facie cor-
porea Chriſti Domini; quia anima ſepara-
ta non habet oculos corporeos, & eius
beatitudo, non poteſt in faciei corporeæ
Chriſti Domini contemplatione conſiſte-
re. Ergo intelligi debet de viſione faciei
Legislatoris principalis, qui eſt Deus;
ſeu, non ſolùm de viſu corporeo poſt re-
ſurrectionem, ſed etiam de oculo mentis
intelligitur. Beatitudo autem, ſeu, gloria
intellectus in patria, non in contemplatio-
ne faciei corporeæ Chriſti, ſed in ipſa
Deitate conſiſtit. De qua Chryſoſto-
mus, ait, quòd viſuri ſumus nudam eius
faciem.

4 Et hom. 73. ſuper illa verba, *Philippe
qui uidet me, uidet, & Patrem meum.* Sic
ait. *Si quis dicit uiſionem, in hoc loco, cognitio-
nem intelligi. id ego non nego. Philippe qui
me nouit, inquit, nouit, & Patrem. Attamen
non propter hoc dixit; ſed ut eamdem ſubſtan-
tiam demonſtraret: qui meam ſubſtantiam ui-
det; uidet, & Patris.* Et infra. *An ne,* inquit,
*qui creaturam nouit, nouit & Deum? At qui
omnes creaturam norant; & uidebant, Deum
non omnes norant. Præterea uideamus quid
Philippus quærat. Num ſapientiam Patris?
Num benignitatem? Minimè. ſed quid eſſet
Deus. ipſam uidelicet ſubſtantiam. Ad hoc
ergo reſpondet Chriſtus. Philippe qui uidet me.
qui autem creaturam uidet, non tamen uidet
Dei ſubſtantiam. Philippe qui uidet me, in-
quit, & Patrem meum uidet. quòd ſi alterius
eſſet ſubſtantiæ minimè hoc dixiſſet.* Hæc
Chryſoſtomus. Locus iſte inſignis eſt. Nam
abſquè vllo verborum velamine catholi-
cam declarat veritatem. Etenim quando
dicimus Beatos videre Deum per eſſen-
tiam, aliud non intendimus affirmare; niſi
Beatos videre Dei ſubſtantiam. Quid quæ-
rebat Philippus ait Chryſoſtomus. *Num
Sapientiam Patris? Num benignitatem?* id
eſt, Num aliquod prædicatum Dei? mini-
mè. Sed quid eſſet Deus, ipſam videlicet,
ſubſtantiam toti Trinitati communem.
& ad hoc quæſitum Reſpondet Chryſoſto-
mus. *Philippe qui uidet me, & Patrem meum
uidet: qui autem creaturam uidet, Dei ſubſtã-*
5 *tiam non uidet.* Ergo Chryſoſtomus valdè
planè concedit, Dei ſubſtantiam in ſe vide-
ri poſſe; nec non à Beatis de facto videri.
Et hom. 3. in Epiſt. ad Philippenſes 1. ait.
*Peccatores ubi ubi fuerint. Procul à Rege ſunt,
Atquè ideo digni qui defleantur. Iuſti uerò, ſiuè
hic, ſiuè in futuro ſeculo fuerint, cum Rege
ſunt: illic tamen, magis, & propius;
non per acceſſum ac fidem, ſed facie, ad
faciem.*

Et Epiſt. 5. ad Theodorum lapſum. ſic ait.
*Si Petrus qui uidit obſcuram quamdam ima-
ginem futurorum, omnia continuò reiecit ab
animo, propter uoluptatem inditam animæ à
tali aſpectu; quid dicemus quando rerum ue-
ritas aderit, quando Regis cubilibus adapertis,
contueri licebit, ipſum Regem, non per Ænig-
ma, nec per ſpeculum; ſed facie ad faciem, non
amplius inquàm per fidem, ſed per ſpeciem.*
Hæc ille.

Et ſuper Pſalm. 43. explicans illud *Quando* Pſal. 43.
ueniam, & apparebo ante faciem Dei. Hæc
habet verba. *Vide ardentem hominem, uide
inflammatum. Sciens enim ſe cum hinc receſſe-*
6 *rit; Deum eſſe uiſurum, ne expectat quidem di-
latationem.* hæc ille. Hæc teſtimonia clara
ſunt, pro catholica ſententia. Quid enim
clarius, Aureum eloquentiæ flumen; ad
probandum quòd in Patria Cœleſti Beati
vident Deum non obſcurè, ſed facie ad fa-
ciem, non per fidem, ſed per ſpeciem po-
tuit effari? Sed ad alios Patres tranſea-
mus.

Diuus Baſilius, non longè eſt à catholicorum Baſilius.
ſententia, ſed eam expreſsè fatetur. Nam
Epiſt. 43. ad Nyſſenum ſuper illa verba.
Qui uidet me, uidet & Patrem meum. docet
illa interpretanda eſſe de cognitione in-
tuitiua filij quatenus eſt imago Patris; &
addit, *eum qui uidet filium, ingenitam pulchri-
tudinem Patris in illius genito intueri: per in-
de atquè in ſpeculo quodam puro, qui impreſſam
illi formam conſiderat, euidentem habet imagi-
nati uultus cognitionem.*

7 Sanctus Hieronymus ſuper primum
cap. Iſaiæ. *Homo igitur,* inquit, *faciem Dei* Hieron.
*uidere non poteſt, Angeli autem, etiam mini-
morum in Eccleſia, ſemper uident faciem Dei.
Et nunc in ſpeculo uidemus, & in Ænigmate:
tunc autem facie, ad faciem; quando de homi-
nibus in Angelos profecerimus: & potuerimus
cum Apoſtolo dicere. Nos autem omnes reue-
lata facie, gloriam Domini ſpeculantes in eam-
dem imaginem transformamur à gloria in glo-
riam, quaſi à Domini Spiritu.*

Et in prohemio Commentariorum Iſaiæ lib. Iſai. 3.
3. hæc habet verba. *Quærat aliquis quomodo
nunc Propheta Dominum uidiſſe ſe dicat, & non
abſolutè Dominum; ſed Dominum Sabaoth, ut
in conſequentibus ipſe teſtatur. Cum Euangeli-
ſta Ioannes dixerit, Deum nemo uidit un-
quam; & ad Moyſem loquatur Deus. Non
poteris faciem meam uidere; nequè enim uide-
bit homo faciem meam, & uiuet. Ad quod re-
ſpondebimus. Non ſolùm Patris diuinitatem,
ſed ne filij quidem, & Spiritus Sancti; Quia
una in Trinitate natura eſt, poſſe oculos carnis
aſpicere; ſed oculos mentis, de quibus ipſe Sal-
uator ait beati mundo corde quoniam ipſi Deum
uidebunt.*

8 Et epiſt. 143. Damaſo, exponens illud Iſai. 6.
Iſaiæ 6. *Vidi Dominum, &c.* hæc habet
ver-

verba: *Veniet autem & ego comminiſcar, & poſt compunctionem, Dei uiſionem dignus efficiar, cum ſim homo, & non mundi labia habeã, & in medio quoque populi, immunda labia habentis habitem*.

Iſidor.

Idem docet Eutymius in cap. 1. Ioannis; & Iſidorus lib. 1. cap. 26. de diuinis officijs tit. *de Regula fidei*, & omnes alij Sancti Patres ab eodem Vaſquez adducti loco cit. etiam clarè demonſtrant catholicæ non aduerſari ſententiæ. Quod magis patebit reſpondendo Authoritatibus à Vaſquez contra noſtrum dictum adductis.

Quid alij Sancti Patres ſenſerint, non oportet diſquirere, quoniam eſſet ſermonem in longum protrahere, & à Vaſquez propter quem eſt præſens diſputatio formata, pro hæreticorum ſententia, præfati dumtaxat enumerati ſunt.

CAPVT TERTIVM.

Teſtimonia D. Chryſoſtomi, Quæ Vaſquez contra fidem eſſe contendit, proponuntur.

Vaſquez.

Chryſoſt.

10 VAſquez. diſp. 47. cap. 2. in primis adducit contra Catholicæ fidei ſententiam, Sanctum Chryſoſtomum, his verbis. Cæterum, inquit, quod caput eſt, non longè ab hac ſententia, id eſt hæreticorũ, fuiſſe videntur nonnulli ex grauioribus Eccleſiæ Patribus. In primis Chryſoſtomus, vt declinaret extremum errorem Anomæorum, qui dicebant propria virtute Deum ab ipſis comprehendi. hom. 14. in Ioannem ante medium, tractans illud Io. p. *Deum nemo uidit unquam*. Inquit hæc verba, *Nam id quod Deus eſt, non modo prophetæ uiderunt; ſed neque Angeli, neque Archangeli: ſed ſi eos percunctaberis, nihil ab his de Dei ſubſtantia audies; ſed tantùm referentes, gloria in excelſis Deo*; & infra. *Non ſolum dicit eſſe impoſſibile Deum uideri: ſed oſtendens quid Filius enarrauit nobis ait, Quòd Deum uidere, eſt impoſſibile. Quia eum nemo nouit niſi Filius, imo addit; Deum, ante incarnationem fuiſſe Angelis inuiſibilem, per carnem autem eſſe imperam factum eſſe uiſibilem: Et cum obieciſſet illud Matt. 18. Angeli eorum, ſemper uident faciem Patris, Reſpondet eãdem eſſe ſententiam, cum illa Matth. 5. Beati mundo corde quoniam ipſi Deum uidebunt. Cogitationem enim, atquè imaginationem, inquit, quam pro uiribus capimus, eam uiſionem appellat. Id uerò, multo clarius aſſeuerat in to. 5. hom. 3. & 4. de incomprehenſibili natura Dei*. Hæc Vaſquez.

Matt. 18.

¶

CAPVT QVARTVM.

Quanta diligentia legendus eſt Chryſoſtomus, & de præſenti quæſito, Quid Eunomius, & Anomæi tenuerint.

10 ANtequàm, huic Patri ſatisfaciam, Suppono primò, cum D. Thoma, quod non omnes Sacræ Scripturæ, vel Sanctorum Patrum authoritates, ſunt iuxta ſermonis rigorem extendendæ; ſed quædam extendendæ, quædam verò exponendæ ſunt. Tunc ſunt extendendæ, quando de toto ſermonis rigore & proprietate, veræ ſunt. Vt cum dico. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*. ly *Tres*. Et, ly, *Vnum* extenſiuè, & cum ſermonis rigore accipiuntur. *Tres*. id eſt, non ſecundù rationem, ſeu, per intellectum diſtinctæ, quemadmodum Sabbellius, iniquè opinatus eſt; ſed realiter, pro vt Fides Catholica conſitetur. *Vnum*. id eſt, ſubſtantialiter, ſeu, eſſentialiter, iuxta phyloſophorum Theologorumque loquendi rigorem. Tunc autem ſunt propoſitiones exponendæ, quando in quadam impropria, largiori ſignificatione, vel ſecundùm ſubiectam materiam, veritatem habent; a rigoroſi tamen ſermonis veritate recedunt. Iuxta quem ſenſum locutus eſt S. Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. . Vocans Filium Dei, *Eſſentiam de eſſentia*. quæ propoſitio cum proprietate ſermonis, & in ſenſu formali falſa eſt. In ſenſu tamen ab Auguſtino intento, nempè, in ſenſu identico, ſumendo abſtractum pro concreto, vera eſt.

D.Thom.

Sabellius.

Auguſt.

11 Suppono ſecundò. cum D. Chryſoſtomo hom. 14. in Ioannem in principio. *Quòd Sacræ Scripturæ Verba, non Vult Deus Vt ſimpliciter, ſed multa cum prudentia intelligantur. ideo Beatus Dauid ſæpe numero, in Pſalmis, ad doctrinam noſtram: reuela, inquit, oculos meos, & intelligam mirabilia ex lege tua. Item, & eius Filius: quòd oportet tanquam argentum exquirere ſapientiam, & tanquam theſaurum perſcrutari. Præterea Dominus Iudæos admonuit: ſcrutamini Scripturas: quod non Vtiquè dixiſſet, ſi perfacilè, & prima tantùm lectione poſſent intelligi. Quod enim in medio, & in promptu poſitum eſt, nemo ſinè perſcrutatur: ſed quod obſcurum, & latens, id multa indiget inquiſitione Vt inueniatur. Idcirco Theſaurum abſconditum Scripturas appellauit, Vt ad earum nos inquiſitionem excitaret. Hæc autem nobi*

Chryſoſt.

dicta ſunt, ne ſimpliciter, & temerè, ſed ſumma cum attentione Scripturam accipiamus. Nam ſi quis ipſa, duntaxat, verba nuda, & vt dicuntur, acciperet; multa abſurda de Deo neceſſe eſſet ſuſpicari. Etenim hominem eum eſſe, pecunia corrumpi, Iracundum, Furibundum, aliaquè de eo his petora intelliget. Verum ſi reconditam verbis ſententiam deprehendit, omnia purgabuntur.

12 Hæc Chryſoſtomus. Non dicam Chryſoſtomi opera eſſe alteram Sacram Scripturam. Dico tamen (& Vaſquez negare non poteſt) Chryſoſtomum eſſe diuinorum eloquiorum exactiſſimum tractatorem, quem Sancta Mater Eccleſia tanquàm ſplendentiſſimum Sydus, Præſtantiſſimumquè Doctorem, multis laudibus prædicat, & honorat. Quare eius profundi Sermones, ſecundum ipſiuſmet Chryſoſtomi iam præfatam adnotationem, non ſimpliciter, & obſcitanter, ſed multa cum prudentia, & attentione debent intelligi, & interpretari.

13 Suppono tertiò, cum communi Theologorum doctrina. Morem Sanctorum Patrum eſſe, dum contra aliquem hæreticorum inuehunt errorem; propter nimium illius odium; ſemper ad extremum inclinare videri, quapropter verba, quæ contra illum errorem proferunt, & in extremum tendunt, non extendenda, ſed exponenda ſunt, iuxta verum ſenſum à Sanctis intentum.

Suppono Quartò, Sanctum Chryſoſtomum. Chriſoſt. Summopere Anomæorum hæreſim abhorruiſſe, & in eorum cōtemptum, pro veritatis indargine, librum integrum de incomprehenſibili Dei natura compoſuiſſe. Vbicumquè igitur Chryſoſtomus de Dei cognitione diſcurrit, talibus ſemper vtitur verbis, quibus appareat ab Anomæis omnino diſcrepare, eo vel maximè, quia eius tempore Anomæorum iniqua vigebat opinio. Anomæi autem aſſerebant Deum à nobis comprehenſiuè poſſe cognoſci.

15 Ita manifeſtè hom. prima de incomprehenſibili Dei natura expreſſit; Anomæorum referens opinionem. *Qui*, inquit, *ſe totam ſcientiam recepiſſe affirmant; qui hoc in ſæculo, totum ſciendi modum ſe recepiſſe autumant; & ſe integerrimam perfectiſſimamquè tenere ſcientiam arbitrantur*,

Et Hom. 2. *quod*, inquit, *nemo vnquam dicere auſus eſt, ipſi ſe ita Deum noſſe, quemadmodum Deus, ſe ipſum nouit, aſſerant*: & ibidem medio paululum tranſacto. *Qui*, inquit, *eò temeritatis, atquè amentiæ prorupiſti, ut quem glorificari dumtaxat debes, & adorare, hunc, ceu, rem quamdam abiectam, & vilem, curioſe ſcruteris, & contendas penitus comprehendere*. Idem hom. 3. repetit, his verbis. *Iſti*, inquit, *ipſam ſubſtantiam Dei ſe ſe diligentiſſimè noſſe profitentur*.

15 Et hom. 4. ſic ait. *Sed quid reſtet, an vt oſtendamus, non Principatus, non Poteſtates, non Dominationes, non ſi qua virtus creata eſt, Dei exquiſitam capere comprehenſionem*, & ibidem. poſt pauca. ſic ait. *Verùm quid mirum, ſi uirtutes illæ exquiſita careant comprehenſione diuinæ ſubſtantiæ? id enim demonſtrare nil ardui eſt*; & paulò infra. *Nullum*, inquit, *vidiſſe Deum Ioannes ait. vt exquiſitam illam comprehenſionem, & expreſſam cognitionem, in nullo alio, adhuc contigiſſe intelligas*. Et paulò poſt. ibidem. *quoties Deum nullum uidiſſe audis; illud intellige, nullum eſſe qui Deum nouerit, qui Deum cognouerit, qui ſubſtantiam Dei exquiſita ratione perceperit*. Et ibidem poſt pauca. *cum itaquè dicat Deum quamuis condeſcendentem minimè ferre illas uirtutes potuiſſe, nil aliud docet, niſi eius cognitionem expreſſam, amplam, integram non potuiſſe recipere*. hæc ille. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur Anomæos ſuſtinuiſſe intellectum creatum etiam humanum, poſſe compræhenſiuè cognoſcere Deum.

Quod amplius etiam Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, titulo de Eunomio explicans, hæc habet verba: *Auſus eſt dicere Eunomius, ſe nihil de rebus diuinis ignorare,* Theodor.
16 *ſed ipſam Dei ſubſtantiam exactè ſcire; Eamdemquè habere de Deo cognitionem, quam ipſe Deus de ſe ipſo habet. Hoc eius furore perciti qui ſunt execrandæ illius ſectæ participes; audent apertè dicere; ſe ita Deum noſſe vt ipſe ſe ipſum.*

Et Sanctus Hieronymus ſuper Matt. cap. 11. explicans illa verba. Et *nemo nouit filium niſi Pater*. Sic ait, *Erubeſcat Eunomius tantam ſibi notitiam Patris, & Filij, quantam alterutrum inter ſe habeant iactitans.* Conſtat igitur Anomæos, ſuſtinuiſſe Deum ab homine poſſe perfecta cognitione cognoſci; Hieron. Eunom. Anomæi

CAPVT QVINTVM.

Soluitur Argumentum contra fidei dogma ex Authoritate Chryſoſtomi à Vaſquez propoſitum, & mens Chryſoſtomi apertiſſimè declaratur.

RESpondetur igitur, ad ea quæ Vaſquez contra fidem ex Chryſoſtomo conglutinat, explicando Chryſoſtomum cum Diuo Thoma hic in reſponſione ad primum, de cognitione comprehenſiua Dei, non au-

Digitized by Google

autem, de cognitione tantùm intuitiua.

Chryſoſt. 17 Quòd autem illa ſit mens Chryſoſtomi in hom. 14. in Ioannem eius referamus verba, quæ neceſſariò referenda ſunt. *Nemo*, inquit, *cognoſcit Patrem niſi filius. Quid inquam? Num omnes in ignorantia viuimus? Abſit. Sed nemo ita cognouit Patrem, ut Filius. Vt igitur multi, quiſque pro captu ſuo, ipſum uiderunt, ſubſtantiam autem nemo uidit. Sic multi, Deum cognoſcimus, non tamen ipſam ſubſtantiam qualis eſt; niſi ſolus eius unigenit⁹, qui certam notionem, uiſum, & comprehenſionem habet; qualem filium de patre habere par eſt. Sicut enim cognoſcit me Pater*, inquit; *& ego cognoſco Patrem. Quare animaduerte: quanta cum Authoritate loquatur Euangeliſta. Si quidem, cum dixiſſet, Deum nemo uidit unquam: Non profectus eſt; Filius qui uidit narrauit. Nam in ſinu Patris eſſe; maius quiddã eſt; quàm uidere. Qui enim tantum uidet, non certam habet rei uiſæ cognitionem. Qui uerò, in ſinu immoratur; omnia ei perſpicua ſunt, & certa. Ne autem audiendo, Nemo cognoſcit Patrem niſi Filius, diceres: quòd licet maiorem cæteris de Patre habeat cognitionem; non tamen qualis eſt nouit. ideo in ſinu Patris, eum eſſe*, inquit, *Euangeliſta. Chriſtus autem, tantum, ſe Patrem cognoſcere*, inquit, *quantum, Pater ipſum*. Hæc ille.

18 Ex quibus clariſſimis Chryſoſtomi verbis manifeſtè conſtat, quòd *habere certam uiſionem*, ſeu, *certam rei uiſæ cognitionem*: non ſumitur pro cognitione intuitiua tantùm; ſed pro cognitione perfectè comprehenſiua, vt per illa verba patet. videlicet, *Non tamen ipſam ſubſtantiam, qualis eſt, niſi ſolus eius unigenitus, qui certam notionem uiſum, & comprehenſionem habet, qualem Filium de Patre habere par eſt.* Sed cognitio, qualem Filius, de Patre debet habere, eſt perfectè comprehenſiua. Ergo, &c. Et inſuper. Per illa verba. *Chriſtus ſe tantum ſe Patrem cognoſcere*, inquit, *quantum Pater ipſum*: ſed Pater Æternus comprehenſiuè cognoſcit Filium ſuum. Ergo de eadem cognitione locutus eſt Filius, quando dixit. *Nemo nouit Patrem niſi Filius*. Et iuxta hanc interpretationem ſemper intelligendus eſt Chryſoſtomus, quando creaturis Dei viſionem negat. Loquitur enim de cognitione comprehenſiua, quæ tanta eſt, quantam habet Deus de ſe ipſo, qualem Filius de Patre debet habere. (Chryſoſt.)

19 Quòd autem, tantùm videre, apud Chryſoſtomum; non ſit comprehenſiuè videre. Per verba iam adducta Chryſoſtomus expreſsè declarat. Sic enim ait. *Qui enim tantùm uidet; non certam habet rei uiſæ cognitionem: qui uerò, in ſinu immoratur, omnia ei perſpicua ſunt, & certa. Nam in ſinu Patris eſſe, maius quiddã eſt, quàm uidere.* Ex quibus verbis efficaciſſimum Contra Vaſquez pro Chryſoſtomo formatur argumentum. Nam apud Chryſoſtomum, maius eſt eſſe in ſinu Patris, quàm videre. Eo quia eſſe in ſinu Patris, arguit tantam Patris cognitionem, quantam Pater de filio habet. tantùm vero videre; hoc non arguit. Et inſuper. Qui tantùm videt, per Chryſoſtomum; non certam habet rei viſæ cognitionem. Ergo per viſionem Dei, quæ eſt tantùm viſio, intelligit aliquid minus, quàm eſſe in ſinu Patris; & habere certam rei viſæ cognitionem. Chryſoſtomus autem, ſecundam viſionem, non primam beatis negat. Ergo ineptè Vaſquez impugnauit Chryſoſtomum, & rectè pro Eccleſia Chryſoſtomus.

CAPVT SEXTVM.

Quæ Vaſquez in contrarium congerit diluuntur.

20 VAſquez qui ſupra cap. 3. num. 6. D. Thomę explicationem quę eſt omniũ Sanctorum, atque Scholaſticorum, non approbat, & contra eam ſic inſurgit. *Verum*, inquit, *non minus perſpicuè probare poſſumus; Patres non eſſe intelligendos, de illa uiſione quam Scholaſtici comprehenſiuam vocant; ſed de quauis clara, & intuitiua notitia Dei ſicuti eſt. Primum. Nam Chryſoſtomus in illis homiliis de incomprehenſibili Dei natura, contra Anomæos diſputat, quos non conſtat docuiſſe Deum à Beatis ita perfectè videri; ut ab eis comprehendatur. in eo ſenſu in quo Scholaſtici nonnulli, de comprehenſione loquuntur: nec enim, ante tempora Scholaſticorum, de eo modo comprehenſionis, Patres aliquos locutus fuiſſe diſp. 52. probabimus. Solum verò, Anomæi contendebant ab intellectu creato propria virtute, totum Deum, ſicuti eſt; clarè videri poſſe: quam ipſi comprehenſionem appellabant.* hæc ille. (Vaſquez.)

21 Et quoniam præuidit, rectèq; ſeruauit, quod Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum de Eunomio, qui in errore Anomæorum erat, dicit Eunomium auſum fuiſſe affirmare, Ita exactè cognoſcere Deum, vt ipſum comprehendat, ſicut Deus ſe ipſum. (Theodor.)

Sic Vaſquez ſic contra Theodoretum arguit. *Neque verò refert, quòd Theodoretus 4. lib. hæreticarum fabularum de Eunomio dicit, auſum fuiſſe affirmare ipſam Dei ſubſtantiam, ita exactè cognoſcere; ut eamdem de Deo, ac ipſe Deus de ſe ipſo cognitionem haberet: Nec enim ita Amens fuit Eunomius, ut ſcientiam quam ipſe de Deo haberet: ſcientiæ, & cognitioni, quam Deus de ſe habet, omnino æquaret. Solùm enim ex parte obiecti dixit æqualem eſſe;* (Vaſquez. Theodor.)

ſe; quia nihil eorum quæ formaliter in Deo ſunt; eſſet notum Deo; quod ipſe quoquè Eunomius non uideret. Id uerò, de Beatis uidentibus ipſum, ſicuti eſt neceſſariò concedi debet: Nam eorùm quæ ſunt in Deo formaliter; & ſunt ipſe Deus; cum omnia ſint idem cum eſſentia; nihil latere poteſt ipſum Beatum.

22 *Deinde. Patres non loqui de comprehenſiua cognitione;* ſic inquit, *Oſtendo. Si Chryſoſtomus, contra Anomæos in illis homilijs, ſolùm probare vellet, Deum à Beatis in eum ſenſum non comprehendi: non aſſereret, à nullo intellectu Angeli, ſubſtantiam Dei videri; ſed aliquid ſolùm ab ipſa deriuatum: ex hoc enim, non ſolùm comprehenſiuam, ſed etiam intuitiuam, ſeu, claram viſionem eſſentiæ Dei apertè negat. Hoc autem diſertis verbis affirmat hom. 3. de incomprehenſibili natura Dei. De illis enim Seraphim qui aſpicientes maieſtatem Dei; velabant faciem Iſaiæ 6. quia lucem illam Dei ferre non poterant. Sic ait. quamquam non ipſam meram videbant lucem, nec ipſam ſinceram ſubſtantiam; ſed quæ videbant, condeſcenſus erat, & indulgentia. Quibus cum negat Chryſoſtomus viſionem ſubſtantiæ Dei, ſincerè, & purè; negat etiam viſionem quam dicimus intuitiuam, & Dei ſicuti eſt.* Iſai. 6.

23 *Sub inde verò; quid ſit condeſcenſus ille; his uerbis expouit: Cum Deus non ut eſt, ſe oſtendit; ſed quo ad videre ab his poteſt; qui aſpectum huiuſmodi meruit, eatenus firmitate videntis, ſuam repræſentationem metitur ac temperat; condeſcendere illum tantiſper dicimus; & huiuſmodi, condeſcenſum nominamus, & indulgentiam. In eumdem modum de Prophetis, ait, non uidiſſe Dei ſubſtantiam; ſed condeſcenſum illum, obſcurius tamen, quàm Angelos: Ergo cum Angelos Prophetis comparat; & Prophetæ Deum non viderint ſecundùm eſſentiam; idem de Angelis in ſententia Chryſoſtomi dicendum eſt. Verba citata, adeo manifeſta mihi uidentur, ut nullo modo ea expendere, & amplius examinare neceſſe ſit.*

24 *Poſtremò. Vt Angeli poſſent nobis aliquid de ſubſtantia Dei enarrare; neceſſarium non erat notitia comprehenſiua ipſum vidiſſe; ſed ſatis erat, ſi clarè ſicuti eſt totam Dei ſubſtantiam viderent; ſicut Beati omnes intuentur. Si igitur Angeli Beati Deum clarè viderunt; ſed non comprehenderunt; malè Chryſoſtomus diceret hom. illa 14. in Ioannem. Si eos percunctaberis, nihil ab eis de Dei ſubſtantia audies, ſed tantùm referentes gloria in Excelſis Deo.* Hæc, & huc vſque Vaſquez.

His tamen non obſtantibus Reſpondetur ad inſtantias Vaſquez; & ad primam rectè Recupitus lib. 6. de verit. quæſt. 1. cap. 6. num. 33. illa Vaſqueſij increpat verba. nempe, *Anomæos non conſtat, docuiſſe Deum à Beatis ita perfectè videri; vt ab eis compre-* 25 *hendatur.* dicens. *Quia igitur non conſtat de errore Anomæorum; conſtat de errore Chryſoſtomi?* Hæc Recupitus. Conſtat quidem errorem Anomçorum fuiſſe, Deum ita perfectè ab homine videri poſſe; ſicut Deus perfectè videt ſe ipſum. Quia ſic veraciſſimum teſtimonium extat, apud Chryſoſtomum, locis antea citatis apud Theodoretum, alioſquè principaliores Eccleſiæ Patres: non tamen conſtat in tanta reerraſſe Chryſoſtomum. conſtat tamen perſpicuus eius Authoritatibus, veram catholicamque ſuſtinuiſſe doctrinam. Recupit. Theodor.

26 Ad impugnationem contra Theodoretum. O res Mirabilis. Doctori Catholico Vaſquez, videtur inconueniens, vt Eunomius, & Anomæi; Deum ab intellectu creato perfectè comprehendi poſſe aſſeruerint. Eo quia Eunomius non fuit ita Amens, vt talem ſuſtinuerit opinionem. Quid igitur? Sapientes Eunomius, & Anomæi. Amens Chryſoſtomus? & vnde erga hæreticos tam benignus conſeruatur affectus, & Chryſoſtomus tam acriter impugnatur? Hunc tamen Eccleſia reuerenter honorat. quare Doctor Catholicus illum audacter impugnat? Eunomius perditiſſimus vir, dicens intellectum poſſe comprehendere Deum, ne talis arguatur erroris: non de comprehenſione propriè dicta, ſed de intuitiua cognitione exponitur; Et Diuus Ioannes Chryſoſtomus, dicens Deum ab intellectu creato videri non poſſe; & ſe ipſum pluries, loqui de cognitione tali, & tanta, qualem, & quantam, Deus de ſe ipſo habet explicauit; quod negauerit poſſe à Beatis intuitiuè videri; contra Eccleſiam Catholicam à catholico accuſatur. Et quomodo non Amens Eunomius, ſi Chryſoſtomus hom. 2. de Dei incomprehenſibilitate, ſic de Eunomij, Anomæorumquè opinione fatur? *hæc opinio Orta eſt ex ſtoliditate, & inflatione.* Eunom. Anomæi. Chriſoſt.

27 Ad primam igitur inſtantiam, Iam patet Reſponſio. Negatur enim omnino non conſtare Anomæos docuiſſe Deum à Beatis, ita perfectè videri, vt ab eis comprehendatur, in eo ſenſu in quo Scholaſtici nonnulli de comprehenſione loquuntur.

Ad Replicam, Reſpondetur, Iam planum eſſe, Eunomium, non ſolùm Amentem, ſed amentiſſimum, in hac opinione fuiſſe.

Ad aliam inſtantiam de Seraphim, Iam ex prædictis eſt manifeſta reſponſio. Explicatur enim Chryſoſtomus iuxta ea ſubiecta, de quibus loquitur, ſemper proportione ſeruata, Nam quòd videatur à Beatis in Pa-

28 tria; à Prophetis, & alijs Sanctis Doctoribus in via; quidam condeſcenſus eſt, & indulgentia, ſemper tamen vt dixi, proportione ſeruata. Quod ſic explicandum eſt. Solus filius, Deum ſine condeſcenſu, ſed comprehenſiuè cognoſcit: Cæteri verò quicunquè ſint, per quemdam condeſcenſum; Beati, ſcilicet, vident Deum per condeſcenſum à cognitione comprehenſiua.

Digitized by Google

ua . Prophetæ per condeſcenſum à cognitione intuitiua . Theologi per condeſcenſum à prophetica reuelatione ; & ſic gradatim diſcurrendo . Doctrina , ſeu explicatio eſt eiuſdem Chryſoſtomi , homilia 14. citata , dum ait. *Multi; quiſquè pro captu ſuo ipſum uiderunt : ſubſtantia n tamen, nemo uidit; niſi ſolus Vnigenitus,&c.* ac ſi diceret. Solus vnigenitus ſubſtantiam Dei vidit ; ſine condeſcenſu ; id eſt, Ad æqualitatem : Cęteri verò, cum deſcenſu; quiſquè, ſcilicet, pro captu ſuo . Beati , videlicet, minus quàm Dei vnigenitus . prophetæ minus quàm Beati ; Theologi minus quàm prophetæ,&c. hæc eſt germana Chryſoſtomi intelligentia . & per hanc interpretationem , explicatur id quod Vaſquez immediatè ſubiungit , cuius verba retulimus.

Chryſoſt.

Chryſoſt.

29 Vnde nequè etiam Vaſquez, rectè Chryſoſtomum intellexit , dum dixit , quòd in eumdem modum de Prophetis, ait , Chryſoſtomus, non vidiſſe Dei ſubſtantiam : ſed condeſcenſum illum ; obſcurius tamen quàm Angelos; & minus rectè concludit , hoc modo. *Ergo cum Angelos Prophetis comparat, & prophetæ Deum non uiderint ; ſecundum eſſentiam ; idem de Angelis in ſententia Chryſoſtomi dicendum eſt* .

Vaſquez.

Nam Chryſoſtomus diſparem eſſe rationem inter Angelos,& Prophetas breui oratione declarauit , dicens . *Multi ipſum uiderunt, quſquè pro captu ſuo* . Ergo non omnes æqualiter , & eodem modo, Deum per condeſcenſum vident, quòd ſi alicubi, Chryſoſtomus; vel Alius, hac vſus fuerit particula ſcilicet, eodem modo , exponatur ratione termini a quo : non ratione termini ad quem.

30 Quantùm verò, ad vltimum ex Chryſoſtomo adductum per illa verba, nempe, ſed ſi eos percunctaberis , nihil ab his de Dei ſubſtantia audies . *Sed tantùm referentes : Gloria in altiſſimis Deo,& in terra pax hominibus bonæ uoluntatis,&c.* Si totum Chryſoſtomi diſcurſum Vaſquez fideliter obſeruaſſet: nihil contra Chryſoſtomum ex præfatis verbis deduxiſſet . Illorum enim verborum ſenſus eſt. quòd quia Angeli tantùm intuitiuè Deum vident, non verò comprehenſiuè ; Solus autem Vnigenitus eſt qui Deum comprehenſiuè nouit . Potius tantæ rei , Diſcipuli; quam Magiſtri, ſeu, enarratores debent appellari . Datum eſt enim illis , vt diuina viſione fruantur; Non autem vt ſint diuinorum enarratores , & Magiſtri . Ad illum enim Magiſtri , atque enarratoris , præcæteris officium ſpectat ; qui ſupra omnes, clariorem ac præſtantiorem, dicitur rei habere notitiam; & quia ſolus Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ; præcæteris habet diuinæ naturæ notitiam ; Idcirco non ad Angelos; ſed ad ſolum vnigenitum, Deitatis ſpectat digna narratio. Quod non ita intelligendum eſt . quaſi Vnigenitus Beatorum cognitionem, ita clarè Viatoribus enarrauerit . vt ex vi illius enarrationis, Deitatem intuitiuè cognouerint. Hoc enim abſquè lumine gloriæ eſt omninò impoſſibile : ſed quia clariori, & efficaciori modo, Vnigenitus enarrauit nobis.

Chriſoſt.

31 Sed quod hæc fuerit Chryſoſtomi intentio : ex eiuſdem verbis apertiſſimè declaratur. Nam eadem hom. explicans quid Verbum, ſeu, Vnigenitus enarrauerit nobis. hæc verba profert . *Quid narrauit ? quòd Deum nemo vidit unquam : an quod unus eſt Deus ? Verùm, hoc, & reliqui Prophetæ , & Moyſes iam pridem exclamant . Dominus Deus tuus unus eſt ; & Eſaias ante me non eſt factus alius Deus; & poſt me non eſt. Quid igitur amplius à filio didicimus : quod in ſinu ſit Patris ? quid ab Vnigenito? Primum quidem hæ Vnigeniti operationes ſunt ; deinde longè ab eo expreſſiorem , & magis perſpicuam doctrinam accepimus, videlicet, quòd Spiritus Deus eſt : & qui adorant eum in ſpiritu, & ueritate, oportet adorare. quòd Deum videre eſt impoſſibile. quòd eum nemo nouit niſi Filius , quòd Pater eſt dilectiſſimi Vnigeniti ; & alia multa : quæ de eo narrata ſunt. Id autem Verbum narrauit , expreſſiorem certioremque doctrinam demonſtrat: non apud Iudæos tantum , ſed in uniuerſum Mundum propagauit : eumquè meliorem reddidit . Prophetis enim, nequè Iudæi omnes, fidem adhibebant. Vnigenito autem Dei filio, Vniuerſus orbis ; & paruit, & credidit. Narratio autem hoc in loco ; Doctrinæ euidentiam ſignificat . quare & Verbum , & magni conſily Angelus appellatur . Cum igitur perfectiore dignati ſimus doctrina, nequè amplius per Prophetas ; ſed per filium ad nos ; in ultimis his diebus Deus locutus ſit . Longè potiorem , & dignam, accepto honore, uitam exhibeamus . Etenim abſurdum eſt . Cum tantus deſcenderit Dominus , & non amplius per ſeruos : ſed per ſe ipſum nos alloqui uoluerit ; nos nihil à Priſcis illis differamus. Illi Moyſen* (Nota Vaſquez) *Nos Moyſi Dominum, Magiſtrum habemus,&c.* Hæc ille . Et quia verba elegantia ſunt , & clara, noſtra non indigent exageratione .

Chryſoſt.

CA-

Per principia verò extrinſeca omnino, tunc probatur, quando ex aliorum teſtimonio, demonſtratur. Vt cum dico. Deus dixit tres eſſe perſonas in diuinis. Ergo eſt verum. Hoc ſecundo modo poſſibilitas viſionis Beatificæ eſt demonſtrabilis, non autem primo.

Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo antecedens. Quod eſt euidenter credibile, eſt euidenter poſſibile, ſecundùm ſe; concedo antecedens. Quò ad nos, nego antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

Huius reſponſionis veritas, fundatur in hoc, quòd quæ per ſe ſpectant ad fidem, ratione naturali demonſtrari non poſſunt, & conſequenter, quia quæ per ſe ad fidem pertinent, ſunt per ſe credibilia. Ergo per ſe obſcura nobis. Ergo nobis indemonſtrabilia, quamuis in ſe ipſis habeant euidentiam.

Reſpondetur tertiò, concedẽdo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem dico, quòd poſſibilitas viſionis Beatificæ, Chriſtiano more loquendo, eſt euidenter credibilis, ſecluſa tamen fide, non eſt euidenter credibilis, euidentia methaphyſica, quæ ad demonſtrationem, omnino neceſſaria eſt. Et cùm dicitur; Quod eſt reuelatum à Deo, eſt euidenter credibile. Vera eſt propoſitio: ſed ſubiungere viſionis Beatificæ poſſibilitatem à Deo reuelatam eſſe; lumen naturale, hoc docet, an fides ipſa? Certè ad hanc veritatem cognoſcendam, fides intellectum illuſtrat, nempè, quòd aliquid ſit à Deo reuelatum; & quòd Sancta Mater Eccleſia, non errat, nec errare poteſt, ſed à Spiritu Sancto nutritur, regitur, & gubernatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem videatur.

AD ſecundum, Sic proceditur. Videtur quòd eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem uideatur. Dicitur enim 1. Ioan. 3. Scimus quoniã cum apparuerit ſimiles ei erimus, & uidebimus eum ſicuti eſt.

Secundò præterea. Auguſtinus dicit. 9. de Trinit. Cum Deum nouimus, fit aliqua Dei ſimilitudo in nobis.

Tertiò præterea. Intellectus in actu, eſt intelligibile in actu: ſicut ſenſus in actu, eſt ſenſibile in actu. Hoc autem non eſt, niſi in quantùm informatur ſenſus ſimilitudine rei ſenſibilis; & intellectus, ſimilitudine rei intellectæ. Ergo ſi Deus ab intellectu creato Videtur in actu; oportet quòd per aliquam ſimilitudinem Videatur.

Sed contra eſt; quod dicit Auguſtinus 15. de Trinit. quòd cum Apoſtolus dicit. Videmus nunc per ſpeculum in Ænigmate, Speculi, & ænigmatis nomine; quæcumque ſimilitudines, ab ipſo ſignificatæ intelligi poſſunt; quæ accommodatæ ſunt ad intelligendum Deum. Sed uidere Deum per eſſentiã, non eſt uiſio ænigmatica, uel ſpeculatiua; ſed contra eam diuiditur. Ergo diuina eſſentia nõ uidetur per ſimilitudines.

Reſpondeo dicendum. Quòd ad Viſionem, tam ſenſibilem, quàm intellectualem, duo requirũtur; ſcilicet, virtus uiſiua, & unio rei uiſæ cum uiſu. Non enim fit uiſio in actu; niſi per hoc quòd res uiſa quodammodo eſt in uidente. Et in rebus

FORMATIO Articuli.

1 TRipartita eſt corporis diſtributio. Primò enim Diuus Thomas quędam ad præparandam viam principalioris intenti præmittit. Secundò. Duplicem ſtatuit cõcluſionem; Occaſionalem vnam, Principalem alteram. Et Ter-

1. Ioan. 3. tiò. Ea quæ prædixerat reducit in ſummam.

Quo ad primum duo præmittit; In primò quidem decla-

Auguſt. rat quæ, & quot ad omnem viſionem requirantur, dicens. Ad omnem viſionem tam ſenſibilem, quã intellectualem duo requiruntur, ſcilicet, Virtus viſiua, & vnio rei viſæ cum viſu. Primum, tanquam verum ſupponit. Secundum verò, hoc modo probat. Non enim fit viſio in actu niſi per hoc quòd res viſa quodãmodo eſt in vidente.

2 In ſecundo verò; Vnionis modum in corporalibus declarat, docens fieri non poſſe, vt res viſa corporea per ſuam eſſentiam videnti immediatè vniatur. Et hoc vt facilius probare poſſit, quòd diuina eſſentia per ſe ipſam immediatè intellectui vniatur. In rebus, inquit, corporalibus res viſa non poteſt eſſe in vidente per ſuam eſſentiam; ſed ſolùm per ſuam ſimilitudinem. De quo, primò dicit hoc eſſe clarum, per illã particulam *apparet*. Secundò probat experientia vnius ſenſus, nempè viſus, & viſibilis. Sicut, inquit, ſimilitudo lapidis eſt in oculo per quam fit viſio in actu, non autem ipſa ſubſtantia lapidis.

Quo ad ſecundum, Cõcluſio occaſionalis; Occaſionalis in quã, non quęſito pręciſè ſumpto; ſed intentioni principali quęrendi eſt iſta. Re-

quiritur ad vidẽdum Deum aliqua Dei ſimilitudo ex parte viſiuæ potentiæ, quã ſcilicet intellectus ſit efficax ad videndum Deum.

3 Probatur. *Si eſſet, inquit, una, & eadem res, & quæ eſſet principium uiſiuæ uirtutis, & quæ eſſet res uiſa, oporteret uidentem ab illa re, & uirtutem uiſiuam habere, & formam per quam uideret.* (Hæc propoſitio eſt notatu digna.) Sed Deus eſt res viſa à Beato, & principium viſiuæ virtutis illius. Ergo intellectus vtrumquè habet à Deo: ſed ipſa intellectiua virtus creaturæ nõ eſt Dei eſſentia. Ergo eſt aliqua participata ſimi-
D.483. litudo ipſius, qui eſt primus intellectus. Vnde & virtus intellectualis creaturæ lumen quoddam intelligibile dicitur; quaſi à prima luce deriuatum. Siuè hoc intelligatur de virtute naturali, ſiuè de aliqua perfectione ſuperaddita gratiæ, vel gloriæ. Ergo ad videndum Deum requiritur aliqua Dei ſimilitudo ex partæ viſiuæ potentiæ.

4 Concluſio principalis eſt iſta. Ex parte viſæ rei per nullam ſimilitudinẽ creatam Dei eſſentia videri poteſt. Hanc concluſionem triplici ratione demonſtrat; Rationes legantur in textu.

5 Quo ad tertium, ſic concludit. *Dicendum ergo quòd ad uidendum Dei eſſentiam requiritur aliqua ſimilitudo ex parte uiſiuæ potentiæ, ſcilicet lumẽ diuinæ gloriæ confortans intellectum ad ui-*

quidem corporalibus apparet, quòd res uiſa non poteſt eſſe in uidente per ſuam eſſentiam, ſed ſolùm per ſuam ſimilitudinem. Sicut ſimilitudo lapidis eſt in oculo, per quam fit uiſio in actu, non autem ipſa ſubſtantia lapidis. Si autem eſſet una, & eadem res & quæ eſſet principium uiſiuæ uirtutis, & quæ eſſet res uiſa, oporteret uidentem ab illa re, & uirtutem uiſiuam habere, & formam per quam uideret. Manifeſtum eſt autem quòd Deus, & eſt Author intellectiuæ uirtutis, & ab intellectu uideri poteſt. Et cum ipſa intellectiua uirtus creaturæ non ſit Dei eſſentia, relinquitur quod ſit aliqua participata ſimilitudo ipſius qui eſt primus intellectus. Vnde & uirtus intellectualis creaturæ, lumẽ quoddam intelligibile dicitur; quaſi à prima luce deriuatum: ſiuè hoc intelligatur de uirtute naturali, ſiuè de aliqua perfectione ſuperaddita gratiæ, uel gloriæ. Requiritur ergo ad uidendum Deum aliqua Dei ſimilitudo ex parte uiſiuæ potentiæ, qua ſcilicet intellectus ſit efficax ad uidendum Deum.

Sed ex parte uiſæ rei, quam neceſſe eſt aliquo modo uniri uidenti, per nullam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia uideri poteſt. Primò quidem, quia ſicut dicit Dionyſius primo de diu. nom. per ſimilitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo ſuperiora poſſunt cognoſci. Sicut per ſpeciem corporis non poteſt cognoſci eſſentia rei incorporeæ. Multò igitur minus per ſpeciem creatam quamcumquè poteſt eſſentia Dei uideri.

Secundò, quia eſſentia Dei eſt ipſum eſſe eius, ut ſupra oſtenſum eſt; quod nulli formæ creatæ competere poteſt. Non poteſt igitur aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repreſentans uidẽti Dei eſſentiam. Tertiò, quia diuina eſſentia eſt aliquod incircumſcriptũ continens in ſe ſupereminẽter quicquid poteſt ſignificari, uel intelligi ab intellectu creato. Et hoc nullo modo per aliquam ſpeciẽ creatam repræſentari poteſt; Quia omnis forma creata eſt determinata ſecundum aliquam rationem, uel ſapientiæ, uel uirtutis, uel ipſius eſſe, uel alicuius huiuſmodi. Vndè dicere, Deum per ſimilitudinem uideri, eſt dicere, diuinam eſſentiam non uideri. Quod eſt erroneum. Dicendum ergo, quod ad uidendum Dei eſſentiam requiritur aliqua ſimilitudo ex parte uiſiuæ potentiæ, ſcilicet, lumen diuinæ gloriæ, confortans intellectum, ad uidendum Deum. De quo dicitur in Pſalm. In lumine tuo uidebimus lumen. Non autem per aliquam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia uideri poteſt, quæ ipſam diuinam eſſentiam repreſentet, ut in ſe eſt.

Ad Primum ergo dicẽdum, quod Authoritas illa loquitur de ſimilitudine, quæ eſt per participationẽ luminis gloriæ.

Ad Secundum dicendũ, quòd Aug. ibi loquitur de cognitione Dei, quæ habetur in uia.

Ad Tertium dicendum, quòd diuina eſſentia eſt ipſum eſſe. Vndè ſicut aliæ formæ intelligibiles, quæ non ſunt ſuum eſſe uniuntur intellectui ſecundùm aliquod eſſe, quo informãt ipſum intellectum, & faciunt ipſum in actu; ita diuina eſſentia unitur

dendum Deum. De quo dicitur in Pſalmo. In lumine tuo uidebimus lumen; non autem per D.481.
aliquam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia uideri poteſt, quæ ipſam diuinam eſſentiam repreſentet ut in ſe eſt. D.485. Hoc habet in corpore.

6 Ad primum argumentum reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo datur aliqua ſimilitudo ex parte videntis, concedo cõſequentiam. Ex parte rei viſæ, nego conſequentiam. Authoritas autem illa loquitur de ſimilitudine per participationem luminis gloriæ, quæ eſt ſimilitudo ſe tenens ex parte potentiæ; non autem quæ ſe tenet ex parte rei viſæ.

7 Ad ſecundum reſpondetur explicando Auguſtinum; quòd ibi loquitur de cognitione Dei quæ D.986.
habetur in via; non autem de cognitione Dei, quæ habetur in patria. D.1081.

Ad tertium reſpondetur, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Hoc non eſt niſi in quantum informatur intellectus ſimilitudine rei intellectæ, Quæ non eſt ſuum eſſe, concedo minorem. Quæ eſt ſuum eſſe, nego minorem. Ergo, & cæt. nego conſequentiam.

SV-

tur intellectui creato, ut intellectum in actu, per ſeipſam faciens intellectum in actu.

De materia huius art. tractat idem D. Tho, in 4.d.49.q.1.ar. 1.& de Veritate q. 8. ar.1.& quodlib.7. ar. 1.& opuſculo 3.c.30. & 3.cont.gent. c.49. & 51.& in epiſt.Pauli ſuper 1.Cor.13.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

PRO tituli intelligentia eſt obſeruandum
cum Caietano, *quòd aliud eſt quod quæri-*
1 *tur: & aliud eſt occaſio quærendi. Quæritur*
enim indefinitè, an ad Viſionem diuinam con-
currat aliqua ſimilitudo quomodocunquè con-
currat, ſiue, ſcilicet, tanquàm ſimilitudo ex
parte uidentis, ſiuè tanquam ſimilitudo ex parte
rei Viſæ. Occaſio autem quærendi eſt, quia dubi-
tatur; an Deus poſſit Videri per aliquam ſimi-
litudinem ex parte rei Viſæ, id eſt, quæ ſit re-
præſentatiua ipſius Dei, Ut ratio Videndi, ſicut
ſpecies Viſibilis repræſentat corporali Viſui co-
loratum. Hæc ille.

Sed pro maiori intelligentia breuiter aduerte
2 duo. Primum eſt, quòd licet tàm de ſimilitu-
dine ex parte videntis; quàm ex parte rei
viſæ, ſit indefinitè quæſitum: non tamen
vtrumquè ex æquo inueſtigatur; ſed vtri-
que reſpondens, ſecundum dumtaxat, diſ-
quirit, & primum articulo quinto relin-
quitur diſcutiendum, & propterea prima
concluſio, dicta eſt occaſionalis.

Secundum eſt, Quòd licet occaſio quærendi,
3 fit, quia dubitatur: An Deus poſſit videri
per aliquam ſimilitudinem ex parte rei vi-
ſæ; tamen etiam permiſcuè de omni ſimi-
litudine in concluſione principali; eiuſquè
probationibus loquitur, de ſpecie, ſcilicet,
impreſſa, obiectiua, & expreſſa, Primò ta-
men, & principaliter de ſpecie impreſſa.
vt probabimus.

In Corpore. *Ad Viſionem tàm ſenſibilem, quàm intelligibilem, duo requiruntur. Scilicet, Virtus Viſiua, & Vnio rei Viſæ cum Viſu.* Quaſi diceret, ad omnem viſionem vtrumquè neceſſariò requiritur.

Virtus viſiua, & Vnio rei Viſæ cum Viſu. Primò virtutem viſiuam; deinde vnionem aſſignat. Quia Vnio, potentiæ viſiuę virtutem præſupponit.

Virtutem viſiuam requiri, quia eſt valde ma-
4 nifeſtum non probat, ſed ſupponit. Probat
autem vnionem rei; viſæ cum viſu, ne-
ceſſariam eſſe: ex eo Quia non fit viſio in
actu, niſi per hoc, quòd res viſa quodam-
modo eſt in vidente.

Dixit. *Et Vnio rei uiſæ cum uiſu*: non verò Vnio viſus, ſeu, videntis, cum re viſa. Eo quia res viſa ſe habet vt forma, & veluti id quod viſum ingreditur. Viſio enim eſt actio immanens dependens ab obiecto tanquàm forma. Et per conſequens, fit per hoc quòd cognitum eſt in cognoſcente.

Et in rebus quidem corporalibus, apparet, quòd res
5 *uiſa non poteſt eſſe in uidente per ſuam eſſen-*
tiam; ſed ſolùm per ſuam ſimilitudinem. Vbi
duo aduertenda ſunt. Primum. Quòd per
hæc verba duplex modus vnionis obiecti
cum potentia inſinuatur, (vt optimè ad-
uertit Caietanus hic) Vnio ſcilicet, per eſ-
ſentiam rei viſæ, & vnio per ſimilitudinem.
Nam ex hoc quòd in corporalibus, viſum
in vidente negat per ſuam eſſentiam vniri;
Docet etiam vnionem per eſſentiam in
obiecto aliquo intelligibili impoſſibilem
non eſſe. Quia dum illam in corporalibus
ratione materialitatis negat, In ſpirituali-
bus non impoſſibilem iudicat.

Secundum eſt. Quòd quamuis illa particula,
6 *apparet*, aliquando ſumi ſoleat, pro qua-
dam apparentia fallaci. Vnde fallacia dici-
tur apparentia veritatis, cum ſubſiſtentia
falſitatis, In præſenti tamen, idem valet, ac
certum eſt. Nam clarum eſt, quòd materia-
litas rei, propter ſuum eſſe materiale impe-
dit obiecti cogniti cum potentia vidente
vnionem ſecundùm ſubſtantiam; vt exem-
plo lapidis viſi eſt manifeſtum.

Si autem eſſet una & eadem res; & quæ eſſet
7 *principium uiſiuę uirtutis, & quę eſſet res uiſa.*
Oporteret uidentem ab illa re, & uirtutem uiſi-
uam habere, & formam per quam uideret.
Vbi nota litteræ profunditatem, a paucis
benè intellectam. ex hoc enim D. Thomas
non ſolùm ſimilitudinem creatam, ex parte
videntis probat, Verùm etiam ſpecialiter
ſpeciei impreſſæ impoſſibilitatem, hoc mo-
do demonſtrat. Quando eſt vna, & eadem
res quæ eſt principium viſiuæ virtutis, &
res quæ videtur; ab eadem omnino re,
habetur ratio virtutis viſiuæ & forma, ſeu,
ſpecies p quã fit viſio, ita quòd ſi non repu-
gnat rem viſam eſſe virtutem, & formam;
res viſa formaliter fit cognoſcenti vtrum-
què: Si autem implicat rem viſam eſſe vi-
dentis virtutem; non autem implicat rem
viſam eſſe formam; Virtus viſiua, eſt à vi-

dente diſtincta, licet à re viſa procedens; ipſa tamen res viſa, eſt cognoſcenti ſui ipſius forma: ſed Deus cum ſit ſumma ſubſtantia non poteſt eſſe virtus intellectus creati; poteſt tamen, & debet eſſe ſui ipſius forma. Ergo debet dari in viſione clara Dei, virtus viſiua creata, quæ eſt lumen gloriæ, & implicat ſpecies impreſſa creata. Ex prædicta igitur propoſitione, vtraquè concluſio rectè probatur.

Et cum ipſa intellectiua uirtus creaturæ, &c. Ex hac propoſitione, nimirum; *Ipſa intellectiua uirtus creaturæ non eſt Dei eſſentia*, deducit hanc aliam, videlicet. Ergo *eſt aliqua participata ſimilitudo ipſius qui eſt primus intellectus.* Et quidem rectè: eo quòd virtutis viſiuæ participatio, eſt à re viſa, vt ab habente videndi virtutem; quod conuenit rei viſæ ſecundùm quòd videns eſt; non ſecundum quòd viſa formaliter.

8 Hinc etiam manifeſtè intelligitur, quid ſit dicere, quòd requiritur ad vidẽdum Deum aliqua ſimilitudo ex parte viſiuæ potentiæ. quia, ſcilicet, ſicut Deus, eſt intelligens ſeipſum per lumen diuinum; ita intellectus creatus intelligendo Deum debet participare lumen quod ſit ordinis diuini, & propterea D. Thomas id explicans in hoc articulo, ait, quòd *ſimilitudo iſta conſiſtit in hoc, ut intellectus ſcilicet, ſit efficax ad uidendum Deum per lumen diuinæ gloriæ; confortãs intellectum. De quo dicitur in Pſalm. In lumine tuo uidebimus lumen.* Et 3. cont. gent. cap. 55. ſic ait. *Lumen prædictum, Dei ſimilitudo eſt; quantùm ad hoc, quòd ad Dei ſubſtantiam uidendam perducit.* Et in hac quæſt. ar. 5. Similiter in fine Corp. *Secundum hoc*, inquit, *lumen, efficiuntur Dei formes, id eſt Deo ſimiles.* Et in hoc ſenſu intelligitur, cum dicitur, quòd lumen gloriæ eſt ſimilitudo ſe tenens ex parte potentiæ, non verò ex parte rei viſæ. Quia, ſcilicet, aſſimilamur Deo in ratione videntis, non in ratione viſi.

D.Thom.

Circa id quod in littera dicitur; videlicet. *Si*

9 *eſſet una, & eadem res; & quæ eſſet principium uiſiuæ uirtutis, &c.* Dubium occurrit. Quid virtutis viſiuæ nomine intelligatur. Vel enim intelligitur intellectus tantùm. Vel tantùm lumen intellectus. Vel vtrumquè. Non primum. Quia D. Thomas virtutem intellectiuam ad naturalem, & ad perfectionem ſuperadditam gratiæ, & gloriæ extendit. vt patet in littera: ſed virtus ſuperaddita gratiæ, & gloriæ, non eſt intellectus. Ergo. Non ſecundum. Quia nomine viſiuæ virtutis intelligitur participata ſimilitudo primi intellectus; vt littera dicit: ſed etiam intellectus creatus eſt participata ſimilitudo primi intellectus. Ergo etiam verificatur de intellectu, quòd ſit virtus viſiua. Non tertium. Quia D. Thomas tandem, ſic ex præmiſſis concludit: *Requiritur ergo; ad uidendum Deum aliqua Dei ſimilitudo, ex parte uiſiuæ potentiæ; qua, ſcilicet, intellectus ſit efficax ad uidendum Deum.* Ergo nomine virtutis viſiuæ, intelligitur tantùm lumen intellectui ſuperadditum, per quod intellectus redditur efficax, ſeu, ſimilis ad videndum Deum.

D.Thom

D.Thom.

Ad hoc dubium dico breuiter, quòd propoſi-

10 tio illa, dupliciter conſiderari poteſt: ſecundùm ſe; & ſecundùm quòd huius articuli ſeruit intento. Si primo modo. De omnibus ſupranominatis meritò verificatur. Etenim tàm intellectus creatus, quàm eius lumen naturale, ſiue ſupernaturale, quàm cognitio, ſunt intellectus primi, participationes. Si verò ſecundo modo; Dico quòd accipitur pro lumine intellectus; non verò pro potentia intellectiua. Quia hoc ſufficit ad probandum intentum.

Circa id quod diximus, videlicet, quòd lumen

11 gloriæ eſt ſimilitudo Dei ſe tenens ex parte videntis: per hoc quòd intellectus creatus aſſimilatur Deo vt intelligenti. Videtur aduerſari Caietano, hic, vbi explicans ſimilitudinem ex parte virtutis viſiuæ, hæc habet verba. *Declaraturquè ſecundum membrum, ex ui illius conditionalis ueræ. Si uirtus uiſiua habet eſſe à re uiſa, uirtus uiſiua non ſolùm eſſet ipſa, ſed ſimilitudo rei uiſæ, ut patet. Quia effectus eſt ſimilis cauſæ.* Ergo ſentit Caietanus, quòd ſimilitudo ex parte videntis repræſentet rem viſam, ſicut effectus repræſentat cauſam; quod eſt ad ſimilitudinẽ rei viſæ recurrere.

Reſpondetur, nobis nõ aduerſari Caietanum,

12 & illum ſic explicamus. Cũ dixit virtutem viſiuam eſſe ſimilitudinem ſe tenentem ex parte videntis, per hoc quòd effectus eſt ſimilis cauſæ, non debet intelligi repræſentatiuè, ſicut ſpecies repræſentat obiectum; ſed imitatiuè, ſeu, denominatiuè. Et ſenſus eſt, quòd effectus imitatur cauſam quantùm poteſt. Vnde ſi cauſa eſt intelligens, effectus imitans, ſeu, participans cauſam, dicitur etiam intelligens: & quamuis hac participatione præſuppoſita, ſequatur etiam repræſentatio, tamen non primo ſed ſecundo modo, intelligitur Caietanus.

In reſponſione ad primum aduerte, quòd D.

13 Thomas diuerſimodè pro opportunitate materiæ Authoritatem primæ Ioannis 3. exponit. Nam hic interpretatur de ſimilitudine quæ eſt per lumen gloriæ; in 3. tamen cont. gent. cap. 51. exponit illud de ſimilitudine ſe tenente ex parte obiecti hoc modo. *Similes ei erimus*, quò ad medium & rationem cognoſcendi. Quia ſicut Deus cognoſcit ſe ipſum per ſe ipſum, tanquam per ſpeciem; ita etiam intellectus creatus cognoſcit Deum per eandem Deitatem, tanquam per ſpeciem. Nunquam tamen illud de ſimilitudine creata ex parte obiecti ſe tenente expoſuit. Vnde vult dicere D. Thomas, quòd quando dicitur. *Similes ei*

D.Thom. Ioan. 3.

Digitized by Google

eicerimus. Si ſermo ſit, de aliqua creata ſimilitudine, debet intelligi de ſimilitudine quæ eſt per participationem luminis gloriæ,ſeu,de ſimilitudine ſe tenente ex parte videntis. Si verò ſermo ſit de ſimilitudine ex parte rei viſæ; intelligendum eſt de eſſentia diuina terminante intellectum, ratione cuius, intellectus dicitur Deus in eſſe intelligibili.

In reſponſione ad ſecundum aduerte, quòd
14 reſponſio conſiſtit in hoc,videlicet, Sanctus Auguſtinus in 9. lib. de Trinit. Cum dixit *fieri aliquam ſimilitudinem Dei in nobis, cum Deum nouimus* Si locutus eſt de ſimilitudine tenente ſe ex parte videntis, intelligitur non de illa,quæ fit per lumen gloriæ in Patria, ſed de illa quæ fit per lumen ſupernaturale in via. Si verò loquutus eſt de ſimilitudine ex partæ rei viſæ, etiam intelligendus eſt de ea quę poteſt haberi in via, nempè,ſpeculi,& ænigmatis.

D.Aug.

In reſponſione ad 3. legatur Caietanus quem nos in diſputationibus explicabimus, ac defendemus;& vlterius eſt obſeruandum, ex hoc quòd aliæ formæ intelligibiles,non ſunt ſuum eſſe, non ſequitur nulli intellectui per ſe ipſas poſſe vniri; ſed intellectui diſtincto, à proprio hoc enim quod eſt alteri intellectui vniri, eſt proprium formæ, quæ eſt ſuum eſſe. Nam eſſentia Angeli immediatè per ſe ipſam proprio intellectui reſpectu cognitionis ſui ipſius vnitur: Reſpectu verò intellectus alterius Angeli,nō poteſt immediatè per ſe ipſam vniri; ſed per ſpeciem: Diuina autem eſſentia cum ſit ſuum eſſe,omnibus intellectibus ipſam intuentibus, immediatè per ſe ipſam vnitur.

DISPVTATIO XVI.

VTRVM SPECIES IMPRESSA SE TENEAT ex parte potentiæ,an verò ex parte obiecti.

In tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Senſus quæſiti aperitur,& Doctorum opiniones referuntur.

1 PRo tituli intelligentia eſt breuiter obſeruandum.Quòd illud dicitur ſe tenere ex parte potentiæ, quod ſeruit ad ſupplendum aliquem potentiæ defectum. Verbi gratia. Habitus lumini naturali intellectus ſuperadditus, ſe tenet ex parte potentiæ. Eo quia per illum intellectus promptè, ac faciliter operatur; quod per ſolum innatum lumen antecedenter ad habitus acquiſitionem non habebat. Idem dicendum eſt ſi potentiæ viſiuæ noctuæ virtutem videndi ſolem conferatur. Illud verò ex parte obiecti ſe tenet; quod alicuius obiecti deficientiam ſupplet. Verbi gratia. Cum ſubſtantia lapidis, non poſſit eſſe ſecundùm ſuam materialitatem intra intellectum; Intellectus idolum ſeu, verbum,intra ſe de lapide format; & ſic Verbum,ſeu,Idolum ponitur vice obiecti. In præſenti igitur quærimus, non de quocunquè ſpeciei impreſſæ munere; ſed tantummodo, vtrum ponatur in intellectu, vt Vicaria obiecti, ad ſupplendam, ſcilicet, obiecti præſentiam intra potentiam: An verò requiratur ad ſupplendam actiuitatem, vel ad determinandam actiuitatem potentiæ, vt agat, circa tale, vel tale obiectum; Non propter determinationem potentiæ ex obiecto prouenientem; ſed propter actiuitatem eiuſdem potentiæ quę de ſe eſt indifferens ad plura obiecta.

2 Vaſquez hìc diſp. 39.&Alarcon tract. 1. de viſione Dei diſp. 3. cap. 2. & 3. docent ſpeciem impreſſam ſe tenere ex parte potentiæ,& non ex parte obiecti; concedunt autem ſpeciem impreſſam illamque potentiæ cognoſcitiuæ vniri; ſed id quod in hac diſputatione ſuſtinent peculiare, eſt hoc, nempè, quòd ſpecies impreſſa vnitur potentiæ, non ad hoc vt obiectum ſit intra potentiam; quaſi in actu primo præſens; vt ex obiecto, & potentia producatur cognitio.Quoniam hoc dicunt,optimè ſaluari,abſquè tali vnione: ſed ad hoc vt ſpecies impreſſa,potentiam adiuuet illius virtutem ad hoc obiectum, & non ad illud determinando. Vaſquez. Alarcon.

Digitized by Google

nando. Ita quòd ſi qua eſſet in intellectu virtus, ita ad hoc obiectum cognoſcendum determinata; & non ad aliud, non relinquitur ſpeciei impreſſę ex parte obiecti locus, ſed virtus ipſa intellectus, dicitur ſpecies impreſſa. Hæc eſt horum Doctorum opinio; & ab ipſis tanquàm D. Thomæ ſententia defenditur, & æſtimatur. Verumtamen opinio quo ad primum eſt falſa, & quo ad ſecundum, nimirum, quòd hæc doctrina ſit D. Thomæ, eſt mendax. vt patebit.

3 Oppoſita ſententia, videlicet, quòd ſpecies impreſſa ſe tenet ex parte obiecti potius, quàm ex parte potētiæ, id eſt, quòd ſeruiat vt Vicaria obiecti, non ad ſupplendum potentiæ defectum; eſt communis inter omnes Theologos, ac Philoſophos. Ita D. Thomas vt in concluſionis probatione conſtabit; & cum eo omnes Thomiſtæ qui de hac re aliqualiter tractant; omneſquè Doctores Societatis, valdè paucis exceptis. Ita etiam ſæpiſſimè Scotus, & præſertim in primo. diſt. 3. q. 7. ad 2. in fine vbi hæc habet verba. *Per ſpeciem, eſt obiectum præſens ſub ratione cognoſcibilis.* Et in ſecundo. diſt. 3. quæſt. 9. & alibi cum ſuis ſequacibus.

D.Thom.

Scotus

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

4 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Species impreſſa ſe tenet ex parte obiecti, non verò ex parte potentiæ. Iterum explico concluſionem quamuis ex dictis maneat explicata. Non dico quòd ſpecies non eſt neceſſaria propter intellectus operationem, dico tamen, quòd non ponitur ad ſupplendum aliquem potentiæ defectum ex parte luminis prouenientem; ſed vt vices obiecti gerat, cuius præſentia ad hoc vt intellectio producatur, eſt omnino neceſſaria.

5 Probatur igitur primò, Authoritatibus D. Thomæ. Nam D. Thomas in primo cont. gent. cap. 53. vbi quærit quomodo multitudo intellectorum ſit in Deo & ante quæſiti ſolutionem, hæc verba profert. *Præmiſſa autem dubitatio, faciliter ſolui poteſt, ſi diligenter inſpiciatur, qualiter res intellectæ in intellectu exiſtant.* Et paulo poſt, dicit. *Conſiderandum eſt, quòd res exterior intellecta à nobis in intellectu noſtro, non exiſtit ſecundùm propriam naturam, ſed oportet, quòd ſpecies eius, ſit in intellectu noſtro, per quam, fit intellectus in actu. Exiſtens autem in actu, per huiuſmodi ſpeciem, ſicut per propriam formam, intelligit rem ipſam*; & paulo poſt, ſic ſubdit; *& habet, ſcilicet, cognitio relationem ad rem quæ intelligitur. Ex eo quòd ſpecies prædicta, quæ eſt principium intellectualis operationis vt forma eſt ſimilitudo illius.* Hæc ille.

D.Thom.

Vaſquez.

6 Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quòd per ſpeciem intelligibilem res ad extra exiſtit intra intellectum, & quòd ſpecies eſt ſimilitudo rei ad extra, ac principium cognitionis eiuſdem rei ex mente D. Tho. Ergo ſpecies impreſſa non ſe tenet ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti.

Et ibidem loquens de productione verbi, dicit, Verbum procedere vt ſimile rei exteriori; quia procedit per intellectum informatum ſpecie intelligibili, quæ eſt eiuſdem rei exterioris ſimilitudo. Ergo ad mentem D. Thomæ, ſpecies impreſſa ſe tenet ex parte obiecti. Verba autem D. Thomæ sūt iſta. *Intellectus per ſpeciem rei formatus, intelligendo, format in ſe ipſo quamdam intentionem rei intellectæ, quæ eſt ratio ipſius quam ſignificat diffinitio.* Et paulo poſt ſic ait. *Hæc autem intentio intellecta, cum ſit quaſi terminus intelligibilis operationis, eſt aliud à ſpecie intelligibili, quæ facit intellectum in actu; quam oportet conſiderari vt intelligibilis operationis principium: licet vtrumquè,* (Vaſquez verba D. Thomæ conſidera) *ſit rei intellectæ ſimilitudo. Per hoc enim quòd ſpecies intelligibilis quæ eſt forma intellectus, & intelligendi principium, eſt ſimilitudo rei exterioris: ſequitur quòd intellectus intentionem format illi rei ſimilem: Quia quale eſt vnumquodquè talia operatur; & ex hoc quòd intentio intellecta eſt ſimilis alicui rei; ſequitur quòd intellectus formando huiuſmodi intentionem; rem illam intelligat. Intellectus autem diuinus nulla alia ſpecie intelligit, quàm eſſentia ſua, vt ſupra oſtenſum eſt. Sed tamen eſſentia ſua eſt ſimilitudo omnium rerum. Per hoc ergo ſequitur, quòd conceptio intellectus diuini, pro ut ſemetipſum intelligit, quæ eſt Verbum ipſius non ſolùm ſit ſimilitudo ipſius Dei intellecti; ſed etiam omnium quorum eſt diuina eſſentia ſimilitudo, &c.* Hæc D. Thomas.

Vaſquez.

7 Ex quibus verbis, clarè habetur quòd ſpecies impreſſa, ſe tenet ex parte obiecti; ponitur enim vt faciat intellectum in actu, & quòd ideo ſpecies expreſſa eſt ſimilis rei ad extra, Quia procedit per intellectum informatum ſpecie impreſſa, quæ eſt ſimilitudo eiuſdem rei ad extra.

8 Idem euidentius docet in 3. cont. gent. cap. 49. ratione 2. his verbis. *Similitudo intelligibilis, per quam intelligitur aliquid ſecundum ſuam ſubſtantiam, oportet quòd ſit eiuſdem ſpeciei, vel magis ſpecies eius; ſicut forma domus, quæ eſt in mente artificis, eſt eiuſdem ſpeciei cum forma domus quæ eſt in materia; vel potius ſpecies eius. Non enim per ſpeciem hominis, intelligitur de Aſino, vel Equo, quid eſt: ſed ipſa natura ſubſtantię ſeparatæ non eſt idem ſpecie, cum natura diuina. Ergo non eſt poſſibile, quòd ſubſtātia ſeparata intelligat diuinam ſubſtan-*

ſtantiam per propriam naturam. Hæc ille. Vbi docet, quòd forma intelligibilis, ſiue ſit expreſſa, ſiue impreſſa, no ſolùm eſt eiuſdem quidditatis cum re cuius eſt ſpecies, ſed quòd eſt ipſa rei quidditas. Ergo ſpecies impreſſa in intellectu, ponitur loco obiecti, & non ſe tenet ex parte potentiæ.

9 Idem omnino deducitur ex ijs quæ D. Thomas 3. cont. gent. cap. 53. dicit. Ibi enim luminis gloriæ neceſſitatem probans ad videndum Deum ratione 2. hæc habet verba. *Ad hoc igitur quòd eſſentia diuina fiat intelligibilis ſpecies alicuius intellectus creati, quod requiritur* (Vaſquez nota) *ad hoc quòd diuina ſubſtantia videatur, neceſſe eſt quod intellectus creatus aliqua diſpoſitione ſublimiori ad hoc eleuetur.* Hæc ille. Ecce quomodo ſpecies intelligibilis non ſe tenet ex parte potentiæ ad mentem D. Thomæ, ſed ex parte obiecti; Nam D. Thomas vltra lumen gloriæ quod ſufficientiſſimè diſponit potentiam ex parte potentiæ, dicit requiri ſpeciem ad hoc quòd diuina ſubſtantia videatur.

D.Thom.

Et ibidem ratione 3. ſic ait. *Si autem ponatur quòd intellectus aliquis creatus de nouo incipiat*

D.Thom.

10 *Dei ſubſtantiam videre, oportet ſecundum præmiſſa, quòd diuina eſſentia copuletur ei de nouo, vt intelligibilis ſpecies.* Hæc ille. Ecce quomodo D. Thomas docet ſpeciem ſe tenere ex parte obiecti, non ex parte potentiæ. Quoniam ex parte potentiæ ponit lumen per quod intellectus eſt ſufficientiſſimè diſpoſitus. Has Authoritates benè obſerua, quoniam ſeruiunt contra Vaſquez aſſerentem gloriæ lumen ſuperfluere ſi diuina eſſentia vniretur vt ſpecies.

Vaſquez.

D.Thom.

Idem euidenter colligitur. Ex eodem D. Thoma hìc ar. 5. & q. 14. ar. 1. in corp. vbi D. Thomas, differentiam ponit inter cognoſcentia, & nõ cognoſcentia his verbis. *Cognoſcentia à non cognoſcentibus in hoc diſtinguuntur, quia non cognoſcentia nihil habent niſi formam ſuam tantùm; ſed cognoſcens natum eſt habere formam etiam rei alterius. Nam ſpecies cogniti eſt in cognoſcente.* Hæc ille. Vbi D. Thomas dicit, ac docet, cognoſcentia habere formas aliarũ rerum; Quę aliarum rerũ formæ, ſunt ſpecies intelligibiles. Ergo ſe tenent ex parte obiecti. Probatur conſequentia. Quia aliàs non dicerentur formæ aliarum rerum, ſed formæ propriæ.

11 Probatur ſecundò ratione: Quia ſpecies impreſſa, eſt neceſſaria ad hoc vt res quæ intelligenda eſt, ſit per ipſam vnita ipſi potentiæ, ita, & taliter; quòd ſi res non eſt vnita in ratione cognoſcibilis per ſuam eſſentiam, vel per ſpeciem, nunquam intellectus poſſet in ſuam prorumpere operationem rem illam intelligendo, quantumcumquè fuerit aliquo lumine illuſtratus.

Probatur tertiò. Species expreſſa ſe tenet ex parte obiecti. Ergo etiam ſpecies impreſſa. Antecedens conceditur à Vaſquez eſſe ad mentem D. Thomæ Probatur autem conſequentia. Quia ſpecies expreſſa in tantùm formatur ab intellectu; in quantùm intellectus eſt per ſpeciem impreſſam formatus. Ergo, &c.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

12 Contra iſtam determinationem obicies pro Vaſquez, Primò, ex D. Thoma quodlib. 7. ar. 1. in corp. in fine. vbi hæc habet verba. *Vnde lumen gloriæ ab ea in intellectum deſcendens, facit hoc reſpectu diuinæ eſſentiæ in intellectu, quod facit reſpectu aliorum intelligibilium quæ non ſunt lux tantùm, ſpecies rei intellectæ ſimul & lumen.* Hæc ille.

13 Ex quibus D. Thomæ verbis nil clarius colligi poteſt, quàm quòd ſpecies non ſe tenet ex parte obiecti, ſed tantùm ex parte potentiæ. Probatur. Quia fatetur D. Thomas lumen facere in intellectu, reſpectu cognitionis diuinæ eſſentiæ, totum quod faciunt ſpecies rei, & ipſum lumen.

Et ibidem in reſpõſione ad 2. hæc habet verba. *Ad ſecundum dicendum, quòd intellectus creatus fit actu ad videndam diuinam eſſentiam, per lumen gloriæ, & hoc ſufficit.* Hæc ille. Vbi eſt aduertendum, quòd per illa verba reſpondet huic argumento. *Ad hoc quòd intellectus cognoſcat aliquid; oportet, quòd fiat in actu. Nihil enim operatur ſecundum quòd eſt in potentia: Intellectus autem non fit in actu, niſi ſecundum quòd intelligibili informatur. Cum ergo eſſentia diuina non poſſit per ſe ipſam informare intellectum, vt formaliter faciat ipſum eſſe in actu, oportet, quòd per aliquam ſui ſimilitudinem intellectum informet, & cet.* Et reſpondet, quòd ad hoc ſufficit lumen.

14 Reſpondent Salmanticenſes. hic diſp. 2. dub. 2. & Ioannes de Sancto Thoma diſp. 13. ad 2. confirmationem, explicando Sanctum Thomam, quò ad rationem inhærentiæ; & ſenſus eſt, quòd lumen gloriæ ſolùm præbet inhærentiam in intellectu, quam inhærentiam in alijs rebus præbent lumen, & ſpecies. Salmanti. Ioan. de S. Thom.

Verumtamen hæc reſponſio, niſi amplius explicetur, non ſatisfacit; Nam inhærentia ſpeciei ſecundùm quòd inhærentia eſt, nõ ſpectat ad perficiendum intellectum formaliter; ſed tantummodo materialiter, & in ratione qualitatis: D. Thomas autem manifeſtè loquitur de perfectione intellectus, quæ formaliter ad intellectum ſecundùm

Digitized by Google

dùm quòd intelligens eſt, pertinet. vt patet per illa verba. *Prædictum autem lumen gloriæ, ſufficienter perficiet intellectum ad videndum diuinam eſſentiam.*

15 Reſpondetur itaquè ſecundò, explicando Sanctum Thomam de lumine gloriæ quantùm ad hoc, quia, Videlicet, lumen gloriæ quantùm ad rationem illuminandi perficit totaliter intellectum creatum: & adueniente diuina eſſentia in ratione ſpeciei, non magis perficitur intellectus in ratione promptè operandi, ſed omnem promptitudinem, ac intelligendi facilitatem habet à lumine: At verò, quando intelligit inferiora, & naturalia per lumen naturale; vltra lumen naturale, & ſpeciem obiecti; magis perficitur intellectus per lumen habituale, nouiter acquiſitum, & hoc eſt quod tantùm lumini gloriæ tribuit D. Thomas, & per hoc patet reſponſio.

16 Obijcies ſecundò. Species impreſſa eſt neceſſaria ad determinandam potentiam propter huius, & non alterius obiecti cognitionem: ſed determinare potentiam ſe tenet ex parte potentiæ. Ergo ſpecies impreſſa ſe tenet ex parte potentiæ. Maior patet. Probatur minor. Quia lumen gloriæ determinat potentiam intellectiuã, & aliàs ſe tenet ex parte potentię. Ergo determinare potentiam ſe tenet ex parte potentiæ. Antecedens patet. Quia lumen gloriæ, primò, & per ſe dirigit, ac determinat intellectum vt cognoſcat Deum clarè, & diſtinctè.

17 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Species impreſſa, eſt neceſſaria ad determinandam potentiam, repræſentatiuè, & quaſi in actu primo, concedo; Ad determinandam potentiam, eleuatiuè, & confortatiuè, nego maiorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. & per idem patet ad probationem; Nam lumen gloriæ determinat quidem potentiam ad videndum Deum, non repræſentando Deum, ſed eleuando, & confortando intellectum ad viſionem Dei; & hoc eſt quod Thomiſtæ dicunt aſſerentes; quòd lumen determinat determinatione, tenente ſe ex parte potentiæ; non verò determinatione tenente ſe ex parte obiecti. Vnde ſi per impoſſibile, poneretur in intellectu vltra lumen naturale, lumen glorię, abſquè eo quòd diuina eſſẽtia vniatur intellectui per modum ſpeciei intelligibilis, intellectus nũquam poſſet intelligere

18 Deum, & quamuis lumen gloriæ determinaret ipſum, vt poſſit Deum intelligere, tamen quia in intellectu eſt etiam lumen naturale intellectus, eſſet etiam indifferens ad intelligendum Deum, vel aliquod obiectum naturale. Quemadmodum, Voluntas habens auxilium ſufficiens habituale; & ſupernaturale in ordine ad actus ſupernaturales, quamuis per illud habituale, ac ſupernaturale auxilium; poſſit velle aliquod ſupernaturale, & non aliud, tamen quia habet etiam vires naturales in ordine ad obiecta naturaliter volibilia, eſt indifferens ad volendum aliquod obiectum naturale, vel ſupernaturale; immo his addo; quòd ſi per impoſſibile in intellectu creato, nullum eſſet lumen naturale, ſed tantummodo lumen gloriæ nequè etiam poſſet abſquè vnione diuinæ eſſentiæ cum intellectu in ratione ſpeciei cognoſcere Deum. Eo quia eſt determinatus quo ad virtutem agendi, non tamen quo ad repręſentationem obiecti. quæ omnino neceſſariò requiritur, vt tale obiectum per intellectum cognoſcatur.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO XVII.

VTRVM POSSIT DARI ALIQVOD SE TENENS Ex parte obiecti, & ex parte potentiæ ſimul.

Per Vnicum Caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 DIſputatio hæc non ab omnibus agitatur. Quia non eſt quæſtio magni momenti, vt rectè aduerterunt Suarez, lib. 2. de attrib. negat. cap. 15. num. 20. Et Magiſter Ioannes de Sancto Thoma diſp. 14. ar. 1. §. *dices cur repugnabit*. Supponimus in præſenti, quòd lumen ſe tenet ex parte potentiæ, & ſpecies ex parte obiecti. Vnde ſi quis affirmatiuè reſpondebit, non erit pro opinione Vaſquez. Quoniam Vaſquez affirmans lumen gloriæ eſſe ſpeciem, aſſeuerat quoquè ſpeciem non ſe tenere ex parte obiecti, ſed ex parte potentiæ.

Suarez. Ioan. de S. Thoma.

2 Magiſter Ioannes de Sancto Thoma ait, quòd quamuis lumen aliquod non poſſit eſſe ſpecies expreſſa; tamen loquendo de ſpecie impreſſa non ita clara implicatio apparet. Verumtamen mihi pars affirmatiua, quo ad vtramquè partem contradictio eſt. Vnde pro determinatione veritatis,

Dico primò. Implicat vt detur aliquod gerens vicem luminis, & ſpeciei expreſſę.

3 Non loquimur de lumine actualiter exiſtente, nec de lumine qualitercumquè; quoniam viſio etiam eſt aliquod lumen, vt Scotus aduertit in 3. diſt. 14. quæſt. 2. §. *itaquè poteſt dici*, ſed ſermo eſt de lumine antecedente viſionem. Nequè loquimur de ſpecie expreſſa ſecundùm quòd apud quoſdam ſe tenet ex parte potentiæ, ſed ſupponimus quòd ſpecies expreſſa ſe teneat ex parte obiecti, ſeu, vicem obiecti gerat.

Scotus.

4 Probatur. Quia lumen antecedit ſpeciem expreſſam vt ſupponimus. Ergo non poteſt cum illa identificari.

Confirmatur. Implicat idem eſſe productum, & eſſe ſuimet producendi principium: ſed ſpecies expreſſa eſt producta per lumen, tanquam per principium eleuatiuum intellectus. Ergo.

5 Dico Secundò. Implicat, quòd detur aliquod lumen cum ſpecie impreſſa identificatum.

Supponimus etiam in hoc dicto, quòd ſpecies impreſſa ſe teneat ex parte obiecti; & aſſerimus, quòd eſt impoſſibile reperiri, aliquod habens rationem ſpeciei impreſſæ ſecundùm quòd ex parte obiecti ſe tenet, & rationem luminis.

Hoc dictum non poteſt apud omnes Doctores propter diuerſas ipſorum de ſpecie impreſſa ſententias, vnica ratione probari. Quoniam quidam aſſerunt ſpeciem impreſſam eſſe obiecti vicariam, per hoc tantummodo, quòd obiecti coefficientiam ſupplet; non verò per hoc quòd intelligibiliter intellectum informet. Alij verò dicunt ſpeciem impreſſam vtrumquè munus habere, ſed principalius primum. Hoc igitur poſito, iuxta omnium opiniones, noſtra concluſio,

6 Probatur Primò. Supponendo quòd ſpecies quatenus ex parte obiecti ſe tenet, effectiuè ad viſionem concurrit, efficientia ſe tenente ex parte obiecti; & quòd lumen etiam effectiuè ſe habet, efficientia ſe tenente ex parte potentiæ. Tunc ſic probo. Implicat vt vnum, & idem omnino duplici effectione eumdem producat effectum. Ergo implicat dari aliquid vnum, ſe tenens ex parte potentiæ, & ex parte obiecti. Antecedens patet quia vnum, & idem agẽs non poteſt duplici actione immediatè concurrente, eumdem effectum producere. Vt per ſingula diſcurrendo patet. Probatur autem conſequentia. Quia ſi daretur aliquod formaliter ex parte potentiæ, & obiecti ſe tenens, neceſſariò ex æquo, & im-

immediatè duplici effectione deberet concurrere; Vna quidem ex parte obiecti, & altera ex parte potentiæ.

7 Probatur Secundò. Quia contingere poſſet quòd illud quod eſſet ſimul lumen intellectus, & ſpecies impreſſa, eſſet ſimul formaliter ſubſtantia, & accidens. Hoc implicat. Ergo. Probo ſequelam, & ſuppono iuxta noſtram ſententiam, quòd ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, eſtquè ſimilitudo formalis illius, ſeu, eiuſdem quidditatis cum illo. Nam ea ratione qua eſſet eiuſdem quidditatis cum obiecto, eſſet formaliter ſubſtantia, ſuppoſito quòd obiectum ſit ſubſtantia. Ea vero ratione qua eſſet lumen, eſſet formaliter accidens. Nam formaliter inhæreret.

Dices quòd eſſet de formali ſubſtantia; Accidens verò de materiali. Quemadmodum ſpecies impreſſa repræſentatiua ſubſtantiæ, de formali eſt ſubſtantia. Accidens verò de materiali, ſeu, entitatiuè.

8 Contra. Quia quamuis ſpecies impreſſa ab obiecto diſtincta, ſit de formali ſubſtantia, & de materiali accidens; tamen ſi eſſet lumen, eſſet vtrumque formaliter. Nam ea ratione qua repræſentaret obiectum, eſſet formaliter ſpecies; Quia haberet id quod eſt de formalitate ſpeciei: Ea verò ratione qua eſſet lumen, eſſet formaliter lumen. Quia haberet id quod eſt de formalitate luminis. Ergo, &c. Hæc ratio eſt conuincens ſuppoſita D. Thomæ, & Thomiſtarum opinione, Videlicet, quòd ſpecies eſt eiuſdem quidditatis cum obiecto.

Probatur Tertiò. Species ſe teneret ex parte obiecti quatenus realiter diſtincti à potentia (Sic enim loquimur in præſenti) & lumen ſe teneret ex parte potentiæ vt realiter ab obiecto diſtinctę. Ergo impoſſibile eſt, quòd in aliquo vno eminentiori ambo conueniant. Antecedens patet. Probatur conſequentia. Quia quando vnum ſe tenet ex parte alicuius extremi, vt realiter diſtincti ab alio extremo, non poteſt identificari cum eo, quod ſe tenet ex parte alterius extremi realiter diſtincti. ſed lumen ſe teneret ex parte potentiæ, vt realiter ab obiecto diſtinctæ; & ſpecies è contra. Ergo ſpecies, & lumen non poſſunt in vnum conuenire.

9 Dices. Quòd practicum, & ſpeculatiuũ realiter diſtinguuntur; & tamen idem habitus eminentior poteſt eſſe practicus ſimul, & ſpeculatiuus. Ergo ſtat vt aliqua realiter diſtinguantur, & tamen cõueniant in aliqua vna ratione eminentiori. Similiter Anima intellectiua, ſenſitiua, vegetatiua, & Corporeitatis forma, realiter ab inuicem ex natura ſua diſtinguuntur: tamen omnes identificantur in homine propter animam intellectiuam, quæ eſt cæteris eminentior. & ſic patet in multis alijs caſibus.

10 Reſpondetur tamen, diſparem eſſe rationem. Nam habitus ille, qui eſt ſimul practicus, & ſpeculatiuus, ſecundum quod eſt practicus, non ponitur loco habitus practici, vt realiter diſtincti ab habitu ſpeculatiuo, ſed ponitur loco habitus practici virtualiter contenti in habitu eminentiori; præterquamquòd ambo ſe tenẽt ex parte potentiæ; & ſimiliter Anima intellectiua, exercet munus animæ ſenſitiuæ, non ſecundùm quòd ſtat loco animæ ſenſitiuę, vt realiter diſtinctæ ab intellectiua, ſed ſecundum quòd ſenſitiua eſt virtualiter contenta ſub intellectiua: At verò in caſu noſtro, lumen ſe teneret ex parte potentiæ vt realiter diſtinctæ ab obiecto; & ſpecies è contra. Ergo ea ratione qua aliquid eſſet lumen, non poſſet identificari in aliquo eminentiori cum ſpecie impreſſa.

11 Dices. Vnum idemquè numero accidẽs, puta, quantitas ſe tenet ex parte ſubſtantiæ, & accidentis. Ergo vnum & idem poteſt ſe tenere ex parte potentiæ, & obiecti. Patet conſequentia à paritate, imo a fortiori. Magis enim diſtat Accidens à ſubſtantia, quam lumen intellectuale ab obiecto intelligibili. Antecedens etiam eſt manifeſtum. Nam in Sanctiſſimo Altaris Sacramento quantitas gerit vicem ſubſtantiæ vt communiter Theologi dicunt.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio autem diſparitatis eſt. Quia Accidens cum ſit virtus perquam ſubſtantia agit, poteſt eſſe formaliter accidens, & virtualiter ſubſtantia. Attamen non poteſt dari aliquid formaliter lumen, & virtualiter ſpecies, & è cõtra. Formaliter ſpecies, & virtualiter lumen. Cuius ratio eſt. Quia lumen intellectuale creatum eſt eſſentialiter accidens. Ergo neceſſariò, & ex natura ſua debet inhærere, Ergo non poteſt eſſe virtualiter lumen. Et inſuper ex hoc quòd aliquod immediatè repræſentat intelligibiliter obiectum, non eſt virtualiter, ſed formaliter ſpecies. Ergo non poteſt dari aliquod formaliter accidens, & virtualiter ſpecies Et hoc iuxta noſtram veramquè ſententiam. Quia nimirum, dicimus lumen non ſolùm effectiuè, ſed etiam formaliter ſe habere: formaliter quidem ad intellectum, effectiuè ad viſionem. Si tamen cũ alijs dicatur, nempe, quòd tantùm effectiuè. Patet quoquè diſparitas. Quia lumen non eſt virtus obiecti neque è contra. Accidens autem vt diximus eſt ſubſtantiæ virtus. Quod magis ex eo declaratur. Quia quamuis accidens gerat vicem ſubſtantiæ, non tamen ſubſtantia poteſt gerere vicem accidentis. Nam ſubſtantia non poteſt eſſe per ſe ipſam immediatè actiua. Ergo non poteſt gerere vicem accidentis.

DIS-

DISPVTATIO XVIII.

VTRVM SIT DE RATIONE SPECIEI Impreſſæ inhærere.

In quatuor Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Tituli explicatio.

1 QVamuis ex philoſophicis titulus clarus ſit. Nam Animaſtici, quid ſit ſpecies impreſſa; & Methaphyſici quid inhærentia docent. Nihilominus, quia huius diſputationis reſolutio ad cognoſcendum, Vtrum diuina eſſentia Beatorum intellectibus tanquam vera ſpecies intelligibilis vniatur magnopere confert; Ideo illam hic breuiter tractamus, & pro tituli maiori intelligentia, eſt,

Obſeruandum primò. Quòd ſpecies impreſſa, duo dicit. Speciem ſcilicet, & Impreſſam. Primum nil aliud ſonat quàm obiecti ſimilitudinem. Secundum verò dicit ſimilitudinem obiecti quæ antecedenter ad cognitionem imprimitur potentiæ, vel immediatè ab obiecto, vt in ſenſibus externis. Vnde Ariſtoteles 2. de anima tex. 121. ait. Senſum ſuſceptiuum eſſe formarum immaterialium, ſicut cera recipit ſignum. Vel ab obiecto media abſtractione intellectus agẽtis, ſicut in cognitione noſtra intellectiua; Vel à Deo, vt in intellectu Angeli, ſpecies non ab obiectis, ſed ab ipſomet Deo imprimuntur. vt probè Diuus Thomas docet p. p. quæſt. 56. ar. 2. in corp. Ariſt. D.Thom.

2 Ex quo colligo. quòd ſpecies propriè dicitur impreſſa, ſiuè ſit a Deo, ſiue ab obiecto. Contra Recupitum lib. 6. de verit. quæſt. 20. num. 3. vbi docet, vltra hunc noſtrum modum, ſpecies impreſſas, dici per quamdam analogiam, & proportionem ad eas, quæ producuntur ab obiectis, ſiue vt contradiſtinguuntur ab expreſſis, quarum ſunt principia; Nam ſi impoſſibilis eſſet ſpecies expreſſa, etiam ſaluaretur propria ratio ſpeciei impreſſæ. vt in ſenſibus externis communior, ac ſanior pars philoſophorum docet, & ex hoc quòd à Deo infunduntur, propriè etiam impreſsè, dicuntur. Recupit.

3 Obſeruandum ſecundò. Circa, ly, *impreſſa* Quòd ſpecies aliqua, dupliciter poteſt dici impreſſa. Propriè, ſcilicet, ſeu, ſecundùm nominis Etymologiam. Alio verò modo, ſecundùm quòd idem ſonat ac ſpecies intellectui, vel ſenſui ad conſtituendum illum in actu primo, intimè vnita. Primo modo neceſſariò ab obiecto quantùm ad modum eſſendi diſtinguitur; Secundo autem modo, non eſt neceſsè vt ſit ab obiecto diſtincta; & quando non eſt ab obiecto diſtincta, magis propriè vocatur forma, ſeu, ſpecies intelligibilis conſtituens potentiam in actu primo ad producendum actum ſecundum, quàm ſpecies impreſſa. In præſenti igitur diſputatione de ſpecie impreſſa vtroquè modo accepta diſputamus.

CAPVT SECVNDVM.

Referuntur Doctorum opiniones.

4 SVarez p. p. lib. 2. cap. 12. affirmat, de ratione ſpeciei intelligibilis eſſe, q̃ inhæreat; quapropter, dixit diuinam eſſentiam intellectibus Beatorum vnitam non eſſe propriè intelligibilem ſpeciem. Suarez.

Communis tamen Theologorum ſententia, eſt, non eſſe de ratione ſpeciei intelligibilis inhærere. Ita omnes Thomiſtæ cum Diuo Thoma, omnes Schotiſtæ cum Scoto, & communiter Doctores Societatis.

Q 2 CA-

CAPVT TERTIVM.

Determinatio Veritatis.

5 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Non eſt de ratione ſpeciei impreſſæ, ſiue ſenſibilis, ſiue intelligibilis inhærere.

Hoc dictum abſquè dubio eſt D.Thomæ qui infra quæſt.14. ar.4. docet diuinam eſſentiam eſſe ſpeciem intelligibilem, reſpectu propriæ cognitionis. & quæſt. 56. docet eſsētiam Angeli eſſe ſpeciem intelligibilem reſpectu cognitionis ſui ipſius. Eſſentiam autem Dei, & eſſentiam Angeli non inhærere, nulli dubium eſt.

Probatur igitur hoc dictum ratione, Primò. De ratione ſpeciei intelligibilis vt ſpecies intelligibilis; & de ratione ſpeciei ſenſibilis in ratione ſenſibilis eſt; quòd prima ſit perfectio intellectus ſecundùm eſſe intelligibile; & ſecunda ſit perfectio ſenſus ſecundùm eſſe ſenſibile: ſed inhærentia ſpeciei non perficit intellectum ſecundùm eſſe intelligibile per ſe, & formaliter loquēdo; & ſimiliter inhærentia ſpeciei ſenſibilis. Ergo non eſt de ratione ſpeciei intelligibilis inhærere. Maior eſt clara ex nominis Ethymologia; Ideo enim dicitur ſpecies intelligibilis, quia ad ordinem intelligibilitatis pertinet; non verò ad ordinem materialitatis. Minor verò patet, & probatur. Quia inhærentia ſpeciei perficit intellectum ſecundùm eſſe entitatiuum, & materiale.

6 Confirmatur. Quia ſpecies intelligibilis inhæret intellectui non vt inhæreat; ſed inhæret vt repræſentet obiectum in actu primo coefficiendo cognitionem, vel informando intellectum in eſſe intelligibili. Ergo ſi ſaluatur præſentatio obiecti in actu primo, ſeu, informatio ineſſe intelligibili, & ratio principij ex parte obiecti; ſaluatur quoquè eſſentialis ratio ſpeciei abſque inhærentia. Vide Scotum in 1. d. 3. q. 8. §. *Reſpondeo ad primam.*

7 Probatur ſecundò. Non eſt de ratione ſpeciei expreſſæ inhærere. Ergo nequè etiam eſt de ratione ſpeciei impreſſæ ſecundo modo acceptæ inhærere. Antecedens patet. Quia in diuinis filius, ſeu, Verbum, eſt propriè ſpecies expreſſa Patris; & non ſolùm non eſt eſſentialiter inhærens; ſed etiam eſt eſſentialiter non inhærens. Ergo non eſt de eſſentia ſpeciei expreſſæ inhærere. Conſequentia verò probatur. Quia ſpecies expreſſa eſt producta ab intellectu mediante ſpecie impreſſa. Ergo ſi expreſſa nō eſt eſſentialiter inhærens, neq; impreſſa. Confirmatur. Nam vel inhæret, quia impreſſa, vel quia ſpecies. Non primum. Quia loquimur de ſpecie impreſſa ſecundo modo. Non ſecundum. Quia ſpecies expreſſa eſt ſpecies, & non inhæret.

8 Dico ſecundò. De ratione ſpeciei impreſſæ primo modo, non eſt inhærere; indiſpenſabiliter tamen, includit inhærentiam. Prima pars patet ex præcedenti dicto. Eo quia de ratione ſpeciei impreſſæ tantùm eſt repræſentare obiectum.

Probatur verò ſecunda. Quia ſpecies impreſſa primo modo, Entitatiuè, eſt accidens. Ergo ea ratione qua accidens eſt, non poteſt non inhærere.

Pro huius controuerſię clariori intelligentia, ac determinatione, Eſt breuiter obſeruandum, Quòd præſens cum Suarez altercatio potius eſt de modo loquendi quàm de re. Quandoquidem, in re; quod dicimus nos; ipſe negare non audet. Dicimus ſpeciem impreſſam primo modo vniri potentiæ inhæſiuè, ea ratione qua accidens eſt; & Suarez ſimiliter. Dicimus quòd ſpecies impreſsa primo modo, vltra inhærentiam, comprincipiat cognitionem. & Suarez ſimiliter. Dicimus quòd diuina eſſentia beatorū intellectibus, vt obiectum intelligibile vnita, eſt comprincipium effectiuum viſionis effectione ex parte obiecti ſe tenente, & non vnitur inhæſiuè, neque in aliquo eſſe entitatiuo; & Suarez hoc totum affirmat. Huc vſquè conuenimus. Dicimus deinde, quòd diuina eſſentia, intellectui Beati ſic vnita, eſt formaliter ſpecies intelligibilis ſecundo modo; non verò primo Suarez.

9 modo. Quoniam ſpecies impreſſa primo modo; non eſt ſine inhærentia; & ſine vnione in eſſe entitatiuo. Suarez verò vtroquè modo negat diuinam eſſentiam eſſe propriè ſpeciem intellectus creati; quia vult non eſſe ſpeciem, niſi ſit, ſeu, interueniat vnio ineſſe entitatiuo cum potentia; nihilominus tamen ſtandum eſt, noſtræ determinationi; quæ eſt ſententia D.Thomæ; qui etiam in intellectu diuino rationem ſpeciei intelligibilis impreſſæ ſecundo modo agnoſcit. Vnde quæſt. 14. ar. 2. docet Deum intelligere ſe ipſum per ſe ipſum, quia intellectus, res intellecta, & ſpecies intelligibilis; ſunt vnum, & idem in Deo. Vbi ita propriè ſpeciem intelligibilem ponit in Deo; quemadmodum intellectum, & rem intellectam. D.Thom.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & diluuntur.

10 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. De ratione ſpeciei eſt, vt recipiatur intra potentiam. Ergo de ratione ſpeciei eſt, vt inhæreat. Antecedens probatur, Primò. Quod intra aliquam potentiam prius non erat, & de nouo intra ipſam incipit eſſe, in illa recipitur: ſed ſpecies prius non erat intra intellectum vel ſenſum, & poſtea incępit eſſe. Ergo recipitur intra potentiam.

Secundò. Perfectio ſubiectatur & recipitur in eo cuius eſt perfectio. ſed ſpecies intelligibilis eſt perfectio intellectus. Ergo ſubiectatur & recipitur in intellectu.

Tertiò. Quando ſpecies incipit eſſe intra intellectum, intellectus verè mutatur de potentia ad actum primum. Ergo ſpecies intelligibilis verè recipitur ſubiectiuè in intellectu. Antecedens eſt clarum. Probatur autem conſequentia. Quia nihil verè realiterquè mutatur niſi per receptionem, vel perditionem alicuius verè formæ, vel entitatis realis. Conſequentia autem principalis, etiam eſt manifeſta. Nam recipere eſt quoddam pati, vel mutari.

11 Reſpondetur, & prius, vnum ab arguente peto. Nam quando dicit quòd de ratione ſpeciei eſt, vt recipiatur, & inhæreat. Vel loquitur de ſpecie vt eſt ab obiecto in modo eſſendi realiter diſtincta, Vel vt eſt cum obiecto omnino identificata, an verò de ſpecie ſecundùm rationem formalem ſpeciei? Si primo modo. Cócedo totum argumentum. Probat enim noſtrum ſecundum dictum. Quia fatemur quamlibet ſpeciem impreſſam ab obiecto, ſcilicet, diſtincta in modo eſſendi; neceſſariò includere inhærentiam, propter eſſe entitatiuum quod eſt accidens, Si verò ſecundo, vel tertio modo.

12 Reſpondetur ad argumentum, negando antecedens, vniuerſaliter. Nam ratio ſpeciei impreſſæ ſaluatur etiam in Deo reſpectu proprij intellectus, & ibi nulla ſpeciei receptio intercedit, propter ſummam intellectus cum ſpecie intelligibili identitatem. Loquendò verò de ſpecie iuxta caſum argumenti. Reſpondetur diſtinguendo antecedens. De ratione ſpeciei eſt, vt recipiatur impropriè, concedo antecedens. Vt recipiatur propriè, nego antecedens. Nam illud dicitur propriè recipi, quod recipienti ſubiectatur, iuxta communem philoſophorum loquendi modum. Nominibus autem vtendum eſt vt plures vtuntur; & in hoc ſenſu, ſpecies intelligibilis ſecundo, & tertio modo, non dicitur recepta in potentia; ſed vnita in eſſe intelligibili, Vnde.

13 Ad primam probationem; Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Quòd incipit eſſe, ſecundum modum eſſendi naturalem, &c. Concedo maiorem. Secundum modum eſſendi intelligibilem, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundam probationem. Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Perfectio inhæſiua, ſeu, per modum formæ in eſſe naturæ, eſt ſubiectiuè in eo cuius eſt perfectio, Concedo maiorem. Perfectio ſecundùm eſſe repræſentatiuum, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia. Quare, &c.

14 Ad tertiam probationem, diſtinguo antecedens. Quando incipit ſpecies, &c. potentia verè mutatur, in eſſe intentionali; ſeu, in eſſe repręſentatiuo, concedo antecedens. In eſſe naturali, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Obijcies ſecundò. Species intelligibilis, eſt verè & propriè forma intelligibilis. Ergo vel eſt forma informans intellectum, Vel tantummodo intellectui aſſiſtens. Si primo modo. Ergo ſubiectatur illi. Probatur hoc. Quia implicat formam informare, & ei quod informat non ſubiectari. Si ſecúdo. Ergo non conſtituit intellectum in actu.

15 Reſpondetur, quòd ſpecies intelligibilis eſt forma informans intellectum, non quidem in eſſe naturali, ſed in eſſe intelligibili; Ad informandum autem intellectum ſecúdùm eſſe repræſentatiuum, ſeu ſecundùm eſſe intelligibile, non eſt neceſſe, vt forma ſubiectetur intellectui, ſed tantummodo vt transformet intellectum ad eſſe diuinum, ſeu, vt dicatur Deus in eſſe intelligibili, iuxta illud. *Transformabimur de claritate in claritatem gloriam Domini ſpeculantes*, Eſtquè huius rei exemplum. Nam Perſona Verbi. 2. Cor. 3.
Eſt intimè naturæ humanæ Chriſti Domini vnita, non quidem in ratione formæ naturalis, ſed in ratione termini; & nihilominus non dicitur propriè in humanitate recepta. Ita ſimiliter eſſentia diuina, licet ſit intellectibus Beatorum intimè vnita, in ratione ſpeciei, ſeu, formæ intelligibilis; non tamen eſt illi ſubiectiuè. Eſſet verò ſubiectiuè, ſi eſſet forma in eſſe entitatiuo, Ratio autem diſparitatis quarè eſſet ſubiectiuè, ſi eſſet vnita per modum formæ in eſſe entitatiuo; non verò ſi eſt vnita in eſſe repræſentatiuo, magis patebit infra; & nunc breuiter inſinuatur. Eo quia forma in eſſe entitatiuo, eſt ad conſtituendum aliquod tertium; & limitatur, ac finitur, per ſubiectum: At verò forma in eſſe repręſentatiuo, cum

ſit

ſit eiuſdem quidditatis cum obiecto, & formalis ſimilitudo ipſius, ponitur vt potentia aſſimiletur obiecto, & non ad conſtituendum aliquod tertium.

16 Obijcies tertiò. Ex ſpecie, & obiecto fit vnum. Ergo ſpecies componit cum intellectu. Ergo Vnum ſe habet vt forma, & alterum vt materia, ſeu, vt potentia: ſed ſpecies eſt quæ ſe habet vt forma. Ergo intellectus ſe habet vt materia; & conſequenter vt ſubiectum.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Ex ſpecie, & potentia fit vnum, Id eſt vnum extremum fit aliud in eſſe intelligibili, concedo antecedens. Fit vnum tertium, nego antecedens. Ergo &c. diſtinguo conſequens. Ergo vnum ſe habet vt forma in eſſe intelligibili, & alterum ſimiliter vt materia in eſſe intelligibili, concedo conſequentiam. in eſſe entitatiuo, nego conſequentiam; Ad ſubſumptionem minoris, diſtinguo antecedens. ſed ſpecies ſe habet vt forma intelligibilis, concedo. Vt forma in eſſe entitatiuo, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Nam ſpecies componit cum potentia non faciendo vnum tertium, ſed potentiam transformando ad entitatem obiecti in eſſe repræſentatiuo, ſeu, determinatiuo.

17 Obijcies Quartò. Omne ens reale vel eſt ſubſtantia, vel accidens: ſed ſpecies eſt ens reale. Ergo eſt ſubſtantia, vel accidens: ſed non eſt ſubſtantia. Quia ſubſtantia eſt per ſe ſubſiſtens ſecundùm eſſe naturale, & non ſecundùm eſſe intentionale. Eſt igitur accidens: ſed accidens debet inhærere. Ergo ſpecies debet inhærere.

18 Reſpondetur, diſtinguendo maiorem. Omne ens reale ſecundùm ſingularem, ſeu, particularem entis rationem, eſt ſubſtantia, vel accidens, concedo maiorem. Omne ens reale, ſecundùm communem entis rationem, aut eſt ſubſtantia, aut accidens, nego maiorem. Tunc conceſſa minori. Diſtinguendum eſt conſequens, ſicut maior.

Explicatur iſta reſponſio. Certum omnino eſt quòd omne ens, in particulari, eſt determinatè ſubſtantia, vel determinatè accidens, non tamen verum eſt, quòd ens, ſecundùm communem rationem, eſt determinatè ſubſtantia, vel determinatè accidens. Nam nequè omne ens eſt ſubſtantia, nequè omne ens eſt accidens. Vnde ens ſecundùm communem rationem analogicè vnam, nequè eſt determinatè ſubſtantia, nequè determinatè accidens, ſed aliquod eſt ſubſtantia, & aliquod eſt accidens. Ita in præſenti dicimus, quòd ſpecies ſecundùm communem rationem ſpeciei, quantùm ad rationem formalem illius, non eſt determinatè ſubſtantia, neque determinatè accidens; Quoniam datur aliqua ſpecies,

19 quæ in eſſe ſpeciei formaliter, ratione ſcilicet, obiecti, eſt ſubſtantia. Sicut patet de ſpecie Angeli reſpectu cognitionis ſui ipſius, & de ſpecie repræſentante ſubſtantiam Ergo ſpecies ſecundùm communem rationem non eſt accidens, & etiam ſpecies repræſentatiua V. G. albedinis ſecundùm quòd ſpecies albedinis eſt, in eſſe repræſentatiuo, eſt accidens. Ergo ſpecies ſecundùm communem rationem ſpeciei, non eſt ſubſtantia. Et hoc ſi loquamur de ſpecie ſecundùm rationem formalem ſpeciei; ſi verò ſermo ſit de ſpecie ſecundùm rationem materialem, omnis ſpecies eſt accidẽs, ſed nihil contra nos.

20 Idem quod dicimus de ſpecie intelligibili, dicimus de ſpecie ſenſibili proportione ſeruata; ſpecies enim ſenſibilis duobus modis eſt accidens. & in eſſe repræſentatiuo, & in eſſe entitatiuo: ſed differenter, quia in eſſe repræſentatiuo eſt accidens de ſuo formali. Eo quia ſpecies ſenſibilis, cum non repræſentet ſubſtantiam, ſed accidens tantùm, (nullus enim ſenſus poteſt immediatè ſentire ſubſtantiam, ſiuè ſit internus ſiue externus) eſt formaliter accidens. Secundo autem modo eſt accidens de materiali. Primo igitur modo eſt accidens non inhærens potentiæ, ſed ſubiecto extra potentiam. Secundo autem modo eſt accidens inhærens potentiæ. Verbi Gratia. Species albedinis, eſt accidens de ſuo formali, ſecundùm quòd, ſcilicet, cum albedine identificatur; & ſic inhæret corpori. Secundùm quòd verò accipitur pro eſſe entitatiuo, quod habet intra potentiam, eſt accidens inhærens potentiæ. Adde quòd ſecundùm eſſe repræſentatiuum formaliter, quantùm ad modum repreſentandi præter ſubſtantialitatem, & accidentalitatem obiecti, nequè dicit ſubſtantiam, nequè accidens. Quoniam dicere ſubſtantiam vel accidens, quo ad modum eſſendi, eſt proprium entis ſecundùm rationem formalem entis, in eſſe naturæ, non autem in eſſe repræſentatiuo. Vnde ſpecies accidentis in eſſe repræſentatiuo quantùm ad modum repræſentandi, ita repræſentat accidens, ſicut ſi eſſet ſpecies propria ſubſtantiæ, & repræſentaret immediatè ſubſtantiam. & è contra ſpecies repræſentatiua ſubſtantiæ, ita actuat intellectum in eſſe repræſentatiuo, ac ſi repræſentaret accidens; & eſſet propria ſpecies accidentis.

Reſpondetur ſecundò, & clarius, Diſtinguendo maiorem. Omne ens, &c. quò ad modum exiſtendi, concedo maiorem. quò ad modum repræſentandi, nego maiorem. Tunc conceſſa minori. negatur conſequentia.

21 Cauſa deceptionis Patris Suarez eſt; Quia putat ſpeciem eſſe intra intellectum, eſſe ſpeciem inhærere intellectui, & in conue-

ueniens iudicat dicere aliquam ſpeciem eſſe ſpeciem alicuius obiecti, & non habere modum eſſendi entitatiuè diſtinctum a modo eſſendi obiecti ad extra, quod vtrumquè omnino falſum eſt. Primò, quia eſſe intra intellectum pluribus modis cotingere poteſt. Obiectiuè tantùm, & hoc eſt ens rationis quod eſt intra intellectum, & illi non inhæret. Inhæſiuè, & ſic eſt ſpecies impreſſa cauſata à Deo vel ab obiectis ſecundùm eſſe entitatiuum conſiderata. Effectiuè, & inhæſiuè ſimul, & ſic eſt intellectio, quæ cum ſit actio vitalis, eſt effectiuè ab intellectu. Et cum ſit accidens, & immanens, eſt intellectui inhæſiuè. Ergo non valet conſequentia. Eſt intra intellectum. Ergo inhæſiuè.

22 Quoniam datur etiam alius eſſendi modus intra intellectum qui eſt modus eſſendi repræſentatiuè, ſincerè, & purè loquendo, qui non eſt modus eſſendi inhæſiuè niſi per accidens, ratione ſcilicet, entitatis accidentalis. Ergo quando ſaluatur ratio repræſentatiui formaliter, & ſincerè, modus quoquè eſſendi intra intellectum abſquè omni inhæſione ſaluatur. Sicut contingit in cognitione qua Angelus per ſuam eſſentiam ſe ipſum cognoſcit, & diuina eſſentia ſe ipſam intellectui creato lumine gloriæ illuſtrato vt intimè coniunctā repræſentat.

23 De ſecundo verò, vt Patrem Suarez ab hoc ſcrupolo liberemus, quia nimirum difficile, & impoſſibile iudicat ſpeciem obiecti eſſe omnino cum modo eſſendi obiecti identificatam, per hoc quòd ſpecies obiecti dicitur, quia fortaſſe obiectum in obliquo ponitur, & ſpecies in recto. Loquamur in recto, & non amplius in obliquo, & (loquendo de ſpecie impreſſa ſecundo modo) ſic dicamus. Species obiectum eſt, ſecundùm quòd obiectum intra intellectum eſt; & obiectum ſpecies eſt; ſecundùm quòd intellectui per ſe ipſum, ſeu, per ſuam ſubſtantiam ad coefficiendam cognitionem, ſeu, obiecti repræſentationem præſens eſt. Suarez.

DISPVTATIO XIX.

QVID SANCTVS THOMAS DE SPECIE IMPRESSA Diuinæ eſſentiæ ſenſerit.

In tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Vaſquez. 1 PRopter Patrem Vaſquez præſentem facimus controuerſiam, quam etiam ipſe formauit, ex eo motus, *Quia cum multi conuicti rationibus probantibus non eſſe impoſſibilem ſpeciem impreſſam, planè videant nihil omnino repugnare ſpeciem impreſſam eſſentiæ diuinæ produci, ſolùm propter Doctoris Sancti authoritatem, quem in contrariam partem interpretantur, id aſſerere non audent. Omnes verò fatentur ipſum planè loqui non de facto ſolùm, ſed de potentia abſoluta Dei eius enim rationes ad hoc tendunt vt oſtendant manifeſtam contradictionem, & repugnantiam eſſe, vt diuina eſſentia per ſpeciem videatur, cæterum permulti eius diſcipuli quorum princeps videtur fuiſſe Caietanus, putarunt Sanctum Thomam loqui de ſpecie impreſſa Deitatis quæ ſolùm ſit principium eliciendi claram Dei viſionem. Quo circa defendunt iuxta mentem Doctoris Sancti nullo modo eam produci poſſe. Mihi tamen*, inquit, *verbis articuli penitus conſideratis ſummoperè placuit expoſitio quam Doctiſſimus Franciſcus Victoria in Commentarijs huius articuli ſolebat adhibere. Aiebat enim Sanctum Thomam ſolùm loqui de ſpecie, & ſimilitudine Deitatis, quæ prius viſa ducat nos in claram ipſius viſionem, & hanc non poſſe à Deo produci.* Hæc Vaſquez hic diſp. 39. cap. 1. & 2. Caietan.

2 De mente D. Thomæ laborat, eius tamen ſententiam defendere minimè curat. Quid ſenſerit Diuus Thomas de ſpecie impreſſa diſputat, & ſpeciem expreſſam quam Diuus Thomas negat, Vaſquez affirmat. Diuus Thomas ſuſtinet ſpeciem expreſſam non

Digitized by Google

non eſſe intellectionem, & Vaſquez hanc doctrinam aperto ore refellit. & hoc, hic. cap. 2. quoniam in alijs locis ſexcenties D. Thomæ ſe opponit. formauit præſentem diſputationem, quid, ſcilicet, ſenſerit D. Thomas, & Contra D. Thomam ſentit, quod quantùm ad hoc rectè Doctores Societatis aduerterunt, & impugnarunt ſi valdè paucos excipiamus.

3 Omnes tamen Angelici Doctoris Expoſitores ſuſtinent D. Thomam etiam hic ſpeciem impreſſam Deitatis impugnare.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

4 PRo determinatione veritatis Dico breuiter. D. Thomas in hoc ſecundo articulo ſpeciem impreſſam omnino negat, ſimul cum ſpecie expreſſa, & obiectiua.

Probatur primò. Nam D. Thomas negat ſpeciem eſſentiæ diuinæ qua ita Deus vniatur intellectui, ſicut color vnitur oculo per ſui ſimilitudinem: ſed color vnitur oculo per ſpeciem impreſſam. Ergo etiam ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ negat.

Secundò. Non eſt aliqua ſpecies in oculo quæ prius viſa faciat obiectum videri: ſed in intellectu Beati eam ſpeciem negat D. Thomas quæ ſe habet inſtar illius quam in oculo ponimus, vt color ei vniatur. Ergo non loquitur de ſpecie expreſſa tantùm.

Vaſquez. 5 Has duas inſtãtias affert idem Vaſquez contra ſe, ſed fallaciter. Quia putat nos Thomiſtas præſertim Caietanum loqui tãtùm de ſpecie impreſſa, non verò de ſpecie prius viſa, vt legenti Vaſquez patet. quod verum non eſt, vt patebit legenti Thomiſtas, & præſertim Caietanum.

His inſtantijs per hæc verba Vaſquez ſatisfacere conatur. *In doctrina Doctoris Angelici eam ſpeciem quam dicit ſe habere ex parte potentiæ eſſe ſolùm impreſſam, quæ non viſa, eſt principium viſionis obiecti; eam verò eſſe ex parte obiecti quæ eſt expreſſa virtute ipſius potentiæ, & prius viſa facit obiectum videri, & hanc non ſolùm in intellectu putauit eſſe cum res intelligitur, ſed etiam in viſu corporeo. Huic ergo comparat ſpeciem diuinæ eſſentiæ quæ ſe habet ex parte obiecti, quam eſſe negat. Nunquam enim de ea dixit eſſe neceſſariam ad eliciendam viſionem, vel ad conſtituendam potentiam in actu primo; ſed dixit eam eſſe, per quam fit viſio in actu, vel fit res actu viſa. quod ſanè intelligendum eſt. Quia aut eſt terminus viſionis; aut eſt ipſamet viſio. Putauit* D.Thom. *igitur Sanctus Thomas; colorem ab oculo videri per ſimilitudinem illius, ab ipſo expreſſam; & quamlibet rem hoc modo intelligi à nobis; quoties illa non habet virtutem, quàm habet Deus, vt ſecundùm ſe vniatur intellectui. Sicut res actu intellecta.* Hæc Vaſquez, Quæ plura continet impugnatione digna. Vnde.

6 Contra hanc reſponſionem, ſic argumentor primò. Quia D. Thomas in huius articuli corpore hanc præmittit doctrinam. Nimirum, quòd *ad viſionem tam ſenſibilem quàm intellectualem. Duo requiruntur, ſcilicet, virtus viſiua, & vnio rei viſæ cũ viſu, & quòd in rebus corporalibus, res viſa nõ poteſt eſſe in vidente per ſuam eſſentiam, ſed ſolùm per ſuam ſimilitudinem. Sicut ſimilitudo lapidis eſt in oculo, per quam fit viſio in actu, non autem ipſa ſubſtantia lapidis.* Tunc ſic contra Vaſquez proponitur argumentum. Vaſquez. In rebus corporalibus res viſa non eſt in vidente per ſuam eſſentiam, ſed ſolùm per ſuam ſimilitudinem, ſicut ſimilitudo lapidis eſt in oculo, per quam fit viſio in actu: ſed ſimilitudo lapidis quæ eſt in oculo, non eſt ſimilitudo expreſſa, & prius viſa; ſed ſimilitudo impreſſa; ratione cuius producitur viſio quæ terminatur ad obiectum præſens, extra potentiam exiſtens. Ergo in hoc exemplo non loquitur de ſimilitudine expreſſa, ſed impreſſa.

7 Confirmatur. Quia D. Thomas illam ſpeciem negat, qua obiectum vnitur potentiæ: ſed ſpecies expreſſa quamuis vniat obiectum potentiæ in actu ſecundo, præſupponit tamen ipſum vnitum potẽtiæ per ſpeciem impreſſam in actu primo. Ergo. D.Thom.

Secundò. Quia ſpecies impreſſa apud Sanctum Thomam inuenitur quòd ſit per quam fiat vnio obiecti cum potẽtia. Ergo. D.Thom.

8 Tertiò. Ex eodem D. Thoma quodlibeto 7. ar. 1. vbi quærens. *Vtrum intellectus creatus, poſſit diuinam eſſentiam immediatè videre*: & affirmatiuè reſpondens: triplex medium diſtinguit. Sub quo. Quo. Et in quo. Primum; Diſponit intellectum ad videndum. Et ſecundum vocat ſpeciem intelligibilem; ſicut ſpecies lapidis eſt ſpecies ſenſibilis. Et tertium eſt res ad extra exiſtens, per quam in alterius rei cognitionem deuenimus. Et tandem concludit: quòd in Patria non eſt tertium medium, neque ſecundùm, nempè, ſpeciem eſſentiæ diuinæ; tantummodo primum medium admittit; quod eſt lumen. Ergo ad mentem D. Thomæ ſpecies expreſſa, & etiam impreſſa, negatur. idem docet in 4. ſent. diſt. 49. quæſt. 2. ar. 1. ad 15. vbi hoc idem triplex medium diſtinguit; & tantummodo admittit lumen, quod eſt medium ſub quo: medium autem in quo; quod eſt res ad extra: & medium quo; quod eſt ſpecies expreſſa, & impreſſa ſimpliciter negat. D.Thom.

9 Pater Vaſquez. his teſtimonijs valdè torquetur; & variat, ſeu, vacillat in verbis. Vaſquez.

Digitized by Google

bis. Aliquando enim viriliter, ne dicam pertinaciter aſſerit, D. Thomam ſemper ſuæ fuiſſe ſententiæ. Nam diſp. 39. cit. cap. 1. n. 6. circa finem, ſic ait. *Nec in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 1. nec vſquàm alibi oppoſitum docuit*. Ecce firmitas. Aliquado verò, titubat, Nam ibidem cap. 2. n. 12. ſic ait. *Reſpondere poſſumus primùm. Eo loco Sanctum Thomam oppoſitum docuiſſe, ex alijs tamen teſtimonijs allegatis, optimè colligi expoſitionem, quam tradidimus*. Et ecce variatio. Non enim iſta duo benè cohærent. *Nec vſquam alibi oppoſitum docuit*. Et *Reſpondere poſſumus eo loco Sanctum Thomam oppoſitum docuiſſe*.

Deinde tamen reſpondet, Diuum Thomam explicando his verbis. *Adhuc defendi poteſt, nihil ibi docuiſſe, contra id quod hactenus diximus, de ſpecie expreſſa. Nam cum negauit ſecundum medium, quo res videtur; poſſemus eum interpretari de ſpecie expreſſa*.

D.Thom. 10 Sed textum hæc explicatio deſtruit. Nam ſecundum medium à Diuo Thoma vocatur ſpecies intelligibilis: quæ ad intellectum poſſibilem ſe habet ſicut ſpecies lapidis ad oculum. Et illa verba, nempe, non eſt ibi medium ſecundum, ſcilicet, aliqua ſpecies eſſentiæ diuinæ, manifeſtè declarant Diuum Thomam loqui de ſpecie impreſſa, vel de vtraque, expreſſa ſcilicet, & impreſſa; principalius tamen de impreſſa.

Idem docet Diuus Thomas infra quæſt. 58. D.Thom. artic. 2. vbi in corp. hæc habet verba. *Quæcumquè igitur per vnam ſpeciem intelligibilem cognoſci poſſunt, cognoſcuntur vt vnum intelligibile: & ideo ſimul cognoſcuntur. Quæ verò per diuerſas ſpecies intelligibiles cognoſcuntur, vt diuerſa intelligibilia capiuntur. Angeli igitur ea cognitione qua cognoſcunt res per Verbum; omnia cognoſcunt vna intelligibili ſpecie, quæ eſt eſſentia diuina. Et ideo quantùm ad talem cognitionem omnia ſimul cognoſcunt*. Ergo eſſentia diuina ſecundùm Sanctum Thomam eſt ſpecies veluti impreſſa: & eſt illa de qua loquitur in hoc articulo, in quo tantùm diuinam eſſentiam tanquàm Dei intuitiuè repræſentatiuam cognoſcit.

11 Reſpondet Vaſquez his verbis. *Reſpondeo per ſpeciem intelligibilem, Sanctum Thomam intelligere Verbum expreſſum; & quia putauit non eſſe aliam in Beatis, præter ipſammet eſſentiam diuinam, quæ ſecundùm ſe nullo alio medio videtur, ideo dixit, eam eſſe loco ſpeciei intelligibilis; hoc eſt loco ſpeciei expreſſæ: Nuſquam tamen dixit. Eam eſſe ſpeciem intelligibilem ad eliciendam viſionem. Cæterum quamuis hanc exiſtimem eſſe mentem Sancti Thomæ vt Verbum, & ſpecies expreſſa, prius videatur, & per illam obiectum intelligamus, & hac ratione in viſione beatifica, non exprimi verbum aliquod, ſed eſſentiam ipſam Dei, eſſe loco ſpeciei expreſſæ. Probabilius tamen exiſtimo oppoſitum cum multis Thomiſtis; in omni beatitudine Patriæ, verbum produci, vel potius intellectionem, aut viſionem eſſe ipſum verbum*. Hæc Vaſquez.

12 Vaſquez, de mente D. Thomæ quid ſentiendum ſit in hac diſputatione laborat, & contra Sanctum Thomam expreſsè ſuam præfert opinionem. Vnde ergo, tanta huius Patris agonia, vt quid ſenſerit Diuus Thomas de ſpecie impreſſa, ſpecialem formaret diſputatione, dum de ſpecie, & impreſſa, & expreſſa Angelicum Doctorem auſus eſt impugnare, vnam quidem re, & alteram nomine, & re? Hæc igitur Vaſquez expoſitio eſt expreſsè contra Sanctum Thomam ibidem; vbi immediatè, hæc ſequitur verba. *Ea verò cognitione qua cognoſcunt res per ſpecies innatas, omnia* Vaſquez.

13 *illa ſimul poſſunt intelligere, quæ vna ſpecie cognoſcuntur; non autem illa quæ diuerſis*. Hæc ille. Quibus verbis poſitis, ſic contra Vaſquez argumentor. D. Thomas in Vaſquez. D.Thom. Angelis diſtinguit cognitionem per ſpecies innatas, a cognitione Beatifica quæ eſt per diuinam eſſentiam; tanquàm per ſpeciem: ſed ſpecies innatæ non ſunt ſpecies expreſſæ (eſſet enim falſum, & valde ridiculum ac puerile hoc aſſerere;) Nam ſpecies expreſſa qua Angelus cognoſcit alia à ſe, aliquando exiſtit; & aliquando non exiſtit; exiſtit quidem, quando Angelus actu aliquod obiectum cognoſcit, non verò exiſtit, quando obiectum aliquod non cognoſcit. Species igitur innatæ ſunt ſpecies impreſſæ.

14 Contra Diuum Thomam, & falſum eſt id quod in prima reſponſione Vaſquez Vaſquez D.Thom. conglutinat, dicens, quòd D. Thomas loquitur de ſpecie expreſſa, etiam reſpectu viſionis corporeæ. Nam Diuus Thomas opuſc. 3. cap. 79. ſic ait. *Sic enim cognoſcuntur colores, in quantum colorum ſpecies recipiuntur in pupilla: recipiens autem oportet eſſe denudatum ab eo quod recipitur*. Ergo ſpecies impreſſa eſt intenta à Diuo Thoma tanquàm neceſſaria ad cognitionem ſenſus externi non autem expreſſa.

Secundò. Quia ſpecies expreſſa, reſpectu obiecti potentiæ externæ non eſt neceſſaria. Eo quia obiectum debet eſſe extra potentiam exiſtens, cum debita diſtantia; aliàs non ſentiretur. Iuxta illud. *Senſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem*. Ergo in ſenſibus externis, tantummodo ponenda eſt ſpecies impreſſa, non verò expreſſa.

15 Contra Diuum Thomam etiam eſt; quod in eadem infert reſponſione; videlicet, quòd nunquam de ſpecie impreſſa dixit eſſe neceſſariam ad eliciendam viſionem. Nam D.Th. eodem opuſc. 3. cap. 79. D.Thom.

Digitized by Google

D.Thom. loquens de ſpecie impreſſa ſic ait. *Item omnis ratio cognoſcitiua eo modo cognoſcit, quo ſpecies cogniti eſt apud ipſam: Nam hæc eſt ſibi principium cognoſcendi.* Hæc ille. Ecce quomodo D. Thomas docet ſpeciem impreſſam requiri ad eliciendam viſionem.

16 Idem docet de veritate quæſt. 8. ar. 1. in corpore, per hoc quòd dicit in omni viſione neceſſarium eſſe ponere aliquid quo videns viſum videat. Et hoc eſt vel eſſentia ipſius viſi; vel aliqua ſimilitudo eius ſicut homo videt lapidem.

Et magis clarè primò contra gent. cap. 53. ibi hæc habet verba. *Intelligere manet in ipſo intelligente, & habet relationem ad rem quæ intelligitur. Ex eo quòd ſpecies prædicta, quæ eſt principium intellectualis operationis vt forma, eſt ſimilitudo illius.*

Vaſquez. D.Thom. 17 Nec poteſt Vaſquez D.Thomam de ſpecie expreſſa interpretari. Quia de ea ſpecie loquitur D.Thomas, quam vocat intellectionis principium; ſpecies autem expreſſa apud D.Thomam terminus intelligibilis operationis nominatur.

D.Thom. Idquè manifeſtius enucleat D. Thomas ibidem. Vbi poſt pauca, hæc habet verba. *Hæc autem intentio intellecta, cum ſit quaſi terminus intelligibilis operationis, eſt aliud à ſpecie intelligibili quæ facit intellectū in actu: quam oportet* (Vaſquez, quid intereſt inter oportet; & neceſſarium eſt?) *conſiderari, vt intelligibilis operationis principium: licet vtrumque ſit rei intellectæ ſimilitudo. Per hoc enim quòd ſpecies intelligibilis quæ eſt forma intellectus, & intelligendi principium, eſt ſimilitudo rei exterioris, ſequitur quòd intellectus intentionem formet, &c.* Hæc ille.

18 Et p.p. quæſt. 56. ar. 1. in corp. hæc habet verba. *In actione quæ manet in agente oportet* Nota ly oportet *ad hoc quòd procedat actio, quòd obiectum vniatur agenti; ſicut oportet quòd ſenſibile vniatur ſenſui; ad hoc quòd ſentiat actu; & ita ſe habet obiectum vnitum potentiæ ad huiuſmodi actionem. Sicut forma quæ eſt principium actionis in alijs agentibus. Sicut enim calor eſt principium formale calefactionis in igne; ita ſpecies rei viſæ eſt principium formale viſionis in oculo.* Hæc D. Thomas. In quibus verbis manifeſtiſſimè contradicit Vaſquez; Vaſquez enim dicit, nunquàm de ſpecie impreſſa dixiſſe Diuum Thomam eſſe neceſſariam ad eliciendam viſionem; & D.Thomas ait, quòd oportet, ſpeciem conſiderari, vt intelligibilis operationis principium, quæ duo dicta ad inuicem aduerſantur.

D.Thom. Vaſquez. 19 Contra D.Thomam tandem eſt, quod in eadem reſponſione ſequitur Vaſquez, dicens. Nunquam de ſpecie impreſſa dixiſſe Sanctum Thomam, eſſe neceſſariam ad conſtituendam potentiam in actu primo. Nam de veritate quæſt. 8. art. 1. in corp. iam cit. Et etiam in reſpōſione ad 7. ſic ait. *In omni ſiquidem viſione, oportet ponere aliquid quo videns viſum videat; & hoc ideo. Quia ex intelligente, & intelligibili oportet aliquo modo fieri in intelligendo vnum. Non autem ex intellectu, & intelligibili fit vnum, niſi per hoc quòd intellectus per intelligibile fit in actu.*

20 Idem docet Opuſc. 3. cap. 30. vbi probare volens quòd Deus non per aliam ſpeciem quàm per eſſentiam ſuam intelligat, hæc habet verba. *Omnis intellectus intelligens per ſpeciem aliam à ſe, comparatur ad illam ſpeciem intelligibilem, ſicut potentia ad actum: Cum ſpecies intelligibilis ſit perfectio eius faciens ipſum intelligentem actu.* Et primo contra gent. cap. 53. cit. ſic ait. *Oportet quòd ſpecies rei ad extra ſit in intellectu noſtro per quam ſit intellectus in actu.* Et ibidem paulo infra hæc verba, ſed iam adducta profert. *Hæc autem intentio intellecta cum ſit quaſi terminus intelligibilis operationis eſt aliud à ſpecie intelligibili quę facit intellectum in actu.* Hæc ille. Quid clarius? Mihi cenſuris Doctores afficere durum eſt, Nihilominus fateor in præſenti, quòd Pater Vaſquez ſatis falsò vaticinatus eſt. Et quia res eſt clara, Idcirco ad probandum noſtrum dictum eſſe de mente D. Thomę non eſt amplius fruſtra immorandum. Tantum ſupereſt, vt rationes pro Vaſquez audiamus, & diſſoluamus.

CAPVT TERTIVM.

Adducuntur, & ſoluuntur fundamenta Vaſquez.

21 PAter Vaſquez probare conatur Diuum Thomam in hoc art. ſpeciem impreſſam non excluſiſſe, Primò. Nam Diuus Thomas in argumento ſed contra. Probans non dari ſpeciem de qua loquitur. Hæc verba profert, *Sed contra eſt quod dicit Auguſtinus 15. de Trinit. quòd cum Apoſtolus dicit videmus nūc per ſpeculum in Ænigmate. Speculi, & Ænigmatis nomine, quæcumquè ſimilitudines ab ipſo ſignificatæ intelligi poſſunt: quæ accommodatæ ſunt, ad intelligendum Deum;* Vbi Diuus Thomas planè de ſimilitudine quæ eſt prius nota loquitur. Vaſquez. D.Thom. Auguſt.

Illa

Digitized by Google

Illa enim quæ tantùm eſſet principium viſionis, ineptè ænigma diceretur. Cum igitur tantùm probare intendat Deum non videri per ænigma, ſolùm ſpeciem excludit per quam prius viſam videatur Deus.

22 De facili hoc argumẽtum cadit, ſi prius breuiter præmittamus; quòd quælibet ſpecies creata eſt formalis ſimilitudo obiecti; & conſequenter, quæcumquè ſpecies impreſſa creata, per ſe, & immediatè loquendo, eſt cognoſcendi alicuius obiecti creati principium. Et hoc præmiſſo, breuiter.

Reſpondetur, D. Thomam loqui de ſpecie impreſſa, & obiectiua, quotieſcumque aſſerit Deum per quamlibet ſimilitudinem creatam ænigmaticè, ſeu, tanquàm in ſpeculo videri; & ratio eſt iam in præſuppoſito aſſignata. Eo quia quælibet ſpecies impreſſa creata, ad mentem D.Thomæ, non poteſt aliud quàm obiectum creatum immediatè repræſentare.

D.Thom. 23 Secundò obijcit Vaſquez. Quia D.Thomas ar. 4. huius quæſtionis in ſolutione ad primum, dicit, quòd iſte modus cognoſcendi Deum, eſt Angelo connaturalis, vt, ſcilicet, cognoſcat eum per ſimilitudinem eius in ipſo Angelo refulgentem. Et immediatè ſubdit. *Sed cognoſcere Deum per aliquam ſimilitudinem creatam, non eſt cognoſcere eſſentiam Dei vt ſupra oſtenſum eſt; & in margine; articulus ſecundus huius quæſtionis deſignatur. Nam de nullo alio potuit dicere, ſupra oſtenſum eſſe, quòd Deus per nullam ſimilitudinem creatam videri poteſt.* Ergo quemadmodum in art. 4. loquitur de ſpecie obiectiua, prius cognita, ita etiam in hoc articulo loquitur tantùm de ſpecie obiectiua prius cognita, & non de ſpecie impreſſa.

D.Thom. 24 Reſpondetur, ſiue ibi D. Thomas de ſpecie tantùm obiectiua loquatur, ſiue nõ, concedendo totum aſſumptum; & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt. Primò. Quia D.Thomas excludens in hoc articulo ſpeciem obiectiuam, non propterea admittit impreſſam; ſed pro vt dicebamus; omnem ſimilitudinem ex parte rei viſæ ſe tenentem reijcit, & impugnat. Secundò. Quia eo ipſo quòd D.Thomas ſpeciem obiectiuam diuinæ eſſentiæ repræſentatiuam reijcit; excludit etiam ſpeciem impreſſam, iuxta ea quæ in præcedentis argumenti reſponſione præmiſimus.

25 Tertiò obijcit Vaſquez. Quia D.Thomas ar. 11. huius quæſt. ſic ait, *Manifeſtum eſt autem quòd per naturas rerum materialium diuina eſſentia cognoſci non poteſt. Oſtenſum eſt enim ſupra ſcilicet articulo ſecundo præſenti, quòd cognitio Dei per quamcumquè ſimilitudinem creatam, non eſt viſio eſſentiæ ipſius*: ſed in art. 11. loquitur de ſimilitudine obiectiua, ſeu, prius viſa. Ergo etiam loquitur de eadem ſimilitudine. Nam ad hũc articulum ſe remittit. D.Thom.

26 Reſpondetur primò, concedendo aſſumptum, & negando conſequentiam quam intendit. Nos enim non dicimus D.Thomam in hoc articulo de ſpecie dumtaxat impreſſa ſermocinari. Vt Vaſquez falsò Thomiſtis imponit. Sed aſſerimus Diuum Thomam omnem ſpeciem, impreſſam, expreſſam, & obiectiuam impugnare, & conſequenter excludens obiectiuam, admittit impreſſam. D.Thom. Vaſquez.

Reſpondetur Secundò, D.Thomam in illo art. vtroquè modo per bonam conſequentiam poſſe interpretari. Nam ipſo facto quòd quis negat Deum non poſſe videri per aliquam creaturam tanquam per rem prius viſam: conſequenter negare tenetur Deum non poſſe videri per aliquam ſpeciem creatam tanquàm per rationem cognoſcendi. Eo quia omnis creata ſpecies debet eſſe obiecti creati immediatè repræſentatiua.

Certè Pater Vaſquez abſtinuiſſe poterat, à tanto ſine fructu labore. Inſulſa enim ſunt, & futilia nimis, quæ arguendo, ac reſpondendo in hac diſputatione conglomerat. Quandoquidem Diuum Thomam non explicat, ſed detorquet vt conſtat lynceis oculis intuenti.

Digitized by Google

DISPVTATIO XX.

VTRVM DIVINA ESSENTIA DE FACTO Intellectibus Beatorum vniatur tanquàm propriè ſpecies intelligibilis.

In duo Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur, & determinatio veritatis ponitur, & probatur.

1 IN re tam graui Theologi non concordant. Nam Quidam negant dari de facto ſpeciem impreſſam creatam repræſentatiuam Dei; Quidam verò affirmant. Negantes autem diuformiter negant, & affirmantes non vniformiter affirmant. Nam inter affirmantes dari talem ſpeciem impreſſam; Quidam dicunt illam eſſe lumen Vaſquez. gloriæ, vt Vaſquez. Quidam verò eſſe viſionem beatificam, vt Aureolus. Aureolus. Inter negantes verò; etiam eſt diuiſio. Quidam dicunt, diuinam eſſentiam non eſſe intellectui vnitam tanquàm propriè ſpeciem. Ita Suarez lib. 2. cap. 12. Alij dicunt diuinam eſſentiam eſſe propriè ſpeciem intelligibi- Faſolus. lem. Ita communiter Thomiſtæ, & Faſolus hic, dubitatione 8. num. 25. In præſenti diſputatione erit cum Patre Suarez cõcertatio. Etenim vt confuſionis fugiatur occaſio, contra Aureolum, & Vaſquez, ſpeciales formabimus diſputationes. Vnde pro determinatione veritatis.

2 Dico breuiter. Diuina eſſentia eſt propriè intelligibilis ſpecies. Hoc dictum videtur eſſe Scoti. Qui quamuis de hac re Scotus. ſpecialiter non diſputet; tamen quædam pro hac ſententia profert. Nam in ſententia Scoti ſpecies impreſſa ex triplici capite ponitur. Vt obiectum fiat actu intelligibile, quando in ſe actu intelligibile non eſt. Ita in p. diſt. 3. quæſt. 6. ſub littera O. Secundò ſi obiectum abſens fuerit, vel potentiæ non debitæ præſens. Et tertiò, vt actus intelligendi ſit in noſtra poteſtate. Ita in 2. diſt. 3. quæſt. 9. & præſertim ad vltimum. Primum in via Scoti nõ eſt de ratione formali ſpeciei. Nam admittit ſpeciem impreſſam creatam repræſentantem diuinam eſſentiam clarè, & diſtinctè, licet abſtractiuè. Ergo ſaluatur ratio ſpeciei abſq; eo quòd conſtituat obiectum intelligibile. Tertium neque etiam eſt de eſſentia ſpeciei ad mentem Scoti. Quia quamuis in 2. diſt. 3. q. 9. in fine dicat, quòd nõ tantùm propter hoc ponitur ſpecies, quòd obiectum ſit præſens animæ: ſed etiam vt actus ſit in poteſtate operantis; nihilominus, in primo, diſt. 3. quæſt. 7. ſe manifeſtè declarat, quòd nomine ſpeciei impreſſæ, intelligit aliquod impreſſum potentiæ repræſentans, præcedens in potentia intellectiua actum intelligendi. Verba Scoti ſunt iſta. *Ex hoc quòd intellectus non eſt organicus, nihil perfectionis intellectui auferatur in quantùm potentia cognitiua eſt, ex hoc quòd non eſt organicus. Imò magis additur ſibi perfectio. Sequitur quòd ſibi poſſit eſſe obiectum preſens ante actum ſicut alijs potentijs, ſed illa præſentia non erit per aliquid impreſſum organo; quia non habet organum. Ergo erit aliquid impreſſum illi potentiæ. Tale autem impreſſum repræſentans præcedens in potentia intellectiua actum intelligendi, voco ſpeciem intelligibilem.* Hæc Scotus. §. ad rationes alterius opinionis.

3 Suppoſito igitur quòd ad mentem Scoti nomine ſpeciei intelligitur, id quod ſe habet vt repræſentans antecedẽs actum intelligendi, ſequitur quòd diuina eſſẽtia intimè vnita intellectui immediatè per ſe ipſam antecedenter ad viſionem, & coefficiens eam, eſt propriè ſpecies intelligibilis. Nam Scotus ſi quando vocat ſpeciem impreſſam, accidens

Digitized by Google

dens, ſemen obiecti, inhærentem, vel id quo liberè potentia vtitur; loquitur de ſpecie impreſſa pro vt in modo eſſendi ab obiecto diſtinguitur, ſeu, quantùm ad eſſe materiale. Semper tamen ſpeciem impreſſam propter obiecti præſentiam neceſſariam eſſe fatetur; & in ſecundo diſt. 3. quæſt. cit. pluries repetit, quòd eſſentia diuina ſecundùm ſe ipſam eſt intimior intellectui, quàm ipſa ſpecies. & quòd propter illam intimitatem poteſt cauſare immediatè illũ actum quem cauſat ſpecies. Et hoc loquendo de cognitione abſtractiua diuinæ eſſentiæ. Ergo multò fortius eſt per ſeipſam intellectui Beato intimè præſens ſe ipſam repræſentans, & coefficiens viſionem cũ intellectu. Ergo eſt propriè ſpecies niſi in nomine diſſeramus. Fruſtra autem de nomine diſputamus, quando realiter conuenimus.

4 Probatur igitur primò noſtrum dictum. Quia in cognitione increata Dei, qua ſcilicet, Deus ſe ipſum cognoſcit, diuina eſſẽtia eſt abſolutè ſpecies intelligibilis. Ergo etiam in viſione beata qua intellectus creatus videt Deum, eſſentia diuina eſt propriè ſpecies intelligibilis. Probatur antecedens,
D.Thom. pluribus D.Thomæ locis. Nam Opuſc. 3. cap. 30. in tit. hanc concluſionem ponit. *Deus non intelligit per aliam ſpeciem, quàm per eſſentiam ſuam*. Et hanc concluſionem ſic probat. *Patet etiam ex prædictis quòd Deus non intelligit per aliam ſpeciem quàm per eſſentiam ſuam; Quia cum in Deo nihil ſit in potentia, ſed actus purus, oportet quòd non per aliam ſpeciem, ſed per eſſentiam ſuam intelligat: & inde ſequitur, quòd directè, & principaliter ſe ipſum intelligat.* Hæc ille. Et cap. 31. Sic concludit, volens probare quòd Deus eſt ſuum intelligere; *Et ſic*, inquit, *Per hoc quòd eſt intelligens, nulla compoſitio in eo ponitur: cum in eo non ſint aliud intellectus, intelligere, & ſpecies intelligibilis: & hæc non ſunt aliud quàm eius eſſentia.* Hæc ille. vbi Diuus Thomas ſicut abſolutè in Deo ponit intelligere; ſic etiam abſolutè ponit ſpeciem intelligibilem: ſed in Deo abſolutè, & propriè ponitur intelligere, licet indiſtinctum ab intellectu. Ergo per D. Thomam in Deo abſolutè ponitur ſpecies intelligibilis, licet indiſtincta ab obiecto.

5 Et primo contra gentes cap. 46. probãs quod Deus per nihil aliud intelligit quàm per ſuam eſſentiam ſic ait in principio, *Ex ijs autem quæ ſunt ſupra oſtenſa, euidenter apparet, quòd intellectus diuinus nulla alia ſpecie intelligibili intelligat quàm ſua eſſentia*. Vbi duo formaliter continentur, Vnum negatiuum, Affirmatiuum alterum. Negatiuum eſt, quòd Deus per nullam ſpeciem quę ſit alia à Deo intelligit. Affirmatiuum autem eſt, quòd eſſentia ſua eſt ſufficienter ſpecies reſpectu diuinæ cognitionis.

6 Et ibidem ratione prima ſic concludit. *Eſſet igitur aliquid aliud diuinæ eſſentiæ principium, & cauſa, ſi alia intelligibili ſpecie quàm ſua eſſentia intellectus diuinus intelligeret*.

Et in fine rat. 2. eiuſdem cap. ſic eodem modo concludit. *Si igitur diuinus intellectus, aliqua alia ſpecie intelligibili intelligeret, quàm ſe ipſo, eſſet in potentia reſpectu alicuius, quod eſſe non poteſt*. Et in fine 3. rat. idem omnino dicit, ſicut & in fine quartæ. Vbi hæc habet verba. *Nec etiam poteſt eſſe in intellectu eius ſpecies alia præter eſſentiam ipſius quæ ſit alterius rei ſimilitudo*.

7 Vbi D.Thomas, maniſeſtiſſimè affirmat D.Thom.
diuinam eſſentiam abſolutè eſſe ſpeciem intelligibilem reſpectu propriæ cognitionis increatæ. Nam aliàs nõ dixiſſet, quòd non datur alia ſpecies intelligibilis in intellectu diuino præter eſſentiam diuinam: ſed dixiſſet, & ad fugiendas æquiuocationes, dicere debuiſſet: quòd in diuina cognitione non datur ſpecies intelligibilis.

Idquè magis apertè, Ex eodem D.Thoma ſic D.Thom.
probo. Quia eodem primo lib. cont. gent. cap. 47. probans quòd Deus perfectè ſe ipſum intelligit. Hæc verba profert, in p. rat. *Ipſa autem diuina eſſentia, quæ eſt ſpecies intelligibilis, qua intellectus diuinus intelligit, eſt ipſi Deo penitus idem: eſtquè intellectui ipſius idem omnino. Se ipſum igitur Deus perfectiſſimè cognoſcit*.

Et cap. 48. probans quòd Deus primò, & per ſe ſolùm ſeipſum cognoſcit, ſic ait. *Illa enim res ſolùm eſt primo, & per ſe ab intellectu cognita; cuius ſpecie intelligit: ſed id quo Deus intelligit nihil eſt aliud quàm ſua eſſentia*. Hæc ille.

8 Et cap. 53. circa finem ſic ait. *Intellectus autem diuinus nulla alia ſpecie intelligit, quàm eſſentia ſua*. Hæc ille. Et hoc idem infinities repetit. Quid quæſo clarius? Nam relicta omni æquiuocationis vmbra, D.Thomas cap. 47. abſolutè diuinam eſſentiam, ſpeciem intelligibilem vocat. Eſt igitur clara veritas in doctrina D.Thomæ, antecedens aſſumptum, longequè probatum.

9 Probatur autem conſequentia ex eodem D.Thoma. lib. 3. cont. gent. cap. 51. D.Thom.
Quia ſicut Deus per ſuam eſſentiam intelligit ſe, ita etiam intellectus creatus intelligit Deum per eſſentiam Dei. Verba Diui Thomæ ſunt iſta. *Secundùm autem hanc viſionem maximè Deo aſſimilamur. Et eius beatitudinis participes ſimus. Nam ipſe Deus per ſuam eſſentiam, ſuam ſubſtantiam intelligit: & hæc eſt felicitas. Vnde dicitur 1. Ioannis 3.* Ioan. 3.
Cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus; & videbimus eum ſicuti eſt. Et Lucæ. 22. Dominus Luc. 22.
dicit. Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Quod quidem de corporali cibo, vel potu, non poteſt intelligi, ſed de eo qui in menſa ſapientiæ ſumitur. De quo d

ſapien-

Digitized by Google

Prou. 19. *ſapientia dicitur, Prouerb. 9. Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Super menſam ergo Dei manducant, & bibunt, qui eadem felicitate fruuntur, qua Deus felix eſt. videntes eum, illo modo, quo ipſe videt ſe ipſum.* Hæc ille.

10 Probatur noſtrum dictum inſuper eiuſdem D. Thomæ apertiſſimis teſtimonijs. D.Thom. Nam 3. cont. gent. cap. 51. cit. quærens. *Quomodo Deus per eſſentiam videatur.* In principio, difficultandi motiuum circa modum quo Deus per eſſentiam videtur proponens, ſic ait. *Modus autem huius uiſionis qualis eſſe debeat apparet. Oſtenſum eſt enim ſupra quòd diuina ſubſtantia non poteſt uideri per intellectum in aliqua ſpecie creata. Vnde oportet ſi Dei eſſentia uideatur, quòd per ipſammet eſſētiam diuinam intellectus ipſam uideat: ut ſic in tali uiſione; diuina eſſentia ſit & quod uidetur, & quo uidetur. Cum autem intellectus ſubſtantiam aliquam intelligere non poſſit, niſi fiat actu ſecundum aliquam ſpeciem informantem ipſum, quæ ſit ſimilitudo rei intellectæ; impoſſibile poteſt alicui uideri; quòd per eſſētiam diuinam intellectus creatus poſſit uidere ipſam diuinam ſubſtantiam quaſi per quamdam ſpeciem intelligibilem.* Hæc ille.

11 Reſpondet autem quòd nulla eſt implicantia ad hoc vt diuina eſſentia vniatur intellectui tanquàm forma, ſeu, ſpecies intelligibilis. Verba D. Thomæ ſunt iſta. *Manifeſtum eſt igitur quòd eſſentia diuina poteſt cōparari ad intellectum creatum, ut ſpecies intelligibilis qua intelligit.* Hæc ille. Et ibi in eadem ratione ſic concludit. *Species intelligibilis unita intellectui non conſtituit aliquam naturam, ſed perficit ipſum ad intelligendum; quod perfectioni diuinæ non repugnat.*

Et in eodem libro cap. 52. rat. 2. ſic ait. *Videre autem ſubſtantiam Dei impoſſibile eſt. Niſi ipſa diuina eſſentia ſit forma intellectus quo intelligit.* Et rat. 3. ibidem ſic ait. *Ad hoc autem quòd intellectus creatus uideat Dei ſubſtantiam, oportet quòd ipſa diuina eſſentia copuletur intellectui, ut forma intelligibilis.*

12 Et cap. 53. rat. 2. hæc habet verba. *Ad hoc igitur quòd eſſentia diuina fiat intelligibilis ſpecies alicuius intellectus creati, quod requiritur ad hoc quòd diuina ſubſtantia uideatur, neceſſè eſt quòd intellectus creatus, aliqua diſpoſitione ſublimiori ad hoc eleuetur.*

Et ibidem rat. 3. hæc verba profert. *Si autem ponatur quòd intellectus aliquis creatus, de nouo incipiat Dei ſubſtantiam uidere, oportet ſecundum præmiſſa, quòd diuina eſſentia copuletur ei de nouo ut intelligibilis ſpecies.* Hæc ille.

13 Idem docet de verit. quæſt. 8. ar. 1. in corp. cuius iſta ſunt verba. *In omni ſiquidem uiſione oportet ponere aliquid quo uidens uiſum uideat: & hoc eſt uel eſſentia ipſius uiſi, ſicut cum Deus cognoſcit ſe ipſum, & concludit ſic. Reſtat ergo, ut illud quo intellectus creatus Deum per eſſentiam uidet, ſit eſſentia diuina.* Et idem ibidem pluries repetit; Et in hac quæſt. ar. 5. probat luminis gloriæ neceſſitatem ex hoc, quòd eſt diſpoſitio ad vnionem diuinæ eſſentiæ in ratione formæ intelligibilis. Ergo eſt expreſſa ſententia D. Thomæ, quòd diuina eſſentia eſt propriè ſpecies intelligibilis ſecundùm quòd eſt ad viſionem producendam intellectui vnita.

14 Probatur ſecundò ratione. Nullum obiectum cognoſci poteſt niſi prius natura ſit præſens potentiæ cognoſcitiuæ, vel immediatè per ſe ipſum, vel per ſpeciem ab ipſo in modo eſſendi diſtinctam. Ergo diuina eſſentia debet eſſe intellectui intimè vnita vt viſionem producere queat. Ergo eſt propriè ſpecies intelligibilis. Antecedens patet. Quia ex obiecto & potentia gignitur notitia: ſed nō ex obiecto vt extra potentiam. Ergo vt intra potentiam. Prima conſequentia patet. Quia ſupponimus in præſenti, viſionem claram Dei non eligi mediante aliqua ſpecie creata; Probatur autem vltima conſequentia. Quia hoc eſt proprium, ac ſingulare ſpeciei intelligibilis munus, obiectum cum potentia repræſentando, vel coefficiendo vnire, cætera autem munera ad ſpeciem intelligibilem ſpectant ſecundùm quòd eſt in modo eſſēdi realiter ab obiecto diſtincta. Quemadmodum intelligere formaliter, vt actio grammaticaliter ſumptum, eſt attingentia obiecti intelligibilis: Quòd autem ſit inhærens, vel ab intellectu procedens, hoc eſt de ratione intelligere, vt realiter ab intellectu diſtincti. Ita ſimiliter, &c.

CAPVT SECVNDVM.

Argumenta in contrarium adducuntur, & diluuntur.

15 Sed contra iſtam determinationem pro opinione Suarez obijciet aliquis, Primò. Quia pluries à D. Thoma ſpecies intelligibilis vocatur ſemen obiecti. Ergo obiecto non conuenit ratio ſpeciei intelligibilis. Ergo diuina eſſentia poteſt eſſe ſpecies.

Reſpondetur explicando, ſeu, diſtinguendo antecedens. Species intelligibilis ſecūdùm quòd eſt ab obiecto in modo eſſendi realiter diſtincta, eſt ſemen obiecti, concedo. Secundùm quòd eſt formaliter repræſentatiua, & in modo eſſendi ab obiecto indiſtincta, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

16 Explicatur iſta reſponſio. Species intelligibilis quando eſt realiter in modo eſſendi ab obiecto diſtincta, vocatur ſemen obie-

Digitized by Google

cti, Vicaria obiecti, ſupplementum obiecti. Quando verò obiectum eſt per ſeipſum præſens, & per ſeipſum immediatè facit quod ſpecies obiecti facere ſolet; Tunc obiectum dicitur ſpecies. Cum hoc tamen diſcrimine; Quia quando ſpecies in modo eſſendi eſt ab obiecto realiter diſtincta, propter illud eſſe entitatiuum diſtinctum quod includit, vocatur ſpecies obiecti in caſu obliquo; ſecundo verò modo (rigorosè loquor; vt iterum adnotaui) non debet dici ſpecies obiecti, ſed ſpecies obiectum, ſeu, obiectum vt ſpecies.

17 Obijcies ſecundò. Non poteſt vniri ſpecies in eſſe intelligibili, quin præ intelligatur vnita in eſſe entitatiuo: ſed diuina eſſentia non poteſt vniri in eſſe entitatiuo cum intellectu creato. Ergo neque etiam in ratione ſpeciei intelligibilis. Probatur maior. Si aliqua duo prius fuerint non vnita, & poſtmodum vniantur, oportet quòd hoc fiat permutationem vtriuſquè, vel alterius tantum. Ergo quando diuina eſſentia vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis, vel debent mutari eſſentia, & intellectus; vel intellectus tantùm. Non eſſentia diuina. Cum ſit omnino immutabilis. Ergo intellectus creatus. Sed intellectus creatus non mutatur realiter niſi per aliquam entitatem in ipſo receptam, vel amiſſam. Ergo eſſentia diuina debet prius vniri in aliquo eſſe entitatiuo ad hoc vt vniatur in aliquo eſſe repræſentatiuo.

18 Reſpondetur negando maiorem. Ad cuius probationem, concedo antecedens. Et primam conſequentiam; diſtinguendo verò ſubſumptionem minoris: ſed intellectus creatus non mutatur realiter, In eſſe entitatiuo, niſi, &c. concedo minorem, non mutatur realiter, In eſſe intelligibili, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Explicatur iſta reſponſio. In vnione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis cum intellectu creato, neceſſariò debet intercedere aliqua realis mutatio, non quidem in eſſentia, ſed in intellectu, & hæc realis & entitatiua mutatio, non eſt per diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis vnitam, ſed per lumen gloriæ, in eſſe entitatiuo ſuperueniens intellectui.

19 Quòd ſi quæras. Dato caſu quòd lumen gloriæ ſit intellectui creato vnitum, & diuinæ eſſentiæ in ratione formæ intelligibilis vnio, per aliquod temporis ſpatium diuinitus ſuſpendatur, & deinde vniatur; Per huiuſmodi aduentum diuinæ eſſentiæ in ratione puræ ſpeciei intelligibilis, mutatur realiter intellectus, vel non mutatur?

Si primum. Ergo eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis debet vniri in aliquo eſſe entitatiuo. Probatur iſta conſequentia. Quia non poteſt dari vnio de nouo in eſſe entitatiuo, ſine vnione formæ in eſſe entitatiuo. Si ſecundum. Videtur falſum. Quia iſta vnio eſt realis.

20 Reſpondetur, quòd in caſu poſito mutaretur quidem intellectus mutatione ſecundùm purum eſſe intelligibile, non verò ſecundùm eſſe entitatiuum: & hoc, ſiſtendo in vnione pura diuinæ eſſentiæ, cum intellectu; Quoniam quantùm ad eſſe completum, conſequens talem diuinæ eſſentiæ vnionem; Adhùc ſequitur mutatio realis entitatiuè in intellectu: Quia intellectus ſtatim atquè viſionem claram Dei produceret, ac reciperet: & ſic realiter mutaretur, efficeretur enim de non agente agens, & de non recipiente recipiens viſionem.

21 Obijcies Tertiò ex Vaſquez, qui quantùm ad hoc, nempè quòd diuina eſſentia non poteſt vniri intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, eſt cum Suarez vnitus. Si eſſentia diuina Beatorum intellectibus tanquàm ſpecies intelligibilis vniretur, concurreret ad talem præbendum concurſum naturaliter, ſeu, neceſſariò, videlicet, quia eſt, & non quia vult, ſed concurſus Dei ad extra eſt omnino liber. Ergo Deus non poteſt in ratione ſpeciei intelligibilis intellectibus Beatorum vniri. Probat ſequelam, Quia obiectum, vel ſpecies ſupplens vicem eius, naturaliter, ſeu quia eſt, & non liberè concurrit ad viſionem. Minor ab omnibus catholicis eſt conceſſa. Ergo.

22 Reſpondet Pater Molina, hic diſp. 2. §. vltimo, *concurſum eſſentiæ diuinæ dum locum tenet, ſpeciei intelligibilis, vt præciſè eſt ab eſſentia diuina ſubeunte vicem ſpeciei intelligibilis, eſſe naturalem: Ad cuius impugnationem*, diſtinguitur minor. Quòd concurſus ad extra dicitur abſolutè liber, ſecùndùm quòd liberè producit intellectum, conſeruat lumen in intellectu, conceditur minor. Secùndùm quòd de facto ſpeciei intelligibilis vicem ſubit, negatur minor. quare, &c.

Hanc huius Patris reſponſionem, tanquàm benè impugnatam in argumento, affirmat Conzalez hic diſp. 25. ſect. 5. num. 7. & aliam cum Suarez aſſert ſolutionem. Suarez autem lib. 2. de attrib. negat. cap. 12. num. 22. hoc argumentum, friuolum vocat, ſic dicens. Gonzal. Suarez.

23 *Quod verò quidam obijciunt, talem actionem futuram eſſe naturalem, & non liberam, friuolum eſt. Quia illa efficientia ſubordinata eſt voluntati diuinæ, ſicut omnis alia efficientia ad extra; & hoc ſatis eſt vt ſit libera, non elicitiuè (vt more noſtro loquamur) ſed denominatiuè, ad modum actus exterioris. Nam etiam creatio eſt hoc modo libera, & non alio*. Huic ſubſcribit Conzalez. His verbis. *Vnde*

Ad

Ad argumentum negatur maior, ſeu, ſequela. Ad cuius probationem, Reſpondetur quòd vt ſpecies increata, non concurrit naturaliter ſed liberè, quia eſſentia diuina non ſolum quatenus
24 *eſt cauſa vniuerſalis, ſed quatenus ſpecies, concurrit liberè, quia ipſa non ſubordinatur intellectui noſtro in operando, ſed potius è contra. Intellectus noſter ſubordinatur illi, & illum applicat, per ſuam voluntatem.* Hæc Conzalez hìc, loco citato.

Nihilominus iſti Doctores ad inuicem in re ipſa concordant. Nam quando dicitur quòd eſſentia diuina quatenus ſpecies cōcurrit liberè; Dupliciter intelligi poteſt. Primò, quòd abſolutè poſſit hoc munus ſpeciei non exercere, & conſequenter liberè concurrere. Alio verò modo, quòd
25 exercens munus ſpeciei, liberè concurrat ad viſionem beatificam tanquam ſpecies intelligibilis. Si primum nō differunt à ſententia Molinæ. Nam Molina loco citato. hæc habet verba. *Reſpondeo. Ad viſionem beatificam non ſatis eſſe concurſum eſſentiæ diuinæ, inſtar ſpeciei intelligibilis; ſed vltra illam requiri concurſum intellectus beati, & concurſum luminis gloriæ; quæ duo, libere à Deo conferuntur; & vltra hæc omnino requiritur concurſus liber generalis Dei, quo immediatè cum illis omnibus influat in viſionem beatificam. Dico ergo concurſum Dei ad viſionem beatificam ſimpliciter eſſe liberum, & non naturalem; Quia liberè concurrit, conferendo, & conſeruando, tum intellectum Beati, tum lumen gloriæ.* Ecce quomodo non differunt, ſi verò ſecundum. Non credo inter Doctores eſſe controuerſiam. — Molina.

26 Verumtamen, vt magis clarè reſoluatur hæc dubitatio, quid in hac re opinor, ſic explico.

Opinor primò, quòd poſito lumine gloriæ in intellectu, Deus regulariter loquendo, & via ordinaria, tenetur intellectui creato vniri in ratione ſpeciei intelligibilis. Nam præbens vltimam diſpoſitionem ad formam, ſeu, diſponens materiam per vltimam materiæ diſpoſitionem; tenetur introducere formam. Ergo cum lumen gloriæ ſit vltima diſpoſitio ad formam increatam, quæ eſt diuina eſſentia, Deus via ordinaria, in ratione ſpeciei intelligibilis tenetur intellectui creato vniri.

27 Opinor ſecundò, quòd poſito lumine gloriæ in intellectu, poteſt Deus de potentia abſoluta in ratione ſpeciei intelligibilis non vniri: & in tali caſu, intellectus creatus maneret lumine gloriæ illuſtratus, & non videret Deum. Poteſt enim Deus, formam iam materiæ benè diſpoſitæ introductam auferre; & aliam introducere. Ergo multò magis poteſt ſuppoſita diſpoſitione, ſuſpendere formæ introductionem.

Opinor tertiò. Quòd poſito lumine gloriæ in intellectu creato intenſo V.G. vt octo, poteſt ſe ipſum repræſentare, & concurrere ad producendam viſionem minus intenſam. V.G. vt quatuor. Quoniam licet regulariter, & via ordinaria, quantitas concurſus Dei ad viſionem, quantitati virtutis luminis gloriæ debeat reſpondere; non tamen ad hoc, diuinam reſtringit omnipotentiam. Nulla enim apparet repugnantia.

28 Opinor quartò, quòd poſtquam Deus ſe intellectui creato lumine gloriæ illuſtrato vniuit, poteſt, vel deſtruendo intellectum, vel illum conſeruando, & ab eo auferendo lumen, vel intellectum ſimul cum lumine manutenendo, liberè à tali vnione ceſſare. Hoc ex ſupradictis manifeſtè colligitur.

29 Opinor Quintò, quòd quamuis Deus ſuppoſito quòd liberè velit munus ſpeciei intelligibilis exercere, neceſſariò vniatur intellectui creato ad claram Dei viſionem producendam. Non tamen neceſſariò, has & non illas repræſentat creaturas, neque ex ratione talis luminis gloriæ, neque, ex eo quòd, munus ſpeciei intelligibilis exercet, ſed ex ſola ſua voluntate eſſentiam diuinam applicante, ad has, & non alias repræſentandas creaturas, dummodo quantitatem luminis gloriæ non excedat.

30 Opinor tandem, quòd diuina eſſentia ſpeciei intelligibilis munus liberè exercēs, non liberè ſed neceſſariò ſe ipſam intellectui creato repræſentat. Etenim formaliſſimè loquendo, hoc eſt eſſentiam diuinam ſpeciei intelligibilis munus exercere, ſe ipſam immediatè repræſentare. Hunc autem neceſſitatis modum, nullus negare poteſt, ex quibus omnibus manifeſtè conſtat; quòd omnibus modis eſſentia diuina ad viſionem beatificam producendam, & ſe ipſam immediatè repræſentandam, liberè concurrit: excepto tamen vltimo modo. & exiſtimo Patrem Molinam, iuxta à nobis dicta poſſe interpretari. Non ſic Molina erga Thomiſtas. — Molina.

31 Obijcies quartò. Si eſſentia diuina tanquàm ſpecies intelligibilis Beatorum intellectibus vniretur, ſequeretur, quòd etiam Perſonæ diuinæ, ſeu, diuinæ relationes haberent rationem ſpeciei intelligibilis: ſed hoc à Theologis, & præſertim à Thomiſtis non admittitur. Ergo. Probatur ſequela; Quia Idcirco eſſentia diuina Beatorum intellectibus tanquàm ſpecies vnitur, quia ſecundùm propriam rationem, in ratione obiecti intelligibilis eſt illis intimè præſēs: Sed etiam Perſonæ diuinæ ſecundùm proprias ipſarum rationes ſunt intimè intellectibus Beatorum in ratione obiecti præſentes. Ergo. Minor etiam patet. Quia eſſentia diuina non in ratione relationis, ſed in ratione eſſentiæ rationem ſpeciei intelligibilis habet.

Re-

32 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, concedo maiorem. & diſtinguo minorem. Sed etiam Perſonæ diuinæ, ſeu diuinæ relationes ſecundùm proprias ipſarum rationes ſunt immediatè in ratione obiecti præſentes, Ratione identificationis cum eſſentia diuina, concedo minorem. Non ratione identificationis, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam.

33 Contra, & eſt difficile argumentum. Quia per nos Thomiſtas eſſentia diuina eſt ſpecies intelligibilis ſecundùm rationem eſſentiæ vt ab attributis, & perſonalitatibus ratione diſtinctæ, id eſt, in ratione eſſentiæ vt eſſentia eſt. Ergo iuxta hanc noſtram opinionem eſſentia diuina non repræſentat diuinas perſonas immediatè. Probatur iſta conſequentia. Quia ſpecies, illud immediatè, & per ſe primò repræſentat, cuius eſt ſpecies; illud verò cuius non eſt ſpecies non immediatè, & per ſe primò repræſentat. Ergo ſi diuina eſſentia eſt ſpecies intelligibilis ſecundùm quòd eſt eſſentia, non repræſentat Perſonas diuinas immediatè. Hoc autem eſſe falſum, manifeſtè apparet. Quia Perſonæ diuinæ cognoſcuntur vt in ſeipſis ſunt intuitiuè, & immediatè.

Reſpondetur, diſtinguendo maiorem, Eſſentia diuina eſt ſpecies intelligibilis ſecundùm quòd eſſentia eſt, &c. exercet tamen munus ſpeciei ſecundùm quòd eſt cum perſonalitatibus identificata, concedo maiorem. Et exercet munus ſpeciei ſecundùm quòd eſt à perſonalitatibus ratione diſtincta, nego maiorem. quare, &c.

34 Explicatur iſta reſponſio. Argumentum hoc, apud nonnullos aduerſarios, difficultatem habet, ex eo quòd Thomiſtæ, & ferè omnes Theologi affirmant, quòd eſſentia diuina habet rationem formalem ſpeciei ſecundùm quòd eſſentia in ratione eſſentiæ eſt; non vltra conſiderantes. Nam quando dicimus eſſentiam diuinam eſſe ſpeciem intelligibilem ſecundùm quòd ratione diſtinguitur ab attributis, & perſonalitatibus, debet intelligi quantùm ad rationem formalem ſpeciei; non verò quantùm ad exercitium illius. Etenim diuina eſſentia habet rationem ſpeciei intelligibilis, pro vt ratione diſtinguitur ab attributis, & perſonalitatibus, & etiam ſecundùm quòd realiter cum ipſis identificatur. Primum habet quo ad puram, ac ſinceram rationem formalē ſpeciei. Secundum verò habet, quo ad exercitium; & quia hoc magis patebit infra. Ideo nunc de hoc hactenus.

35 Obijcies Quintò. Viſio beatifica fieri debet modo connaturaliori: ſed connaturalior modus intelligendi eſt intelligere mediante ſpecie diſtincta ab obiecto, quo ad modum eſſendi. Ergo de facto diuina eſſentia non eſt ſpecies intelligibilis. Patet maior. Probatur minor. Quia in omnibus intellectionibus connaturaliſſimus modus intelligendi ipſius intellectus eſt intelligere per obiectorum ſpecies. Vnde Ariſtoteles dixit, quòd ſpecies lapidis, non ſubſtantia lapidis eſt in anima.

36 Reſpondetur, connaturalem intelligendi modum cuiuſcumque intellectus, eſſe intelligere mediante vnione obiecti cum intellectu, vel per ſpeciem obiecti ab obiecto diſtinctam in modo eſſendi, vel per obiectum immediatè per ſe ipſum vnitum. Cæterum quòd prius ſit obiectum vnitum ſecundùm eſſe entitatiuum, quam ſecundùm eſſe repræſentatiuum, ſeu intelligibile, hoc nullatenus ad per ſe intelligendi modum connaturalem ipſius intellectus pertinet; hic enim eſt modus perfectionis vel imperfectionis ſe tenentis ex parte obiecti. Quare, &c. reſponſio patet.

37 Obijcies Sextò. Quia quòd diuina eſſentia ſit ſpecies intelligibilis; nulla in Sacra Scriptura extat explicita, vel implicita reuelatio. Ergo dicendum eſt quòd non eſt ſpecies intelligibilis. Conſequentia probatur. Quia in materia Theologica non poſſumus, nec debemus affirmare aliquid ita eſſe; niſi ſit nobis diuinitus reuelatum, vel per traditionem acceptum. Antecedens autem eſt manifeſtum. Quia nulla aſſignatur authoritas, nullumq; teſtimonium.

38 Reſpondent nonnulli, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. & rationem diſparitatis aſſignant. Quia quando aliquid ex Sacra Scriptura ſic, vel non ſic eſſe, non habetur, ſtandum eſt rationi, & connaturalitati rerum; Ratio autem rectè conuincit quòd diuina eſſentia reſpectu viſionis beatificæ totum illud formaliter continet, quod eſt de ratione formali ſpeciei intelligibilis. Ita Ioannes de Sancto Thoma hic diſp. 13. art. ſuo 3. Quandoquidem ad rationem formalem ſpeciei ſufficit, & requiritur, vt per intrinſecam vnionem in eſſe intelligibili coniungat obiectum potentiæ, & ſimul cum potentia viſionem coefficiat. Sed hoc conuenit diuinæ eſſentiæ intellectui beato in ratione cognoſcibilis vnitę. Ergo. Bona reſponſio. Ioa de S. Thom.

39 Sed reſpondeo ſecundò, negando antecedens. Habetur enim hoc in Sacra Scriptura inſinuatum, in illo 1. Ioannis 3. *Cum autem apparuerit ſimiles ei erimus*. Quem locum D. Thomas lib. 3. cont. gent. cap. 51. ſic interpretatur. *Secundùm autem hanc viſionem maximè Deo aſſimilamur, & eius Beatitudinis participes ſumus. Nam ipſe Deus per ſuam eſſentiam, ſuam ſubſtantiam intelligit; & hæc eſt felicitas.* Habetur etiam in illo Lucę. 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum; vt edatis, & bibatis* Ioan. 3. D. Thom. Luc. 22. D Thom.

Digitized by Google

ſuper menſam meam in regno meo. Quem locum Diuus Thomas ibidem explicans, ſic ait. *Super menſam ergo Dei manducant, & bibunt qui eadem felicitate fruuntur qua Deus felix eſt. videntes eum, illo modo quo ipſe videt ſe ipſum.* Habetur igitur in Sacra Scriptura inſinuatum, Nec poterit hoc negari. Quia ſic interpres voluntatis diuinæ teſtatur.

D.Thom.

Scotus.

40 Obijcies Septimò, Diximus, concluſionem noſtram eſſe etiam Scoti; ſed Scotus noſtram Concluſionem apertiſſimè negat. Ergo malè nos pro noſtra ſententia diximus eſſe Scotum. Probatur minor; Nam Scotus in quodlibetalibus quæſtionibus quæſt.14. de primo. art.2. tit. *hinc intelligendum eſt*. Præſertim §. *Ad aliud dico*. Hæc habet verba: *Ad aliud dico, quòd mouere ad actum beatificum non eſt proprius actus illius eſſentiæ diuinæ: neque eſt prius actu voluntatis. Immo eſt proprie actus illius voluntatis. Eſſentia enim vt quodammodo prior voluntate, licet ſit obiectum primum, & immediatum illius viſionis in ratione terminantis: tamen non eſt obiectum immediatum in ratione mouentis; ſed tantùm mouens remotum*. Et ibidem. Paulo infrà, circa finem hæc habet verba. *Hinc videntur ſequi quòd eſſentia non eſt repræſentatiua ſui Michaeli, prius natura quàm viſio eius cauſetur in Michaeli. Igitur multò magis non eſt repræſentatiua alicuius alterius: ſed tam ipſa quàm alia contingenter repræſentantur per actum voluntatis. Ita quòd ipſam repræſentare non eſt præcedens quomodocumque ipſam intellectionem obiecti, quod dicitur repræſentari*. Hæc Scotus.

41 Ex quibus verbis colligi manifeſtè videtur, quòd diuina eſſentia reſpectu viſionis beatificæ, non intelligitur prius vnita in ratione ſpeciei intelligibilis, ſed tantummodo quòd per actum voluntatis, producitur actus viſionis.

Scotus.

Poſſet tamen dici primò: quòd Scoti finis fuit, explicare quòd diuina eſſentia non vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis neceſſariò; ſed liberè. Quod videtur inſinuare ibidem, ſub littera V. vbi hęc habet verba. *Nunc autem quantùm ad primam minorem, Eſſentia diuina eſt motiua immediatè ſui intellectus, ſed non intellectus creati: Quia intellectus diuinus eſt primum mobile omnino; & ideo primò mouetur à prima forma motiua; & nihil aliud eſt immediatè mobile à prima forma motiua. Quia non poteſt immediatè mouere niſi primo modo motionis*. Et paulo poſt, ad tertium. ſic ait. *Tantùm voluntas attingit intellectum creatum*. Ex quibus verbis patet, quòd dum ait voluntatem immediatè mouere intellectum, non verò eſſentiam diuinam in ratione eſſentiæ, non vult negare quòd eſſentia diuina in ratione eſſentiæ non præintelligatur vnita in aliquo ſigno naturæ; ſed quòd ante hanc vnionem debet actus diuinæ voluntatis præcedere: per hoc, ſcilicet, quòd diuina voluntas ſuam eſſentiam applicat; & hoc modo explicandus eſt quando dixit, quòd *mouere ad actum beatificum, non eſt proprius actus illius eſſentiæ, &c.* & quòd *eſſentia non eſt prius natura quàm viſio eius cauſetur in Michaele*. Quaſi diceret quòd non prius natura vnitur in ratione eſſentiæ quàm per actum liberum ſuæ voluntatis eſſentiam diuinam applicet ad coefficiendam viſionem, coefficientia ſe tenente ex parte obiecti.

Scotus.

42 Poteſt dici ſecundò, quod fortaſſe loco citato, Scotus illam tenuit ſententiam, nempè, quòd intellectus reſpectu viſionis beatificæ paſſiuè concurrit, & hoc inſinuare videtur cum ait. *Eſſentia non eſt repræſentatiua ſui Michaeli, prius natura, quàm viſio eius cauſetur in Michaele*. Aliàs autem non rectè dixiſſet. *Prius natura quàm viſio eius cauſetur in Michaele*.

Scotus.

43 Quod ſi nec huic, nec præcedenti dicendi modo ſtare placebit, Dicas quòd Scotus non fuerit ſibi conſtans, vel quòd ſententiam mutauit in peius. Primò quia in 1. ſententiarum diſt.3.quæſt.7.§.*expreſſius tamen*. Probare volens dari ſpeciem intelligibilem. hæc verba profert. *Nihil enim*, inquit, *ſufficienter natum eſt gignare notitiam actualem; niſi ipſum habeat obiectum prius naturaliter quàm actum, præſens ſibi in ſe, vel in aliquo repræſentante ipſum*; & ibidem; §. *Ad alterius opinionis*. ſic ait. *Præciſa cauſa cuiuſcumquè potentiæ habendi ſpeciem præſentem repræſentantem obiectum ſuum eſt, quia ipſa eſt cognitiua, & natura dedit ſibi vt poſſit habere obiectum prius naturaliter ſibi præſens, quàm cognoſcat*. Hæc ille. Ergo ideo ponitur ſpecies ad mentem Scoti, vt obiectum ſit prius natura intra potentiam per illam, quòd ſi ſpecie non indiget, ſed per ſe ipſum vniri poteſt, quod dicitur de ſpecie; conuenit obiecto. & quæſt.5. quodlib. loquens tamen de intellectu diuino hæc habet verba. *Voluntas cum ſit poſterior ipſi natura, quia proprietas, non poteſt eſſe principium cauſandi perfectam viſionem eſſentiæ vt eſſentia eſt, quæ quodammodo eſt prior, & perfectior*. Ergo hæc duo non ſatis ſibi conſtant, nempè, quòd obiectum debet eſſe prius naturaliter quàm actus intra potentiam & quòd eſſentia non eſt repræſentatiua ſui Michaeli prius natura quàm viſio eius cauſetur in Michaele.

Scotus.

44 Secundò: Quia in ſententia Scoti, eſſentia diuina, & voluntas, ex natura rei diſtinguuntur: Ergo eſſentia diuina per diuinam voluntatem liberè applicatam poteſt intellectui creato per ſe ipſam, immediatè obiectiuam exiſtentiam exercere, coefficiendo viſionem quæ conuenit ei ſecundùm rationem obiecti.

Ter-

Digitized by Google

Scotus. Tertiò. Quia ſi Scotus intendit dicere, quòd diuina voluntas, ſeu, actus diuinæ voluntatis tantummodo effectiuè mouet, ſeu, cauſat viſionem, quaſi actus diuinæ voluntatis habeat rationem obiecti motiui, &
45 non tantummodo rationem applicantis eſſentiam; Abſquè omni propoſito loqueretur, dum ait, voluntatem diuinam eſſe obiectum immediatum in ratione mouentis; & eſſentiam diuinam in ratione eſſentiæ eſſe obiectum immediatum in ratione terminantis, non verò in ratione mouentis. Nam obiectum formale motiuum in ratione obiecti formalis motiui, non mouet ad aliquam rationem formaliter à ſe diſtinctam, ſed ſecundùm ſe ipſum debet terminare; Nam quamuis verum ſit, quòd obiectum terminatiuum, in ratione terminantis, poſſit eſſe magis extenſum, quàm ſit in ratione mouentis; ſicut obiectum viſionis beatificæ, in ratione mouentis, eſt eſſentia diuina in ratione eſſentiæ; in ratione verò terminantis eſt eſſentia diuina ſecundùm omnia quæ formaliter ſunt in Deo; chimericum tamen eſſet dicere, quòd ratio formalis motiua viſionis beatificæ ſit eſſentia diuina, non verò attributa, vel Perſonæ, & ratio formalis in ratione terminantis ſint attributa, & Perſonæ, non verò eſſentia diuina in ratione eſſentiæ. Ita ſimiliter in propoſito dicendum eſt, quòd impoſſibile eſt, vt actus diuinæ voluntatis ſit obiectum in ratione mouentis; & eſſentia ſit obiectum in ratione terminantis. Melius ergo explicabitur; ſi dicatur, quòd per voluntatem in ratione mouentis; ſentit voluntatem in ratione applicantis ſuam eſſentiam ad coefficiendum viſionem.

46 Quartò. Quia ſi intellectus creatus eſſet lumine gloriæ benè diſpoſitus, & eſſentia diuina eſſet intelligibilis, non verò volens, neceſſariò deberet vniri intellectui, ſicut quodlibet ens intelligibile proportionatum. Ergo quia modo eſt intelligibilis, & liberè ſe applicat, & vnit intellectui, retinet quoquè rationem formalem obiecti per quam poſſet vniri. Neque id quod huic reſpondet, euacuat, vt intuenti patebit. Actio enim voluntatis, non eſt actio obiectiua.

Scotus. Quintò. Quia idem Scotus quæſt. 15. quodlibetali de 2. primi articuli breui curriculo quæſtionum, ſibimet contradiceret. Nàm ibi ſub littera, E, hæc habet verba. *De 2. primi articuli principalis, certum eſt, quòd ad actualem intellectionem cauſandam concurrunt aliquid ipſius animæ intellectiuæ: & obiectum aliquo modo præſens, ſcilicet, vel in ſe, vel in aliquo repræſentante*. Hæc ille. Scotiſta, pondera verba Scoti. ait enim. certum eſſe, quòd, ad actualem intellectionem cauſandam, concurrit obiectum aliquo modo præſens; & huius præſentiæ modum dicit, dupliciter contingere poſſe. Scilicet, in ſe, vel in aliquo repræſentante. Ergo certum eſt, in ſententia Scoti, quòd diuina eſſentia (poſito quòd intellectus actiuè concurrat ad viſionem) debet eſſe præſens, vel per eſſentiam ſuam; vel per aliquam ſpeciem, & quòd diuina eſſentia ante viſionis productionem, intellectui præintelligitur vnita.

47 Et ibidem explicans quomodo potentia & obiectum actiuè concurrunt ad intellectionem, ſic ait. Sub littera F. *De iſto articulo, poteſt dici, quòd vtrumquè concurrit, in ratione principij actiui, reſpectu intellectionis. Aliquid, ſcilicet, ipſius animæ: & ipſum obiectum: uel aliquid ex parte obiecti; & hoc uidetur haberi ab Auguſtino 9. de Trinit. cap. ult. liquidò, inquit, tenendum eſt; quòd omnis res, quamcumque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui. Ab utroque enim paritur notitia, ſcilicet, à cognoſcente, & cognito; & 11. de Trinit. cap. 2. uel 5. ex uiſibili, & uidente gignitur uiſio. Et licet ibi ſubdat: informatio ſenſus quæ uiſio dicitur, à ſolo imprimitur corpore; quod uidetur. Hoc non eſt contra illud, quia æquiuocè accipitur, hoc nomen uiſio: primò pro actu uidendi; ſecundò pro ipſa ſimilitudine rei uiſæ: & illa à ſolo corpore cauſatur. Et iſta æquiuocatio, poteſt colligi ex multis uerbis illius capituli*. Auguſt. Hæc ille. Et immediatè hoc quod dixerat probat his verbis. *Pro hac concluſione ui-*
48 *detur eſſe ratio. Quoniam quando obiectum intelligibile eſt actu præſens intellectui, poteſt haberi intellectio actualis illius obiecti: ſed non poteſt haberi ſine principio perfectè actiuo. Igitur, uel alterum illorum tantum, eſt perfectè principium actiuum; uel ambo integrant unum principium perfectè actiuum. Ita quòd utrumquè ſit partiale actiuum*. Et concludit, quòd neutrum eſt principium perfectè actiuum; ſed vtrumquè concurrit, Per hæc verba in fine: *Concedo*, inquit, *igitur authoritates prius adductas ad quaſcumque affirmatiuas, ſiue de intellectu, ſiue de obiecto. Verum quidem eſt, quòd utrumquè iſtorum aliquo modo eſt actiuum ad intellectionem: ſed actiuum partiale: Ambo autem integrant unum actiuum totale*.

49 Et in 1. diſt. 3. quæſt. 8. §. *hoc ſecundùm*. ſic ait. *Nonne eſſentia diuina in intellectu Beati eſt principium intuitionis, quæ non immanet illi eſſentiæ, nec alicui cuius ipſa ſit forma?* Hæc ille. Et paulo ante §. *Reſpondeo ad primam*. Hæc verba profert. *Ita in propoſito, ſi ſpecies poſſet eſſe inexiſtens intellectui abſque inhærentia per modum formæ, ſi iſto modo inexiſtens, eſſet ſufficienter coniuncta intellectui, poſſent iſtæ duæ cauſæ partiales, intellectus, & ſpecies, coniunctæ ſibi inuicem, in eamdem operationem in quam modo poſſunt, quando ſpecies informat*

intellectum. Quòd etiam apparet, ponendo aliquod intelligibile præſens ſine ſpecie. Illud enim obiectum eſt cauſa partialis, & non informat intellectum, qui eſt altera cauſa partialis; ſed iſtæ duæ cauſæ partiales approximatæ abſquè informatione alterius ab altera, per ſolam approximationem debitam cauſant vnum effectum communem. Hæc ille.

50 Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quòd apud Scotum, ſi daretur aliquod obiectum per ſe ipſum intellectui præſens, eſſet intellectionis principium; & quòd Scotus. eſſentia diuina in intellectu Beati eſt huiuſmodi. Ergo ſecundùm Scotum obiectum, ſeu, eſſentia diuina in intellectu Beati facit totum illud, quod ad rationem ſpeciei pertinet. Etenim ſecundùm ipſum accidit ſpeciei, quòd intellectui inhæreat, ſed ſolùm ſufficit, vt ſit abſquè inhærentia intellectui coniuncta, & per modum comprincipij intellectionis: Hoc habet eſſentia diuina. Ergo eſſentia diuina eſt verè, & propriè ſpecies.

51 Vbi etiam nota, quòd ad mentem Scoti, ſpeciei, ratio informandi denegatur, non quidem quæ eſt in eſſe intelligibili, ſed quæ eſt informatio in eſſe entitatiuo. Quod ita probo. Nam Scotus vbicumquè de hac materia loquitur, & præſertim præallegatis locis, hæc duo apertiſſimè docet, nempè, quòd obiectum antecedenter ad cognitionis actum debet eſſe potentiæ coniunctum, ac debitè approximatum, vt poſſit cum ea intellectionem, ſeù, cognitionem comprincipiare: ſed hæc coniunctio non eſt per informationem in eſſe entitatiuo. Ergo in eſſe intelligibili; Et hoc ſeruit ad inueſtigandum quomodo eſſentia diuina ſit verè intelle-
52 ctus Beati forma, non in eſſe entitatiuo, ſeù, per inhærentiam, ſed in eſſe intelligibili. Inintelligibile enim eſt, quomodò obiectum verè intellectui ad comprincipiandam intellectionem vniatur, non in ratione entis, ſed in ratione intelligibilis, & quòd vt forma in eſſe intelligibili non vniatur. Alterum eſt quòd obiectum per ſe ipſum intellectui præſens facit quod ſpecies ab obiecto diſtincta exerceret. Ergo poteſt, ac debet dici ſpecies. Non curo modo, Vtrum ad rationem ſpeciei intelligibilis etiam vera informatio in eſſe intelligibili requiratur, an intellectionem coefficere ſufficiat.

Cum dico ad mentem Scoti rationem informandi ſpeciei non denegari; probabiliter, non reſolutè loquor. Etenim vt dicemus infra diſputatione 23. num. 5. Scotus in multis locis videtur omnino negare, ſpeciem intellectum informare. Et quoniam poteſt de informatione in eſſe entitatiuo, non autem de informatione in eſſe intelligibili probabiliter explicari, & ex alijs eiuſdem teſtimonijs ſpeciem vniri intrinſecè in ratione formę intelligibilis ſimiliter colligi poteſt, idcirco dico quòd ad mentem Scoti, &c.

53 Non dico, quòd Scotus expreſsè aſſeruerit eſſentiam diuinam eſſe propriè ſpeciem, ſed exiſtimo quòd hoc ex eius doctrina deducitur; & oppoſitum aſſerere in via Scoti, eſt de nomine, vel de modo loquendi diſputare. Niſi cum quibuſdam dicamus, Scotum aſſeruiſſe diuinam eſſentiam non in ratione eſſentiæ, ſed per ſolam voluntatem ratione cuius eſt prima omnium cauſa, viſionem coefficere. In quo caſu de re, & non de ſolo nomine, vel de modo loquendi dumtaxat eſſet controuerſia. Hæc pro Scoto, & de mente Scoti hactenus.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXI.

VTRVM DE FACTO DETVR ALIQVA Species impreſſa creata, diuinam eſſentiam intuitiuè repræſentans.

In tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 Affirmant quidam de facto huiuſmodi ſpeciem intellectibus Beatorum dari. Ita Vaſquez hic, diſp. 47. cap. 7. num. 32, & 34. pluries lumen gloriæ ſpeciem diuinæ eſſentiæ vocans. Imo aſſerit, quòd ſi ſpecies ex parte obiecti ſe teneret, necnõ poſſibilis eſſet ſpecies impreſſa creata Deũ intuitiuè repręſentans, potius dicendum eſſet de facto dari, quàm diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato vniri. Vnde diſp. 43. cap. 6. poſt relatas opiniones, de tertia opinione hæc verba profert. *Tertia opinio cæteris præſtare videtur, eaquè mihi ſummoperè probatur, quæ aſſerit eſſentiam diuinam non coniungi intellectui loco ſpeciei intelligibilis, ſed generali quadam ratione, ſicut primum mouens ad viſionem cum intellectu concurrere, atquè ſolùm eſſe obiectum illius; ipſum verò intellectum habitu luminis inſtructum, eſſe ſufficiens, & integrum eius principium.* [Vaſquez.]

2 Ex ijs, qui ſuſtinent ſpeciem ſe tenere ex parte obiecti, à Valentia hic, puncto 2. tribuitur Scoto, in 2. diſt. 3. quæſt. 9. re tamen vera, Scotus admittit ſpeciem impreſſam creatam, diuinam repræſentantem eſſentiam, non intuitiuè, ſed abſtractiuè, & quamuis ex talis ſpeciei poſitione rectè ſequatur eiuſdem Deitatis intuitiua repræſentatio, hoc negatur à Scoto, vnde non eſt ad mentem Scoti. [Valentia. Scotus.]

3 Pro hac eadem parte affirmatiua, Faſolus hic dubit. 8. num. 25. paulò ante finem, & Recupitus, de verit. quæſt. 20. num. 1. §. *ſecunda via*, dicunt eſſe Diuum Bonauenturam, ſed in citatione, loca variant. Faſolus enim ait, Diuum Bonauenturam id aſſerere in 3. diſt. 14. art. 1. quæſt. 3. in 5. argumento *ſed contra*. Et in fine. 6. argumenti; Recupitus verò affirmat Diuum Bonauenturam partem ſuſtinere affirmatiuam, in 3. diſt. 14. ar. 1. quæſt. 3. argumento 1. ſed neutrobiquè id inuenies à Diuo Bonauentura affirmatum; Reperies autem Diuum Bonauenturam pro oppoſita ſententia expreſsè, ac eruditè loquentem, in eodem 3. diſt. 14. quæſt. 1. vbi quærit, *An anima Chriſti eodem habitu quo cognoſcit Verbum, cognoſcat alia quæ ſunt in Verbo relucentia, ſola exiſtente differentia rationis;* & poſitis pro vtraquè contradictionis parte rationibus, ſic reſpondet. *Reſpondeo. Ad prædictorum intelligentiam eſt notandum, quòd habitus cognitionis numerari habet penes rationem cognoſcendi. Quoniam ergo Verbum Æternum eſt ſufficientiſſima ratio cognoſcendi omnia alia à ſe; quod patet, quia ſe ipſo cognoſcit omnia. Ideo ad hoc quod aliquis cognoſcat res in Verbo, non oportet in ipſo eſſe geminam cognitionem, ipſius Verbi, & ipſius rei cognitæ. Geminam dico, quantùm ad habitum cognoſcendi propter hoc quòd habens Dei formitatem gloriæ per quam cognoſcit ipſum Verbum habet Vnde aſſimiletur ipſi Verbo, quod eſt recta ratio cognoſcendi omnia alia à ſe.* Et ibidem reſpondens ad primum argumentum ſic ait. [Faſolus. Recupitus D.Bonau.]

4 *Quamuis Deus nullius poſſit eſſe forma perfectiua, poteſt tamen eſſe forma exemplaris, & ratio cognoſcendi.* Hæc ille. Locis ergo à præfatis Doctoribus adductis, Diuus Bonauentura nullatenus ſententiæ affirmanti fauet, ſed totaliter aduerſatur. Addicitur autem Diuus Bonauentura pro oppoſita ſententia à Recupito loco citato num. 3. in 1. diſt. 3. par. 1. quæſt. 1. ad vltimum; quo in loco D. Bonauentura non tam apertè loquitur de ſpecie impreſſa, & de cognitione clara, & intuitiua Dei, vt legenti conſtabit. [D.Bonau.]

Pro

Digitized by Google

Faſolus. Suarez.

5 Pro eadem ſententia Faſolus qui ſupra num.25. dicit eſſe quoſdam *Thomiſtas, quos refert Suarez, p.p.lib.2.cap.12.num.19. aſſerentes eſſentiam diuinam ſupplere uicem ſpeciei quantum ad unionem obiecti cum potentia, non autem quantum ad efficientiam*. Pace tamen horum Doctorum nõ eſt congruus ille modus referendi Doctorum Opiniones. Qui ſunt hi Thomiſtæ affirmantes ſpeciem impreſſam intuitiuè diuinam eſſentiam repræſentantem dari? Nam Magiſter Banes aſſerit diuinam eſſentiam non concurrere effectiuè ad viſionem, ſed ſolùm formaliter, & nihilominus de facto atquè etiam de poſſibili ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ negat, ac reſolutè diuinam eſſentiam intellectui beato in ratione ſpeciei intelligibilis vniri affirmat. Aliud enim eſt argumentari, quòd ſi diuina eſſentia nõ concurreret effectiuè ad viſionem, & aliàs lumen gloriæ totam præberet efficientiam, ſequeretur quòd lumen gloriæ eſſet ſpecies, & Aliud eſt dicere quòd ſic de lumine gloriæ opinantes, aſſerant lumen gloriæ eſſe ſpeciem. Banes enim affirmans totam rationem efficiendi à ſolo lumine prouenire lumen eſſe ſpeciem non affirmat. Nam ait, *quòd de ratione propria ſpeciei intelligibilis vt ſic, non eſt quòd ſit principium efficiens viſionis. Sed ſolùm quòd vniat obiectum cum potentia in eſſe cognoſcibili*.

Bannes.

Richard. Corrupt. Ægid.

6 Affirmatiuam ſententiam re vera ſuſtinet Richardus, Author Corruptorij doctrinæ Diui Thomæ, vt refert Ægidius Columna Romanus, Diui Thomę Auditor, in defenſorio, ſeù, correctorio Corruptorij nouiter edito, ex diligentia Ingenioſiſſimi Fratris Angeli Mariæ à Sanctiſſimo Sacramento Carmelitæ Diſcalceati, qui fuit præſentis noſtri operis diligentiſſimus reuiſor, & approbator. Verba Corruptorij ſunt iſta. *Ergo lumen intelligibile quod eſt lumen gloriæ, eſt ipſamet ſpecies lucis increatæ quæ Deus eſt, per quam videtur & in qua. Ponere ergo quòd Diuina Eſſentia non videatur mediante ſpecie ſua, vel ſimilitudine, & quòd mediante lumine quod ſit illius ſimilitudo uideatur, eſt ponere contraria*. Ex hoc igitur Authore Corruptorij librorum Diui Thomæ, & non ex Diuo Thoma Pater Vaſquez ſuam prompſit opinionem.

D.Thom. Albertus Magnus. D Bonau. Ægidius. Durand.

7 Speciem autem impreſſam creatam intuitiuè repræſentantem Deum, communiter Theologi negant. Ita D.Thomas in 4. diſt.49. quæſt.2.art.1. De Verit. quæſt. 8. ar. 1. 3. contra gent. cap.49. & hic. Albertus Magnus in 4. diſt.49. art. 5. D. Bonauentura in 3. diſt.14. quæſt.1. Ægidius in defenſorio doctrinæ D. Thomæ. Durandus in 4. diſt.49. quæſt.2. qui quàuis in omni cognitione ſpecies neget, loquens de cognitione clara, & intuitiua Dei, ait etiam ſi ſpecies concedendæ eſſent, in viſione Dei non eſſet admittenda. Alenſis p. p. quæſt.2. memb.3. art.1. ad 2. & quæſt.7. memb.2. Henricus in ſumma art.22. quæſt.1. ad.3. & quodlib.4. quæſt. 7. Marſilius in 3. quæſt. 10. art. 2. §. 1. Argentina quæſt.2. art.2. Capreolus in 4. diſt.49. quæſt.1. art.1. Sotus ibidem quæſt. 2. art.3. Caietanus hic, Bagnes, & Zumel hic, Suarez in Methaph. diſp.30. ſect.11. & p. p. lib.2. cap.12. Molina hic diſp.1. concl.2. Ledeſma de diuina perfect. quæſt. 8. art.4. Becanus cap.9. quæſt.2. concl.1. Nauarete controu.34. Valentia puncto 2. Gonzalez diſp.25. ſect.2. concl.1. Nazarius hic controu. 4. Faſolus hìc dubitat. 8. Palumbus in doctrina, & Scholaſtico examine 2. cap.3. Recupitus, de veritate quæſt.20. num.3. Salmanticenſes tract.2. de viſione Dei dub.3. Ferrarienſis 3. cont. gent. cap.49. Scotus, & communiter Scotiſtæ, & tandem omnes antiqui, ac moderni Theologi valdè paucis exceptis.

Alenſis. Henricus. Marſilius. Argent. Capreol. Sotus. Caietan. Bannes. Zumel. Suarez. Molina. Ledeſma. Becanus. Nauarret. Valentia. Gozalez. Nazarius. Faſolus. Palùbus. Recupit. Salmant. Ferrara. Scotus.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

8 PRo determinatione veritatis Dico Primò. Nulla datur ſpecies impreſſa creata intuitiuè diuinam eſſentiam repræſentans.

Hoc dictum non minus efficaciter quàm eleganter ex doctrina D. Thomæ in hoc art. probatur. In principio enim huius articuli hæc verba profert. *Ad uiſionem tam ſenſibilem, quàm intellectualem, duo requiruntur, ſcilicet, uirtus uiſiua, & unio rei uiſæ cum uiſu*; hac propoſitione ſuppoſita ſic concluſio probatur. Species ad hoc ponitur, nimirum, vt vniat obiectum potentiæ. Ergo quando obiectum eſt per ſe ipſum in ratione cognoſcibilis intellectui vnitum, non eſt ponenda ſpecies ab obiecto in modo eſſendi diſtincta. Patet conſequentia. Quia ceſſat ratio ponendi ſpeciem: Ad hoc enim ponitur ſpecies, vt vniat obiectum potentiæ.

9 Confirmatur primò. Duo neceſſariò requiruntur ad viſionem, virtus viſiua, & vnio rei viſæ cum viſu: & ſicut requiritur virtus viſiua; ita vnio rei viſæ cum viſu: ſed quando in potentia viſiua virtus viſiua adeſt, non rectè dicitur quòd ad videndum obiectum requiritur noua virtus ad videndum. Ergo ſimiliter quando obiectum per ſe ipſum potentiæ cognoſcitiuæ vnitur, non

Digitized by Google

non eſt admittenda ſpecies ab obiecto in modo eſſendi diſtincta. Antecedens patet, & a nullo negatur. Probatur autem conſequentia. Quia ſicut ad videndum ex parte potentiæ prærequiritur virtus viſiua, ita ex parte rei viſæ exigitur medium vnitiuũ, quod eſt ſpecies. Ergo ſicut quando virtus viſiua propria potentiæ viſiuæ ſufficit, noua virtus viſiua potentiæ ad videndum non ſuperadditur, ita quando obiectum eſt de ſe, & per ſe ipſum potentiæ viſiuæ vnitum, non eſt admittendum aliud medium vnitiuum; imo multo minus. Quia quando potentiæ viſiuæ ſufficiens virtus viſiua ineſt, ſi alia maior virtus ſuperaddatur, perfectiorem viſionem eliciet: At verò quando obiectum eſt de ſe, & per ſe ipſum potentiæ cognoſcitiuæ præſens, ſi species ſuperadderetur non eliciet perfectiorem viſionem, ſed vel æqualem, vel minus perfectam.

10 Confirmatur ſecundò. Quia ſi de facto talis ſpecies admitteretur, vel hoc eſſet, quia ſic poteſt eſſe, vel quia ſic Deus vult, vel quia ſic fieri oportet, vel quia ſic eſt magis rationi congruum. Non primum. Primò, quia ſpeciem iſtam eſſe impoſſibilem, infra probabimus. Secundò, quia multa poſſunt eſſe, & non ſunt. Non ſecundum. Primò, quia hoc Dei beneplacitum de re impoſſibili eſſe non poteſt. Secundò, quia eſto eſſet poſſibilis huiuſmodi ſpecies, nullibi hæc Dei voluntas explicitè, vel ad minus implicitè inſinuatur. Non tertium, quia rationes ſunt ad oppoſitum. Non quartum, quia magis congruum eſt vt Deus ſit per ſe ipſum, quàm per aliud à ſe ipſo intelligibilis: ſed per ſpeciem intelligibilem obiectum fit intelligibile in ordine ad potentiam. Ergo.

11 Probatur ſecundò, & in idem incidit. Deus de ſe eſt intelligibilis, & vnibilis intellectui creato per lumen gloriæ illuſtrato. Ergo de facto non datur ſpecies per quam vniatur. Antecedens patet. Quia Deus in omni genere eſt actus purus, & ſummè immaterialis. Conſequentia eſt euidens, quia ſpecies ideo ponitur vt ſuppleat obiecti immaterialitatem.

Dicunt quidam, quòd duplex eſt immaterialitas, Obiectiua ſcilicet, & Realis. Realis, excludit omnem potentialitatem entitatiuam, Obiectiua verò eſt qua obiectum fit de facto intellectui præſens. Deus primo modo eſt omnino immaterialis, non autem ſecundo.

12 Sed reſponſio ab eodem argumento efficaciter impugnatur. Nam Deus eſt puriſſimus actus in omni genere, & in eſſe reali ſeu entitatiuo, & in eſſe obiectiuo. Omnis enim potentialitas imperfectionem dicit. Ergo Deus ex ſua immaterialitate, & puritate habet ex ſe independenter à quacumquè ſpecie vt poſſit eſſe obiectiuè præſens.

14 Dico ſecundò. Lumen gloriæ non poteſt dici ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ. Hoc dictum adeo certum eſt eſſe Diui Thomæ vt *mirum ſit non vereri D. Thomam pro aduerſariorum opinione adducere*. Quemadmodum rectè Faſolus qui ſupra adnotauit.

14 Probatur autem Primò. Quia lumen gloriæ ex mente D. Thomæ in intellectu creato ponitur vt fortificans, ſeu roborans intellectum ad producendam viſionem, & vt diſponens illum ad vnionem diuinæ eſſentiæ in rationeſpeciei intelligibilis. Ergo ad mentem D. Thomæ lumen gloriæ nullo modo ſpecies intelligibilis diuinæ eſſentiæ nuncupari poteſt.

15 Probatur Secundò. Lumen naturale non dicitur ſpecies rerum naturalium. Ergo neque etiam lumen gloriæ dicitur ſpecies diuinæ eſſentiæ. Antecedens patet. Quia vltra lumen naturale ponuntur ſpecies vt phyloſophorum caterua communiſſimè confitetur, & negantes ſuperaddendas eſſe lumini naturali ſpecies, non affirmant lumen naturale ſpeciem eſſe. Conſequentia autem probatur à paritate. Quia quantùm ad hoc inter lumen naturale, & lumen gloriæ nulla diſparitas inuenitur.

16 Si dicatur diſparem eſſe rationem. Quia lumen naturale eſt indifferens ad omnes res naturales cognoſcendas; lumen autem gloriæ ex ſe determinatum eſt ad cognoſcendum Deum.

Contra primò. Quia lumen fidei ſupernaturalis, eſt etiam determinatum ad cognoſcendum Deum obſcurè, & tamen non dicitur ſpecies impreſſa Deum obſcurè repræſentans. Ergo.

17 Secundò. Quia eodem modo poſſet quiſpiam dicere, quòd lumen naturale eſt ſpecies omnium rerum vniuerſaliſſima, & determinaretur ad repræſentandum modo vnum, deinde aliud obiectum, vel ex præſentia vnius, & non alterius obiecti, vel ex aliquo intrinſeco, aut extrinſeco motiuo nouiter adueniente, & ſic determinatio intellectus ad cognoſcendum hoc, & non aliud obiectum, non eſſet ex ſpecie nouiter ſuperaddita. Idquè explicari poteſt de ſpecie Angelica, quæ plura obiecta repræſentat, & nihilominus Angelus ex ſua innata libertate, vel ex aliqua occaſione ſpeciali, vnum obiectum, & non aliud ſolet contemplari. Ergo ſimiliter, &c.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Argumenta in contrarium proponuntur, ac diluuntur.

18 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Species impreſſa intuitiuè Dei repræſentatiua eſt poſſibilis. Ergo de facto datur. Probatur antecedens, ex probabili multorum Theologorum opinione. Probatur autem conſequentia. Quia per illud tanquam per ſpeciem intellectus creatus Deum de facto videt, per quod connaturalius producit viſionem: ſed ſi huiuſmodi ſpecies impreſſa poſſibilis foret, intellectus creatus per eam connaturalius videret. Ergo, &c. Probatur maior. Quia quando non eſt ſpecialis de oppoſito reuelatio, nec ſpeciale miraculum intercedit, vnumquodque iuxta modum ſibi connaturaliorem operatur. Ergo, &c. Probatur autem minor. Quia illa ſpecies eſſet ex ſui natura, & intrinſecè finito modo repræſentatiua Deitatis, eſſentia autem diuina quòd ſe ipſam intellectibus Beatorum finito modo repræſentet, non ex ſua natura, ſed liberè habet; ſed proprius connaturalis, immo eſſentialis modus intellectus creati eſt finito modo Deum intelligere. Ergo connaturalius eſt intellectui creato intelligere per ſpeciem intrinſecè finitam, &c.

19 Reſpondetur Primò, negando antecedens. Ad cuius probationem, Dico, non eſſe mihi probabilem illam Theologorum opinionem de ſpeciei impreſſæ diuinam eſſentiam intuitiuè repræſentantis poſſibilitate. Reſpondeant qui poſſibilem eſſe exiſtimant, & de facto dari negant.

20 Reſpondetur Secundò, dato, & non conceſſo antecedenti, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & minorem, nego verò conſequentiam; & ratio negationis eſt. Quia quamuis connaturalis, imo eſſentialis intelligendi modus intellectus creati ſit videre finito modo; tamen videre per ſpeciem ex ſui natura finito modo repræſentantem, vel ex accommodatione, nihil ad modum connaturalem, intelligendi, ex parte intellectus confert. Aliunde igitur petenda eſt exiſtentia, vel non exiſtentia ſpeciei impreſſæ; ex connaturalitate ſcilicet obiecti. Nam cum ſpecies, ſe teneat ex parte obiecti quamuis propter neceſſitatem potentiæ intelligentis, ſeu cognoſcentis obiectum, tunc recte arguitur ſpeciei impreſſæ exiſtentia, quando connaturalius eſt illi obiecto vniri potentiæ per ſpeciem; quàm per ſe ipſum. Et quoniam Deo connaturalius eſt per ſe ipſum, propter ſuam, per ſe, & ſummam intelligibilitatem intellectui vniri. Ideo, eſto ſpecies impreſſa repræſentatiua intuitiuè diuinæ eſſentiæ poſſibilis foret; non propterea ſequitur per bonam cõſequentiam. Ergo de facto datur.

21 Contra hanc reſponſionem poteſt ſic obijci. Deus eſt omnipotens, & vndequaquè infinitus, potens mundum vniuerſum immediatè per ſe ipſum gubernare, cœlos mouere; & homines abſque Angelorũ miniſterio cuſtodire: & tamen non propterea ſequitur. Ergo Deus omnia immediatè de facto gubernat, mouet, cuſtodit, &c. imo dicitur communiter à Theologis, quòd ad decorem Vniuerſi, diuinæ omnipotentiæ, & prouidentiæ pertinet, vt inferiora per ſuperiores creaturas cuſtodiantur, gubernentur, & moueantur, vt optimè docet D. Thomas infra quæſt. 103. art. 6. & quæſt. 110, 111, 112, & 113. Ergo, &c. D.Thom.

22 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt. Quia inferiores creaturæ gubernantur per alias ſuperiores creaturas, non ad ſupplendum aliquid Dei, ſeu loco Dei; ſed tanquàm Dei miniſterium ferentes; & vltra hoc; in quibuſdam eſt naturalis proportio cum effectibus, nec propterea Deus in illorum effectuum productione, tanquam cauſa prima effectiua immediatè non concurrit: At verò ſpecies impreſſa cum ſe teneat ex parte obiecti, & vt Vicaria obiecti; cum ipſa præſens eſt potentiæ; obiectum non eſt amplius præſens per ſe. Quia ideo ponitur ſpecies, vt obiectum ſit intra potentiam. Quare, &c.

23 Obijcies Secundò. Si daretur ſpecies creata intelligibilis repræſentatiua Dei intuitiuè, inhæreret intellectui: eſſentia verò diuina non inhæret, nec inhærere poteſt. Ergo ſpecies intelligibilis creata, & impreſſa eſt connaturalior intellectui creato quàm ipſamet diuina eſſentia. Ergo ſi neceſſaria eſt ſpecies ad intelligendum Deum, illa ſpecies debet eſſe creata. Et hoc ad minus ſequitur ſuppoſita talis ſpeciei impreſſæ poſſibilitate.

24 Reſpondetur, ſicut in præcedenti argumento. Nam inhærentia, vel non inhærentia ſpeciei; In primis non eſt de eſſentia illius, & inſuper neutrum pertinet ad connaturalem intellectus creati intelligendi modum, ſed ad perfectionem, vel imperfectionem obiecti, vt dictum eſt.

25 Obijcies Tertiò. Eſſentia diuina de facto ſi vnitur vt ſpecies, dicitur gerere vicem

cem ſpeciei impreſſæ. Ergo connaturalius eſt intelligere per ſpeciē impreſſam, quàm per diuinam eſſentiam. Probatur cōſequētia. Quia connaturalius concurrit id ratione cuius aliquid eſt vices gerens; quàm quod alterius vices gerit. Ergo ſi diuina eſſentia gerit vicem ſpeciei impreſſæ, connaturalius ſpecies impreſſa cocurreret, quàm diuina eſſentia. Antecedens autem patet, ex communiori Theologorum modo loquendi.

26 Reſpondetur tamen propriè loquendo, negando antecedens. Nam in primis principalior Theologorum pars, negat in ordine ad quamcumquè potentiam, huiuſmodi ſpeciei poſſibilitatem. Quomodo ergo, diuina eſſentia, dicitur vicem ſpeciei impreſſæ gerere? Nihil enim alicuius impoſſibilis vices gerit. Secundò. Quia dato, & nō concesſo quòd ſpecies impreſſa de qua loquimur eſſet poſſibilis, & quòd de facto non detur, ſed diuinà eſſentia immediatè per ſe ipſam ſe ipſam repræſentaret; Neque etiam valebit dicere, quòd diuina eſſentia vicem ſpeciei impreſſæ gereret: & ratio huius eſt. Quia potius ſpecies impreſſa, eſſet loco diuinæ eſſentiæ quàm diuina eſſentia loco ſpeciei. Eo quia minus principale dicitur gerere vicem magis principalis, non magis principale dicitur gerere vicem minus principalis, præſertim quando idem munus conuenit vtriquè formaliter. In caſu autem noſtro, ſpecies impreſſa eſt minus principalis, eſtque loco diuinæ eſſētiæ; Diuina autem eſſentia eſt ipſum principale obiectum. Quare potius dicendum eſt quòd ſpecies impreſſa gereret vicem eſſentiæ diuinæ, quam diuina eſſentia ſpeciei impreſſæ. Quòd ſi à quibuſdam vel plerifquè dicitur; eſt larga, & impropria locutio. D.Thom.

27 Obijcies Quartò. Contra ſecundum dictum. Quia lumen gloriæ à D.Thoma quodlib. 7. præſtat totum illud quod inrebus creatis ſpecies & lumen naturale. Ergo ad mentem D.Thomæ lumen gloriæ poteſt dici ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ.

Reſpondetur explicando authoritatem Diui Thomæ ſicut ſupra, quòd debet intelligi quo ad illuſtrationem intrinſecam ex parte potentiæ, quā intellectus recipit à lumine gloriæ vt valeat Dei viſionem producere.

29 Eſt enim differentia inter lumen gloriæ, & lumen naturale intellectus, quia præter lumen naturale, ſeu, innatum, requiritur ſpecies repræſentatiua obiecti; & ex illa ſpeciei repræſentatione, & lumine naturali, ex frequentantis actibus, nouum lumen acquiritur, quod eſt habitus. Verumtamen præter lumen gloriæ ex aduentu diuinæ eſſētiæ in ratione ſpeciei intelligibilis aliud nouum lumen, ſeu, alius habitus, intellectum facilitans, reſpectu viſionis Dei non acquiritur.

30 Item ſicut lumen intellectus agentis illuſtrat poſſibilem intellectum, quia in eo ſpeciem cauſat intelligibilem. Ita lumen gloriæ ſeruata tamen accommodata proportione, non cauſat ſpeciem; quia Deus de ſe eſt infinitè intelligibilis; & nō poteſt fieri actu intelligibilis per aliquā ſpeciem, ſed diſpoſitiuè, inducit ſpeciem quæ eſt diuina eſſentia; quòd autem D.Thomas nolit cōcedere lumen gloriæ eſſe ſpeciem intelligibilem, patet ex verbis eiuſdem ſupra relatis, & ſic ad plenum authoritas Diui Thomæ eſt explicata.

31 Obijcies Quintò. Datur de facto ſpecies expreſſa. Ergo datur de facto ſpecies impreſſa repræſentatiua Dei. Patet conſequentia à paritate. Probatur antecedens. Quia ſpecies expreſſa eſt intellectio. Ergo quiā datur intellectio creata reſpectu Dei, datur etiam ſpecies expreſſa.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dico, omnino falſum eſſe, intellectionem creatam, ſeu, viſionem claram Dei, eſſe ſpeciem expreſſam diuinæ eſſentiæ, de qua re ſpecialis erit diſputatio.

32 Obijcies vltimò. Lumen gloriæ determinat intellectum ad cognoſcendum tantummodo Deum. Ergo eſt propriè ſpecies impreſſa repræſentatiua diuinæ eſſentiæ. Patet antecedens. Quia per lumen gloriæ non poteſt aliud quàm Deus immediatè cognoſci. Patet conſequentia. Quia hoc eſt proprium ſpeciei impreſſæ munus, determinare potentiam ad cognoſcendum vnum obiectum, non verò aliud.

33 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. lumen gloriæ determinat determinatione inclinatiua, ſeu per modum virtutis potentiæ, & propenſiuè, concedo antecedens. Determinat faciendo vnum cum obiecto, ſeu, coefficiendo viſionem efficientia ſe tenente ex parte obiecti, nego antecedens. quare, &c. Fallitur enim omnino Vaſquez. quia putat tantummodo vnam determinationem ad productionem viſionis, ſeu, intellectionis requiri, nempè, determinationem potentiæ quo ad virtutem agendi, non autem vnionem obiecti cum potentia, quæ eſt determinatio potentiæ ſe tenens ex parte obiecti. Vbi aduerte; quòd quando dicimus requiri determinationem ex parte obiecti, nō dicimus illam determinationem eſſe propter operationem obiecti abſolutè, ſed propter efficientiam, ſeu, concurſum obiecti in ordine ad operationem potentiæ. Ita quòd concurſus obiecti eſt neceſſarius ad hoc vt potentia poſſit ſuam operationem exercere, vnde rectè Scotus in quæſt. 14. quodlibetal. ar. 2. tit. *ſed hic ſunt duo dubia* ſub litt. h. hæc habet verba. *Quantumcumquè obiectum ſit perfectum, vel intellectus perfectus, neutrum tamen cauſaret actum ſine alio.* Vaſquez. Scotus.

DISPVTVTIO XXII.

VTRVM ACTVS VISIONIS CLARÆ DEI habeat rationem ſpeciei intelligibilis diuinæ eſſentiæ, illam intuitiuè repreſentantis.

Per duo capita expedita.

CAPVT PRIMVM.

Opinio Aureoli adducitur, & veritas ſtabilitur.

1 Aureol. AVreolus apud Capreolum in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 2. contra ſecundam concluſionem ſuſtinet partem affirmatiuam dicens; quod per actum viſionis qui eſt vera ſimilitudo obiecti, cognoſcitur Deus clarè, & diſtinctè, & per illum repręſentatur Deus per modum ſpeciei, & hoc dicit eſſe commune omni potentię cognoſcitiuæ, quòd ſcilicet nulla alia ſpecies eſt in ea formaliter, aut ſimilitudo alia, niſi actus qui ſimillimus eſt ipſi rei, ſic quòd actus non addit vltra ſpeciem niſi actualem repræſentationem.

Capreol. Pro maiori tamen huius opinionis intelligentia, eſt obſeruandum, quòd apud Aureoli ſententiam, vt refert idem Capreolus ibidem, intellectio & quælibet cognitio cuiuſcumquè potentiæ cognoſcitiuæ conſiſtit in puro pati ab obiecto, ſeu, in hoc, quod eſt recipere obiectum intra ſe, quæ quidem receptio ſecundùm quòd receptio eſt, dicitur cognitio, ſecundùm quòd repræſentatiua eſt, dicitur ſpecies.

2 Nihilominus tamen, hæc opinio cum ſit valde ſingularis, eſt ab omnibus derelicta, & vnanimiter impugnata. Standum eſt igitur communi Theologorum, ac phyloſophorum ſententiæ, nempè, quòd cognitio non eſt ſpecies intelligibilis: (loquimur de ſpecie impreſſa, non verò de ſpecie expreſſa) quoniam Vtrum cognitio ſit ſpecies expreſſa obiecti, plures habet patronos, & infra ſpecialiter diſputabitur. Vnde pro determinatione veritatis.

Dico breuiter. Intellectio, ſeu, clara viſio Dei non poteſt dici ſpecies impreſſa diuinę eſſentiæ. Et hoc idem dicimus de omni alia intellectione, ſeu, cognitione.

3 Probatur primò. Quia falſum omnino eſt quòd ſupponit Aureolus, nempè quòd intelligere in puro pati conſiſtat. Ergo ruit totum eius ædificium. Patet conſequentia. Probatur autem antecedens. Primò, quia intelligere eſt aliquod opus vitale. Ergo eſt actio. Hoc autem magis diffusè explicabitur infra.

4 Secundò. Quia etiam ſi daretur quòd intelligere conſiſtat in aliquo pati formaliter, tamen connaturaliter poteſt, immo debet potentia producere cognitionem. Ergo. Probatur antecedens. Quia prius natura quàm cognoſcatur obiectum debet intelligi vnitum intra potentiam. Ergo, &c. Probatur antecedens. Quia non ex eo quòd obiectum cognoſcitur ideo eſt intra potentiam; ſed ideo cognoſcitur, ſeu, poteſt cognoſci, quia eſt potentiæ vnitum. Ergo.

Si dicatur, quòd hoc eſt cognoſcere obiectum, recipere illud.

5 Contra primò. Quia vel recipitur ſubiectiuè, vel obiectiuè. Si ſubiectiuè. Hoc, eſt falſum. Quia non eſſet intra potentiam, modo eſſendi obiecti. Nam vt ex nominis Etymologia patet, obiectum debet eſſe obiectiuè. Si ſecundum: Aſſignandum reſtat per quid reſpicitur illud obiectum.

Secundò. Quia reſpicere obiectum intra potentiam præſupponit illud intra eamdem.

6 Tertiò. Quia ſemper reiteratur illud argumentum, videlicet cognoſcere eſt aliquod opus vitale. Ergo eſt actio vitalis, ad minus connaturaliter.

Probatur Secundò. Quia de alijs rerum cognitionibus tranſacta cognitione remanet obiectum in memoria, quod deinde idem intellectus iterum cognoſcere poteſt, & ſolet. Ergo vltra ipſam intellectio-

Digitized by Google

lectionem, quæ eſt receptio obiecti ſecundùm Aureolum, debet præſupponi ſpecies per quam conſeruatur obiectum intra potentiam.

Reſpondet Aureolus, quòd illa prima intellectio, remanet in ratione ſpeciei, non autem in ratione intellectionis.

7 Contra. Quia in tantùm habet rationem ſpeciei in quantùm actualiter repræſentat ſecundùm ſuum eſſe formale. Tunc ſic. Remanet ſecundum eſſe ſpeciei. Ergo ſecundùm repræſentationem. Ergo ſecundùm actualem intellectionem. Patet prima conſequentia. Quia non habet aliud eſſe intellectio, per Aureolum, niſi actualiter repræſentare, & potentiam recipere illam repræſentationem: ſed implicat conſeruari repræſentationem ſine cognitione. Ergo remanebit etiam in ratione cognitionis. Et ſic non de nouo exibit potentia ad cognoſcendum.

Aureol. 8 Probatur Tertiò. Quia poſitio Aureoli, procedit ex ignorantia ſpeciei impreſſæ. Vnumquodquè enim ponitur propter aliquem finem. Ergo ſi ponitur ſpecies impreſſa, vel ponitur vt ipſa ſit actualis intellectio, vel vt ſit propter actualem intellectionem. Si primum. Iam eſt ignorare ratione ſpeciei impreſſæ, & nouam rerum inducere eſſentiam. Si ſecundum. Ergo intentum, videlicet, ante intellectionem requiritur ſpecies impreſſa.

9 Probatur Quartò. Quia aut viſio ab intellectu effectiuè producitur, aut intellectus reſpectu viſionis merè paſſiuè ſe habet: Neutro modo Viſio poteſt dici ſpecies impreſſa. Ergo. Maior patet, Probatur minor quo ad primam partem. Quia intellectus producit intellectionem media ſpecie impreſſa. Probatur verò quo ad ſecundam partem. Quia ſi intellectus reſpectu viſionis merè paſſiuè concurrit, aut viſio conſiſtit in receptione ſpeciei, aut in actuali quadam attingentia obiecti. Si primum. Ergo viſio non eſt ſpecies. Si ſecundum. Ergo neque etiam viſio eſt ſpecies. Probatur iſta conſequentia. Quia nomine ſpeciei intelligibilis non intelligitur actualis attingentia obiecti, ſed aliquid huiuſmodi attingentiam antecedens, niſi velimus rerum eſſentias euertere, ac perturbare.

CAPVT SECVNDVM.

Argumentorum Aureoli dilutio.

10 Sed Contra iſtam determinationem. Obijcies primò pro Aureolo: *Viſio* clara Dei, & quælibet intellectio, ſeu, cognitio præſtat totum, quòd ſpecies impreſſa facit. Ergo eſt ſpecies. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Quia ſpecies intelligibilis impreſſa facit formaliter apparere, & præſentialiter obijci obiectum intellectui, ſeu, potentiæ, ſed hoc facit viſio, ſeu, cognitio. Ergo, &c. Maior eſt nota. Probatur minor. Quia intelligere non eſt aliud niſi illud quo præſentialiter habetur aliquid per modum apparentis. Ergo, &c. Aureol.

Confirmatur. Quia per ſpeciem intelligibilem obiectum apparet intellectui; & per intellectionem etiam apparet intellectui. Ergo vel obiectum bis appareret, ſemel per ſpeciem, & iterum per intellectionem, Vel intellectio, & ſpecies ſunt idem. Non primum. Quia ſi bis appareret, bis intelligeretur. Apparere enim intellectui, non eſt aliud niſi ab intellectu cognoſci. Ergo ſi bis appareret, bis cognoſceretur.

11 Reſpondetur negando ſimpliciter antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Species facit formaliter apparere, & præſentialiter obijci obiectum intellectui, conſtituendo potentiam vnum cum obiecto in eſſe intentionali, vel etiam vt comprincipium effectiuum, cognitionis, concedo maiorem. Oſtendendo obiectum in actu ſecundo, ſeu, tanquam terminus cognitionis, nego maiorem. Etenim hoc ſecundum eſt ſpeciei expreſſæ munus. Quo poſito, nego minorem. Quandoquidem intellectio nullo horum modorum facit obiectum apparere. Nequè primo modo per modum ſpeciei impreſſæ. Nequè ſecundo per modum ſpeciei expreſſæ. Primum de ſe patet. Quia ſpecies impreſſa prius in aliquo ſigno intellectionem antecedit. Secundum magis manifeſtabitur infra, & ad præſentem non pertinet controuerſiam. Dicendum eſt igitur, quòd intellectio, & cuiuſcumquè potentiæ cognoſcentis cognitio, non eſt actualis, & formalis, obiecti repræſentatio, ſed attingentia obiecti formaliter apparentis.

12 Ad confirmationem reſpondetur primò, diſtinguendo antecedens. Per ſpeciem intelligibilem obiectum apparet vnitum intellectui in actu primò, concedo antecedens. In actu ſecudo. Iterum diſtinguo antecedens. Cauſaliter, concedo antece-

dens. Formaliter, nego antecedens. Quo ad ſecundam partem, nempè, & per intellectionem etiam apparet intellectui. Iterum diſtinguo, & per intellectionem apparet Attingendo contemplatiuè obiectum, concedo antecedens. Repræſentando formaliter, nego antecedens. Ergo, &c. diſtinguo conſequens. Vel obiectum bis appareret, ſemel in actu primo, & iterum in actu ſecundo, concedo conſequentiam. bis in actu ſecundo, nego conſequentiam quo ad primam partem, & ſemper nego ſecundam partem conſequentis. Et per idem patet ad probationem. Si bis appareret, &c. diſtinguo antecedens. Si bis appareret in actu ſecundo, bis intelligeretur, concedo antecedens, ſi bis appareret ſemel in actu primo conſtituendo, ſcilicet, potentiam vnum cum obiecto, vel tanquam comprincipium, & iterum in actu ſecundo, bis intelligeretur, nego antecedens. Nam apparere in actu ſecundo, eſt formaliter intelligi, apparere autem in actu primo, eſt fieri vnum, &c.

13 Reſpondetur Secundò, & formalius, diſtinguendo antecedens. Per ſpeciem intelligibilem obiectum apparet intellectui, & per intellectionem etiam apparet intellectui, Dupliciter, concedo antecedens. Vnipliciter nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Quoniam aliud eſt obiectum bis apparere, & aliud eſt obiectum dupliciter apparere. Bis enim apparere eumdem apparentiæ modum ſignificat duplicatum. Dupliciter verò, non item. Dicere enim quòd obiectum bis apparet, vniuocè ſumitur, & conſequenter, ſenſus eſſet, quòd bis appareret in actu primo, vel, in actu ſecundo, Dicere verò quòd dupliciter appareret, non vniuocè ſumitur, vt ex ſummulis patet. Et ſic eſt in caſu noſtro. Vno enim modo apparet obiectum intra potentiam, cōſtituendo vid. potentiam vnum cum obiecto, & in actu primo in ordine ad actum ſecundum. Alio verò modo apparet in actu ſecundo, & hoc eſt per intellectionem. Quod etiam in ſenſu ſano intelligendum eſt. Apparet enim obiectum in actu ſecundo per intellectionem, non tanquàm per aliquod formaliter repræſentatiuum, ſed tanquam per operationem potentiæ quæ eſt obiecti formaliter apparentis attingentia.

14 Obijcies ſecundò, ex eodem Aureolo. Aut intelligere eſt aliquid præſens habere; Aut præſens per ſpeciem exiſtens, Per prius intueri. Si primum. Ergo ſpecies, & intellectio ſunt idem. Quia per ſpeciem res habetur præſens, & intelligere eſt aliquid præſens habere. Ergo, &c. Si ſecundum. Hoc eſt falſum. Quia quod eſt præſens alicui intellectui, neceſſe eſt vt ab illo cognoſcatur. Hoc eſt enim alicui intellectui eſſe præſens. Ergo, &c.

15 Reſpondetur, Vtrumquè eſſe verum iuxta legitimum ſenſum explicatum.

16 In primis; intelligere eſt aliquid præſens habere; præſens quidem non habitualiter, & in actu primo, ſed in actu ſecundo.

Secundò. Quia intelligere, eſt aliquid præſens habere, id eſt, attingere obiectum præſens, per ſpeciem expreſſam formaliter repræſentatum; & per intellectionem contemplatum. Secundum etiam verum eſt, nempè, quòd præſens per ſpeciem exiſtens, prius in actu primo, per intellectionem actualiter intelligitur. Ex quo omnia pro nobis nihil contra nos.

17 Obijcies tertiò ex eodem Authoritate Commentatoris 2. de anima Commento 122. vbi ait, quòd intentiones rerum in anima, ſunt comprehenſiones. & 3. de anima Commen. 31. dicit, quòd abſtrahere, nihil aliud eſt quàm facere intentiones intellectas: intelligere verò nihil aliud eſt quàm recipere has intentiones: ſed intentiones quas facit intellectus agens ſunt ſpecies intelligibiles. Ergo illæ eędem ſunt intellectiones. Cōment.

18 Reſpondetur, vtramque Commentatoris Authoritatem explicando, & quidem primam in ſenſu cauſali, concedo. In ſenſu identico aut formali, nego. Et ſenſus eſt, quòd intentiones in anima ſunt id quo intellectus intelligit tanquàm forma, & principio actiuo intellectionis; non verò tanquàm intellectione; & hoc eſt Cōmentatoris intentum. Secundam quoque. Antecedenter, concedo; Formaliter nego. Id eſt, antequam intellectus intelligat oportet vt recipiat ſpecies.

19 Obijcies quartò. Authoritate Auguſtini 2. de Trinit. cap. 2. vbi vult, quòd illa forma quæ viſio vocatur, à ſolo corpore gignitur quod videtur, ſed quod gignitur à ſolo corpore, eſt ſpecies. Igitur illa ſpecies ſecundum Auguſtinum eſt viſio; & etiam Authoritate phyloſophi 2. de anima idem eſt ſonatio, & auditio. Quia idem actus actiui, & paſſiui. vt ipſemet docet 3. phyſicorum text. commen. 138. ſed ſonabile in actu, cauſat ſpeciem ſoni in aure. Ergo illa ſpecies eſt eadem cum auditione, & ita ſpecies ſenſibilis, & ſenſatio idem ſunt. Auguſt.

20 Reſpondetur. Cum Capreolo in primo. diſt. 35. quæſt. 1. explicando Auguſtinum. hoc modo. Viſio a ſolo corpore gignitur; Mediatè, Id eſt, mediante ſpecie quam cauſat in oculo, eſtquè viſionis principium actiuum, concedo. Immediatè, nego. Auguſtinus primo modo non ſecundo interprætandus eſt: Videatur Scotus. quæſtionibus quodlibetalibus quæſt. 14. ar. 2. ſub littera F. vbi hæc habet verba. *Et hoc videtur haberi ab Auguſtino 9. de Trinit. cap.* Capreol. Scotus.

cap.

Digitized by Google

cap. vltimo. liquido, inquit, tenendum eſt; quod omnis res; quamcunque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui. Ab vtroque enim paritur notitia. ſcilicet, à cognoſcente, & cognito; & 11. de Trinit. cap. 2. vel 5. *Ex viſibili, & vidente gignitur viſio, & licet ibi ſubdat. Informatio ſenſus quæ viſio dicitur à ſolo imprimitur corpore, quod videtur. Hoc non eſt contra illud. Quia æquiuocè accipitur hoc nomen viſio. Primo pro actu videndi. Secundo pro ipſa ſimilitudine rei viſæ, & illa à ſolo corpore cauſatur, & illa æquiuocatio, &c.*

DISPVTATIO XXIII.

VTRVM DIVINA ESSENTIA SPECIEI INTELLIGIBILIS munus exercens, vniatur intellectui in ratione formæ intelligibilis.

In tria Capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & adducuntur Doctorum opiniones.

1 DVo ſunt inter cætera, quæ a Doctoribus aſcribi ſolent præcipua ſpeciei impreſſæ munera, nimirum eſſe formam intellectus in eſſe intelligibili; Et ſimul cum intellectu coefficere cognitionem. Ad cognoſcendum igitur Vtrum diuina eſſentia cum proprietate ſermonis poſſit ſpecies dici, inueſtigandum reſtat vtrumque; Quod propter difficultates ſpeciales, necnon propter diuerſas Theologorum opiniones, per ſingulas diſputationes enucleare oportet. Quare in præſenti diſputamus. Vtrum diuina eſſentia vniatur intellectui creato in ratione formæ intelligibilis, tanquàm vera forma intimè vnita, antecedenter ad rationem comprincipiandi viſionem.

2 Sed vt clarius titulus, ac totius controuerſiæ ſtatus explicetur, eſt breuiter obſeruandum, quòd forma intelligibilis in eſſe intelligibili intimè, & intrinſecè vnita, non eſt aliud, niſi ſpecies informatiuè determinans intellectum ad hoc, & non ad aliud obiectum in actu primo, abſquè eo quòd conſideretur vt informans intellectum inhæſiuè, vel ſecundùm eſſe entitatiuum; eo modo quo fides catholica docet de vnione Verbi diuini in ratione puri termini humanæ naturæ Chriſti Domini. Verbum enim diuinum. Terminat naturam humanam per intrinſecam vnionem; Ita ſimiliter debita proportione ſeruata, in præſenti, nomine formæ intelligibilis in ratione puræ formæ intelligibilis, intelligimus vnionem obiecti cum potentia intellectiua antecedenter ad comprincipiationem, quę quidem vnio, eſt intima, & intrinſeca non ad informandum intellectum in eſſe naturæ, ſed ad ipſum determinandum. Et hoc à D. Thoma in principio corporis præſentis articuli euidenter inſinuatur; dum dixit, quòd *ad viſionem tam ſenſibilem, quàm intellectualem, duo requiruntur, ſcilicet virtus viſiua, & vnio rei viſæ cum viſu.*

3 Vnio autem qua duo ſunt vnum, non fit niſi quando vnum ſe habet vt actus, & alterum vt potentia, vel vnum vt forma, & alterum vt materia, aut vnum vt terminus intrinſecus, & alterum vt natura, &c. Ergo ſi requiritur vnio rei viſæ cum viſu, rei intellectæ cum intellectu, res intellecta erit forma in eſſe intelligibili, quod eſt terminare intellectum ad intelligendum hoc, & non aliud; & intellectus ſe habet vt potentia determinata per ſpeciem, vel per obiectum tanquàm per formam.

4 Theologi in hac re ad inuicem digladiantur. Quidam enim inconueniens putant aſſerere, quòd diuina eſſentia vniatur vt forma intelligibilis per intrinſecam vnionem in eſſe intelligibili. Quapropter dicunt, quòd ſi ad rationem ſpeciei intelligibilis

gibilis ſpectat intellectum ineſſe intelligibili informare, diuina eſſentia non vnitur intellectui creato per modum ſpeciei intelligibilis. Ita Vaſquez diſp. 43. cap. 6. Suarez in p. p. ſummæ lib. 2. cap. 12. Vulpes diſp. 23. ar. 3. num. 5. Faſolus hic dub. 1. num. 2. Recupitus lib. 6. q. 22.

Vaſquez. Suarez. Vulpes. Faſolus. Recupit.

Scotus.

5 Huius ſententiæ videtur eſſe Scotus, per ea, quæ habet in 1. diſt. 3. quæſt. 8. §. *Reſpondeo ad primam*. vbi ait, *Accidit ſpeciei in quãtum eſt cauſa partialis reſpectu actus intelligendi cum intellectu, ut cum alia cauſa partiali, quòd ipſa perficiat intellectum*; & quòd *obiectum eſt cauſa partialis, & non informat intellectum qui eſt altera cauſa partialis; ſed iſtæ duæ cauſæ partiales approximatæ, abſque informatione alterius ab altera per ſolam approximationem debitam cauſat vnum effectum communem.*

6 Et eadem quæſtione §. *Vel aliter poſſet dici*. ſic ait. *quòd ſicut cauſa ſuperior determinatur ad agendum, concurrente aliqua particulari cauſa inferiori, ſicut Sol ad generandũ hominem, concurrente homine agente, & bouem, concurrente boue; non autem per aliquam formam in ſe receptam: Ita intellectus qui eſt cauſa ſuperior, & cauſa illimitata determinatur ad hoc obiectum, concurrente cauſa particulari determinata, puta ad agendum circa hoc obiectum concurrente hac ſpecie. Non enim iſtud determinans determinat effectiuè cauſam indeterminatam ſuperiorem, neque formaliter, ſicut ratio agendi*.

Et diſt. 17. quæſt. 2. §. *Ad vltimum dico*. ſic ait. *Obiectum in ſe præſens quomodo erit in Patria, ſufficit abſque omni informatione ad cauſandum viſionem, vel ex ſe ſolo cum intellectu*. Hæc ille.

Ex quibus verbis, Scotum aſſeruiſſe ſpeciem impreſſam de ſuo formali, ac diuinam eſſentiam in ratione obiecti, intellectui creato vnitam, non eſſe informantem intellectum, etiam in eſſe intelligibili, clarè colligitur.

Scotus.

7 Sunt autem alia Scoti teſtimonia, ex quibus aliqua probabilitatis ſpecie, colligi poteſt, quòd ſpecies intelligibilis, nec non diuina eſſentia in ratione obiecti, intellectui Beato præſens, eſt informans intellectum in eſſe intelligibili. Etenim eadem diſt. 3. & quæſt. 8. primi §. *Et cum poſt arguitur*. ſic ait. *Benè concedo quòd ſpecies illa, quæ eſt ſimilitudo obiecti, & per quam intellectus aſſimilatur cognitioni productæ, eſt aliqua ratio agendi, ſed non totalis*; & eadem diſt. 3. quæſt. 7. §. *expreſſius tamen*, docet quòd obiectum debet eſſe præſens potẽtiæ prius natura quàm producatur actus, & ibidem §. *& confirmatur hoc*, ſpeciem intelligibilem, *habitum* vocat. Et ibidem §. *ad ſecundum de præſentia iſta*, hæc habet verba. *Dico quòd obiectum reſpectu potentiæ, habet primò præſentiam realem, ſcilicet approximationem talem, ut poſſit gignere ſpeciem talem in intellectu, quæ eſt forma intellectus*. Idem pluries, ac pluries repetit.

8 Et in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. *Reſpondeo ergo*, probans quòd *anima humana non eſt ſufficienter actiua ex puris naturalibus*, ad conſequendum actum viſionis, has propoſitiones habet. *Impoſſibile eſt intellectum eſſe cauſam viſionis, niſi intellectus habeat in ſe obiectum cognitum, uel aliud in quo eminentius contineatur*. Et paulo poſt, in 2. ratione, ſic ait. *Sed natura humana non poteſt habere ex ſe præſentem Deum in ratione obiecti, licet ſit ſibi præſens per illapſum*. Hæc ille. Quibus poſitis ſic arguitur. Per Scotum ſpecies eſt aliqua ratio agendi, Forma intellectus, Obiectum debet eſſe prius præſens intra intellectum quam ſit cognitio producta, & diuina eſſentia quamuis cuilibet intellectui ſit per illapſum præſens, non tamen poteſt intuitiuè cognoſci, niſi ſit præſens in ratione obiecti. Ergo antequàm comprincipiet cum intellectu viſionem, debet eſſe per modum formæ intelligibilis intellectui vnita.

9 Vnde Authoritates in contrarium adductæ, explicari poſſent de informatione ſecundùm eſſe entitatiuum, & de ea qua per formam tribuitur ſubiecto tota ratio agendi: vt ipſemet Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 8. §. *ad ſecundum dico*, declarare videtur. Vbi hæc habet verba, *Ad ſecundum dico, quòd contra illam opinionem, quæ non ponit intellectum habere actiuitatem aliquam aliam ab illa, quam habet formaliter ab obiecto, vel per ſpeciem obiecti; Sicut nec lignum habet aliquam actionem in calefaciendo aliam ab illa, quæ eſt caloris, neceſſariò ſequitur, quòd intellectus non habens aliquid formaliter, non operatur formaliter: ſed ſicut dictum fuit intellectus habet actiuitatem ſuam propriam, ſiue obiecto præſente in ſe, ſiuè in ſpecie ſua concurrente ſecum ad cauſandum effectum communem amborum, ita quòd ſufficit vnio, & approximatio iſtarum partialium cauſarum, nec tamen requiritur quòd altera alteram informet, quia neutra dat alteri actum pertinentem ad ſuam cauſalitatem partialem*. Hæc ille. Vbi ſatis clarè loquitur de ea informatione, quæ eſt in eſſe entitatiuo, & quæ tribuit virtutem potentiæ, per ea verba ſcilicet, *neutra dat alteri actum pertinentem ad ſuam cauſalitatem partialem*. Quaſi diceret illa informatio

Scotus.

10 denegatur obiecto, ac ſpeciei formaliter ſumptæ, qua poſſet aliquis ſuſpicari, per huiuſmodi informationem intellectui conferri ſuam cauſalitatem partialem, quod noſtra non affirmat opinio. Non enim dicimus quòd per huiuſmodi obiecti, ſeu, ſpeciei intelligibilis informationem intellectui tribuitur virtus actiua ex parte intellectus ſe tenens. Hanc enim habet à lumine gloriæ reſpectu viſionis, & à lumine natu-

Digitized by Google

naturali reſpectu cognitionis obiecti naturaliter cognoſcibilis, quòd ſi Scotus imaginatus eſt, illam opinionem fuiſſe D. Thomæ, eſt omnino, deceptus, & Sanctum Doctorem dicentem, quòd intellectus noſter eſt pura potentia in genere intelligibilium minimè intellexit. Id quod dicimus eſt, quòd præter lumen, ac virtutem naturalem, vel ſupernaturalem, requiritur vnio intrinſeca inter obiectum, & intellectum, ratione cuius terminetur ad cognoſcendum vnum, & non aliud, & hæc dicitur informatio in eſſe intelligibili. Quidquid autem Scotus dicat, non propterea ſequitur, quòd ſi obiectum, ſeu, diuina eſſentia intellectui creato in ratione formæ intelligibilis non vnitur, aſſeruerit eſſentiam diuinam rationem ſpeciei intelligibilis non habere, dummodo concurrere effectiuè ad viſionem concedat. Quia Scotus diceret (quemadmodũ quidã Theologi dicunt) quòd ad rationem ſpeciei intelligibilis vt ſic, hæc informatio non requiritur. Melius tamen dicitur quòd Scotus per ea quæ expreſsè dicit, eſt huius negatiuæ ſententiæ, nempè quòd diuina eſſentia non vnitur tanquàm forma in eſſe intelligibili intellectui Beatorum; per id verò quod ex aliàs eius dictis, deduci poteſt, probabiliter colligitur huic aduerſari ſententiæ.

11 Aliorum autem Theologorum eſt ſententia quòd diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis vnitur intellectui creato, vt forma verè tribuens eſſe in eſſe intelligibili. Ita D. Thomas locis præadductis, & adducendis, Caietanus hic, Ferrarienſis 3. contra gent. cap. 51. Bañes hìc dub. 2. cócl. 4. Gonzalez hic diſp. 25. ſect. 5. cócl. 3. num. 64. Nauarrete, controu. 35. concl. 2. Diſcalceati Carmelitæ tract. 2. de Viſione Dei, diſp. 2. dub. 2. & pluries alibi, Ioannes de Sancto Thoma hic diſp. 13. ſuo ar. 4. tit. Quomodo fiat vnio diuinæ eſſentiæ, & alibi, Petrus Corneyo Carmelita diſp. 1. dub. 34. num. 23.

D. Thom. Caietan. Ferrar. Bañes. Conzal Nauarret. Diſcalc.

Ioa. de S. Thom Corneyo.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

12 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Eſſentia diuina vnitur intellectui creato vt forma præbens ei eſſe, in eſſe intelligibili; illam ſcilicet intrinſecè terminando. Hoc dictum probatur, Primò omnibus D. Thomæ authoritatibus ſupra adductis. Nam D. Thomas 3. cont. gent. cap. 51. expreſsè teſtatur quòd diuina eſſentia, licet non poſſit eſſe forma alicuius in genere entium, poteſt eſſe forma intellectus creati in genere intelligibilium. Idem docet in 4. diſt. 49. quæſt. 2. ar. 1. & de verit. quæſt. 8. art. 1. in corp. vbi ait *quòd eſſentia diuina efficitur intellectui vt forma in intelligendo*, & ibidem ad 5. ait. *quòd forma qua intellectus videntis Deum per eſſentiam videt Deum, eſt ipſa eſſentia diuina; nec tamen ſequitur quòd ſit forma quæ eſt pars rei in eſſendo, ſed quòd ſe habeat hoc modo in intelligendo, ſicut forma quæ eſt pars rei in eſſendo*. Hæc ille. vbi clarè docet quòd ſicut forma in eſſendo (ſecluſis tamen imperfectionibus)

D. Thom.

13 præbet eſſe materiæ; ita (legitima tamen proportione ſeruata) diuina eſſentia eſt forma intellectus creati præbens illi eſſe in ratione intelligibili. Senſus enim eſt, quòd ſicut forma quæ eſt pars rei in eſſendo, conſtituit materiam in actu, illam determinando ad talem ſpeciem, Ita diuina eſſentia de facto conſtituit intellectum in actu illum intrinſecè determinando vt de facto diuinam intueatur eſſentiam. Et in reſponſione ad 7. ait. *quòd ad cognitionem non requiritur aſſimilatio niſi propter hoc, vt cognoſcens aliquo modo cognito vniatur: perfectior autem eſt vnio, qua vnitur ipſa res per eſſentiam ſuam intellectui, quàm ſi vniretur per ſimilitudinem ſuam. Et ideo quia eſſentia diuina vnitur intellectui Angeli vt forma, non requiritur quòd ad eam cognoſcendam, aliqua eius ſimilitudine informetur, qua mediante cognoſcat*. Hæc ille. vbi concluſionem in terminis confirmat.

14 Et 3. p. quæſt. 9. art. 3. ad 3. hæc habet verba. *Cognitio beata non fit per ſpeciem quæ ſit ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, vel eorum quæ in diuina eſſentia cognoſcuntur. Vt patet ex his quæ in p. p. dicta ſunt; ſed talis cognitio eſt ipſius eſſentiæ diuinæ immediatè, per hoc quod ipſa eſſentia diuina vnitur menti beatæ, ſicut intelligibile intelligenti; quæ quidem eſſentia diuina eſt forma excedens proportionem cuiuſlibet creaturæ*. Hæc ille. Idem docet ar. 5. & omnibus alijs locis ſupra.

15 Probatur Secundò ratione. Quia eſſentia diuina vnita in ratione ſpeciei intelligibilis, & in ratione formæ verè informantis, non in eſſe entitatiuo, ſed in eſſe intelligibili, nullam inuoluit imperfectionem, imo maxima eius perfectio declaratur. Ergo vnitur tanquàm forma in eſſe intelligibili. Conſequentia patet. Probatur autem antecedens. ex D. Thoma pluries adducto, 3. cont. gent. cap. 51. vbi difficultatem ponens, quomodo Deus videri poſſit, per ſuam eſſentiam, & quomodo diuina eſſentia poſſit eſſe intellectus forma, cum ſit per ſe ſubſiſtens, & ſuum eſſe. Sic nodum difficultatis ſoluit. *Ad huiuſmodi igitur intelligentiam veritatis, conſiderandum eſt, quòd ſubſtantia quæ eſt per ſe ipſam ſubſiſtens, eſt* vel

D. Thom.

Digitized by Google

Vel forma tantùm, vel compoſitum ex materia, & forma. Illud igitur, quod eſt ex materia, & forma compoſitum, non poteſt alteri eſſe forma, quia forma in eo iam eſt contracta ad illam materiam, vt alterius rei forma eſſe non poſſit. Illud autem quod ſic eſt ſubſiſtens, vt ſolùm tamen ſit forma, poteſt alteri eſſe forma dummodo eſſe ſuum ſit tale, quod ab aliquo alio participari poſſit: ſicut in 2. oſtendimus de anima humana, ſi verò eſſe ſuum ab altero participari non poſſit, nullius rei forma eſſe poteſt. Sic enim per ſuum eſſe determinatur in ſe ipſo, ſicut quę ſunt materialia per materiam. Hoc autem ſicut in eſſe ſubſtantiali, vel naturali inuenitur, ſic & in eſſe intelligibili conſiderandum eſt. Cum enim intellectus perfectio, ſit verum: illud intelligibile erit vt forma tantùm in genere intelligibilium, quod eſt veritas ipſa, quod conuenit ſoli Deo. Nam cum verum ſequatur ad eſſe, illud tantùm ſua veritas eſt, quod eſt ſuum eſſe:
16 *quod eſt proprium ſoli Deo. Alia igitur intelligibilia ſubſiſtentia non ſunt, vt pura forma in genere intelligibilium, ſed vt formam in ſubiecto aliquo habentis. Eſt enim vnumquodquè eorum verum, non veritas, ſicut & eſt ens, non autem ipſum eſſe. Manifeſtum eſt igitur, quòd eſſentia diuina poteſt comparari ad intellectum creatum, vt ſpecies intelligibilis, qua intelligit quod non contingit de eſſentia alicuius ſubſtantiæ ſeparatæ: nec tamen poteſt eſſe forma alterius rei, ſecundùm eſſe naturale. Sequeretur enim, quòd ſimul cum aliquo vnita conſtitueret vnam naturam; quod eſſe non poteſt; cum eſſentia diuina in ſe perfecta ſit in ſua natura.* Hæc ille.

D.Thom. 17 Ex quibus verbis, mirifice, ita vt nihil vnquàm magis D. Thomas explicat quomodo diuina eſſentia gerens ſpeciei intelligibilis vicem, eſt forma tantùm in eſſe intelligibili, non verò in eſſe entitatiuo. Conſiſtit enim, in hoc rationis D. Thomæ legitima intelligentia. Diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis eſt pura forma ſub pura ratione intelligibilitatis; eo quia eſt pura veritas; ſicut eſt purum eſſe. Ergo ad hoc vt vicem ſpeciei intelligibilis gerat, non eſt neceſsè vt ſit forma in aliquo eſſe entitatiuo reſpectu intellectus. Probatur conſequentia. Quia propria perfectio intellectus vt intelligens eſt, eſt verum. Ergo pura veritas poteſt intellectum perficere in ratione puræ veritatis, ſed ratio puræ veritatis non dicit neceſſariò inhærentiam. Ergo.

18 Probatur Tertiò. Eſſentia diuina in ratione obiecti intelligibilis intelligitur intellectui vnita prius natura quàm effectiuè concurrat ad viſionem. Ergo neceſſariò debet intelligi per modum formæ intelligibilis intellectui vnita. Patet conſequentia. Quia obiecti intra potentiam intima præſentia, ſine intrinſeca vnione in eſſe entitatiuo, vel in eſſe intelligibili, non poteſt explicari, nec intelligi.

Confirmatur. Obiectum eſt intra intellectum vt determinans illum ad ſui, & non ad alterius obiecti cognitionem. Ergo eſt tanquàm forma informans intellectum in eſſe intelligibili. Antecedens patet. Probatur conſequentia. Quia quod ſe habet vt determinans ſe habet vt forma determinati, & quod ſe habet vt determinatum ſe habet vt potentia.

19 Reſpondebit aliquis ad argumentum diſtinguendo antecedens. Eſſentia diuina intelligitur vnita intellectui id eſt coniuncta, & approximata tanquàm viſionis comprincipium, conceditur antecedens. Intelligitur vnita ſicut actus potentiæ, vel ſicut forma materiæ, negatur antecedens. Ergo, &c. negatur conſequentia; Et per idem ad probationem patet. Obiecti enim intra potentiam intima præſentia, non eſt ſicut actus reſpectu potentiæ, neque ſicut forma reſpectu materiæ, ſed tanquàm comprincipium potentiæ intellectiuæ debitè approximatum.

20 Ad confirmationem diſtinguitur antecedens. Obiectum eſt intra intellectum vt determinans illum, ſicut actuale limitatum determinat actuale illimitatum, conceditur antecedens. Sicut forma materiam, vel ſicut actus potentialitatem, negatur. Ergo, &c. negatur conſequentia. & per idem patet ad probationem. Nam obiectum non determinat potentiam ſicut forma materiam, vel ſicut actus potentialitatem, ſed ſicut actuale limitatum determinat actuale illimitatum.

21 Doctrina eſt Scoti in 1. diſt. 3. quæſt. 8. cit. §. Cum *arguitur* vbi ſic ait. *Alia eſt indeterminatio materialis propter defectum actus; Alia eſt indeterminatio agentis propter illimitationem virtutis actiuæ; ſicut ſol eſt indeterminatus ad multa generandum. Primo modo indeterminatum, non agit niſi determinetur per aliquem actum. Secundo modo indeterminatum, nulla alia forma à ſe determinatur, ſed ex ſe determinatur ad producendum quemcumque effectum, ad quem ex ſe eſt indeterminatum. Ita in propoſito indeterminatio intellectus non eſt indeterminatio potentialitatis paſſiuę in ordine cauſalitatis, ſed eſt indeterminatio actualitatis, quaſi illimitatè, & ideo non determinatur per formam, quæ ſibi ſit ratio determinatè agendi, ſed tantummodo per præſentiam obiecti, circa quod determinatum nata eſt eſſe determinata intellectio.* Hæc ille. Scotus.

22 Sub alijs verbis præcedens aduerſariorum reſponſio, ſic formari poſſet; Obiectum eſt intra intellectum vt determinans illum, coefficiendo, conceditur. Vt determinans illum, effectiuè, vel formaliter, ſicut ratio agendi, negatur. Scotus.

Doctrina eſt eiuſdem Scoti ibidem, vbi ſic ait. *Sicut cauſa ſuperior determinatur ad agendum*

con-

concurrente aliqua particulari cauſa inferiori: ſicut Sol ad generandum hominem, concurrente homine agente, & bouem concurrente boue; non autem per aliquam formam in ſe receptam: Ita intellectus qui eſt cauſa ſuperior, & cauſa illimitata determinatur ad hoc obiectum concurrente cauſa particulari determinata; puta ad agendum circa hoc obiectum, concurrente hac ſpecie. Non enim iſtud determinans determinat effectiuè cauſam indeterminatam ſuperiorem; neque formaliter ſicut ratio agendi, ſed ſic determinat, &c. Hæc ille. Hoc idem repetit in 2. diſt. 3. quæſt. 3. §. ad tertium dico.

23 Sed contra hanc doctrinam, ac reſponſionem ſic argumentor primò. Quia quamuis homo, & Sol, ita ad producendum hominem ſimul ambo concurrant, vt neuter ab alio in agendo formaliter moueatur, hoc tamen in propoſito non ſaluatur. Ergo. Patet conſequentia. Probatur minor. Quia Sol, & homo agunt vt duæ cauſæ nō per vnionem vnius intra aliam, Intellectus autem, & obiectum cognitionem producunt per vnionem obiecti intra intellectum. Ergo quod dicitur de Sole, & homine difformiter, & non pariter de obiecto, & intellectu affirmatur.

24 Confirmatur. Obiectum vt ſimul cum intellectu ad cognitionem effectiuè concurrat, neceſſariò debet eſſe intra intellectum præſens, taliter quòd Scotus ipſe in 4. diſt. 49. quæſt. 11. ſic ait. Impoſſibile eſt intellectum eſſe cauſam viſionis, niſi intellectus habeat in ſe obiectum: ſed impoſſibile eſt vt obiectum per veram, ac realem in eſſe intelligibili vnionem intellectui vniatur, & quòd in eodem eſſe intelligibili intellectum intrinſecè determinando non informet, & immutet. Vnde idem Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 8. cit. §. *ad propoſitum igitur*, dixit quòd ſpecies *poteſt eſſe mouens reſpectu potentiæ intellectiuæ, in quantùm ipſa recipit ſpeciem intelligibilem.* Et eodem modo dicere tenetur quando recipit obiectum vt in ſe eſt (ſermo eſt de recipere largè, pro ſuſcipere) Ita docet in 4. diſt. 49. q. 12. Ergo impoſſibile eſt vt obiectum concurrat effectiuè ad viſionem, quin prius in eſſe intelligibili intellectum informet.

Scotus.

Scotus.

25 Secundò. Si obiectum, ſeu, ſpecies formaliter ſumpta tantùm effectiuè concurreret ad viſionem, & nullo modo formaliter ad intellectum; ſequeretur quòd intellectus creatus ex ſuis naturalibus poſſet videre Deum (ad hominem contra Scotum loquor): ſed hoc eſt falſum, & ab eodem Scoto negatur. Ergo. Probo ſequelam. Quia per Scotum intellectus habet ſufficientes vires ad videndum Deum ſi fuerit illi præſens: ſed Deus cuicumquè intellectui creato eſt per illapſum præſentiſſimus, Ergo.

26 Reſpondebit Scotus. Præſentiam per illapſum non ſufficere, ſed neceſſariò requiri Dei intimam præſentiam in ratione obiecti.

27 Contra. Vel iſta Dei præſentia in ratione obiecti dicit nouam vnionem diſtinctumque eſſendi modum in intellectu ab eo quo Deus eſt eidem intellectui per illapſum præſens. vel non. Si primum. Ergo præſentia per illapſum eſt præſentia in ratione obiecti quod eſt falſum, & Scotus ipſe negat. Si ſecundum. Ergo hæc noua Dei in ratione obiecti in intellectu præſentia, eſt in ratione formæ intelligibilis intellectum in illo puro eſſe intelligibili informantis. Probatur iſta conſequentia. Quia ſi hæc vnio in ratione formæ intelligibilis nouiter non intelligeretur, non deberet eſſe noua vnio cum intellectu, nec nouus eſſendi modus intra eumdem, ab eo qui eſt per illapſum. Probo ſequelam. Quia ſi huiuſmodi noua vnio non interueniret, præſentia quæ eſt per illapſum ſufficeret; Quod ita probo. Per Scotum & ſequaces præſentia Dei in ratione obiecti cognoſcibilis non conſiſtit in aliqua informatione intellectus in eſſe intelligibili, ſed ſufficit intima Dei præſentia, ratione cuius poſſit comprincipiare intellectionem: Sed in tali caſu Deus per præſentiam per illapſum, poſſet comprincipiare viſionem. Cum ſit præſens intellectui tanquam aliquod ſummè immateriale, & nihil aliud requiratur.

28 Si quis Scotiſta reſpondebit, quòd noua vnio, ſeu, nouus modus eſſendi Dei intra intellectum, conſtituitur per hoc quòd intellectus comprincipiat viſionem.

Contra. Quia Per Scotum vt patet in locis adductis, obiectum prius natura quàm viſionem, ſeu, cognitionem comprincipiet debet eſſe intellectui præſens, & vnitum. Ergo comprincipiare non conſtituit. ſed ſequitur vnionem.

Videatur Scotus in quæſt. quodlib. quæſt. 14. litt. Cc. cuius iſta ſunt verba. *Sed ſi quæratur hîc repræſentatio quodammodo prior actuali intellectione, illa tantummodo inuenitur in memoria, & in memoria diuina nihil propriè eſt, niſi obiectum, quod quaſi tribuit actum primum, ſiue immediatum actui ſecundo ſcilicet intellectioni actuali, illud autem ſic actuans eſt præſentia completa primi obiecti, ſcilicet eſſentiæ diuinæ.* Scotus.

29 Confirmatur quia per Scotum (vt dicebamus) obiectum debet eſſe vnitum potentiæ prius natura, quam influat ad viſionem Ergo quando Deus habet rationem obiecti intelligibilis, & prius quam concurrat ad viſionem ſub hac ratione intellectui creato conſideratur vnitus debet aliquid in intellectum influere: Sed huiuſmodi influxus non eſt aliquid à Deo

Digitized by Google

diſtinctum quaſi ab ipſo effectiuè productum. Ergo eſt ipſemet Deus rationem formæ intelligibilis exercens. Prima conſequentia eſt euidens quia impoſſibile eſt conſiderare Deum alicui vnitum abſque aliquo ſpeciali eius influxu effectiuo, terminatiuo, vel formali. Subſumptio minoris eſt euidens, & abſque controuerſia. Vltima verò conſequentia eſt ex præmiſſis manifeſta.

30 Explicatur vis huius confirmationis. Deus vbi, in quo, ſeu, cum quo, dicitur vnitus, ibi, & in illo aliquid operatur vel formaliter, ſeù, terminatiuè, vel effectiuè: Vnde quando concurrit ad operationem alicuius agentis non dicitur ipſi agenti vnitus, ſed operationi præſens quia influxus non eſt in agens, ſed in operationē. Ergo Scotus firmiter cum communi Theologorum ſententia aſſeuerans Deum in ratione obiecti intelligibilis eſſe intellectui intimè vnitum, ac præſentem vnione, ſeù, præſentia ab ea quæ eſt per illapſum diſtincta, nullatenus ſubterfugere poteſt quin concedat Deum aliquid præter viſionem in intellectum influere. Deinde, non eſt bona paritas inter obiectum, ſeu, ſpeciem & intellectum, ſicut inter Solem, & Leonem, & ratio eſt, quia homo ex hoc quòd eſt cauſa particularis reſpectu Solis, dicitur generare hominem, & non Sol: At verò ſpecies, ſeù, obiectum non dicitur intelligere, ſed è contra intellectus dicitur intelligere non autem obiectum. Ergo non eſt ita cauſa vniuerſalis intellectus ad obiectum comparatus, ſicut Sol reſpectu hominis.

31 Tandem, Quia Scotiſtæ communiter ſuſtinent, quòd etiam in viſione intuitiua concurrit ſpecies obiecti viſi, non quidem effectiuè, ſed in ratione cuiuſdam effectus præuij ante viſionis productionem. Ita Vulpes tom. 1. diſp. 19. ar. 2. Bargius, Tataretus, & Alij, quo poſito, ſic argumentor. Species illa quæ eſt præuius viſionis effectus, ſine quo non poteſt produci viſio, ſine dubio ſpecies illa vt ſpecies eſt formaliter, aliquo ſuo munere fungitur. Ergo vel hoc erit coefficientia, vel informatio in eſſe intelligibili: Sed per Scotiſtas in tali caſu, ſpecies illa non coefficeret viſionem, ergo informaret potentiam in eſſe intentionali. Aliàs dum contendunt neceſſarium eſſe produci ſpeciem in ſenſu, tanquàm præuium effectum ſine quo, &c. nihil omnino dicerent. Ergo dicendum eſt quòd quælibet ſpecies, qua ſpecies eſt, informat potentiam in eſſe intentionali.

Vulpes. Bargius. Tataret.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo ex intellectu creato, & diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis eidem vnita, fiat vnum.

32 OMnes concedentes diuinam eſſentiam vniri intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, concedunt etiam ex intellectu, & diuina eſſentia fieri vnum. Quomodo autem fiat, & quod nam ſit hoc vnū, non concordant. Ferrarienſis in 3. cont. gent. cap. 51. ad 3. dub. volens hoc explicare. Hæc habet verba. *Mens Sancti Thomæ in illis verbis eſt, ex ſpecie intelligibili, & intellectu, non conſtitui aliquam vnam naturam ab vtroque diſtinctam; ſicut ex forma ſubſtantiali & materia conſtituitur compoſitum ab vtroquè aliquo modo diſtinctum: Non autem quod non conſtituatur aliquod vnum, quod eſt ſpecies intelligibilis & intellectus, vt vnita ſunt ad vnam operationem: quod vnum vocamus intellectum in actu.* Ferrar.

Verùm vel obſcurè loquitur Ferrarienſis, vel non completè, neque ad mentem Diui Thomæ, ex ſpecie intelligibili, & intellectu explicat vnitatem. Nam quid intelligit Ferrarienſis per intellectum, & ſpeciem intelligibilem vt vnita ſunt ad vnam operationem? Vel enim intelligit ſpeciem intelligibilem intimè vnitam intellectui, per informationem terminatiuam, ſeù, in eſſe intelligibili, & hoc verum eſt, ſed non aſſeritur, nec per illa verba explicatur. Remanet, igitur amplius declarandum id quod quæritur; Quomodo, ſcilicet, ſpecies, & intellectus ſint aliquid vnum, & quomodo ſint vnita. Ferrar.

33 Si verò, per ſpeciem intelligibilem, & intellectum vt vnita ſunt, ad vnam operationem, excludit intrinſecam terminatiuam informationem in eſſe intelligibili, & tantummodo affirmare intendat ſpeciem intelligibilem eſſe aliquid vnitum cum intellectu, quia ſimul concurrunt ad vnam operationem; In primis eſt contra Sanctum Thomam, qui vltra concurſum ſpeciei intelligibilis ad operationem, affirmat diuinam eſſentiam eſſe formam intelligibilem intellectus. Ergo aliquid præbet intellectui antequàm intelligatur concurrere ad operationem. D.Thom.

34 Secundò. Quia Ferrarienſis, iuxta hunc dicendi modum explicat vnitatem principij, propter vnitatem actionis, non Ferrar.

tamen

tamen explicat vnitatem inter intellectum, & ſpeciem. Nam per Ferrarienſem cum communi Thomiſtarum ſententia, de ratione ſpeciei intelligibilis non eſt inhærentia. Ergo vltra vnitatem per inhæſentiam non poteſt aſſignare veram vnionem ſpeciei intelligibilis cum intellectu niſi localem, vt ita loquamur.

Caietan. 35 Caietanus autem hic §. *Ad euidentiam* ait, quòd vnio inter diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis & intellectum, non ſolùm eſt in ratione principij, verùm etiam in ratione formæ intelligibilis, aſſerit enim; *quòd in communi loquendo ſpeciem intelligibilem vniri perfectè intellectui non eſt ipſam inhærere intellectui; Quoniam iſta vnio conſtituit intellectum non in actu, ſed in habitu, ſed eſt ipſum conſtituere in actu ſecundo. Ad hoc enim ponitur ſpecies intelligibilis vt ſic, vt intelligens ſit intellectum in actu completo. Ipſam autem conſtituere in actu ſecundo, eſt ipſam non eſſe actum ſecũdum, ſed habere ſe ad actum ſecundum, vt forma ad eſſe. Quemadmodum enim forma eſt principium eſſendi materiæ, ita quod idem eſt eſſe materiæ, & formæ, diuerſimodè, vt patet, de lumine in diaphano, & calore in aqua, &c. Ita ſpecies intelligibilis, ſi actu eſt in genere intelligibili, eſt intelligendi principium. Ita quòd intelligere, eſt vt ipſius eſſe. Et propterea quamuis aliquo modo actiua ſit ſpecies intellectionis, melior tamen, & potior*
36 *eſt proportio ipſius formalis, quàm actiua. Speciem igitur vniri actu intellectui, eſt conſtituere ipſum in hoc quod eſt eſſe actu intelligẽtem. Eſſe autem actu intelligentem, nihil aliud eſt, quàm intellectum eſſe perfectè ipſum cognitum. Cognoſcere namquè aliquid, nihil aliud eſt quàm eſſe etiam illud in actu completo. Ex his autem ad diuina balbutiendo aſcẽdentes dicimus, quòd diuinam eſſentiã vniri intellectui per ſe ipſam, & conſtituere formaliter ipſum in actu in genere intelligibili, eſt ipſam facere intentionem eſſe actu vltimo ipſum Deum intelligibiliter, ſublatis omnibus, quæ imperfectionis ſunt: hoc autem ſufficienter fit, ſubſtantia ipſa diuina concurrente ad viſionem beatam immediatè vt obiectum & principium viſionis formale. Dixi autem ſublatis imperfectionibus, quia viſio beata non eſt actus, & eſſe ſubſtãtiæ diuinæ. Quia hoc imperfectionis eſſet, ſicut eſſet ſpeciei intelligibilis creatæ ſi poneretur.* Hæc Angelicum Caietani Ingenium, & huic Caietani explicationi, tanquàm veræ doctrinæ D. Thomæ aſſentior.

Caietanum ſequuntur omnes ferè Thomiſtę, Bañes, quamuis doctrinam hanc Caietani vocet obſcuram, Nazarius, Conzalez, Salmanticenſes, Ioannes de Sancto Thoma, & Alij: Et quoniam res eſt valdè difficilis, ac ſublimis ideo vt ſententia Caietani magis clarè intelligatur, ſubſequentia propono dicta. Vnde in ordine.

Bañes. Nazarius. Conzal Salmanti. Ioa. de S. Thoma.

37 Dico Secundò. Species intelligibilis non cõſtituit formaliter intellectũ intelligentẽ. Probatur, Quia ſpecies intelligibilis non eſt actus intelligendi: Sed intellectus per intellectionem dumtaxat intelligens formaliter conſtituitur. Ergo ſpecies intelligibilis non conſtituit intellectum formaliter intelligentem.

Nec oppoſitum huius ſuſtinet Caietanus, vt imperitè, & inſciè exiſtimauit Vulpes, tom. 1. diſp. 23. ar. 5. per hæc verba. *Non enim ſpecies impreſſa conſtituit formaliter intellectum intelligentem, vt falsò opinatus eſt Caietanus.* Dicat quæſo, legit, vel non legit Caietanum? Si legit, vbi ſunt præadducta verba, cum nullibi inueniantur? Si non legit, legat, & intelligat. In his fuiſſe debebat, non autem Mæandros quærere, ac Doctoribus celeberrimis (in quorum Schola ipſe emicat tanquàm Mediaſtinus) calumnias concutere, eoſquè verbis durioribus, impertinentibus, ac impoſitionibus ſæpe numero afficere. Et quid mirum de reliquis? Si de Angelico Doctore loquẽs, ſic eum pertractat, ac ſi ſibi compar eſſet? Et quidem ſuos libros vltra doctrinæ ſubtiliſſimi Scoti collectionem, ab alijs præſtantioribus, modeſtioribuſquè Scotiſtis mendicatam, non ſubtilitatibus ingenioſis pro ſubtiliſſimi Scoti defenſione, ſed continuis calumnijs, & garrulitatibus inuenies eſſe repletos, quibus in odium omnium doctorum concitauit affectum. Melius fuiſſet ei mutire, quàm multas paginas implendo impudenter effutire. Vulpes.

Dico tertiò. Eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato vnita, ipſum cõſtituit in actu ſecundo per modum principij formalis. Hoc eſt quod Caietanus intellexit per illa verba. *Speciem intelligibilem vniri perfectè intellectui eſt ipſum conſtituere in actu ſecundo.*

Doctrina hæc non eſt obſcura, vt putat Bañes hìc, nequè falſa, vt eam impugnant., Suarez, 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 12. num. 7. Salas, 1. 2. tract. 2. diſp. 5. ſect. 12. num. 40. Molina, hic diſp. 2. §. *his*. Zumel diſp. 3. notabili. 2. Valentia, punct. 2. Faſolus dub. 9. num. 25. & alij, ſed eſt profunda & vera. Vnde pro eius intelligentia, eſt,

Bañes. Suarez. Salas Molina. Zumel Valentia. Faſolus.

38 Obſeruandum Primò, Quòd ſpecies intelligibilis vnita intellectui, ſeu, ipſamet diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, dupliciter intellectui creato poteſt intelligi vnita. Perfectè, ſcilicet, & Imperfectè, Tunc perfectè intelligitur intellectui creato vnita, quando conſideratur & quantùm ad ipſam rationem formalem vnionis, & quantùm ad ea quæ prædictam vnionem neceſſariò ſequuntur. Tunc autem imperfectè intelligitur vnita, quando conſideratur tantummodo ſecundùm præciſam rationem formalem vnionis in ratione ſpeciei intelligibilis, non conſidera-

to, ſcilicet, eo quòd neceſſariò talem ſequitur vnionem. Hoc dictum primo modo accipiendum eſt, non ſecundo. Et eodem modo à Caietano intelligitur. vt patet per illa verba, *ſpeciem intelligibilem vniri perfectè intellectui*.

39 Obſeruandum ſecũdò, quòd hoc dictum duas habet partes. Prima eſt, eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato perfectè vnita, conſtituit illum in actu ſecundo. Altera eſt, quòd hæc conſtitutio fit per ſpeciem intelligibilem per modum principij formalis, & per ſecũdam particulam, explicatur prima. Nam Aliud eſt dicere quòd ſpeciem intelligibilem vniri intellectui perfectè, eſt ipſum conſtituere in actu ſecundò abſolutè loquendo; & Aliud eſt dicere, quòd ſpeciem intelligibilem perfectè vniri intellectui, eſt ipſum cõſtituere in actu ſecundo per modum principij formalis. primo modo, hunc ſenſum facit, Nempè, quòd ſpecies intelligibilis ſe ipſa immediatè abſquè aliquo alio conſequenti, conſtituit intellectum in actu ſecundo. Et hoc eſt omnino falſum; & hoc modo interpretari Caietanum, eſt non intelligere Caietanum. Secundo modo, verum eſt. Quia hunc ſenſum facit, nempè, quòd ſpecies intelligibilis perfectè intellectui vnita, non ſolùm conſtituit ipſum in actu primo, ſed eo ipſo quòd ſpecies intelligitur ſic vnita; neceſſariò ſequitur actus ſecundus, & alia vnio obiecti, ſcilicet, in ratione cogniti; & ſic, intelligitur noſtrum dictum.

40 Explicariquè poteſt, exemplo poſito à Caietano. Nam forma eſt principium eſſẽdi materiæ, ita quòd forma perfectè vnita materiæ conſtituit materiam exiſtentem, non quaſi forma ſit ipſa exiſtentia, ſed quia poſita forma in materia, neceſſariò ſequitur exiſtentia. Ita in caſu noſtro. Et ratio eſt. Quia ſicuti forma ſe habet reſpectu materiæ in eſſe entitatiuo, Ita ſpecies intelligibilis reſpectu intellectus in eſſe intelligibili: ſed forma conſtituit materiam exiſtentem per modum principij formalis. Ergo etiam ſpecies intelligibilis conſtituit intellectum intelligentem, per modum principij formalis. Nam ſicuti eſſe ſequitur formam in eſſe entitatiuo, ita intelligere ſequitur ſpeciem intelligibilem.

41 Vbi tranſeunter aduertendum eſt, quòd apud me intelligere non eſt propriè exiſtentia in genere intelligibili, ſed dicitur exiſtentia ſimilitudinariè, hoc autem magis explicabitur quæſt. 14. art. 2.

Dico Quartò. Ex vnione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato, intellectus creatus fit Deus in eſſe intelligibili.

Audito hoc, nonnulli moderni ſic turbati sũt, vt à Thomiſtica doctrina protinus ſint auerſi, aſſerentes omnino falſum, & imperceptibile eſſe, quòd intellectus creatus fiat Deus in eſſe intelligibili. Nam quando dicitur quòd fit Deus in eſſe intelligibili; fit aliquid creatum, vel increatum? fit ens per eſſentiam, vel per participationem? & ſic de ſingulis. Si ens creatum, vel per participationem. Ergo non eſt Deus. Si ens increatum, & per eſſentiam, hoc eſt impoſſibile. Ergo.

43 Hoc tamen non ex doctrinæ falſitate prouenit, ſed quia quid ſit fieri Deum in eſſe intelligibili, debita profunditate non viderunt, Quod tamen iam dudum antiquiores Philoſophi optimè ponderarunt. Nam Commentator dixit, quòd ex intellectu & intelligibili, fit magis vnum quam ex materia, & forma. Et Ariſt. 3. de Anima, tex. 37. quòd intellectus poſſibilis eſt omnia fieri, & D. Thomas ſæpe numero vtrũquè repetit, & affirmat. Et præſertim in 1. diſt. 35. quæſt. 1. art. 1. ad. 3. & in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 1. & . 3. & Opuſc. 42. cap. 7. De Verit. quæſt. 2. ar. 2. 7. Metaphyſ. lect. 6. 3. contra gent. cap. 49. infra, quæſt. 80. ar. 1. & alibi. Quare vt quod dicimus clarius explicetur, eſt breuiter, Cómẽt. Ariſtot. D Thom.

Obſeruandum primò. quòd ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo formalis obiecti. quod ſupponimus ex phyloſophia, & etiam magis probabimus infra diſp. 27.

44 Obſeruãdum Secundò, quòd omnis forma, ſiue in eſſe naturæ, ſiue in eſſe intelligibili, aſſimilat ſibi illud cuius eſt forma. Non enim materia aſſimilat ſibi formam, ſed forma ſibi materiam; Verbi gratia. Albedo inhærens corpori, aſſimilat ſibi corpus; denominans illud album, & anima informans corpus, facit illud animatum, & ſic de ſingulis. Forma igitur intelligibilis denominat etiam intellectum, ſed modo intelligibili.

45 Obſeruandum tertiò, quòd differentia eſt inter modum quo denominat forma ſubiectum in eſſe naturæ, & quo forma intelligibilis denominat intellectum. Nam forma in eſſe naturæ ineſt ſuo ſuſceptiuo tanquàm ſubiecto receptiuo, ſeu, inhæſiuè: Forma verò intelligibilis non ineſt intellectui inhæſiuè, ſeu, tanquàm ſubiecto illius formæ. Loquor de vnione formæ intelligibilis ſecundùm eſſe intelligibile formaliter, non ſecundùm quòd eſt accidens. Aliter igitur denominat id cui ineſt forma in eſſe naturæ, & aliter forma intelligibilis intellectum; Quia forma in eſſe naturæ limitatè, ſeu, finitè, & participatiuè, denominat ſubiectum; Nam albedo inhærens corpori non dominat corpus albedinem, ſed album: At verò forma in eſſe intelligibili non denominat intellectum participatiuè, V. G. Species albedinis in intellectu non denominat illum album, ſed albedinem

nem; non quidem in eſſe naturæ, ſed in eſſe intelligibili. Nam quælibet forma debet denominare illud cuius eſt forma, illudquè ſibi quantùm poteſt aſſimilare: ſed forma intelligibilis ſecundùm quòd forma intelligibilis, eſt verè forma intellectus, ita videlicet, quòd intellectus reſpectu formæ intelligibilis non ſe habet vt ſubiectum, ſed vt potentia; vt potentia quidem, non receptiua, ſed terminabilis, quod magis paulo infra explicabimus. Ergo debet denominare intellectum: ſed non poteſt illum denominare album. Ergo denominat illum albedinem in eſſe intelligibili.

46 Sed adhùc id quod diximus, explicatione indiget. vnde eſt obſeruandum quartò, quòd forma intelligibilis, licet ſit verè forma intelligibilis, tamen non rectè intelligitur, niſi ſub titulo termini explicetur. Nam intellectus indiget informatione ſpeciei intelligibilis in eſſe intelligibili ad hoc vt poſſit intelligere tale obiectum, non quidem per modum virtutis intellectus, quia hæc præſupponitur; ſed quia intellectus debet eſſe ab obiecto determinatus in eſſe intelligibili per intimam obiecti vnionem cum intellectu. Illa igitur vnio eſt terminatio intellectus ad intelligendum tale obiectum, & obiectum per ſe immediatè vnitum, vel per ſpeciem, terminat intrinſecè intellectum. Itaquè intellectus ita terminatus, dicitur obiectum terminatiuè, id eſt, non quòd entitas intellectus in entitatem obiecti transferatur, ſed quia entitas intellectus eiuſquè intellectiua virtus, per intimam vnionem in eſſe intelligibili terminatur. Et hoc modo intelligunt Thomiſtæ cum dicunt, quòd ex vnione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis intellectus creatus ſit Deus, ſeu, ens per eſſentiam, ens increatum, &c. non quia entitas intellectus, eſt ad entitatem increatam, & per eſſentiam, entitatiuè transformata. Hoc enim prçterquamquòd eſt hæreticum, eſſet ſtultum aſſerere; ſed dicitur Deus in eſſe intelligibili, quia videlicet, intellectus creatus eſt terminatus termino increato, qui eſt diuina eſſentia in ratione obiecti intelligibilis.

47 Ponitur à Thomiſtis accommodatum exemplum. Quia in Myſterio Incarnationis, homo per vnionem hypoſtaticam dicitur Deus, non quia entitas humanæ naturæ ſit in entitatem diuinæ naturæ, ſeu, perſonæ diuinæ translata, vel tranſubſtantiata: ſed quia terminus naturæ humanæ Chriſti Domini intrinſecè vnitus in ratione ſuppoſiti, eſt verbum diuinum, quod quamuis non ſit forma in eſſe naturæ reſpectu naturæ humanæ, eſt tamen intrinſecè influens, ſeu, terminans naturam humanam: ita ſimiliter in præſenti (mutato tamen titulo, de genere entis ad genus intelligibilis) intellectus creatus in genere intelligibilis habens diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis ſibi vnitam, eſt intrinſecè terminatus, & ratione huius intrinſecæ terminationis dicitur Deus in eſſe intelligibili.

48 Si dixeris. diſparem eſſe rationem. Quia Ideo Homo dicitur Deus ratione Verbi diuini naturam humanam terminantis, quia Verbum diuinum in ratione perſonæ ſe tenet ex parte naturæ humanæ quam terminat: At verò diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis actiuitatem intellectus terminantis in eſſe intelligibili, ſe tenet ex parte obiecti: Species enim ponitur ad ſupplendum defectum obiecti. Ergo ex vi huius terminationis, intellectus creatus non poteſt dici Deus in eſſe intelligibili.

Reſpondetur, diſparitatem pro vt præſenti ſeruit intento non rectè aſſignari; Et ratio eſt: Quia licet ſpecies intelligibilis ſe teneat ex parte obiecti, hoc autem ita verum eſt, vt ſit terminus intellectus & neceſſaria ad hoc vt virtus intellectus in eſſe intelligibili terminetur. Et inſuper, quando dicitur quòd ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, intelligendum eſt propter operationem propriam intellectus eliciendam, quam habere non poteſt, Quin prius per ſpeciem impreſſam fuerit terminatus.

49 Pro cuius etiam maiori intelligentia eſt obſeruandum Quintò, quòd eſſe intelligibile, dupliciter ſumi poteſt. Completè; & Incompletè. Si Completè. Duplicem terminationem includit: vnam ex parte intellectus, & ex parte obiecti alteram: Prima eſt in eſſe naturæ, & dicitur terminus in ratione virtutis quod eſt lumen intellectuale. Secunda, eſt terminus ſupponens terminationem in ratione virtutis, & hæc eſt ex parte obiecti; & hanc vocamus terminationem in eſſe intelligibili, ſecundùm purum eſſe intelligibile. Quia videlicet, non eſt ſecundùm aliquod eſſe entitatiuum. Si autem ſumatur incomplete, ſumitur altero horum modorum, & non vtroquè ſimul; quando ergo dicitur quòd ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, ſenſus eſt, quòd requiritur in intellectu ad præbendum concurſum, quem intellectus exigit ab obiecto, vt ſuam propriam poſſit elicere operationem, quæ eſt intelligere. Ita quòd vnitur obiectum potentiæ, non vt obiectum propriam operationem iuxta ſuum modum naturaliter ſibi conuenientē agat, ſed vt intellectus ſuam ſibi propriam operationem eliciat.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXIV.

VTRVM DIVINA ESSENTIA IN RATIONE ſpeciei intelligibilis intellectui vnita, effectiuè concurrat ad viſionem.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 QVamuis omnes Thomiſtæ concedant diuinam eſſentiam vniri in ratione ſpeciei intelligibilis per modum formæ in eſſe intelligibili, in ratione termini, modo iam explicato; non tamen omnes Thomiſtæ ſuſtinent diuinam eſſentiam concurrere effectiuè ad viſionem beatificam producendam, ſed aſſerunt totam & adæquatam viſionis beatificæ efficientiam ab intellectu lumine gloriæ illuſtrato, prouenire; Ita Bañes hic dub. 2. Zumel diſput. 3. concl. 4. quem dicendi modum probabilem extimat Magiſter Ledeſma de diuina perfectione, quæſt. 8. art. 5. concl. 4. Palumbus in Doctrina, & Scholaſtico examine 2. cap. 5. ad primum. Bañes. Zumel. Ledeſma. Palumb.

2 Nihilominus tamen multò plures oppoſitum opinantur, nempe, diuinam eſſentiam prius natura intellectui creato vnitam verè effectiuè concurrere ad viſionem beatificam. Effectiuè quidem, non efficientia ſe tenente ex parte potentiæ, ſed efficientia ſe tenente ex parte obiecti. Ita Caietanus hic, Ferrarienſis, p. cont. gent. cap. 59. Capreolus in 1. diſt. 35. quæſt. 1. ad 5. Scoti, contra primam, Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 8. §. *Hoc ſecundum ſi ponitur*. Vbi hæc habet verba. *Nonne eſſentia diuina in intellectu beati eſt principiũ intuitionis?* Molina hic, diſp. 2. Salas p. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. num. 4. Herice. tract. 4. diſp. 42. cap. 4. num. 24. Becanus. cap. 9. tom. 1. quæſt. 2. *de Viſione Dei*, num. 3. Petrus Ledeſma qui ſupra, qui quamuis primam ſententiam iudicet valde probabilem, ſecundam verò dicit eſſe longè probabiliorem. Gonzalez hic, diſp. 25. ſect. 5. concl. 2. Faſolus dubit. 8. Recupitus de Deo vno, de verit. quæſt. 23. num. 2. Nazarius hic controu. 3. concl. 3. Conplutenſes lib. 3. de Anima. diſp. 3. quæſt. 4. Salmanticenſes diſp. 2. dub. 3. num. 82. Ioannes de Sancto Thoma in hoc articulo, & alij. Caietan. Capreol. Ferrar. Molina. Salas. Herice. Becanus. Ledeſma. Gonzal. Faſolus. Recupit. Nazarius. Complut. Salmanti. Ioa. de S. Thoma.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

3 PRo determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Eſſentia diuina vnita in ratione ſpeciei intelligibilis concurrit effectiuè, efficientia ſe tenente ex parte obiecti ad viſionem beatificam.

Hoc dictum abſquè dubio eſt D. Thomæ de verit. quæſt. 8. ar. 6. in corp. & ad 3. vbi hęc habet verba. *Actio autem appetitus & ſenſus & intellectus, non eſt ſicut actio progrediens in materiam exteriorem, ſed ſicut actio conſiſtens in ipſo agente vt perfectio eius. Et ideo oportet, quòd intelligens ſecundùm quòd intelligit, ſit actu: non autem oportet quòd intelligendo, Intelligens ſit vt agens, Intellectum vt paſſum; ſed intelligens, & intellectum, pro vt ex eis eſt effectum vnum quid, quod eſt intellectus in actu, ſunt vnum principium huius actus qui eſt intelligere. Et dico ex eis effici vnum quid, In quantùm intellectum coniungitur intelligenti, ſiue per eſſentiam ſuam, ſiue per ſimilitudinem. Vnde intelligens non ſe habet vt agens, vel patiens, niſi per accidens, in quantùm ſcilicet, ad hoc quòd intelligibile vniatur intellectui requiritur actio, vel paſſio: Actio quidem ſecundùm quòd intellectus agens facit ſpecies eſſe intelligibiles actu; Paſſio autem, ſecundùm quòd intellectus poſſibilis, recipit ſpecies intelligibiles, & ſenſus ſpecies ſenſibiles: ſed hoc quod eſt intelligere, conſequitur ad hanc paſſionem, vel actionem, ſicut effectus ad cauſam.* Hæc ille. D. Thom.

Hic

D.Thom. 4 Hic D.Thomæ locus, eſt inſignis, non ſolùm quia noſtrum propoſitum apertiſſimè manifeſtat, ſed etiam quia de animaſtica doctrina præſtantiſſimam redolet eloquentiam, illam ergo diligenter obſerua. Idem docet 1. cont. gent. cap. 53. vbi, loquens de ſpecie intelligibili ſic ait. *Quam oportet conſiderari, vt intelligibilis operationis principium.*

Bañes. 5 Nec valet pro Bañes, & alijs reſpondere, quòd in iſtis locis D.Thomas loquitur de ſpecie intelligibili extra viſionem beatificam. Non inquam valet, quia hoc quod eſt ſpeciem intelligibilem concurrere effectiuè ad cognitionem, eſt efficere cognitionem efficientia ſe tenente ex parte obiecti, quæ omnino neceſſaria eſt, vt docet D. Thomas locis iam citatis. Ergo vel dicendum eſt quòd diuina eſſentia reſpectu cognitionis intuitiuæ Beatorum, non vnitur ipſorum intellectibus; Vel quòd actiuè concurrat. Probatur iſta conſequētia. Quia quod eſt de ratione ſpeciei, debet conuenire diuinæ eſſentiæ ſecundùm quòd munus ſpeciei intelligibilis exercet.

Bañes. Palumb. 6 Si dicatur pro Bañes cum Palumbo examine 2. cap. 4. ad. 1. concurſum effectiuum ex parte ſpeciei ſupplere quandam diminutam vim requiſitam ex parte potentiæ, & propterea licet in ſpeciebus creatis ſit iſte concurſus effectiuus reſpectu cognitionis, non tamen eſt reſpectu diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis. Eo quia lumen gloriæ perfectiſſimè intellectui virtutem præbet effectiuam; Quapropter D.Thomas quoties de virtute actiua viſionis Dei loquitur, totam in lumen gloriæ refundit.

7 Contra primò. Quia virtus effectiua in ſpecie nullo modo poteſt ſupplere potentiæ defectum quo ad virtutem agendi. Ergo vel nullo modo concurrit effectiuè, vel ſi effectiuè concurrit, non eſt propter defectum potentiæ. Probatur antecedens. Quia hæc virtus actiua ad ſupplendam actiuitatem potentiæ, vel conuenit obiecto, ſeu ſpeciei, ex ſpeciali Dei influxu; vel ex natura ſua. Non primum. Quia voluntarie aſſeritur. Nequè ſecundum. Quia competeret omni ſpeciei qua ſpecies eſt. Secundò quia ſequeretur quòd ſpecies intelligibilis in ratione ſpeciei intelligibilis inhæreret intellectui. Quod Bañes, & Doctores oppoſitæ ſententiæ negant. Probatur ſequela. Quia omnis efficientia ſe tenens ex partæ potentiæ inhæret illi. Bañes.

8 Contra Secundò, ſeù, Confirmatur idem hoc modo. Si efficientia ſpeciei datur ad ſupplendum virtutis, ſeù, luminis intellectus defectum, ſequeretur quòd intellectus creatus per Dei potentiam abſolutam poſſet videre diuinam eſſentiam abſquè omni lumine gloriæ ſibi inhærente: ſed hoc Bañes ipſe negat. Ergo. Probo ſequelam per locum à fortiori. Species creata poteſt ſupplere aliquem defectum luminis naturalis intellectus, nempè efficientiam. Ergo multo fortius, ac præſtantius diuina eſsētia in ratione ſpeciei intelligibilis ſupplere poteſt vicem luminis gloriæ.

9 Si in fauorem Bañes reſpondeatur, diſparem de ſpecie creata, & increata eſſe rationem, quia ſpecies creata inhæret; ſpecies verò increata nec inhæret, nec inhærere poteſt.

Contra. Species creata non concurrit effectiuè ad cognitionem qua inhærens eſt, ſed qua ſpecies eſt, formaliter accepta. Ergo nulla diſparitas. Conſequentia eſt euidens. Probatur autem antecedens. Primò. Quia ſpecies qua inhærens eſt, conſideratur ſecundùm eſſe materiale, ratione cuius nihil omnino agit. Secundò. Quia ſi ſpecies formaliter accepta effectiuè concurreret ad intellectionem ad ſupplendam luminis naturalis completam efficaciam, ſequeretur, quòd ſpecies eſſet formaliter ſpecies, & lumē. Species quidem vt ſupponitur; Lumen autem quia formaliter haberet id quod ſpectat ad lumen. Si igitur ſpecies poſſet aliquam potentiæ efficientiam exercere non per inhærentiam formaliter, ſed qua ſpecies eſt, rectè deducitur, & à fortiori, quòd diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis poteſt vicem luminis gloriæ quo ad eius efficientiam exercere.

10 Probatur ſecundò principaliter. Poteſt diuina eſſentia formalem præſtare concurſum intellectui, in eſſe tamen intelligibili. Ergo poteſt etiam præſtare concurſum effectiuum. Antecedens cōceditur à Bañes. Bañes. Probatur autem conſequentia. Quia ſi qua ratio noſtræ concluſioni aduerſaretur, ea eſſet. Quia videlicet eſſentia diuina eſſet imperfecta: ſed non eſſet imperfecta. Ergo. Probatur minor. Quia magis derogat diuinæ perfectioni eſſe formam, quàm eſſe principium effectiuum: ſed eſſe formam in eſſe intelligibili nullam dicit imperfectionem in Deo, vt Bañes ipſe fatetur. Ergo eſſe principium effectiuum efficientia ſe tenente ex parte obiecti, nequè etiam imperfectionem dicit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

11 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Quia ſi eſſentia diuina effectiuè concurreret ad viſionem, ſubordinaretur intellectui creato: hoc eſt impoſſibile. Ergo. Probatur ſequela. Quia eſſet agens minus principale. Nam viſio producitur vt intellectus dicatur intelligens, non vt diuina eſſentia per viſionem creatam intelligat.

Reſpondent quidam, concedendo diuinam eſſentiam ex ſua libertate ſubordinari intellectui. Sed hæc reſponſio falſa eſt. Quia ſubordinari propriè non eſt qualitercumquè ad aliud ordinari, ſed arbitrio alicuius ſubijci, ſeu, alteri miniſtrare quod repugnat Deo.

12 Reſpondetur igitur negando ſequelam, & ratio negationis eſt. Quia diuina eſſentia effectiuè concurrens ad viſionem efficientia ſe tenente ex parte obiecti, ex ſua liberrima voluntate eleuat intellectum per lumen gloriæ, vnit ſe eidem intellectui per modum ſpeciei intelligibilis, intellectum mouet ad intelligendum, concurſu generali concurrit ad productionem viſionis, quibus omnibus ſuppoſitis concurrit etiam ſimul effectiuè efficientia ſe tenẽte ex parte obiecti quod nõ eſt ſubordinatè, ſed potius ſubordinanter concurrere.

Si quis autem per ſubordinationem intelligere velit, quòd eſſentia diuina non con-
13 currit vt potentia intellectiua, ſed tanquàm obiectum omnino neceſſarium ad operationem propriam intellectus exercendam, nempe ad videndum Deum, eſſet impropria locutio, & in hoc ſenſu improprio, conceditur etiam quòd diuina eſſentia impropriè ſubordinatur intellectui.

Obijcies ſecundò. Non eſt de ratione, ſed de imperfectione ſpeciei intelligibilis effectiuè concurrere ad intellectionem. Ergo diuina eſſentia non concurrit effectiuè reſpectu viſionis efficientia ſe tenente ex parte obiecti. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Quia diuina eſſentia eſt verè, & propriè ſpecies intelligibilis reſpectu proprij intellectus, & tamen non eſt principium effectiuum intellectionis diuinæ. Ergo non eſt de ratione ſpeciei intelligibilis effectiuè concurrere ad intellectionem.

14 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Non eſt de ratione ſpeciei intelligibilis effectiuè concurrere ad viſionem improductam, concedo. Ad viſionem productam, nego antecedens. Quare patet diſparitas. Quia intellectio diuina eſt intellectio improducta.

Ex hoc autem argumento maximè doctrina Caietani commendatur, nempè, quòd primum, ac principalius intelligibilis ſpeciei munus eſt vnire obiectum potentiæ; Secundum verò, videlicet, comprincipiare viſionem conuenit ſpeciei reſpectu viſionis productæ.

15 Obijcies Tertiò. Lumen gloriæ eſt efficax ad effectiuè producendam viſionem. Ergo diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis non concurrit effectiuè ad eamdem viſionem. Antecedens eſt D. Thomæ in hoc art. vbi docet lumen gloriæ eſſe ſimilitudinem ex parte potentiæ viſiuæ.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Lumen gloriæ eſt efficax, &c. in ratione virtutis potentiæ, ſeu, quo ad efficientiam ſe tenentem ex parte potentiæ, concedo antecedens: Quo ad efficientiam ſe tenentem ex parte obiecti, nego antecedens. Ergo, &c. Similer diſtinguendum eſt conſequens.

16 Obijcies Quartò, Viſio eſt actio immanens. Ergo recipitur in eo à quo producitur: ſed non recipitur in obiecto, ſeu, in ſpecie. Ergo non producitur effectiuè à ſpecie.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Viſio eſt actio immanens potentiæ videntis, concedo antecedens. Eſt actio immanens obiecti viſi, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Sic rectè Scotus qui ſupra in 1. diſt. 3. quæſt. 3. §. Hoc ſecundum. *Nonne, inquit, eſſentia diuina in intellectu beati eſt principium intuitionis ſui, quæ non manet illi eſſentiæ?* Scotus.

17 Explicatur iſta reſponſio. Intellectio dicitur actio immanens non reſpectu cuiuſcumque effectiuè concurrentis ad ipſam. Nam etiam Deus producit viſionem tanquam cauſa prima, & vniuerſalis, & tamen viſio, & qualiſcumquè cognitio, eſt actio tranſiens reſpectu Dei, immanens tantùm reſpectu potentiæ videntis, ſeu, cognoſcentis: Obiectum autem, ſeu, ſpecies non eſt potentia cognoſcitiua, ac proinde non eſt viſionis receptiua, neque cognitio eſt omnino extra ſpeciem quemadmodum ſpecies non eſt extra intellectum, & conſequenter eo modo quo ſpecies intra intellectum eſt, poteſt dici recipere aliqualiter cognitionem.

Obijcies Quintò. Viſio beatifica eſt actio vitalis. Ergo debet procedere effectiuè à principio vitali: ſed eſſentia diuina non eſt principium vitale beatificæ viſionis. Ergo non concurrit effectiuè.

18 Reſpondetur, concedendo antecedens, & di-

& diſtinguendo conſequens. Ergo debet procedere à principio vitali elicitiuè, & terminatiuè, concedo conſequentiam. Tantùm à principio vitali elicitiuè, nego conſequentiam. Nam quamuis intellectus ſit potentia vitalis elicitiuè, etiam ſpecies impreſſa eſt principium vitale terminatiuè, id eſt, dicitur forma qua actio vitalis elicitur, & intellectus in actu primo terminatur. Eſſe igitur principium vitale non vno tantummodo contingit.

19 Obijcies Sextò. Si diuina eſſentia effectiuè concurreret ad viſionem, ſequeretur quòd etiam effectiuè concurrerent relationes diuinæ ſecundùm proprias ipſarum rationes ad ſui viſionem: ſed hoc eſt falsũ. Minor patet. Quia operationes ad extra ſunt indiuiſæ. Ergo non operantur ſecundùm proprias ipſarum relationes. Probatur verò ſequela. Quia tota ratio quare diuina eſſentia effectiuè concurrit ad viſionem, eſt quia vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis, & hoc habet quia eſt intellectui creato lumine gloriæ illuſtrato, intimè præſens, & quia eſt ſuum eſſe: ſed relationes diuinæ totum hoc habent. Ergo.

20 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, concedo primam partem maioris, nego tamen ſecundam, tanquàm inſufficientem. Ratio tamen adæquata eſt, quia eſſentia diuina ita eſt ſuum eſſe, & intellectui creato intimè præſens, vt ipſa ſecundùm quòd eſſentia, ſeu, ratio cognoſcendi, ſit ſufficiens ratio cognoſcendi omnia quæ ſunt in Deo. Eo quia eſſentia diuina exercet munus ſpeciei ſecundùm quòd, eſt cum relationibus identificata. Ex hoc enim quòd Deus eſt actualiſſimus, & ſummè intelligibilis, vt etiam rectè Suarez aduertit, eſt intimè præſens intellectui formaliter, & effectiuè repræſentando omnia quæ formaliter ſunt in eo. Suarez.

21 Obijcies ſeptimò. Si diuina eſſentia effectiuè concurreret ad viſionem beatificam, ſequeretur, quòd illa efficientia eſſet neceſſaria: ſed hoc eſt falſum Ergo. Patet minor. Quia omnes actiones ad extra ſunt liberæ. Probatur ſequela. Quia quidquid eſt a diuina eſſentia in ratione eſſentiæ, neceſſariò, & non liberè manat: ſed ille concurſus effectiuus eſſet à diuina eſſentia in ratione eſſentiæ. Ergo, &c.

Huic argumento, iam reſpondimus diſp. præcedenti; negando ſequelam. & ratio negationis eſt, quia iſte cõcurſus effectiuus non eſſet ab eſſentia in ratione eſſentiæ, antecedenter ad actum diuinæ voluntatis, ſed conſequenter ſe haberet. Quia enim Deus liberè vult producere viſionem, ideo vnit ſe intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, taliter quòd, etiam poſt factam vnionem poteſt ab illa ceſſare, eſtquè de facto exemplum in actione terminatiua Verbi diuini, reſpectu humanæ naturæ aſſumptæ. Nam humana natura Chriſti Domini terminatur à perſonalitate Verbi, ſecundùm quòd perſonalitas Verbi eſt, non à voluntate diuina; non tamen propterea ſequitur, quòd huiuſmodi terminatio eſt neceſſaria. Eo quia eſt dependenter à voluntate diuina in fieri, & in conſeruari, quare, &c.

DISPVTATIO XXV.

VTRVM PER POTENTIAM DEI ABSOLVTAM, ſit poſſibilis aliqua ſpecies impreſſa creata clarè, & intuitiuè Deum repræſentans.

In ſex capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Quid de huiuſmodi ſpecie impreſſa ſenſerit Scotus.

1 THeologi in hac diſputatione vtramq; gradiuntur contradictionis partem. Nam quidam affirmant. Quidam autem negant. Pro parte autem affirmatiua. Nonnulli dicunt Scotum affirmaſſe poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam, quæ repræſentet Deum intuitiuè, ipſumquè citant in 2. diſt. 3. quæſt. 9. §. *Ad quæſtionem*, & attamen ibi, de cognitione abſtractiua Dei, non verò de cognitione intuitiua loquitur, pro vt ſe ipſum manifeſtè declarat, Faſolus autem hic dub. 12. dicit, quòd ex ſpeciei poſitione à Scoto conceſſæ, ſequitur quòd ſpecies illa eſſet etiam intuitiuè Faſolus.

Digitized by Google

repræſentatiua diuinæ eſſentiæ; & conſequenter Scotus eſt pro parte affirmatiua.

2 Sed iſte modus Scotum,vel aliquem aliũ Doctorem trahẽdi ad aliquam opinionem, eſt prorſus ineptus. Nam dupliciter aliquid conſequitur aliud. Ex vi, ſcilicet, argumenti. Et ex intento arguentis. Quamuis autem poſita ſpecie à Scoto immaginata, ex vi argumenti ſequatur quòd dicta ſpecies eſſet adhuc intuitiuè repræſentatiua diuinæ eſſentiæ,quemadmodum ego etiam opinor, ad mentem tamen Scoti, & Scotiſtarum id non ſequitur,taliter quòd Scotus firmiter tenet,ſpeciem illam non eſſe intuitiuè repræſentatiuam eſſentiæ diuinæ, ſed abſtractiuè tantùm. Quare non rectè Faſolus, Scotum ad affirmatiuam trahit opinionem.

Scotus. 3 Adducitur autem Scotus pro parte affirmatiua, in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. *Reſpondeo*. & ſignanter §. *Ad primam rationem alterius Doctoris*. vbi Scotus ſic ait. *Rationes per quas oſtenditur, quòd ſpecies non requiritur in intellectu Beati ad videndum Deum, non concludunt*. Ergo ſignum eſt quod eſt pro parte affirmatiua.

Scotus. Sed neque iſte modus dicendi eſt ſufficiens. Eo quia Scotus ibi exiſtimat rationes Diui Thomæ,vel Henrici,quibus probatur ſpeciei impreſsæ impoſſibilitas, non conuincere: ſed non propterea ſequitur ſenſiſſe eſſe poſſibilem. Multi enim, præſertim in hac diſputatione partem ſuſtinentes negatiuam; dicunt rationes D. Thomæ non eſſe conuincentes,nec propterea dici poteſt Diuum Thomam affirmatiuæ fuiſſe ſententiæ.

4 Refertur etiam pro parte affirmatiua, eadem quæſt. circa finem corpor. vbi hæc habet verba. *Minus videtur mihi neceſſè ponere lumen,quàm ſpeciem*. Ergo ad mentem Scoti, ſpecies vel de facto ponitur, vel ad minus eſt poſſibilis.

Scotus. Sed neque omnino vi horum verborum Scotus affirmatiuæ fauet ſententiæ; & ratio eſt. Quia ibi Scotus dicere intendit, quòd lumen gloriæ eſt minus neceſſarium in intellectu propter receptionem viſionis beatificæ, quàm ſpecies impreſſa in intellectu Beati. Eo quia, Si intellectus merè paſſiuè concurreret ad viſionem apud Scotum; lumini gloriæ nullus poſſet aſſignari locus, ſeu, effectus: At verò ſpecies impreſſa ſi poſſibilis foret, haberet aliquod munus, hoc eſt, vt verbis Scoti vtar, vt *memoria ſit perfecta ex parte intellectus*, non quidem ad cognoſcendum Deum intuitiuè, ſed abſtractiuè.

Debet tamen attentè legi Scotus, & propterea, ni fallor ſic explicandus eſt.

Scotus. 5 In primis.Certum omninò eſt,in doctrina Scoti, quòd datur de facto ſpecies repræſentatiua diuinæ eſſentiæ, clarè & diſtinctè. Secundò certum etiam eſt, quòd in tantùm Scotus negat illam ſpeciem intuitiuè diuinam eſſentiam repræſentare, in quantùm apud ipſum cõtradictio eſt, obiectum intuitiuè cognitum,repræſentari per ſpeciem. Nam apud ipſum quælibet ſpecies indifferenter repræſentat rem ſi eſſet præſens, ac ſi eſſet abſens; ſi exiſteret, ac ſi non exiſteret. Vnde Scotiſtæ ne Scotum aſſerentem in cognitione intuitiua ſenſus externi cauſari ſpeciem impreſſam, contradictionis arguant, dicunt ſpeciem illam nõ repræſentare obiectum intuitiuè, ſed eſſe neceſſariam tanquàm præuium cognitionis effectum. Tertiò,Quando Scotus in 4. in loco vltimè adducto dixit, minus neceſſarium eſſe lumen quàm ſpeciem, locutus eſt de ſpecie non quo ad munus intuitiuæ repræſentationis: ſed ad hoc vt memoria Scotus. Scotus.

6 ſit perfecta ex parte intellectus. Quoniam apud Scotum repugnat ſpeciem concurrere ad efficientiam intuitionis,ſed ad hoc vt memoria ſit perfecta ex parte intellectus; Ita videlicet, vt ſi intellectus ab intuitione ceſſaret,ex vi talis intuitionis haberet in ſe ſpeciem per quam diuinæ eſſentiæ viſæ recordari poſſet. De ſpecie autem vt intuitiuè diuinam eſſentiam repræſentante intuitionem coefficiendo,nullam ibi Scotus habuit determinationem. Sic enim eius verba teſtantur ibidem. *Vnde*,inquit,*minus videtur mihi neceſſè ponere lumen,quàm ſpeciem, quia ſi ſpecies ponitur, hoc eſt vt memoria ſit perfecta ex parte intellectus; ſed an ſit ponere talem ſpeciem propter formalem operationem, & perfectionem potentiæ dicetur aliàs*.

Quartò Dico, quòd Scotus ſi ſuſtinuiſſet poſſe ſpeciem aliquam repræſentare obiectum intuitiuè, tenuiſſet vtiquè eſſe poſſibilem aliquam ſpeciem impreſſam intuitiuè diuinam eſſentiam repræſentantem. Probatur. Ceſſante implicantia, ceſſat impoſſibilitas: ſed non alia apud Scotum talis ſpeciei eſt implicantia, niſi quia implicat ſpeciem aliquod obiectum intuitiuè repræſentare. Scotus.

7 Vnde Scotus eſſet pro parte affirmatiua,quãtùm ad hoc,quòd concedit ſpeciem impreſſam Deitatis clarè repræſentatiuam. Eo quia in tantùm negat dari ſpeciem repræſentatiuam intuitiuè Deitatis,in quantùm tenet nullam ſpeciem intuitiuè poſſe aliquod obiectum repræſentare,& concurrere ad viſionem: Eſt verò pro parte negatiua,quatenus à ratione ſpeciei, munus intuitiuæ repræſentationis negat. Ita Scotus expreſsè in 2. diſt. 3. quæſt. 10. §. *&ſi obijcitur*. vbi hæc habet verba. *Dico,quòd Angelus quamlibet quidditatem aliam à ſe, & ſuam, & ſeipſum poteſt cognoſcere per eſſentiam; quando cognoſcit cognitione intuitiua, ſcilicet, ſub ratione qua præſens eſt,in exiſtentia actuali; & poteſt cognoſcere per ſpeciem quando cognoſcit eam cognitione abſtractiua.*

Vel

8 Vel tandem dicamus, Scotum ex alio capite ſpecici poſſibilitatem omnino negaſſe. Quia putauit diuinam eſſentiam eſſe intellectui creato in actu primo per ſe ipſam intimè vnitā; & conſequenter admiſſo quòd ſpecies impreſſa in cognitione intuitiua aliarum rerum concurrat, adhuc eſſet impoſſibilis reſpectu viſionis beatificæ; Quia tunc duo contradictoria ſequerentur ſimul vera, nempè, quòd Deus per ſe ipſum immediatè eſt intellectui creato intimè præſens; Et quòd non immediatè. Sed quoniam non omnes Scotiſtæ concedunt hoc, quidam enim ad mentem Scoti ſuſtinēt diuinam eſſentiam intellectui creato in actu primo vniri per voluntatem; Ideo ſi hoc non placet, præcedentem explicationem amplectere.

CAPVT SECVNDVM.

Theologorum opiniones referuntur.

9 PRo parte affirmatiua ſunt Gulielmus Pariſienſis, Petrus de Tarantaſia apud Carthuſianum, in 3. diſt. 14. quæſt. 1. Mayronus. quæſt. 15. prologi ar. 2. concl. 2. & quodlib. 4. ar. 2. Palatius, in. 1. diſt. 1. diſp. 4. ex eo quòd quærens vtrum de facto detur huiuſmodi ſpecies indeciſam relinquit cōtrouerſiam. Ergo videtur ſentire eſſe poſſibilem. Maior, in 2. diſt. 3. quæſt. 2. Molina, Vaſquez, Valentia, & Faſolus hic. Suarez. lib. 2. de attrib. cap. 13. & to. 2. met. diſp. 30. ſectione 11. num. 27. p. p. ſumm. cap. 9. quæſt. 2. Hericein p. p. tract. 4. diſp. 4. c. 8. Et quoniam Zumel, dixit hanc ſententiam à *Doctoribus obſcuri nominis ſuſtineri*; Hieronymus Faſolus hoc ægre ferens, huic oppoſuit Henricum p. p. ſum. ar. 3. aſſerentem hanc ſententiam eſſe *multorum, & magnorum*; & Recupitus quamuis oppoſitam teneat, tamen tacitè Zumello reſpondet dicens. *quòd hanc ſententiam ſecuti ſunt recentiores magni nominis.* Quidquid autem ſit de horum recentiorum nomine magno, Attendant qui velint pro nominis magnificatione. Quoniam qualiſcumquè ſint nominis, affirmatiuam ſententiam ſuſtinentes, ſunt præcitati Doctores.

Gulielm. Tarantaſ. Mayron. Palatius. Maior. Molina. Vaſquez. Valentia. Faſolus. Suarez. Becanus. Zumel.

10 Oppoſitam ſententiam nempè quòd ſpecies intelligibilis impreſſa Deum intuitiuè repræſentans, eſt omnino impoſſibilis, ſuſtinent D. Thomas hic; & alibi, vt videbimus. Henricus loco cit. & quodlib. 3. quæſt. 1. Ægidius, in defenſorio Sācti Thomæ art. 1. Durandus, in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 13. Paludanus, ibidem quæſt. 1. art. 2. concl. 3. Baſſolus, in 3. diſt. 49. quæſt. 1. ar. 1. Sotus, in 4. diſt. 49. quæſt. 2. ar. 2. Ferrarienſis, in 3. contra gent. cap. 49. Sanctus Antonius, 3. p. tit. 30. c. 4. §. 1. Caietanus. Bañes, Zumel, Nauarrete, Ripa, Nazarius, Machin. Conzalez hic, Alexander, p. p. quæſt. 2. memb. 3. art. 1. ad 2. & quæſt. 7. memb. 1, & Marſilius. in 3. quæſt. 10. art. 2. in p. p. illius dubij incidenti, in 2. concl. Petrus de Ledeſma, de diu. perfect. quæſt. 8. ar. 4. concl. 2. Ioannes de Sancto Thoma, hic diſp. 13. ſuo art. 3. Arrubal. hic diſp. 16. cap. 5. Granada, diſp. 5. ſect. 3. Adam Tannerus. diſp. 2. de Deo quæſt. 6. dub. 2. num. 12. Recupitus, de Deo vno lib. 6. de verit. quæſt. 21. num. 2. Palumbus, exam. 2. concl. 3. Collegium Salmāticenſe tract. 2. de Viſione Dei diſp. 2. dub. 4. & hanc opinionem ſic communiter defendunt Doctores, quòd apud nobiles Thelogos noſtri temporis oppoſitam ſententiam penè extinctam eſſe teſtatur Herice, prout refert Recupitus, loco cit. cap. 6. num. 53. Hi ſunt Doctores negatiuam ſuſtinentes ſententiam. Vtrum autem obſcuri, vel clari nominis, iudicent hoc alieni. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Prouerb. 27.

D. Thom. Henricus. Ægidius. Durand. Paludan. Baſſolus. Sotus. Ferrar. S. Anton. Caietan. Bañes. Zumel. Nauarret. Ripa. Nazarius. Machin. Conzal. Alexand. Marſi ius. Ledeſma. Ioa. de S. Thoma. Arrubal. Granada. Tanner. Recupit. Palumb. Salmātic. Prou. 27.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis ſtatuitur, & aliquæ inſufficientes probationes examinantur.

PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Contradictionem implicat dari ſpeciem impreſſam intuitiuè diuinæ eſſentiæ repræſentatiuam.

11 Omnes nobiſcum ſentientes dictam ſpeciem tanquàm impoſſibilem concipiunt; non tamen omnes eiuſdem impoſſibilitatis cauſam aſſequuntur. Taliter quòd magis patet impoſſibilitas concluſionis quàm euidentia probationis. Vnde nō omnes Doctores hanc ſententiam ſuſtinentes, eodem modo probant.

Probatur enim primò, à Scotiſtis. Quia contradictionem implicat aliquod intuitiuè videri, & per ſpeciem cognoſci. Ergo in viſione clara Dei ſpecies impreſſa contradictionem implicat. Probant antecedens. Quia ſpecies indifferenter repræſentat rem ſi exiſteret, ac ſi non exiſteret; ſed cognitio intuitiua debet eſſe determinata reſpectu rei exiſtentis vt exiſtentis. Ergo.

Digitized by Google

12 Sed hæc ratio eſt valde ſingularis, & non conuincit. Primò. Quia non probat quod aſſumit, imo vniuerſaliter loquendo eſt falſum. Falſum enim eſt, quòd quælibet ſpecies indifferenter ſe habet ad repræſentandum obiectum, ſiue exiſtat ſiue non exiſtat. Nam, licet reſpectu ſpeciei per abſtractionem cauſatæ, verum dicat, non tamen de omni ſpecie veritatem habet. Etenim in cognitione viſiua corporea, ſpecies obiecti repræſentat obiectu vt exiſtens.

13 Secundò. Quia non videtur, nec poteſt aſſignari ratio, quare aliqua ſpecies impreſſa tantæ perfectionis a Deo produci non poſſit, vt repræſentet obiectum, tanquam exiſtens, ita vt eius terminus repræſentatus, ſit res etiam ſecundùm quòd actualiter exiſtentiam exercet, & ad quam intellectus cognitio terminatur.

14 Reſpondent Scotiſtæ ad mentem Scoti, concedentes quòd in cognitione intuitiua cauſatur ſpecies obiecti intuitiuè cogniti, non tamen per illam ſpeciem obiectum intuitiuè cognoſcitur. Et ne fruſtra illius ſpeciei productionem admittant: quidam ipſorum dicunt, ſpeciem illam produci propter potentiæ ornamentum. Quia ſcilicet, in caſu quo intellectus ab actuali viſione ceſſaret, remaneret in eo obiecti viſi memoria, ſicut cont giſſe dicunt in cognitione intuitiua diuinæ eſſentiæ in raptu Pauli, quando ceſſante viſione clara Dei, manſit Dei viſi memoria, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli, *Audiui arcana verba; quæ non licet homini loqui*. 2.Cor.12.

15 Quidam vero dicunt, Illam ſpeciem produci in cognitione intuitiua tanquam præuium viſionis effectum, neceſſariò ad viſionem requiſitum tanquam conditionem ſine qua non.

Sed vterquè dicendi modus efficaciter impugnatur. Primus quidem examinabitur per extenſum infra, Dum de poſſibilitate ſpeciei impreſſæ diuinam eſſentiam clarè, ſed abſtractiuè repræſentantis diſputabimus. Pro nunc autem ſic argumentor contra. Eſto talis ornatus ſaluetur in intellectu, quid dicendum eſt in potentia viſiua corporea; vbi nulla eſt memoriæ capacitas? Quapropter nonnulli ad ſecundum dicendi modum recurrunt.

16 Sed quanto amplius dicunt, tanto minus à nodo difficultatis extricantur. Nam contra ſecundum dicendi modum, Sic argumentor primò. Iſte præuius effectus in quo conſiſtat, explicare non poſſunt, tamen tenentur. Vel enim nomine præuij effectus vnionem obiecti cum potentia per informationem in eſſe intentionali in actu primo, intelligunt, & rectè quidem. Docent enim principalius ſpeciei impreſſæ munus. Hoc tamen ipſi negant. quid ergo? & ad quid hic præuius effectus confert, quod ſit munus ſpeciei in ratione ſpeciei? certè aſſignare non poſſunt, & cæcutienter ambulant.

17 Secundò. Quia per Scotum ſupra allatum, obiectum ſiuè præſens in ſe, ſiue per ſpeciem, prius natura debet eſſe præſens potentiæ, quàm producat actum: ſed in viſione corporea non poteſt intelligi prius natura præſens potentiæ in actu primo, per ſubſtantiam ſuam. Ergo per ſpeciem. Ergo in cognitione intuitiua ſenſus externi, ſpecies impreſſa, vel concurrit effectiuè ad viſionem, vel formaliter ad intellectum. Probatur minor, quia ſubſtantia lapidis non poteſt eſſe in anima. Vide Scotum quodl.b.15. §. Sed Scotus.

Tertiò Contra vtramque fugam ſic argumentor. Quia forma quę in nullo caſu habet, nec habere poteſt propriam operationem in aliquo ſubiecto, vel potentia, naturaliter non debet poni: ſed ſpecies potentiæ viſiuæ ab obiecto impreſſa, nunquam habebit, nec habere poterit propriam operationem; nec ordinabilis eſt ad illam. Eo quia per Scotiſtas contradictionem implicat cognitionem intuitiuam fieri per ſpeciem. Ergo ad minus naturaliter eſt impoſſibilis talis ſpeciei productio in cognitione intuitiua.

18 Probatur ſecundò ab alijs, præſertim à Recupito lib.6. de veritate quæſt. 21. cap. 3. num. 30. hoc modo. Si eſſet dabilis ſpecies accidentalis, eſſet etiam dabilis ſubſtantialis. Conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Maior probatur. Quia ſi non eſſet dabilis ſpecies Dei creata ſubſtantialis, & eſſet dabilis accidentalis, eſſet quia ratio ſpeciei non compatitur ſecum rationem ſubſtantialem: ſed hoc eſt falſum: Quia in Deo inuenitur ratio ſpeciei ſubſtantialis: Ergo ratio ſpeciei compatitur ſecum rationem ſubſtantiæ creatæ. Ergo ſi conceptus ſpeciei impræſſæ creatæ eſt dabilis in ratione accidentali, nulla erit ſpecialis ratio implicantiæ, cur non ſit dabilis in ratione ſubſtantiali. Recupit.

19 Hæc implicantia re vera nulla eſt. Primò quidem. Quia ſi ſpecies ſubſtantiæ in modo eſſendi eſſet ſubſtantia, eſſet omnino eadem ſubſtantia illa, quæ cognoſcitur, ſicut ſi ſpecies lapidis, quo ad modum eſſendi eſſet ſubſtantia, eſſet ipſe lapis. Secundò quia de facto ita res ſe habet; Quia ex hoc quòd ſpecies qua Angelus ſe ipſum cognoſcit eſt ſubſtantia, Ideo eſt ipſemet Angelus. & quia ſpecies qua vnus Angelus ab alio cognoſcitur, non eſt ſubſtantia in modo eſſendi, Ideo nequè etiam eſt ipſa ſubſtantia Angeli in modo eſſendi, ſed accidēs. Similiter, Quia de facto in viſione beatifica, ſpecies impreſſa eſt ſubſtantia, Ideo hæc ſpecies eſt ipſe Deus. Ergo ſi aliqua ſpecies à Deo diſtincta poſſibilis eſſet, neceſſariò

Digitized by Google

ſariò eſſet accidens, non ſubſtantia. Vnde.

20 Ad rationem poſſem reſpondere, negando ſequelam, ſeu, maiorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Si non eſſet dabilis ſpecies Dei creata ſubſtantialis, & eſſet dabilis accidentalis, eſſet quia ratio ſpeciei vt diſtinctæ in modo eſſendi à ſuo obiecto non compatitur ſecum rationem ſubſtantialem, concedo maiorem. Eſſet quia ratio ſpeciei vt indiſtinctæ in modo eſſendi à ſuo obiecto, non compatitur ſecum rationem ſubſtantialem, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor. & neganda eſt conſequentia. Errat quidem argumentum, Quia non diſtinguit in ratione ſpeciei creatæ, rationem ſpeciei ab obiecto realiter diſtinctæ, à ratione ſpeciei realiter ab obiecto indiſtinctę. Nam quamuis non ſit extra conceptum ſpeciei creatæ, eſſe ſubſtantiam, nihilominus eſt de conceptu ſpeciei creatæ, vt diſtinctæ ab obiecto, vt ſit accidens in modo eſſendi.

21 Probatur à quibuſdam Thomiſtis tertiò. Quia ſi ſpecies iſta poſſibilis eſſet, ſequeretur, quòd neceſſariò à diuina eſſentia manaret: ſed hoc eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Minor omni catholico conſtat. Quia omnis Dei influxus ad extra, eſt omnino liber, & quidquid Deus creaturæ confert, liberè præſtat. Probatur igitur maior. Quia ſpecies impreſſa ab aliquo obiecto procedens, ab illo dimanat cuius eſt ſpecies: ſed ſi daretur ſpecies iſta, eſſet primò, & per ſe ſpecies diuinæ eſſentiæ in ratione eſſentiæ. Ergo dimanaret ab ea vt talis eſt: ſed quod procedit ab eſſentia in ratione eſſentiæ, non liberè, ſed neceſſariò procedit. Ergo ſpecies iſta neceſſariò à diuina eſſentia manaret.

22 Confirmatur, & vis argumenti magis explicatur. Albedo, Verbi gratia, quæ eſt potentiæ viſiuæ obiectum, etiam ſi eſſet intelligens, & volens, imprimeret ſui ſpeciem potentiæ viſiuæ, non quia intelligens, neque quia volens, ſed quia eſt talis eſſentiæ: ex eo ſcilicet, quòd ſpecies procedit ab eo cuius eſt ſpecies, & quia eſt ſpecies eſſentię albedinis in ratione albedinis, ideo neceſſariò proflueret; Ita ſimiliter ſi poſſibilis eſſet ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ, ab ea ſub illa ratione ſub qua eſſentia eſt manare deberet. Repræſentaret enim eſſentiam in ratione eſſentiæ formaliter, cætera autem pro vt ſunt cum eſſentia identificata, vel in ea virtualiter contenta. Ergo neceſſariò manaret. Patet conſequentia; quia quod fluit ab eſſentia in ratione eſſentiæ, neceſſariò fluit.

23 Hæc tamen ratio non placet, Primò quidem, Quia tantummodo in obiectis à ſenſibus externis perceptibilibus verificatur quòd ſpecies fluat immediatè ab obiecto in potentiam: in reliquis verò ab intellectu agente mediante obiecti præſentia abſtrahitur, vel eſt diuinitus indita, ſeu, infuſa.

24 Si quis autem cõtra hoc obijceret. Quia ſicut ſe habet obiectum viſibile reſpectu potentiæ viſiuæ corporeæ, ſic ſe habet obiectum intelligibile, ſeu, ſpiritualiter viſibile reſpectu potentię viſiuę incorporeę, & ſpiritualis, nempè intellectus: ſed obiectum viſibile corporeum immittit ſpeciem ſui per ſe ipſum immediatè in potentiam viſiuam corpoream. Ergo obiectum ſpiritualiter viſibile immittit immediatè per ſe ipſum ſui ipſius ſpeciem in intellectum.

25 Ab animaſticis quære reſponſionem; pro nunc autem breuiter reſpõdetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio autem diſparitatis eſt. Quia potentia viſiua corporea eſt immanens ratione immanentis operationis, ſed externa ratione obiecti à quo mouetur: Intellectus verò eſt potentia immanens, & interna. Vnde intelligere idem ſonat, ac intus legere. Et conſequenter obiectum intelligibile extra intellectum manens, nõ poteſt ſui ſpeciem per ſe ipſum in intellectum cauſare, ſed neceſſè eſt, vel quòd ſpecies immediatè cauſetur à Deo, vel ab intellectu agente, vel quòd ipſummet obiectum immediatè per ſe ipſum intellectui
26 vniatur. Deus igitur cum ſit immediatè per ſeipſum intellectui intimè præſens, non tenetur ſui ſpeciem intra intellectum neceſſariò producere, ſi talis ſpecies poſſibilis foret, ſed mera voluntate diuina, immo diuino miraculo produceretur. Vnde ſi Angelus V. G. eſſet immediatè per ſe ipſum intellectui alterius Angeli intimè pręſens, non manaret ab eius eſſentia ſpecies
27 intelligibilis ipſum repræſentans. Eo quia ſpecies in rebus ſenſibilibus à ſenſibus externis perceptibilibus, ideo ab eorum obiectis neceſſariò manant, quia obiecta materialia poſita ſupra ſenſum non faciunt ſenſationem, ſed indigent proportionata diſtantia: Verùm obiectum intelligibile poſitum intra intellectum cauſat intellectio-
28 nem. Patet igitur rationis aſſignatæ debilitas. Nam obiectum à quo ſpecies neceſſariò dimanat, vel eſt intra intellectum per ſe ipſum immediatè, & intimè præſens, vel extra. Si primum. Ergo non indiget ſpecie, neque ab eo ſpecies neceſſariò manare poteſt. Nullum enim ſuperfluum neceſſa-
29 riò ab aliqua cauſa manat: ſed ſtante intima obiecti præſentia intra intellectum, obiectum per ſe ipſum ſe ipſum repræſentaret, & ſpecies ſi nõ eſt impoſſibilis eſt ſuperflua. Si ſecundum. In primis non ſumus in caſu. Quia Deus non poteſt non eſſe intra intellectũ per ſe ipſum intimè præſens,

Secun-

Secundò. Quia obiectum intelligibile extra intellectum exiſtens non poteſt ſpeciem ſui immediatè cauſare.

30 Secundò illam ſic infringo. Quando ſunt aliqua duo alicui conuenientia, quorum vnum naturaliter, & innaturaliter alterum, ſeu, minus naturaliter conuenit, quod minus naturaliter conuenit illi, & vnum de facto alterius conſortium non admittit, ꝙ innaturaliter, ſeu, minus naturaliter ſe habet, naturaliter, ſeu, neceſſariò ab eo non procedit: ſed in caſu modo poſito, ſpecies impreſſa Deum intuitiuè repræſentans, vel omnino innaturaliter, vel minus naturaliter conuenit Deo, & eam Deus ad ſui cõſortium non admittit. Ergo etiam ſi poſſibilis foret talis ſpecies non niſi diuino miraculo per liberam Dei volũtatem de facto daretur, quatenus Deus eã vellet ad ſui intuitiuam viſionem concurrere, Et nollet ſe ipſum per ſe ipſum immediatè repræſentare. Vnde rectè communiter Theologi dicunt, quòd etiam ſi ſpecies impreſſa poſſibilis eſſet, non propterea de facto daretur.

CAPVT QVARTVM.

Probatur concluſio ex nominis etymologia, & ratione formali ſpeciei impreſſæ, vt ab obiecto in modo eſſendi diſtinctæ.

31 Rationibus igitur efficacioribus probatur, & primò, Ex nominis Etymologia, & ratione formali ſpeciei impreſſæ vt ab obiecto in modo eſſendi realiter diſtinctæ, & ſic rationem formo. Species impreſſa pro vt realiter ab obiecto in modo eſſendi diſtincta, ſimpliciter, & eſſentialiter habet vt ſit, ſeu, ponatur loco obiecti. Ergo poſita ſpecie, eſt impoſſibile obiectum in ratione obiecti intimè ſecundùm ſuam realitatem eſſe præſens potentiæ. Antecedens eſt apud omnes certum, & in terminis ſtatuitur à Faſolo hic dub. 15. num. 62. Probatur autem conſequentia. Quia aliquid poni loco alterius (niſi velimus abuti vocabulis) eſt alterum eſſe abſens, ſeu, non concurrere, & illud loco alterius eſſe præſens. Ergo ſi ſpecies impreſſa intuitiua Dei ponitur in intellectu creato loco diuinæ eſſentiæ, impoſſibile eſt vt diuina eſſentia eidem intellectui per ſe ipſam ſit intimè præſens: ſed impoſſibile omnino eſt vt diuina eſſentia intuitiuè ab aliquo intellectu creato videatur, quin ipſa ſit ſecundùm realem exiſtentiam eidem intellectui in ratione obiecti intimè præſens. Ergo impoſſibile omnino eſt, dari ſpeciem impreſſam intuitiuam Dei.

Faſolus.

32 Pro intelligentia huius implicantiæ eſt breuiter obſeruandum, quòd aliter cognoſcitur intuitiuè diuina eſſentia ab aliquo intellectu creato: & aliter cætera alia creata obiecta. Nam vt alia obiecta à cognoſcente diſtincta intuitiuè cognoſcatur, ſufficit, & requiritur, vt à parte rei exiſtant, eorumquè exercita exiſtentia, potentiam moueat, & terminet, abſque eo quòd per ſe ipſam ſit intimè vnita potentiæ, quod & in cognitione intuitiua ſenſitiua, & etiam in cognitione intellectiua patet. In cognitione intuitiua externa, verbi gratia, in viſione corporea, obiectum, debet eſſe præſens potentiæ ſecundùm realem exiſtentiam, ſed non intra potentiam; imo debet eſſe diſtans à potentia ſecundùm debitam proportionem; vnitur tamen cum potentia media ſpecie ab obiecto impreſſa, Verbi gratia, color vt videatur à potentia viſiua, ſufficit vt ſit ab illa proportionatè diſtans, & vt vniatur per ſpeciem coloris. Patet etiam in cognitione

33 intuitiua intellectiua. Nam vnus Angelus, Verbi gratia, alterum Angelum exiſtentem intuitiuè cognoſcit, non quia Angelus intuitiuè cognitus debeat eſſe ſecundùm realem exiſtentiam exercitam intra intellectũ cognoſcentis, ſed quia per ſpeciem à Deo inditam Angelus exiſtens vnitur intellectui cognoſcentis, ratione cuius, exiſtentia actualis inſpicitur. Verùm cognitio intuitiua eſſentiæ diuinæ hoc modo non ſe habet, nec ſe habere poteſt. Nam eſſentia diuina cum non poſſit non eſſe per ſe ipſam immediatè intimè præſens cuilibet rei, & præſertim intellectui, ratione ſuæ immenſitatis, & ſummæ immaterialitatis, neceſſariò fatendum eſt cognitionem intuitiuam eſſentiæ diuinæ præſupponere exiſtentiam realem illius, intra intellectum, prius natura, quàm formetur intellectio. Quod enim eſt in aliquo in actu ſecundo, debet præſupponi prius natura, & in actu primo eidem potentiæ præſens.

34 Quo poſito, & ſanè intellecto, manifeſta eſt implicantiæ efficacia. Nam cum eſſentia diuina intuitiuè cognita ſit per ſe ipſam immediatè in actu ſecundo, & in actu primo intellectui vnita, eſt incompoſſibilis ſpecies impreſſa realiter à diuina eſſentia diſtincta, & quæ ſit loco diuinæ eſſentiæ poſita.

35 Si dicatur Primò cum doctrina Faſoli hic. num. 55. quòd quando dicitur ſpecies ſtare loco obiecti, ſi accipiatur quo ad efficientiam ſe tenentem ex parte diuinæ eſſentiæ in ratione obiecti, ſola ſpecies ageret: Faſolus.

ret : diuina eſſentia nullo modo ageret in ratione obiecti ; ſed tantummodo concurreret cum ſpecie tanquam cauſa prima , & vniuerſalis . Sicut de facto concurrunt omnes ſpecies quæ ſunt inſtrumenta creatorum obiectorum non concurrentibus immediatè ipſis obiectis.

36 Sed hæc reſponſio eſt falſa. Primò. Quia ideò alia obiecta ad ſui cognitionem effectiuè non concurrunt, quia non ſunt per ſe ipſa immediatè præſentia : Si autem eſſent per ſe ipſa intimè, & immediatè præſentia, per ſe ipſa agerent, ſuique coefficerent cognitionem : Sed Deus intuitiuè cognitus eſt intimè præſens intellectui immediatè per ſe ipſum in actu ſecundo, & in actu primo . Ergo malè dicitur quòd ſpecies ſola ageret loco Dei .

37 Secundò . Implicat omnino quòd Deus qui eſt cauſa prima loco ſui inſtituat creaturam , quæ agat loco cauſæ primæ , & quòd Deus non agat in ratione cauſæ primæ . Ergo implicat etiam vt Deus qui eſt intimè præſens intellectui, & ad quem ſpectat coefficere viſionem ſui , efficientia ſe tenente ex parte obiecti , nullatenus agat, & quòd ſubſtituatur ſpecies quæ agat loco Dei .

Faſolus. 38 Si dicatur ſecundò , cum eodem Faſolo, diſparē eſſe rationē de Deo in ratione cauſæ primæ, & in ratione obiecti. Primū per aliud ſuppleri implicat, nō ſecundū. Eo quia Deus in ratione obiecti non eſt cauſa prima, neque vniuerſalis , Sed eſt cauſa particularis & obiectiua ; & propterea poteſt poni ſpecies creata loco Dei in ratione obiecti , non tamen poteſt poni creatura loco Dei in ratione cauſæ primæ.

39 Sed quid per hoc ? hoc eſt contra reſpondentem . Nam Deus vt cauſa prima, ex hoc quòd eſt cauſa prima , eſt Deus , & vt cauſa particularis in ratione obiecti, reſpectu ſcilicet , cognitionis intuitiuæ ſui ipſius, eſt etiam Deus. Deus hic, & Deus ibi . Coefficere viſionem Dei eſt prædicatum Dei, & eſſe cauſam primam eſt prædicatum Dei : ſed ex hoc, quòd eſſe cauſam primam eſt prædicatum Dei , non poteſt communicari creaturæ eſſe cauſam primam ; & quòd Deus non agat in ratione cauſæ primæ , ſed cauſa ſecunda tantùm concurrat loco cauſæ primæ. Ergo ſimiliter , quia Deo conuenit eſſe rationem cognoſcendi reſpectu ſui , non poteſt alteri communicari hæc coefficientia, Deo nullatenus coefficiente .

40 Si dicatur primò , quòd in hac coefficientia influxus eſt aliquid finitum , viſio enim quæ producitur eſt finita, & propterea poteſt poni ſpecies loco ipſius , non verò poteſt ſubrogari aliqua creatura loco cauſæ primæ.

Contra . Etiam influxus Dei , id eſt effectus productus à Deo in ratione cauſæ primæ eſt finitus . Ergo nulla diſparitas .

41 Vbi aduerte , quòd ego non arguo ex paritate inter Deum vt cauſam primam, & vt cauſam obiectiuam , vt nonnulli argumentantur. Nam quidam ſic arguunt. Sicut Deus eſt cauſa prima effectiua reſpectu cuiuſcumque effectus , ſic etiam eſt cauſa prima, ſeu, ſpecies prima ſui, reſpectu alterius ſpeciei impreſſæ , etiam repræſentatiuæ ſui : ſed implicat ſubſtitui aliquam creaturam, ſeu cauſam ſecundam , loco cauſæ primæ. Ergo implicat conſtitui ſpeciem ſecundam loco ſpeciei primæ , non concurrente prima. Hic enim argumentandi modus, non probatur. Eo quia in cauſa obiectiua non datur prima, & ſecunda cauſa . Quoniam prima eſt per ordinem ad ſecundam, & cauſa ſecunda non agit niſi dependenter à coefficientia cauſæ primæ : ſed hoc non currit in cauſis obiectiuis . Quia ſpecies obiecti non ponitur vt cauſa ſecunda, vel vt ſpecies ſecunda, etiam ab aduerſarijs , ſed loco obiecti . Ergo . Recupit.

42 Inſtauratur igitur argumentum , iuxta paritatem prius dictam . id eſt , ſicut conuenit Deo eſſe cauſam primam in ordine ad quoſcumque alios effectus , Ita conuenit Deo eſſe repræſentatiuum ſui : ſed ex hoc quòd eſſe cauſam primam eſt prædicatum Dei vt, Dei, non poteſt communicari creaturæ, quæ ſit loco cauſæ primæ. Ergo neque etiam poteſt communicari ſpeciei creatæ eſſe rationem cognoſcendi, ſeu, coefficere cognitionem Dei, quæ ſit loco coefficientiæ Dei. Aduerte, quòd non dico. Prædicatum Dei non poſſe communicari creaturæ ; Nam ratio ſubſtantiæ , intellectualitatis , & cæt. ſunt prædicata Dei , & communicantur creaturis .

43 Sed dico , quòd non poteſt aliquod prædicatum Dei alicui creaturæ conuenire , Ita vt illa creatura ratione illius prædicati ſit loco Dei . Hoc bene nota .

44 Si dicatur ſecundò . Ex doctrina eiuſdem Faſoli ibidem, quòd ſi non ſit ſermo de efficientia , ſeu, actiuitate Dei in ratione obiecti, ſed de præſentia , in tali caſu eſſet duplex præſentia Dei, ſubſtantialis, ſcilicet, & accidētalis. Subſtantialis, & immediata, fit per ſe ipſum. Accidentalis, ſeu, mediata fit per ſpeciem .

45 Sed contra . Quia licet non implicet Deum eſſe in aliqua re immediatè ſimul, & mediatè. Immediatè ſcilicet, per hoc, quòd aliquid immediatè per ſe ipſum operatur ; Mediatè verò, ſecundùm quòd per cauſam ſecundam agit , quæ non operatur niſi in virtute primæ ; tamen implicat in terminis eſſe immediatè per ſe ipſum, & mediatè per ſpeciem, quæ ſiuè ſit ſimilitudo inſtrumētalis obiecti , vt Faſolus putat , ſiuè formalis ; eo quia ſpecies ponitur loco Dei , Faſolus.

poni

Digitized by Google

poni autem loco Dei, eſt Deum per ſe ipſum immediatè non eſſe præſentem. Ergo.

46 Confirmatur hoc. Quia vt Faſolus ipſe fatetur, Si ſermo ſit de efficientia, poſita ſpecie intuitiua Dei, ſola ſpecies ageret, Deus nullo modo in ratione obiecti ageret; eo quia ſpecies ſtat loco Dei. Ergo ſimiliter dicendum eſt de ratione præſentiæ, quòd, ſcilicet, poſita ſpeciei præſentia in intellectu, non eſt poſſibilis intima Dei præſentia. Quia ſpecies ponitur loco præſentiæ Dei. Conatur enim duos effectiuos ex parte obiecti vitare concurſus. Vnum obiecti; & alterum ſpeciei. Quare ergo eodem modo non ſunt duæ vitandæ præſentiæ, immediata ſcilicet, & mediata? Immediata, per intimam Dei præſentiam, & mediata per ſpeciem. Sicut enim ſpecies in ratione effectiui, ponitur loco Dei, ita eadem ſpecies in ratione præſentiæ ponitur loco Dei.

Faſolus.

47 Sed argumentor in fauorem Faſoli hoc modo. Pater Æternus de facto dupliciter producit Spiritum Sanctum, Mediatè, ſcilicet, & Immediatè. Immediatè per ſe ipſum; Mediatè per Filium, quatenus Filius procedit à Patre, ex cuius proceſſione accipit ſpirandi virtutem. Ergo non implicat vt Deus reſpectu eiuſdem intellectus ſit duplici præſentia præſens. Immediata per ſe ipſum; & Mediata per ſpeciem.

48 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio autem negationis eſt. Quia nos non dicimus impoſſibilem eſſe Dei duplicem præſentiam; ſeu melius, Deum dupliciter eſſe intellectui præſentem, Mediatè, ſcilicet, & Immediatè. Nam de facto ita res ſe habet: eſt immediatè ſecundùm quòd vt cauſa vniuerſalis immediatè concurrit ad producendum intellectum. Eſt etiam mediatè, ſecundùm quòd intellectus producitur ab anima, quæ à Deo habet producendi virtutem, & ſic in cæteris effectibus à Deo tanquàm à cauſa prima, & à cauſis ſecundis, procedentibus: Dicimus tamen quòd eſt omnino impoſſibile Deum eſſe immediatè præſentem intellectui in ratione obiecti, & mediatè per ſpeciem poſitam loco præſentiæ Dei. Imo retorqueo argumentum. Si Filius produceret loco Patris, non Pater, ſed ſolus Filius produceret. Quoniam ſi ſimul Pater cum Filio producit Spiritum Sanctum, non debet nec poteſt dici quòd Filius eſt loco Patris, ſed quòd Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum. Ergo ſimiliter, ſi ſpecies ponitur loco præſentiæ obiecti, poſita ſpecie, non eſt intimè præſens obiectum, quòd ſi etiam ſimul ponitur obiectum, non valet dicere, quòd ſpecies ponitur loco obiecti, ſed quòd ſpecies, & obiectum ſunt intellectui præſentia.

49 Confirmatur. Quia non eſt dabile aliquod creatum, quod ſit loco immenſitatis, ſeu infinitatis Dei, ita vt illud creatum ſit quod eſt præſens loco Dei. Ergo neque etiam eſt dabilis aliqua ſpecies creata quæ ſit loco Dei. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia à paritate.

CAPVT QVINTVM.

Probatur ex ſumma Dei in omni genere perfectione, & ex neceſſitate ſpeciem ponendi.

50 Probatur ſecundò, ex neceſſitate ponendi ſpeciem impreſſam, & ex Dei maxima in genere cognoſcibilis perfectione, & rationem hoc modo propono. Deus eſt perfectiſſimus in omni genere, in genere entis, ſcilicet, & in genere cognoſcibilis. Ergo ſpecies impreſſa à Deo realiter diſtincta, eſt ſimpliciter, & per omnem potentiam impoſſibilis. Antecedens patet. Quia ſicut Deus eſt ſua entitas; ſeu entitas per eſſentiam, Ita etiam eſt ipſa veritas, id eſt veritas per eſſentiam. Ergo eſt perfectiſſimus in genere entis, & in genere cognoſcibilis. Probatur autem conſequentia. Deus eſt perfectiſſimus in genere cognoſcibilis. Ergo non ſit, nec fieri poteſt per aliud cognoſcibilis. Ergo ſpecies impreſſa intuitiua Dei eſt ſimpliciter impoſſibilis. Prima conſequentia probatur. Quia quod ſit cognoſcibile per aliud non eſt perfectiſſimum in genere cognoſcibilis. Perfectius enim eſt quod per ſe, quàm quod per aliud eſt cognoſcibile. Secunda verò conſequentia probatur. Quia hoc eſt de eſſentia ſpeciei intelligibilis, nempe, facere obiectum intelligibile. Vel breuius ſic proponatur. Quod ſit per ſpeciem intelligibilem actu cognoſcibile, eſt in potentia ad talem cognoſcibilitatem: Ergo cum Deus ſit actus purus non ſolùm in genere entis, ſed etiam in genere cognoſcibilis, eſt impoſſibilis ſpecies impreſſa ponens Deum actu in genere cognoſcibilis.

51 Confirmatur à poſteriori. Quia obiecta quæ de facto ſunt perfecta in genere cognoſcibilis, non cognoſcuntur per ſpecies impreſſas realiter ab eis diſtinctas, ſed per ſe ipſa: & obiecta quæ in hoc genere cognoſcibilis completam non habent rationem, cognoſcuntur per ſpecies impreſſas, ob obiectorum imperfectionem ſupplendam. Ergo ſignum eſt, quòd ſpecies impreſſa ibi ponitur vbi obiectum in genere cognoſcibilis deficiens eſt, & potentiale: ſed Deus non poteſt non eſſe in omni genere completiſſimè perfectus. Ergo. Antecedẽs Quo ad primam partem, In anima ſeparata, & in Angelis reſpectu propriæ cognitionis eſt manifeſtum; etiam apud Do-

Doctores contra quos diſputamus. Nam Anima ſeparata intelligit ſe ipſam per ſuã eſſentiam, & quilibet Angelus ſimiliter ſe ipſum per ſuam eſſentiam tanquam per ſpeciem cognoſcit, & Deus ipſe, de facto à Beatis cognoſcitur abſque ſpeciei creatæ concurſu propter ſummam ſuius in genere cognoſcibilis perfectionem, ratione cuius eſt intimè præſens.

Faſolus. 52 Reſpondet Faſolus hîc, num. 61. 62. & 63. quòd de eſſentia ſpeciei impreſſæ non eſt poni loco obiecti non valentis cognoſci per ſe ipſum immediatè. Hoc enim eſt de connaturalitate ſpeciei impreſſæ, quando ſcilicet, de connaturalitate obiecti prouenit, vt ponatur: ſi autem ſit aliquod obiectum quod poteſt immediatè per ſe ipſum cognoſci, & mediatè per ſpeciem impreſſam creatam tanquam per inſtrumentum liberè accipiendum, non ſolùm non arguit obiecti imperfectionem, ſed magnam perfectionem dicit. Eius verba ſunt illa: *Quis probabiliter, vel ſaltem ſine implicantia poſſet dicere ſpeciem connaturaliter, propter prædictam obiecti indigentiam dari, & exiſtere. non autem dari, & exiſtere ſimpliciter, ſiue eſſentialiter, propter indigentiam obiecti. Et eſſentiam ſpeciei, conſiſtere vt ſit inſtrumentum quoddam, ex natura ſua ordinatum ad operandum loco obiecti. Quod autem ſit loco obiecti non potentis per ſe agere, aut loco obiecti potentis quidem per ſe agere, ſed nolentis; quia agit liberè; nihil ad eſſentiam ſpeciei conducere videtur, &c.* Hæc ille.

53 Doctrina hæc verba congerit, ſoliditate caret. Vnde cõtra eam argumentor primò. Quia multa voluntariè dicit. Cum in nullo firmo fundamento ſint eius verba fundata. Vbi enim fundat, quòd de ratione ſpeciei intelligibilis impreſſæ loco obiecti poſitæ, non ſit obiecti indigentiam arguere? non ponit, nec apparet.

54 Secundò. Quia quamuis de ratione ſpeciei intelligibilis vt ſic, ſit tantùm repræſentare obiectum, tamen quando ſpecies intelligibilis ponitur vt realiter diſtincta ab obiecto, non ponitur tantummodo vt repræſentet obiectum: Quia hoc eſt de ratione ſpeciei intelligibilis vt ſic. Ergo ponitur propter imperfectionem obiecti. Probo conſequentiam. Quia poſita ſpecie intelligibili impreſſa realiter ab obiecto diſtincta, aufertur efficientia obiecti immediatè per ſe ipſum. vt concedit Faſolus. Aufertur etiam intima, & immediata obiecti præſentia. cum ponatur loco obiecti. Ergo ex poſitione talis ſpeciei, arguitur imperfectio in obiecto, Quia expoſitione talis ſpeciei aufertur intima Dei præſentia.

55 Confirmatur. Si daretur aliquod creatum quod eſſet alicubi, vel vbique, loco præſentiæ Dei, ex ratione infinitatis, vel immẽſitatis prouenientis, ſequeretur quòd Deus eſſet imperfectus, quia ſequeretur quòd non eſſet infinitus, neque immenſus. Ergo ſimiliter. Si Deus poſſet fieri præſens per aliquam ſpeciem impreſſam creatam, quæ ſit loco Dei in intellectu, Deus non eſſet infinitus, ſeu immenſus, & in ſummo immaterialis in genere cognoſcibilis; & conſequenter eſſet imperfectus. Ergo ſpecies intuitiua Dei non fundaret perfectionem, ſed in Deo magnam argueret imperfectionem. Antecedens patet. Quoniam alias, dabile eſſet aliquod creatum loco immenſitatis, & infinitatis Dei. Probatur autem conſequentia à paritate. Nam ideo Deus eſt in omni re immediatè præſens, (non loquor quo ad rationem formalem locandi, ſed quo ad rationem radicalem, & rationem præſentatam) quia eſt infinitus. & ſi eſſet per aliquid aliud à ſe præſens, non eſſet Deus infinitè perfectus, & immenſus: ſed non minus Deus eſt infinitus in ratione cognoſcibilis reſpectu intellectus creati quam ſit infinitus, & immenſus reſpectu locorum. Ergo ſi daretur aliqua ſpecies impreſſa loco Dei, non eſſet infinitus, ſeu infinitè perfectus in genere cognoſcibilis. Ergo.

56 Si dicatur cum Faſolo, quòd præſentialitas Dei quæ eſt per ſpeciem impreſſam eſt accidentalis & extrinſeca; non autem implicat Deum per aliud fieri præſentem extrinſecè. Ita enim per ſpeciem denominatur intellectui præſens, ſicut in ratione obiecti per intellectionem denominatur intellectus, ſeu cognitus.

57 Contra primò. Quia eodem prorſus modo aliquis de aliquo creato, loco infinitatis, ſeu immenſitatis poſſet opinari, dicens non repugnare. Quia Deus non intrinſecè, ſed extrinſecè per illud, vbicaretur.

58 Secundò. Quia quamuis eſſe præſens intellectui ſit denominatio extrinſeca obiecto; tamen eſſe præſens immediatè per ſe ipſum intellectui ab intrinſeca eius perfectione procedit. Quemadmodum præſentia Dei in loco, quamuis ſit aliquid extrinſecum in Deo, tamen ab intrinſeca, & infinita eius perfectione dimanat. Ergo Deum fieri præſentem intellectui per ſpeciem, eſt Deum non eſſe intrinſecè infinitum, ac perfectum in genere cognoſcibilis.

Tertiò. Quia hæc noſtra probatio, eſt ex D.Thoma deprompta; immo eſt expreſſa D.Thomæ: quod quidem, debet conuincere Faſolum; omneſq; modernos Theologos, ſe ipſos quantùm ad hoc Thomiſtas confitentes, & vtinam fideliter profitentes. Eſt inquam ex D. Thoma deprompta; Quia D. Thomas. 3. cont. gent. cap. 51. probat diuinam eſſentiam eſſe verè ſpeciem intelligibilem ſui repræſentatiuam. D.Thom. Faſolus.

Eo quia ſicut eſt ipſa entitas per eſſentiam, ita eſt ipſa veritas per eſſentiam. Et conſequenter, cum eſſentia diuina ſit perfecta in ſui natura, intellectum in ratione ſpeciei intelligibilis ad intelligendum perficit. Ergo ſi ab alio quàm a diuina eſſentia repræſentaretur, non eſset ſummè perfecta.

59 Eſt etiam expreſsa probatio D. Thomæ. Quia D. Thomas primo cont. gent, cap. 46. rat. 4. probans quòd Deus per nihil aliud intelligit quàm per ſuam eſſentiam. Hæc habet verba. *Species intelligibilis eſt ſimilitudo alicuius intellecti. Si igitur in intellectu diuino ſit aliqua intelligibilis ſpecies præter eſſentiam ipſius, ſimilitudo alicuius intellecti erit. Aut igitur diuinæ eſſentiæ; aut alterius rei. Ipſius quidem diuinæ eſſentiæ non poteſt eſſe: quia ſic diuina eſſentia non eſſet intelligibilis per ſeipſam: ſed illa ſpecies faceret eam intelligibilem.* Hæc ille. D.Thom.

60 Vbi habetur expreſsè iſta probatio. Si diuina eſſentia repræſentaretur per aliquam ſpeciem à ſe diſtinctam; non eſſet intelligibilis per ſe ipſam. Hoc eſt impoſſibile. Ergo. Minor & conſequentia claræ ſunt. Probatur verò maior. Quia illa ſpecies faceret eam intelligibilem. Quare immeritò quidam illam propoſuerunt tanquàm proprij illius Patroni, & inuentores. Et minus rectè Alij illam impugnarunt.

61 Poſſet autem Aliquis cum Faſolo hanc rationem ſic infringere. Non eſt eſſentialiter neceſſarium vt ſpecies realiter ab obiecto diſtincta, arguat in obiecto imperfectionem, ſeu deficientiam. Ergo ruit totus rationis D. Thomæ diſcurſus. Probatur antecedens. Quia Angelus intelligens ſe ipſum per ſe ipſum, poteſt etiam intelligere ſe ipſum per ſpeciem ſui: ſed hoc deficientiam in Angelo non arguit. Ergo. Minor patet, Quia Angelus ſufficienter ſe ipſum per ſe ipſum cognoſcere poteſt; Cum de facto ita res ſe habeat. Probatur maior, Quia ab alijs Angelis cognoſcitur per ſpeciem diſtinctam realiter in modo eſſendi ab eſſentia Angeli. Ergo poteſt Deus aliquam ſpeciem infúdere eidem Angelo per quam Angelus ſe ipſum cognoſcat. Quæ enim aperta eſt implicantia, quin Deus poſſit hoc facere?

62 Reſpondetur tamen primò, negando antecedens. Ad cuius probationem. nego fieri poſſe, vt Angelus intelligat ſe ipſum per ſpeciem à Deo infuſam. Sequeretur enim aperta implicantia, nempè, quòd eſſet ſibi realiter, & obiectiuè per ſe ipſum præſens; & quòd non eſſet præſens eſſet quidem, quia ſic ſupponitur; non eſſet autem, quia ſpecies eius loco ponitur.

63 Reſpondetur ſecundò, concedendo fieri poſſe diuinitus, vt Angelus ſe ipſum per ſpeciem infuſam ſui, cognoſcere poſſit: Id tamen eſse per accidens. Suppoſita, ſcilicet, poſſibilitate ſpeciei, propter eiuſdem Angeli imperfectionem in ordine ad alios intellectus. Vnde ſi nullus alius intellectus creatus foret poſſibilis, fuiſſet etiam impoſſibilis talis ſpecies.

64 Sed adhuc Faſolus inſurgit, Quia adhuc remanet in robore argumentum, Nam ſaluaretur conceptus eſſentialis ſpeciei realiter ab obiecto diſtinctæ, abſquè eo quòd obiectum ſit imperfectum: & illius ſpeciei reſpectu talis cognitionis, habeat indigentiam. Faſolus.

65 Reſpondetur tamen negando antecedens. & ratio negationis eſt, Quia quamuis Angelus ſit de ſe completus, vt naturaliter poſſit, ac debeat ſe ipſum per ſe ipſum intelligere: nòn tamen eſt ita perfectus, ac completus, vt non poſſit concurſus ſuæ eſsentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis reſpectu proprij intellectus, diuinitus impediri: At verò diuina eſsentia eſt inimpedibilis. quare patet diſparitas, & nullitas argumenti.

CAPVT SEXTVM.

Argumenta aduerſariorum adducuntur, & explo-duntur.

66 Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò, Achilleo quodam aduerſariorum argumento, non ab intrinſeco ſed à ſimili. hoc modo, *In clara Dei viſione, eſt ſpecies & ſimilitudo expreſſa illius, quæ ipſum actu repræſentat ſicuti eſt, quam Theologi uerbum appellant. Cur ergo repugnabit ſpeciem impreſſam Dei in intellectu Beatorum produci, quæ non expreſſè nec actu, ſed habitu ut dici ſolet ipſum etiam repræſentet: quia ſcilicet, principium ſit producendi cum intellectu expreſſiorem aliam ſimilitudinem, quam diximus eſſe uerbum.* Hæc Vaſquez hic diſp. 38. cap. 2. & immediatè ſubdit. *Hæc ratio tàm male torquet authores prioris ſententiæ, ut ipſos in uarias ſententias diuiſerit.* Hæc ille. Vaſquez.

67 Reſpondetur, hanc rationem, militare contra eos, qui concedunt antecedens; eoſque torquere. Apud nos verò nullius eſt ponderis, aut conſiderationis: negamus enim antecedens.

Pro-

Digitized by Google

Vaſquez. Probat Pater Vaſquez antecedens, hoc modo. *Nulla ratione negari poteſt, quamlibet intellectionem, eo ipſo quòd intellectio, aut viſio eſt, eſſe ſimilitudinem expreſſam rei cognitæ, aut viſæ; aut ſaltem per illam produci expreſſam ſimilitudinem. Aut enim quæuis intellectio eſt actio de prædicamento actionis, Aut eſt ſolum actio grammaticalis. Si primum. Sequitur ea aliquid produci. Intelligi enim non poteſt productio, quin ea aliquid producatur: Id autem erit verbum, ſeu ſimilitudo expreſſa obiecti. Si ſecundum. Profectò erit ſimilitudo obiecti expreſſa qua formaliter intellectus reddatur intelligens aut videns, ſicut albedine corpus efficitur album. Nam per intellectionem dicimur obiectum videre, & cognoſcere, quod nihil aliud eſt, quàm ipſum intellectui repræſentari: Aliter enim explicari nequit, qualitas expreſſa quæ reddat intellectum formaliter intelligentem. Ergo, &c.* Idem Confirmat Authoritate Auguſtini 9. de Trinit. cap. 10. circa finem. & cap. 11. in principio, & 15. de Trinit. cap. 16. & Diui Anſelmi in Monologion cap. 31.

Auguſt. Anſelm.

68 Hæc probatio infra in ſpeciali diſputatione quærentes, In quo conſiſtat ratio verbi, nullius valoris eſſe conſtabit. Pro nunc autem breuiter reſpondetur, negando antecedens. & dicimus intellectionem non eſſe actionem de prædicamento actionis, ſed de prædicamento qualitatis. Nec propterea eſſe verbum. Quia quando verbum eſt producibile producitur per intellectionem, non tanquam id ad quod intellectio eſſentialiter ordinatur, ſed potius è contra, tanquàm id quod vt ſit præſens obiectum in actu ſecundo producitur. Ratione cuius intellectio ad obiectum feratur. Quæ quidem intellectio prius conſideratur, vt dictio, deinde vt contemplatio. Falſum quoquè eſt, quòd cum dicimur videre, & cognoſcere, nihil aliud eſt, quàm obiectum intellectui repræſentari (loquor iuxta ſenſum intentum à Vaſquez) ſed proprie dicimur intelligere, per hoc quòd obiectum repræſentatum attingimus per intellectum. & Quia Deus intellectibus Beatorum abſquè aliquo verbo producto eſt per ſe ipſum præſentiſſimus, Ideo in viſione clara Dei nullo modo ponitur verbum, ſed hìc de ſpecie expreſſa hactenus:

Vaſquez.

69 Obijcies ſecundò ex fundamento Suarez, in methaphyſica. diſp. 30. ſect. 11. num. 27. hoc modo. *Vbi in aliquo ordine poſſibilis eſt actus creatus repræſentãs aliquod obiectum, & poſſibilis etiam eſt virtus creata intellectualis elicitiua talis actus in ſuo ordine, poſſibilis eſt etiam ſpecies intelligibilis creata eiuſdem ordinis, commenſurata tali actui, & tali virtuti: ſed poſſibilis eſt actus creatus diuini ordinis quo videatur, & repreſentetur Deus prout eſt in ſe: Poſſibilis eſt etiam virtus intellectualis eiuſdem ordinis elicitiua talis actus, quam Theologi lumen gloriæ vocant. ergo poſſibilis eſt etiam ſpecies creata eiuſdem ordinis. Conſequentia eſt euidens. Minor eſt certa in doctrina, vel fidei, vel recepta à Theologis, vt magis ſana. Maior autem in qua eſt vis argumenti, primò ſuaderi poteſt inductione. Quia extra exemplum de quo agimus, in omnibus alijs vera inuenitur: Ergo ſufficiens inde ſumitur argumentum ad rem præſentem, niſi manifeſta ratio differentiæ aſſignetur. Secundò. Quia nulla ratio impoſſibilitatis fingi poteſt in ſpecie quæ in actu, aut virtute non procedat, & inefficax inueniatur.*

Suarez.

70 *Si fiat vis in infinitate Dei, quòd non poteſt Deus qui infinitus eſt, per finitam ſpeciem repræſentari.*

Interrogabimus, quomodo repræſentetur per finitum actum, & in ſe ipſo attingatur per finitum lumen?

71 *Reſponſio autem eſt, id fieri poſſe. Quia talis virtus, & actus ſunt diuini, & ſuperioris ordinis, & non infinitè, ac compræhenſiuè, ſed finitè repræſentant Deum, & ideo ad illud munus poteſt eſſe ſufficiens proportio inter rem finitam, & infinitam in ratione obiecti; & actus, ſeu virtutis. Applicetur ergo, eadem reſponſio, ad ſpeciem intelligibilem.* Hæc Suarez.

72 Hic Patris Suarez diſcurſus, non eſt ſibi conſtans; & eſt in ſe ſatis debilis, & infirmus.

Non inquam ſatis ſibi cõſtat. Quia totus eius diſcurſus fundatur ſuper proportionem inter actum, lumen, & ſpeciem. Quod ſi verum eſſet, quare de facto ſpeciem illam negat? magis enim proportionatur actui, & lumini finito, ſpecies creata, & finita, quàm Deus qui eſt ens ſimpliciter infinitum. Ergo deberet de facto dari talis ſpecies, vt dicta proportio ſeruetur; & non negare de facto ſpeciem, & Deum per ſe ipſum ſupplere id quod ex parte ſpeciei neceſſarium eſt aſſerere.

Inſuper Suarez dicit, quòd actus creatus viſionis repræſentat Deum. Et quantum ad hoc, nequè eſt ſibi conſtans. Etenim ideo

73 ſpeciem creatam Deum intuitiuè repræſentantem de facto negat, quia Deus eſt obiectum actualiſſimum, ſummè intelligibile, Immenſum, ac per ſe ipſum potentiæ intimè præſens. Ergo inconſtanter, & inconſequenter dicit Deum repræſentari per viſionem. Non enim iſta duo benè cohærent. Deus immediatè per ſe ipſum ratione ſuæ maximæ actualitatis eſt potentiæ intimè præſens. Et actus quo Deus cognoſcitur, Deum repræſentat. Nam tota repræſentatio eſt ab ipſomet Deo immediatè ratione ſuæ ſummæ actualitatis, ac intelligibilitatis. Ergo non relinquitur viſioni creatæ locus ad repræſentandum Deum. Et hoc eſt adeo euidens, vt admiſſo quòd viſio ſit verbum ſecundùm quòd eſt obiecti repræſentatiua, ſuppoſita intima

Digitized by Google

Dei per ſe ipſum præſentia, viſio erit in ratione cognitionis, & attingentiæ obiecti, non autem in ratione repræſentantis Deum.

74 Deinde debili nititur fundamento, Primò, quo ad probationem maioris circa probationem per inductionem. Quia extra exemplum de quo agimus, non datur aliud obiectum ſimpliciter infinitum, ſicut non datur alius Deus, & in præſenti eſt ſermo de ſpecie obiecti ſimpliciter infiniti. Vnde tantùm eſt dicere extra exemplum de quo agimus, quantùm cætera non eodem modo ſe habent.

75 Ex quo euidenter colliges, ex ſummularum ignorantia procedere argumentum, quatenus per inductionem, ſeu inductiuè ſpeciei impreſſę repræſentatiuę Dei poſſibilitatē, probare conatur. Etenim Sūmulæ docent, quòd tunc rectè inductiuè ad aliquid probandum arguitur, quando ex alijs, vel ex omnibus alijs eodem modo ſe habentibus, aliquid concluditur, ſiuè per aſcenſum, ſiuè per deſcenſum. V.G. cum dico. Petrus eſt homo, & eſt rationalis, Antonius eſt homo, & eſt rationalis, & ſic de ſingulis. Ergo etiam Franciſcus qui eſt homo, eſt rationalis. Vel, Ergo omnis homo eſt rationalis. Arguere autem ab omnibus alijs ad inuicem eodēm modo ſe habentibus, ad probandum ita quoquè contingere in aliquo alio quod eodem modo cum alijs non ſe habet, eſt argumentum per inductionem ignorare. Ita eſt in caſu noſtro. Nam Pater Suarez intentum inductiuè probare promittit, & tamen inter Deum de quo agimus, & alia, nulla eſt conuenientia. Etenim ideo in omnibus alijs præter Deum, ſi actus, & lumen ſunt aliquid creatum, etiam ſpecies eſt aliquid creatum, quia obiectum eius eſt aliquod ens creatum; non autem valet hoc modo arguere. Species obiecti creati eſt creata. Ergo ſpecies obiecti increati poteſt eſſe creata. *Suarez.*

76 Secundò. Quia falſum omnino eſt, rationem impoſſibilitatis in ſpecie, procedere in actu, aut virtute. Nam actus eſt iuxta vires potentiæ, & lumen intellectus, cum ſit virtus eius illi inhærens, quamuis illum eleuet, & confortet; tamen eius capacitati, intrinſecè petit conformari. Quapropter lumen infinitum, eſt omnino impoſſibile vt eleuet, & confortet potentiam finitam. Verùm, ſtante actu, & lumine finito, medium, ſeu ratio cognoſcendi poteſt eſſe virtutis infinitæ, & de facto contingit in viſione clara Dei, in qua ſpecies creata non concurrit, vt Suarez ipſe fatetur, ſed Deus eſt id quo fit viſio. Et ſecundùm communiorem Theologorum ſententiam, diuina eſſentia eſt verè, & propriè ſpecies intelligibilis ſe ipſam repræſentans. Ergo ſpecies eſt infinita, & viſio, & lumen ſunt aliquid finitum. Ergo non eſt neceſſaria iſta proportio à Suarez imaginata. Nam actus viſionis beatificæ, lumen gloriæ, & ſpecies infinita diuinæ eſſentiæ connaturaliter concurrunt; & tamen quo ad finitatem, & infinitatem non proportionantur ad inuicem.

Inſuper etiam extra exemplum de quo agimus, fallit axioma Suarez. Nam Angelus inferior cognoſcit Angelum Superiorem per ſpeciem adæquatam Angelo Superio- *Suarez.*
77 ri, & tamen Angelus inferior propter defectum luminis reſpectu Angeli ſuperioris iuxta multorum ſententiam, ſuperiorem non comprehendit. Ergo actus, lumen, & ſpecies, non ſe habent pari formiter, ſed ſpecies eſt præſtantior actu, & lumine: Quòd verò ſuppoſito quòd Angelus Inferior ſuperiorem non comprehendat, habeat in ſe ſpeciem adæquatè repræſentatiuam Angeli Superioris, ſic manifeſtatur. Quia ſi manente eadem ſpecie, augeretur lumen intellectuale in Angelo inferiori, Angelus inferior per eamdem ſpeciem perfectius quàm antea ſuperiorem Angelum cognoſcit, & ſic vſque ad comprehenſionem aſcendendo. Ergo illa ſpecies de ſe eſt adęquatè Angeli Superioris repræſentatiua. Probo conſequentiā. Quia quanto magis aliquid perfectè cognoſcitur, tanto magis perfectè ſpeciei repræſentatio percipitur. Non enim poteſt eſſe cognitio perfectior repræſentatione. Proportio igitur omnino neceſſaria inter illa tria, non debet eſſe omnino, & reſpectu cuiuſcumquè, de re ſed de modo, id eſt, ſi actus, & lumen ſunt aliquid finitum, ſpecies repræſētabit modo finito: Modo quidem finito, ſi non intrinſecè, ad minus extrinſecè, propter finitam capacitatem intellectus finiti, & hoc modo diuina eſſentia cum ſit de ſe, & in ſe, ſpecies ſimpliciter infinita, vnitur intellectui creato finito modo. vnde ad Argumentum.

78 Reſpondetur Primò, negando ſuppoſitum primæ partis poſitæ in maiori. Supponit enim quòd actus ſit repræſentatiuus obiecti, quod falſum eſſe probabimus infra; & in ſubiecta materia magis falſum eſſe conſtat ex dictis, Quia Deus eſt intimè per ſe ipſum immediatè omnibus intellectibus Beatorum in ratione obiecti præſens, & conſequenter à nullo alio repræſentatur.

Reſpondetur ſecundò, negando maiorem tanquàm ſimpliciter falſam. Ad cuius primam probationem, Reſpondetur primò, negando antecedens, vt patet in exemplo adducto, ſecundùm probabilem opinionem de ſpecie Angeli Superioris reſpectu cognitionis quam de illo habet Angelus inferior. Reſpondetur ſecundò. Tranſeat

ante-

Digitized by Google

antecedens, & negatur conſequentia. & ratio negationis eſt. Quia nullum aliud obiectum eſt infinitum extra Deum: Et quia ſpecies ſe tenet ex parte obiecti; actus & lumen ex parte potentiæ, ideo in caſu noſtro non currit argumentum.

79 Ad ſecundam probationem, negatur antecedens. Ratio autem implicantiæ, eſt infinitas obiecti: Species autem debet proportionari cum obiecto, cum ſit ſimilitudo formalis illius, & eiuſdem quidditatis cum illo in eſſe repræſentatiuo.

Rochma. 80 Obijcies tandem ex Andrea Rochmanio Ordinis Minorum de Obſeruantia quæſt. 1. prol. art. 4. concl. 5. *Poſſibile eſt ſecundùm Thomiſtas, imo de facto tenent, quòd ſpecies vniuerſalis quam habet Angelus poſſet repræſentare aliquod ſingulare, puta Paulum, vel Ioannem ſub ratione intuitiua. Ergo non eſt impoſſibile quòd Deus illam ſpeciem, quæ Angelo diſtinctè quidem, ſed abſtractè repræſentat eſſentiam Dei, faciat repræſentare clarè, & intuitiuè, ſi ſe obijciat intuitiuè cognoſcenda eſſentia Dei illi intellectui habenti talem ſpeciem.* Hæc ille.

81 Arguens proponit hoc argumentum contra Thomiſtas, an contra Scotiſtas nobiſcum ſentientes? Si contra Thomiſtas, Antecedens eſt verum, conſequentis verò ſuppoſitum omninò Thomiſtæ negant; & nihilominus arguens, id Thomiſtis ac ſi eſſet ipſorum axioma proponit. Si contra Scotiſtas; Scotus, & Scotiſtæ negant antecedens; Nec eſt aptus cõtra Scotiſtas argumentandi modus, ex authoritate nempe, & doctrina Thomiſtarum in eo præſertim in quo Scotiſtæ, & Thomiſtæ ad inuicem digladiantur, arguere.

82 Reſpondetur itaquè Primò, quatenus contra Scotiſtas poteſt militare argumentum; quia Scotiſtæ negant doctrinam Thomiſtarum in antecedenti poſitam.

83 Secundò iuxta Scoti, & Scotiſtarum doctrinam in conſequenti duo contradictoria ponuntur, nempè quòd ſi eſſentia Dei ſe obijciat intuitiuè cognoſcenda intellectui habenti talem ſpeciem, Deum abſtractiuè repræſentantem, intuitiuè repræſentaretur per talem ſpeciem. Nam iuxta Scoti doctrinam, eo ipſo quòd diuina eſſentia ſe obijcit alicui intellectui abſquè aliquo alio ſuperaddito, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti, habetur eiuſdem eſſentiæ intuitiua cognitio. Ita Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 11. Scotus. Et eo ipſo quòd Deus per ſpeciem ſit intellectui præſens, non ſe obijcit tanquàm obiectum intuitiuè cognoſcendum.

Reſpondetur Secundò iuxta veram Thomiſticamquè doctrinam, concedendo antecedens, & negando ſuppoſitum conſequentis. Illud enim Thomiſtæ omninò negant, vt dicebamus. Alia argumenta quæ Doctor iſte proponit, ſunt prorſus eadem cum illis quæ proponuntur ab alijs.

DISPVTATIO XXVI.

VTRVM PRIMA RATIO DIVI THOMÆ quam habet in corpore, efficaciter probet ſpeciei impreſſæ impoſſibilitatem.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Referuntur Opiniones.

Vaſquez. 1 QVO ad huius articuli intelligentiam, non modica eſt inter expoſitores D. Thomæ diſcordia, nam Pater Vaſquez hìc diſp. 39. num. 1. affirmat rationes D. Thomæ non ſolùm de facto, & de potentia Dei ordinaria, ſimilitudinem creatam Dei intuitiuè repreſentatiuam tenentem ſe ex parte rei viſæ reijcere, verùm etiam de potentia Dei abſoluta. Attamen ſpeciem impreſſam non eſſe ſimilitudi-

Digitized by Google

litudinem tenentē ſe ex parte rei viſæ contendit,ſed ex parte videntis,quam non ſolùm non impoſſibilem iudicat, ſed de facto dari exiſtimat.

2 Quidam verò alij dicunt, D.Thomam hic, etiam ſpeciem impreſſam excludere, illum tamen loqui de potentia ordinaria, non verò de potentia abſoluta. Ita Valentia hic, puncto 2. circa finem. Salas. p.2. tract.2.diſp.5.ſect.2.num.32. ad 13.

Valentia. Salas.

3 Alij verò dicunt, loqui etiam de potentia abſoluta, atquè etiam excludere ſpeciem impreſſam; ſed aduertunt quòd ſpecies impreſſa dupliciter conſiderari poteſt, vt cognita ſcilicet,& vt ratio cognoſcendi: D.Thomam dicunt, hic excludere ſpeciem etiam impreſſam vt obiectiuè cognitam, non verò vt rationem cognoſcendi,& tota vis argumenti D.Thomæ conſiſtit in hoc. Quia ſi videretur Deus per ſimilitudinem, videretur per ſpeculum, & in Ænigmate ſicut videtur nunc in via,quæ conſequentia non poteſt habere locum niſi in ſimilitudine obiectiua. Ita Faſolus hic dubit.11. num.39. qui ſubdit quòd *tres rationes quas affert in corp. D. Thomas nullius momenti ſunt contra ſpeciem impreſſam, demonſtrant verò contra obiectiuam*. Quod prius dixerat Vaſquez diſp.38. num.18. & diſp.39. num.6. dicens, quòd *rationes D. Thomæ ſi de ſpecie impreſſa* proponantur, ſunt *nullius prorſus ponderis, futiles, & inanes*.

Faſolus. D.Thom.

4 Communiter tamen Theologi affirmant D.Thomam in hoc ſecundo articulo loqui etiam de ſpecie impreſſa,illamquè per Dei potentiam abſolutam impoſſibilem iudicare.Ita Recupitus,qui non ſolum quæſt.22. lib.6.de verit.num.3.& 4. ſuſtinet diuinam eſſentiam eſſe propriè ſpeciem intelligibilem intellectibus Beatorum vnitam, quam ſententiam dicit, *omnes authores ſuæ familiæ defendere*, affirmat quoque quæſt.21.num. 2. & optimè probat, Diuum Thomam etiam de ſpecie impreſſa loqui in præſenti art. Vtrum autem rationes D.Thomæ exiſtimet efficaces, vel illas ſub aliorum Doctorum nomine impugnauerit, ſi quis non fuerit ex graui rerum ſtudio impeditus ipſum legat,plerumquè enim,& præſertim in diſputatione præcitata totum ferè opus ad eneruandas aliorum Doctorum rationes conſumit. Siuè igitur apud ipſum rationes D.Thomæ efficaces, ſiuè inefficaces videantur; Thomiſtis, nec officit, nec proficit. Sunt enim qui affirmant, viriliterquè defendunt rationes D. Thomæ eſſe efficaces. Capreolus in 4.diſt.49.quæſt.5.ar.1. & 3.Caietanus hic, Ferrarienſis in 3.cont. gent. cap.49. Bañes, Zumel, Nauarrete, Ripa, Nazarius, cæteriquè Thomiſtæ diſp. præcedenti pro ſecunda opinione citati. Vnde pro determinatione veritatis.

Recupit. Capreol. Caietan. Bañes. Zumel. Nauarret. Ripa. Nazarius.

5 Dico primò. Diuus Thomas hic excludit ſpeciem impreſſam non ſolùm obiectiuè ſumptam, & vt cognitam, verùm etiam vt rationem cognoſcendi.

Supra diſp.19. contra Vaſquez cum communi Theologorum conſenſu determinauimus, D. Thomam in hoc articulo etiam ſpeciem impreſſam impugnare; Nunc autem contra Faſolum aſſerentem quòd D. Thomas impugnauit ſpeciem impreſſam, non ſecundùm quòd eſt ratio cognoſcēdi, ſed ſecundùm quòd eſt medium cognitum præſens dictum ſtabiliuimus.Probatur igitur hoc modo.Faſolus loco citato contra exponentes D. Thomam de ſpecie obiectiua excludendo impreſſam,ſic arguit.

Vaſquez. Faſolus.

6 *Hæc quarta expoſitio, ſi ita vult agi hìc de ſpecie obiectiua, vt velit non agi etiam de impreſſa,videtur apertè falſa. Tum quia Sanctus Thomas exemplificat de ſimilitudine lapidis, quæ eſt in oculo, per quam fit viſio in actu. Tum quia in art. primo præcedente ſufficienter ſpeciem purè obiectiuam excluſerat probans Deum in ſe ipſo immediatè, & non in alio videri à Beatis. Tum quia niſi hìc ageret, de ſpecie Dei impreſſa, fuiſſet valde diminutus. Quia nullibi in tota hac ſumma agitur de ſpecie impreſſa de qua erat præcipua difficultas & controuerſia in viſione Dei,à qua nemo non facillimè excludit ſpeciem obiectiuam. Tum quia in alijs locis expreſſiſsimè negat ſpeciem Dei intelligibilem & impreſſam, & præſertim. quæſt. 10. de verit. art.11.&c.* Hæc Faſolus.

7 Quæ quidem impugnationes fortius, & maius robur contra Faſoli interpretationem habent. Sic enim argumentor. Primò. Quia Sanctus Thomas exemplificat de ſimilitudine lapidis quę eſt in oculo,per quā fit viſio in actu, quæ quidem lapidis ſimilitudo,conſideratur non vt obiectum cognitum, ſed vt ratio cognoſcendi.Ergo Diuus Thomas excludēs ſpeciem impreſſam,eam principaliter ſecundùm quòd eſt ratio cognoſcendi excludit.

D.Thom.

Secundò. Quia per Faſolum D.Thomas articulo præcedenti ſpeciem purè obiectiuam ſufficienter excluſit. Ergo hic excludit magis principaliter ſpeciem impreſſam, ſecundum quòd eſt ratio cognoſcendi quàm ſecūdùm quòd eſt ſpecies obiectiua.

Tertiò.Quia niſi hic ageret de ſpecie Dei impreſſa vt eſt ratio cognoſcendi; fuiſſet valdè diminutus: quia nullibi in hac tota ſumma agitur, de ſpecie impreſſa ſecundùm quòd eſt ratio cognoſcendi, de qua eſt inter Theologos præcipua difficultas, & controuerſia in viſione Dei.Ergo in hoc articulo de ſimilitudine, ſeu ſpecie creata per quam Deus videri poſſet ex profeſſo tractans,& ſpeciem impreſſam vt rationem cognoſcendi omittens,fuiſſet abſquè dubio valdè diminutus.

9 Quartò. Quia in alijs locis ſpeciem intelligibilem creatam Dei expreſſiſſimè negat,

gat,

Digitized by Google

gat, præſertim quæſt.10. de verit.a.1.11. Sed hic, eodem modo eamdem ſpeciem quam ibi negauerat, impugnat. Ergo hic etiam impugnat ſpeciem impreſſam. Sed ibi negat ſpeciem impreſſam, etiam ſecundùm quòd eſt ratio cognoſcendi; vt eius verba teſtantur. *Angeli*, inquit, *per eſſentiam videri poſſunt per ſpecies intelligibiles, non autem eſſentia diuina quæ iſ ſa met ſit intelligibilis forma intellectus eam videntis*. Et idem docet quæſt.8.art.1, vbi ait, *Diuinam eſſentiam eſſe id quod videtur, & id quo videtur*. Ergo, &c. Ridiculum eſt igitur, & contra Doctorem Angelicum dicere, hic ſermonem eſſe de omni ſpecie vt cognita tantùm, & non de ſpecie impreſſa etiam ſecundùm quòd eſt ratio cognoſcendi.

10 Dico Secundò, Ratio Prima D.Thomæ efficaciter probat impoſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam intuitiuam Dei.

Probatur. Hæc eſt ratio D.Thomæ. Quia ſicut dicit Dionyſius primo de diuinis nominib. *Per ſimilitudines inferioris ordinis rerum nullo modo ſuperiora poſſunt cognoſci. Sicut per ſpeciem corporis non poteſt cognoſci eſſentia rei incorporeæ*. Multo igitur minus per ſpeciem creatam quamcumque, poteſt eſſentia Dei videri: ſed hæc ratio efficaciter probat impoſſibilem eſſe ſpeciem creatam impreſſam intuitiuam Dei. Ergo, &c. Dionyſ.

11 Reſpondent quidam, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. & ratio negationis eſt, quia Aliud eſt dicere, per ſpeciem rei creatæ, & inferioris ordinis, non poteſt repræſentari diuina eſſentia, ita vt ſenſus ſit quòd ſpecies rei creatæ ſit repræſentatiua Dei, & Aliud eſt dicere, quòd per ſpecies inferioris ordinis nempe creatas, non tamen rei creatæ, non poteſt repræſentari Deus. Dicunt igitur quòd D.Thomas in hac ratione intendit probare per ſpecies rerum creatarum non poſſe cognoſci diuinam eſſentiam vt in ſe eſt, non verò quòd per aliquam ſpeciem creatam, diuina eſſentia non poſſit intueri.

12 Contra Primò, Quia hæc explicatio non explicatio, ſed eſt potius rationis, ac doctrinæ D. Thomæ vilificatio. Quia D.Thomas vniuerſaliter quærit, *Vtrum eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem videatur*. Et inſuper apud omnes liquido conſtat, quòd nulla rei creatæ ſpecies, eſt immediatè Dei repræſentatiua. Ergo non ſolùm loquitur de ſpecie rerum creatarũ, quam nõ dari, nec dari poſſe nulli dubium eſt, ſed etiam de ſpecie creata Dei de qua poſſet eſſe, & eſt difficultas, vtrum detur, vel ſit poſſibilis. Imo ex verbis D.Thomæ efficacior redditur ratio. Nam ex modo loquendi D. Thomæ quæcumque ſpecies creata eſt ſpecies rei creatæ: ſed ſpecies quæ eſſet repræſentatiua Dei nõ debet eſſe ſpecies rei creatæ. Ergo dicens quòd per ſimilitudines inferioris ordinis rerum nullo modo ſuperiora poſſunt cognoſci, loquitur de ſpecie creata quæcumque ſit illa. D.Thom.

13 Confirmatur. Quia conſequens debet deduci ex antecedenti, & antecedens debet poni proportionatum ad deducendum cõſequens: ſed conſequens principaliter intentum à D.Thoma, nõ loquitur de ſpecie rerum creatarum limitatè, ſed de quacumquè ſpecie creata. Hæc enim ſunt D. Thomæ verba. *Multo igitur*, inquit, *minus per ſpeciem creatam quamcumquè poteſt eſſentia Dei videri*. Ergo in antecedenti per ſpecies inferioris ordinis rerum, intelligit ſpeciem creatam quamcumquè. D.Thom.

14 Secundò, Omnis ſpecies creata in quocunquè eſſe, tam entitatiuo, quàm repræſentatiuo eſt potentialis. Ergo debet eſſe ſpecies rei creatæ. Antecedens patet. Quia ita implicat ens creatum non dicere, & intrinſecè potentialitatem non inuoluere, ſicut implicat ens creatum eſſe increatum. Probatur autem conſequentia. Quia ſecundù m Sanctum Thomam ſpecies debet eſſe eiuſdem rationis formalis cum obiecto, imo eſt ipſum obiectum in eſſe repræſentatiuo. Ergo quælibet ſpecies hoc ipſo quòd creata eſt, eſt ſpecies rei creatæ.

15 Reſpondent ſecundò Vaſquez hic diſp. 29. & alij, negando quòd ſpecies impreſſa ſit eiuſdem ordinis in eſſe repræſentatiuo cum obiecto, ſed horum reſponſio diſput. ſequenti confutabitur. Vaſquez.

Reſpondent alij quos ſequitur Pater Arrubal loco cit. aſſerendo quòd ſpecies creata intuitiua Dei, licet non eſſet eiuſdem ordinis, & rationis formalis cum Deo in eſſe entitatiuo, eſſet tamen eiuſdem rationis formalis cum Deo in eſſe repræſentatiuo. Arrubal.

16 Contra. Eſſe eiuſdem rationis formalis cum Deo in eſſe repræſentatiuo, eſt eſſe actum purum in eſſe repræſentatiuo: ſed implicat cuicumquè enti creato eſſe actum purum in quocumquè genere, Ergo implicat vt ſpecies creata ſit eiuſdẽ rationis formalis cum Deo etiam in eſſe repræſentatiuo. Maior patet. Quia quælibet ratio Dei in eſſe entitatiuo ſcilicet, & in eſſe intelligibili, eſt actus purus. Ergo eſſe eiuſdem rationis formalis cum Deo in eſſe repræſentatiuo eſt eſſe actum purum in illo genere. Minor etiam patet, Primò. Quia eſt contra rationem entis per participationem vlterius perfectibilis, eſſe actum purum. Secundò. Quia ſi ſpecies impreſſa intuitiua Dei eſſet actus purus in eſſe repræſentatiuo. Ergo non poſſet dari aliqua alia ea perfectior. Probo conſequentiam. Quia ſi alia perfectior dabilis eſſet. Ergo ipſa non eſt actus purus, quia remanet potẽtialitas, non vt ipſa ſit perfectior, ſed vt alia ab ipſa diſtincta maiorem perfectionem habeat; Si verò dicatur non poſſe dari aliam ſpeciem

Digitized by Google

ciem perfectiorem . Contra,ergo illa ſpecies repræſentaret Deum vt comprehenſiuè cognoſcibilem ; quod Aduerſarij negant. Probatur conſequentia . Quia niſi eſſet comprehenſiuè repræſentatiua , poſſet ſemper dari perfectior , ſicut cognitio .

17 Reſpondent Alij , quòd ſpecies creata repræſentatiua Dei, non eſſet eiuſdem ordinis cum Deo formaliter , nec illum repræſentaret formaliter , ſed virtualiter , & veluti inſtrumentaliter . Falſitas autem huius reſponſionis diſputatione ſequenti detegetur .

CAPVT TERTIVM.

Adducuntur quædam Aduerſariorum argumenta , & ſoluuntur .

18 Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò . Non implicat aliquid creatum eſſe repræſentatiuum Dei . Ergo non implicat vt ſpecies ſit inferioris ordinis , & repræſentet Deum . Patet conſequentia ex antecedenti . Probatur antecedens. Quia viſio beatifica eſt aliquid creatum,& repræſentat Deum in actu ſecundo , quod eſt perfectius quàm Deum repræſentare in actu primo .

19 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem concedo maiorem, & nego minorem . Viſio enim Beatifica ſe tenet ex parte potentiæ . Vnde eſt attingentia obiecti repræſentati, non autem obiecti repræſentatio .

Obijcies ſecundò . Viſio beatifica, & lumen gloriæ immediatè attingunt Deum vt eſt in ſe . Ergo poteſt dari aliqua ſpecies immediatè repræſentans Deum vt eſt in ſe, non obſtante quòd ſit inferioris ordinis vniuocè reſpectu Dei .

20 Reſpondetur concedendo antecedens , & negando conſequentiam . & ratio negationis eſt, Quia viſio beatifica, & lumen gloriæ ſe tenent ex parte potentiæ : ſpecies verò ſe tenet ex parte obiecti .

21 Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum pro Nouitijs , ne aliqua verborum æquiuocatione fallantur ; quòd quando dicitur viſio , & lumen gloriæ ſe tenere ex parte potentiæ,& ſpecies ex parte obiecti ; Senſus eſt , quòd intrinſecè , ſeu quantùm ad prædicata ſibi intrinſeca ſpecies ſe tenet ex parte obiecti ; viſio & lumen ex parte potentiæ; id eſt viſio, & lumen conueniunt potentiæ, & iuxta menſuram luminis producitur viſio , tanquàm propria actio intellectus, & lumen vt virtus fortificans intellectum in productione actionis: At verò ſpecies gerit vicem obiecti intra poten-
22 tiam , vel eſt ipſum obiectum per ſe ipſum potentiæ vnitum . Hoc intelligimus cum dicimus ſpeciem ſe tenere ex parte obiecti, lumen gloriæ verò , & viſionem ſe tenere ex parte potentiæ . Cæterum extrinſecè etiam ſpecies ſe tenet ex parte potentiæ,& viſio ex parte obiecti. Nam viſio ſpecificatur ab obiecto , & ſimiliter lumen . Ergo ſpecificatiuè ſe tenent ex parte obiecti . Species autem non ſibi,nec obiecto repræſentationem facit,ſed intellectui cui vnitur vt forma , perficiendo illum in eſſe intelligibili, & concurrendo effectiuè ad intellectus operationem eliciendam ; & conſequenter ſpecies etiam ſe tenet ex parte potentiæ illam adiuuando non per confortationem , ſeu virtutis actiuæ additionem,ſed intellectum fœcundando tanquam aliquid in ratione propriæ formæ intelligibilis eſſentialiter requiſitum ad hoc vt intellectus ſuam poſſit exercere operationem . Itaquè ſpecies ſe tenet ex parte potentiæ, quatenus intellectus indiget illa vt habeat obiectum intra ſe,& fiat vnum cum obiecto,& ex ipſa & intellectu principium completum cognitionis coaleſcat.Se tenet etiam ſpecies ex parte potentiæ , non quo ad quidditatem, ſeu naturam ſpeciei, quoniam hoc modo ſe tenet ex parte obiecti , ſed quo ad maiorem , vel minorem in repræſentando vniuerſalitatem;in quo ſenſu D.Thomas infra quæſt. 55.ar. 3. ait *quòd quanto Angelus fuerit ſuperior , tanto per pauciores ſpecies Vniuerſitatem intelligibilium apprehendere poterit .* D.Thom.

23 Obijcies Tertiò . Non implicat vt ſpecies ſit accidens in eſſe entitatiuo , & ſubſtantia in eſſe repræſentatiuo . Ergo non implicat vt ſpecies aliqua ſit inferioris ordinis reſpectu Dei in eſſe entitatiuo , & eiuſdem ordinis cum Deo in eſſe repræſentatiuo. Antecedens patet . Quia ſpecies hominis in intellectu ſecundùm eſſe entitatiuum eſt accidens , ſecundùm eſſe formale,& in eſſe repræſentatiuo eſt ſubſtantia . Ergo . Conſequentia autem patet à paritate .

24 Hoc argumentum antiqui , ac moderni aduerſarij maximè celebrant ; re tamen attentius inſpecta , nec mediam feſtucam valet , vnde .

Reſpondetur concedendo antecedens , & negando conſequentiam . Ratio autem diſparitatis eſt iſta . Quia non implicat vt eſſentia rei creatæ ſubſtantialis in diuerſo ſtatu diuerſum habeat eſſe . Nam homo V. G. extra intellectum exiſtit exiſtentia ſubſtantiali , in intellectu verò exiſtit exiſtentia accidentali : At verò natura diuina cum ſit actus purus , implicat vt in aliquo ſtatu ſit aliquid creatum , & dependens ;

& in

& in alio ſit aliquid increatum, & independens.

25 Ad huius reſponſionis intelligentiam, & fugandas erroris aduerſariorum tenebras, iſta D. Thomæ, ac Thomiſtarum veriſſima doctrina eſt ante oculos proponenda, quam oppoſitum opinantes (ſine vllo tamen ſolido fundamento) ferre non poſſunt; nempè quòd ſpecies, & obiectum in nullo differunt. Species enim non eſt aliud quàm obiectum vt potentiæ vnitum. Obiectum autem aliquādo immediatè cum ipſo eſſe per quod extra intellectum exiſtit, eidem intellectui vnitur, & aliquando ſecundùm diuerſum eſſe; Vtroquè autem modo obiectum ſpecies propriè nuncupatur, vt diximus diſput. 20. ſed differenter. Quia quando intellectui vnitur ſecundùm aliud eſſe ab eo quod extra ipſum habet, dici ſolet, & nos ſæpè numero dicere ſole- D.Thom.

26 mus, quòd ſpecies eſt ab obiecto in modo eſſendi diſtincta; quod non ſic intelligendum eſt, quaſi inter ſpeciem & obiectum, ſit aliqualis in ratione formali diuerſitas; ſed quia eiuſdem rei, iuxta diuerſum ſtatum diuerſus modus eſſendi explicatur. Vnus pro vt eſt in intellectu ſecundùm eſſe diminutum; & alter pro vt extra intellectum exiſtit. Vnus conuenit rei non connaturaliter. Alter connaturaliter. Eſſe in intellectu ſecundùm modum accidentalem, conuenit ſubſtantiæ creatæ pro vt eſt in intellectu, & non connaturaliter, ſeù ſecundùm modum ſibi connaturaliter conuenientem. Eſſe ſecundùm modum eſſendi ſubſtantialem, conuenit rei vt extra intellectum exiſtenti, & connaturaliter. Et ſic intelligitur quando dicitur quòd ſpecies eſt ab obiecto in modo eſsēdi diſtincta.

27 Senſus enim eſſe debet, quòd idem omninò obiectum ſecundùm quòd eſt in intellectu diminutè, ſeù cum modo eſſendi accidentali, diſtinguitur à ſe ipſo pro vt extra intellectum ſecundùm eſſe ratum, ac perfectum exiſtit. Sic quoquè intelligimus cum dicimus vel admittimus, quòd ſpecies ponitur loco obiecti. Senſus enim eſt, quòd hic modus diminutè eſſendi in intellectu, ponitur loco modi exiſtendi extra intellectum: quando autem obiectum eſt immediatè per ſe ipſum præſens, non dicitur poni ſpecies loco obiecti.

28 Pro clariori huius veriſſimæ doctrinæ intelligentia eſt obſeruandum, quòd ſubſtantia creata ſecundùm ſe, id eſt ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, neque dicit, ſeù petit modum eſſendi ſubſtantialem, neque accidentalem, ſed vtrumquè poteſt habere permiſſiuè, pro ſtatus varietate in quo reperitur. Quoniam ſi ſecundùm ſe, neceſſariò modum eſſendi ſubſtantialem exigeret, nunquam & in nullo ſtatu ſub eſſe accidentali poſſet reperiri; quod eſt falſum. Nam lapis in mente non exiſtit exiſtentia ſubſtantiali. Et ſi ſecundùm ſe, modum exiſtendi accidentalem peteret, nunquam poſſet exiſtentiam ſubſtantialem habere. Quod eſt etiam falſum. Quia ſubſtantia lapidis extra intellectum exiſtit exiſtentia ſubſtantiali. Non

29 dico quòd ſubſtantia creata non debet exiſtere exiſtentia ſubſtantiali. Quoniam hoc etiam eſt falſum. Eſſentia enim ſubſtantiali correſpondet exiſtentia ſubſtantialis abſolutè, & connaturaliter loquendo. Dico tamen quòd ſubſtantia creata ſecundùm ſe, id eſt ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, non exigit, &c. Poteſt hoc ſatis commodè explicari per ea quæ Diuus Thomas opuſc. de ente, & eſſentia cap. 4. docet, nimirum quòd natura ſecundùm ſe, neque eſt vniuerſalis, neque particularis. Secundùm ſe quidem, id eſt eſſentialiter, neque eſt vniuerſalis, neque particularis. Quoniam natura vt abſolutè exiſtens, eſt ſingularis. Vnde Boetius abſolutè dixit, quod *vnumquodque dum eſt, ideo eſt, quia vnum numero eſt*; & dicitur vniuerſalis non iuxta ſtatum connaturalem, ſed ſibi diminutè conuenientem. Quapropter natura ſi connaturaliter, & abſolutè loquamur, intelligitur ſingularis, ſeù ſingularitati coniuncta. Ita ſimiliter in caſu noſtro. Obiectum quatenus exiſtit in re iuxta modum ſuæ naturæ, abſolutè vocatur obiectum ſeù res; quatenus autem ſecundùm eſſe diminutum in intellectu exiſtit, vocatur ſpecies ab obiecto in modo eſſendi diſtincta. Non ad denotandam inter ſpeciem, & obiectum aliquam in ratione formali diſtinctionem, ſed ad deſignandum eiuſdem rei, ratione diuerſi ſtatus, varium eſſendi modum. Vide Ferrarienſem 1. contra gent. capit. 53. Ferrar.
§. *Ad euidentiam huius*, & 2. contra gent. cap. 98. §. *Sed occurrit circa hanc.*

30 Obijcies Quartò. Non implicat aliquod eſſe finitum in genere entis, & infinitum in genere moris. Ergo non implicat vt detur aliqua ſpecies finita in genere entis, & infinita in eſſe repræſentatiuo. Antecedens patet. Quia actiones Chriſti Domini ſunt finitæ in genere entis, infinitæ in genere moris. Sunt enim infiniti valoris. Conſequentia autem conſtat ex paritate.

31 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt. Quia actiones Chriſti Domini in genere moris non ex propria, ac formali ipſarum ratione abſolutè infinitatem habent, ſed ratione ſuppoſiti infiniti, à quo effectiuè quatenus ſuppoſiti humanæ naturæ vicem gerit, producuntur; & per quod infinito valore dignificantur: At verò ſpecies cum ſit eiuſdem rationis for-

Digitized by Google

malis cum ipſo obiecto per ſe primò repræſentato, ſi eſt infinita ratione obiecti non extrinſecè, ſed intrinſecè, abſolutè, & ex ſua formali ratione eſſet infinita, ſi immediatè repręſentaret obiectum infinitum.

32 Nam ſpecies quæ eſſet immediatè, ac intuitiuè repræſentatiua Dei, eſſet intrinſecè infinita, nec poſſet non eſſe Deitatis repræſentatiua: Actiones autem humanæ naturę Chriſti Domini, non ſunt intrinſecè, & abſolutè infiniti valoris, niſi ex ſuppoſitione quòd ſint à ſuppoſito diuino, à quo poſſunt abſolutè non eſſe, ſicut poteſt natura humana Chriſti Domini abſolutè loquendo, ſuppoſito diuino carere.

33 Obijcies Quintò. Si huiuſmodi ſpecies creata daretur, non eſſet eiuſdem ordinis cum Deo adæquatè, ſed inadæquatè. Ergo ſpecies quæ eſt inferioris ordinis, poteſt repręſentare rem ſuperioris ordinis. Patet conſequentia. Probatur antecedens, Quia finitè ræpræſentaret Deum.

34 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Species creata ſi daretur non eſſet eiuſdem ordinis cum Deo, extrinſecè, concedo ſequelam. Intrinſecè, nego ſequelam. Ad cuius probationem, ſimiliter diſtinguo antecedens. Finitè finitate extrinſeca, concedo antecedens. Finitate intrinſeca, nego antecedens. Eſſet enim intrinſecè infinita, & conſequenter adæquata. Extrinſecè verò finita, ratione ſcilicet, quantitatis luminis finiti, creato intellectui infuſi. Quemadmodum de facto diuina eſſentia cum ſit intrinſecè infinita, intellectibus Beatorum propter luminis finitatem ſe ipſam finitè repræſentat.

35 Eradicatis ſupradictis aduerſariorum obiectionibus, facile erit Patris Vaſquez, & aliorum contra D. Thomæ rationem, impugnationem euertere. Dum ait. Quòd ſpecies Angeli ſuperioris eſt inferioris ordinis quàm Angelus. Nam Angelus eſt ſubſtantia, & ſpecies eſt accidens. Nullius enim conſiderationis eſt hoc argumentum, & iam dudum à Thomiſtis rectè ſolutum. Nam ſpecies Angeli ſecundùm eſſe entitatiuum in eſſe intentionali eſt accidens, ſecundùm verò eſſe formale eſt ſubſtantia. Cum ſit ipſamet Angeli natura, & eſſe entitatiuum ſpeciei eſt modus eſſendi eiuſdem Angeli, quatenus eſt in intellectu diminutè exiſtens. Vnde eſt ipſemet Angelus ſecundùm eſſe accidentale quod habet in anima. Vaſquez.

DISPVTATIO XXVII.

VTRVM SPECIES IMPRESSA SIVE EXPRESSA, ſit ſimilitudo formalis obiecti, ſeù eiuſdem quidditatis in eſſe intelligibili cum obiecto.

In ſex capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 QVidam aſſerunt diſputationem hanc non eſſe magni momenti; Mihi tamen non parui ponderis eſſe videtur. Eo quia rationes D. Thomæ ad probandam ſpeciei impreſſæ, vel expreſſæ diuinæ maieſtatis repræſentatiuæ impoſſibilitatem, ex huius diſputationis reſolutione magnoperè pendent. Quærimus igitur Vtrum ſpecies impreſſa, vel expreſſa, itacum obiecto repræſentato conueniat, vt ab illo in nullo differat, niſi in modo eſſendi iuxta modum iam explicatum D.Thom.

Digitized by Google

an verò ſit obiecti quoddam inſtrumentum, ſicut ſemen reſpectu generantis.

2 In qua re nonnulli dicunt ſe capere non poſſe, quomodo ſpecies impreſſa ſit formalis ſimilitudo obiecti. Vnde aſſerunt eſſe tantummodo ſimilitudinem virtualem, & inſtrumentalem. Ita Vaſquez hic diſp. 39, & Suarez lib. 2. de attrib. negat. cap. 12. num. 12. vbi ſic ait *Hanc repræſentationem non eſſe ita concipiendam, vel fingendam, ac ſi in ſpecie ipſa eſſet ſimilitudo aliqua formalis, vel imago depicta ipſius obiecti, quia hoc non poteſt concipi ſine conuenientia aliqua, & vnitate formali, vt de verbo poſtea dicam. Neque hic eſt vlla neceſſitas hoc fingendi, tum quia ſpecies eſt ſolùm veluti ſemen, & inſtrumentum, in quo ſufficit virtualis aſſimilatio, &c.* Et in fine eiuſdem numeri declarans quomodo ſpecies repræſentet obiectum ſic ait, *Species verò ſolùm dicitur repræſentare quatenus eſt principium conſtituens intellectum in actu ad efficiendam huiuſmodi actualem repræſentationem; nempè actum intelligendi.* Et quoniam ſpeciem expreſſam, quam Suarez cum alijs intellectionem eſſe putat, formalem obiecti ſimilitudinem pluries vocat, ideo cap. 13. num. 13. manifeſtius ſe declarat ſic dicens *Deinde inſto interrogando de qua*

Vaſquez. Suarez.

3 *ſimilitudine loquantur, an de propria ſimilitudine pertinente ad propriam relationem quæ fundatur in vnitate eiuſdem formæ, vel de ſimilitudine repræſentationis? Si de priori ſermo ſit, verum eſt inueniri non poſſe in re creata reſpectu Dei. Vnde tam repugnat ſpeciei impreſſæ, quàm expreſſæ. Imo in vniuerſum falſum eſt, vel ſpeciem intelligibilem, vel verbum, aut actum cognoſcendi eſſe hoc modo ſimilitudinem obiecti, vt per ſe notum eſt. Si verò ſit ſermo de ſimilitudine poſteriori, ſcilicet ſolius repræſentationis, falſum eſt non reperiri hanc in actu cognoſcendi multo magis quàm in ſpecie. &c.* Hæc Suarez. vbi

4 nota quanti momenti ſit præſens controuerſia. Quoniam per eumdem Suarez ſi ſpecies expreſſa, vel impreſſa ſit ſimilitudo formalis primo modo, eſt omninò impoſſibilis. Eamdem ſententiam ſequuntur Ruuius lib. 2. de anima cap. 6. quæſt. 6. §. *Nihilominus*. Andreas Rochmanius quæſt. 1. prologi art. 4. ad 7. Faſolus hic dub. 13. num. 45. Recupitus lib. 6. quæſt. 21. Vulpes tom. 1. diſp. 23. art. 5. num. 3. pro qua citat Scotum, ſed de mente Scoti cap. 5. huius diſputatione plura dicemus.

Ruuius. Rochma. Faſolus. Recupit. Vulpes. Scotus.

5 Alij verò firmiter tenent ſpeciem impreſſam eſſe formalem ſimilitudinem obiecti. Ita communiter grauiores Theologi. Diuus Thomas locis cap. ſequenti citandis. Durandus, in 2. diſtinctione 3. quæſt. 6. & in 4. diſtinctione 49. quæſt. 2. num. 13. Caietanus, Bañes, Zumel, Nazarius, Conzalez, Ioannes de Sancto Thoma hic, Salmaticenſes tract. 2 diſputat. 2. dub. 5. Ledeſma de diuina perfectione quæſt. 4. art. 4. coroll. 1. §. *Ex dictis in his*, & quæſt. 8. art. 4. §. *Reſpondetur nihilominus*, Silueſter in Conflato art. 2. Scotus locis infra citandis. Vbi quid Scotus de hac re ſenſerit, eius teſtimonio fideliter referendo aperitur.

D. Thom. Durand. Caietan. Bañes. Zumel

Nazarius. Conzales Ioã. de S. Thom. Salmanti. Ledeſma. Zylueſt. Scotus.

CAPVT SECVNDVM.

Vera ſententia ſtatuitur; & Authoritatibus Doctoris Angelici comprobatur.

6 PRO determinatione ergo veritatis, dico breuiter. Quælibet ſpecies impreſſa, ſiue expreſſa, eſt ſimilitudo formalis obiecti.

Sunt nonnulli Thomiſtarum ſententiæ taliter aduerſantes, vt ſuam ſententiam ad mentem D. Thomæ defendant, ſed nec verbum in contrarium poteſt adduci ex Angelici Præceptoris doctrina, per quod huiuſmodi Doctoribus D. Thomas faueat, liceat ſuſpicari.

Probatur igitur hoc dictum eſſe Diui Thomæ, & relictis omnibus locis in quibus ſpeciem ſenſibilem impreſſam ſimilitudinem formalem obiecti ſenſibilis vocat. Adducam expreſſiores ac luce clariores pro noſtra ſententia, pro vnaquè concluſionis parte Authoritates.

7 Nam in primis lib. 3. cont. gent. cap. 49. ratione 2. hæc habet verba. [Similitudo intelligibilis per quam intelligitur aliquid ſecundùm ſuam ſubſtantiam, oportet (nota) quòd ſit eiuſdem ſpeciei, vel magis ſpecies eius; ſicut forma domus, quæ eſt in mente artificis, eſt eiuſdem ſpeciei cum forma domus, quæ eſt in materia; vel potius ſpecies eius. Non enim per ſpeciem hominis intelligitur de aſino, vel equo quid eſt: Sed ipſa natura ſubſtantiæ ſeparatæ non eſt idem ſpecie cum natura diuina, imo nec genere, &c.] Hæc ille. Hæc verba relata, aurea ſunt, profunda, & clara; Vnde pro eius intelligentia eſt breuiter.

Digitized by Google

8 Obſeruandum , quòd ſimilitudo , ſeu ſpecies intelligibilis quando à D. Thoma dicitur quòd ſit eiuſdem ſpeciei cum re intellecta, dupliciter poteſt intelligi. Primò , ita vt res intellecta, & ſpecies intelligibilis ſint veluti duo indiuidua ſub eadem ſpecie, quorum vnum eſt ſecundùm eſſe extra intellectum; aliud verò ſecundùm eſſe intentionale in intellectu . & hic ſenſus non placet. Quia non eſt verus, nec litteræ conſonat. Non inquam eſt verus; Quia vnum indiuiduum non poteſt eſſe ratio cognoſcendi aliud indiuiduum eiuſdem ſpeciei . Neque etiam conſonat litteræ : Quia D. Thomas amplius explicans quod dixerat. ſic ait . *Oportet quòd ſit eiuſdem ſpeciei, vel magis ſpecies eius.* Quaſi diceret eſt ipſamet ſpecies, forma , ſeu quidditas rei cognitæ in eſſe intelligibili, ſicut forma domus quæ eſt in mente artificis , eſt eiuſdem ſpeciei cum forma domus quæ eſt in materia , vel potius ſpecies eius , id eſt, ipſamet forma , ſeu quidditas domus, quæ eſt in materia, eſt in mente artificis.

D.Thom.

9 Ex quibus verbis hæc ratio formatur . Species impreſſa eſt forma , ſeu quidditas rei intellectæ in eſſe intelligibili. Ergo de ratione formali ſpeciei impreſſæ eſt , quòd ſit formalis ſimilitudo obiecti . Antecedens probatur à ſimili . Sic ſe habet ſpecies impreſſa reſpectu obiecti repræſentati , ſicut forma domus in mente artificis : ſed forma domus in mente artificis eſt ipſamet quidditas domus in propria materia . Ergo ſpecies impreſſa eſt forma , ſeu quidditas rei intellectæ.

D.Thom. 10 Eſt alius D.Thomæ locus valde clarus, & ponderatione dignus pro ſecunda concluſionis parte . Etenim infra quæſt.27. art.2. vbi probat quòd proceſſio Verbi in diuinis dicitur generatio . Et quoniam generatio eſt origo viuentis à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ , probans omnes ſupradictas generationis particulas proceſſioni Verbi diuini conuenire , & præſertim , quòd procedat ſecundùm rationem ſimilitudinis ſic oſtendit . *Et ſecundum rationem ſimilitudinis* . *Quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ , & in eadem natura exiſtens* . Quia *in Deo idem eſt intelligere , & eſſe* . Hæc ille .

11 Hæc D.Thomæ verba ferè ab omnibus Theologis ponderata ſunt, & à paucis benè intellecta . Etenim quidam Theologi putant quòd apud D. Thomam idcirco Verbum diuinum procedit vt ſimile in natura diuina , quia intelligere in Deo eſt idem cum eſſe, quod D. Thomas re vera in dicto articulo aſſerere non intendit. Quandoquidem , quòd verbum diuinum procedat ſecundùm rationem ſimilitudinis in natura diuina, ideo probat quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ , & per conſequens , tale Verbum eſt talis naturæ ſimilitudo , & ſic Verbum diuinum qua Verbum eſt, eſt ſimilitudo, & qua tale Verbum, puta Verbum naturæ diuinæ, eſt ſimilitudo naturæ diuinæ, ſicuti qua verbũ eſt , eſt ſimilitudo formalis naturæ , qua Verbum tale ſecundùm rationem ſpecificam verbi (ſpecificam dico, non materialem , quoniam ea ratione qua talis naturæ Verbum eſt , ſe habet veluti ratio differentialis verbi) eſt ſimilitudo naturæ diuinæ . Per illam autem propoſitionem, nempè in Deo idem eſt intelligere, & eſſe, non probat ſimilitudinem Verbi diuini in natura diuina , neque abſolutè , & adæquatè eiuſdem Verbi proceſſionem eſſe generationem , ſed tantummodo, quòd Verbum diuinum quo ad exiſtentiam , ſeu quo ad modum eſſendi non , exiſtit ſecundùm eſſe diminutum, ſed exiſtit exiſtentia naturę diuinæ , quæ non eſt exiſtentia ſecundùm quoddam eſſe intentionale, & diminutum.

12 Quod vt clarius intelligi poſſit , eſt obſeruandum , quòd non eſt de ratione verbi vt ſic , exiſtere per exiſtentiam accidentalem , diſtinctam ab exiſtentia rei cuius eſt verbum , hoc enim eſt de ratione verbi creati ; de ratione verò Verbi Increati eſt eſſe ſimilitudinem naturæ diuinæ, & exiſtere exiſtentia eiuſdem naturæ diuinæ quæ eſt cum ipſo intelligere identificata , ſiue formaliter, ſiue identicè tantùm, de qua redisputabimus infra tom.2.quæſt.14.art.4. Diuus Thomas igitur per ſupradictam propoſitionem , videlicet in Deo eſt idem intelligere, & eſſe, non probat Verbum diuinum procedere vt ſimile in natura diuina. Quoniam hoc habet ex ratione formali, & ſpecifica Verbi diuini, ſed probat modum exiſtendi Verbi diuini ſecundùm ſuam rationem formalem , ac ſpecificam procedentis per modum ſimilitudinis , eſſe ſubſtantialem, ratum, ac perfectum, quod eſt ipſum exiſtere in natura diuina . Hoc magis latè Deo Duce in 3.tom.quæſt.27.art. 2. declarabimus.

13 Quibus verbis D. Thomæ præſuppoſitis, ſic Argumentor, & ſic pro concluſione ex Doctrina D. Thomæ ratio formatur . Verbum diuinum procedit vt ſimile in natura diuina , tanquàm ſimilitudo formalis naturæ diuinæ , quia de ratione verbi eſt, procedere, & eſſe ſimilitudinem formalem rei intellectæ. Ergo ad mentem D.Thomę dicendum omnino eſt, quòd ſpecies expreſſa ſit ſimilitudo formalis.

14 Nec minoris efficaciæ eſt id quod ex D. Thoma quæſt.14.art.1.pro præſenti dicto Thomiſtæ exagerant . Nam D. Thomas ibi in corp. ponit differentiam inter cognoſcentia, & non cognoſcentia, per hoc, quia non cognoſcentia nihil habent niſi for-

formam ſuam tantum, ſed cognoſcens natum eſt habere formam etiam rei alterius, nam ſpecies cogniti eſt in cognoſcente.

CAPVT TERTIVM.

Probatur intentum arguendo contra Suarez, & alios negantes diuinam eſſentiam eſſe propriè ſpeciem intelligibilem.

15 PRobatur deinde rationibus. Quia ſpecies idem omnino ſonat, ac forma. Ergo ſpecies obiecti nil aliud eſt quàm forma obiecti in eſſe repræſentatiuo, ſeù ipſum obiectum ſub alio eſſendi modo, ab eo cui extra intellectum iunctum erat. Ergo non eſt ſimilitudo inſtrumentalis, ſed formalis. Probatur conſequentia. Quia forma repræſentans aliquod vt in ſe eſt non eſt illius inſtrumentum, ſed ipſum quod repræſentatum eſt. Suarez.

16 Inſuper. Species ſecundùm Suarez, & alios repræſentat obiectum potentiæ. Ergo obiectum eſt formaliter præſens per præſentiam ſpeciei: Sed hoc eſt eſſe idem cum obiecto in eſſe repræſentatiuo, ſeù ſimilitudinem formalem obiecti. Nil enim aliud intelligimus cum dicimus ſpeciem eſſe idem cum obiecto, ſeù eſſe ſimilitudinem formalem obiecti. Conſequentia patet. Quia aliàs ſpecies non repræſentaret obiectum formaliter, ſed ſe ipſam loco repræſentationis obiecti; & ſic re vera obiectum per ſpeciem non eſſet intellectui præſens in eſſe intentionali, ſed abſens. Suarez.

17 Si dicatur cum Suarez loco citato, ſpeciem intelligibilem non eſſe ſimilitudinem propriè ad propriam relationem quæ fundatur in vnitate eiuſdem formæ, ſed de ſimilitudine repræſentationis.

18 Contra Primò. Quia verba D.Thomæ in principio ſecundi capitis allegata, hanc Suarez doctrinam euidenter impugnant. Nam D.Thomas perſpicuè, & abſquè verborum ambiguitate docet ſpeciem eſſe eiuſdem rationis, & quidditatis cum obiecto.

9 Secundò. Quia eſt in intelligibile quomodo per poſitionem ſpeciei impreſſæ in intellectu, ponatur obiectum formaliter præſens in eſſe intelligibili, & obiectum nullum aliud eſſe in intellectu habeat niſi per ſpeciem, & quòd ſpecies ſit ſimilitudo inſtrumentalis obiecti. Quod enim eſt formaliter præſens, non eſt per ſimilitudinem inſtrumentalem præſens, ſed neceſſario per ſuam formalitatem vt per ſingula diſcurrenti patet. Vnde non currit doctrina Suarez, & aliorum. Eſt enim in terminis repugnantia nempè, quòd aliquod ſit formaliter alicui præſens, & quòd ſit tantummodo per ſimilitudinem inſtrumētalem ſui. Implicat enim aſſerere, quòd Leo eſt formaliter præſens, quando de eo ſola ſemi-

20 nis illius exiſtentia præſentatur. Et quoniam Pater Suarez loco citato pro ſe Ferrarienſem adduxit, ideo examinanda de veritate ſunt illa verba Suarez, nempè *Quod optimè videt Scotus loco citato, & Ferrarienſis 1. contr. gent. cap. 53.* Soarez. Ferrar. Tenetur enim ſub pœna mendacis oſtendere an Ferrarienſis loco ab ipſo adducto aſſeruerit actum intelligendi eſſe obiecti repræſentatiuum, ſeù ſpeciem expreſſam. Totum enim ſupradictum Ferrarienſis caput diligenter, & accuratè perlegi, & nec verbum pro Suarez inueni, imo Ferrarienſis ibidem totum oppoſitum apertiſſimè affirmat. Quandoquidem de verbo loquens, illud ibi, & alibi obiecti ſimilitudinem vocat, & nullatenus actum intelligendi eſſe obiecti ſimilitudinem, ſeù ipſum verbum admittit.

21 Quod vt omnibus pateſiat, Ferrarienſis verba fideliter referamus. *Et quamuis,* inquit, *aliqui Thomiſtarum teneant verbum non realiter diſtingui ab actu intelligendi, ſed tantùm per connotata, tamen magis mihi placet opinio aliorum Thomiſtarum tenentium de mente Sancti Thomæ eſſe, quod realiter diſtinguatur.* Idque euidenti, ac pulchra ratione probat. *Quod ſanè,* inquit, *apparet, quia non alia ratione ponitur verbum ab ipſo, id eſt à Diuo Thoma, niſi vt fiat obiectum præſens actu ipſi intellectui in eſſe obiectiuo, & in ipſo ſic præſente videatur per actum intelligendi, res quæ intelligitur. Vnde ſicut videre non eſt id quod videtur, neque id in quo aliquid videtur, ita nec intelligere quod eſt videre erit ipſum verbum. Item. Quia fruſtra poneretur verbum in intellectu noſtro tanquàm terminus productus, ex quo eſſet idem cum actu intelligendi, in ipſo manens intellectu cum actu, & ſic non oporteret Sanctum Thomam ſollicitum eſſe an intellectus producat verbum nec ne.* Dicat Ergo Suarez vbi vbi ſunt Ferrarienſis verba ad minus à longè, Suaretij intentum inſinuantia.

23 *Quod optimè videt Scotus in loco citato, & Ferrarienſis 1.contr.gent.cap. 53.* Si igitur Ferrarienſis, vt Suarez ipſe teſtatur, eſt optimè videns, & nos non ſtamus determinationi Suarez, neque Suarez noſtræ deciſioni acquieſcit, ambo igitur rectè videnti, optimeque intelligenti Ferrarienſi credamus. Et quidem Ferrarienſis præterquamquod loco à Suarez præcitato

§. ad

Digitized by Google

§. ad huius autem ſic ait. Species qua intellectus intelligit eſt ſimilitudo rei intellectæ, & §. tertium eſt, ſic ait. Conceptio eſt rei ſimilitudo ſicut & ſpecies intellectualis. Sunt etiam alia eiuſdem Ferrarienſis pro noſtra ſententia teſtimonia clariora.

Ferrar.

24 Etenim in 2. cont. gent. cap. 98. §. pro reſpõſione, hæc verba profert. [Similitudo intelligibilis, quæ eſt in intellectu, poteſt conſiderari, & materialiter, in quantùm eſt talis entitas quæ eſt forma intellectus. Et formaliter, in quantùm eſt ſimilitudo intelligibilis huius rei. Si conſideretur materialiter, ſic non oportet ſimilitudinem intelligibilem, & id quod per ipſam repræſentatur, eſſe eiuſdem rationis. cum ipſa ſit accidens intellectus, & res repræſentata quandoquè ſit ſubſtantia. Et ad hunc ſenſum intelligendus eſt Sanctus Thomas in de verit. quæſt. 8. art. 11. ad 3. cum inquit quòd forma lapidis in anima eſt longè alterius naturæ quàm forma lapidis in materia. Si autem formaliter conſideretur, ſic iuxta prædeterminata dicendum eſt, quòd eſt eiuſdem rationis cum re repræſentata, & ſic intelligitur quod dicitur 4. ſent. diſt. 49. quæſt. 2. art. 1. & de verit. quæſt. 10. art. 4. ad 4.] Quod pluries ibidem repetit, & ſupponit.

25 Et in 3. cont. gent. cap. 49. §. circa probationem conſequentiæ ſic loquitur. [Idcirco loquens Sanctus Thomas de ſpecie intelligibili inquit ſub disiunctione, quòd oportet ipſam eſſe eiuſdem ſpeciei cum re intelligibili, vel magis eius ſpeciem, quia ad ſuum propoſitum nihil refert, quod illorum dicatur. Sufficit enim ſibi quod oportet vt ſit eiuſdem ſpeciei. Nam vt dicebat per ſpeciem hominis non intelligitur de aſino, vel equo, quid eſt. ſimiliter etiam in alijs. Sicut enim niſi intelligens fieret vnum cum re intelligibili, non intelligeret ipſam, ita niſi fieret vnum ſecundum rationem ſpecificam, non intelligeret eius rationem, & quidditatem. Similitudo enim ſecundum eamdem rationem requiritur, &c.] Hæc ille. Quod pluries ibidem, & alibi repetit, ac defendit. Quid ergo? Optimè videnti Ferrarienſi credemus? Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, ſed non licet Authores pro ſe adducere qui re vera aduerſarij ſunt. Hoc enim eſt Nouitios confundere, ac decipere.

CAPVT QVARTVM.

Probatur intentum contra Faſolum & alios, admittentes diuinam eſſentiam dici, & eſſe propriè ſpeciem intelligibilem.

26 IN præcedenti capite probauimus ſpeciem impreſſam, ſiue expreſſam eſſe ſimilitudinem formalem obiecti contra eos præcipuè qui negant diuinam eſſentiam eſſe propriè ſpeciem intelligibilem intellectibus Beatorum vnitam; In præſenti autem probamus intentum contra eos qui admittunt, ac nobiſcum ſentiunt eſſentiam diuinam habere rationem ſpeciei propriè dictæ; ſpeciem vero impreſſam, ſiuè expreſſam eſſe ſimilitudinem formalem obiecti negant.

27 Sic argumentor. Diuina eſſentia habet rationem ſpeciei intelligibilis: ſed ſecundùm quòd rationem ſpeciei intelligibilis habet, non eſt inſtrumentum ſui. Ergo de ratione formali ſpeciei intelligibilis non eſt vt ſit obiecti inſtrumentum, ſed ipſum obiectum in eſſe repræſentatiuo.

28 Si dicatur, quòd eſt de ratione ſpeciei intelligibilis ab obiecto diſtinctę, eſſe inſtrumentum obiecti, non verò de ratione formali ſpeciei intelligibilis ab obiecto indiſtinctæ.

29 Contra. Species vt ab obiecto diſtincta, quantùm ad rationem formalem ſpeciei, nil minus habet, quàm Deus ſecundùm quòd ſpecies eſt, niſi diſtinctionem in modo eſſendi. Ergo ſi Deus ſecundùm quòd eſt ſpecies ſui, eſt idem ſibi formaliter in eſſe repræſentatiuo, etiam ſpecies vt ab obiecto diſtincta in modo eſſendi, eſt omninò identificata in eſſe repræſentatiuo cum obiecto.

30 Confirmatur Primò. Quia ſi de ratione ſpeciei intelligibilis non eſſet, quòd ſit idem cum obiecto in eſſe repræſentatiuo, ſed quòd ſit vis inſtrumentalis obiecti, ſequeretur quòd diuina eſſentia non eſſet propriè ſpecies intelligibilis, nequè reſpectu ſuæ cognitionis increatæ, nequè cognitionis Beatorum: Hoc ab iſtis aduerſarijs non admittitur. Ergo. Patet ſequela. Quia Deus qua ſpecies eſt, nullius inſtrumentum eſt, ſed omninò ſibi idem.

31 Confirmatur ſecundò. Omne tale per participationem, dicitur tale per hoc quòd parti-

participat id quod eſt tale per eſſentiam: ſed omnis ſpecies ſiue impreſſa, ſiue expreſſa, eſt ſpecies per participationem. Ergo per participationem a ſpecie per eſſentiam quæ eſt diuina eſſentia: ſed ſpecies per eſſentiam qua ſpecies eſt, eſt eiuſdem quidditatis cum obiecto. Ergo ſpecies per participationem eſt etiam eiuſdem quidditatis cum ſuo obiecto, ſemper tamen debita proportionalitate ſeruata.

32 Explicatur vis huius rationis. Quando ab aduerſarijs dicitur quòd ſpecies impreſſa, vel expreſſa eſt inſtrumentum obiecti, taliter quòd in eſſe repræſentatiuo non eſt ipſum obiectum formaliter, duplicem ſenſum habere poteſt. Primus eſt, quòd in eo in quo ab obiecto diſtinguitur, eſt inſtrumentum, ratione ſcilicet, modi eſſendi; & ſic verum eſt, quòd ſpecies impreſſa eſt veluti obiecti inſtrumentum. Quia cum obiectum intra intellectum ſecundùm eſſe ſubſtantiale eſſe non poſſit, eſt in illo mediante aliquo eſſe accidentali, quod quidem tanquam inſtrumentum ſubſtantialis exiſtentiæ ſubrogatur. Secundus verò ſenſus eſt, quòd ſpecies impreſſa vltra illud eſſe entitatiuum, & inhæſiuum eſt obiecti inſtrumentum, etiam quantùm ad rationem formalem ſpeciei; & hoc eſt omninò falſum. Ratione iam dicta. Nam ratio formalis ſpeciei conuenit Deo, & Deus non eſt inſtrumentum, & inſuper vt in vltima confirmatione dicebamus, de ratione formali ſpeciei per eſſentiam eſt, vt ſit ipſummet obiectum. Ergo ſpecies per participationem hanc quoquè rationem formalem quantùm poteſt, participare debet.

33 Probatur deinde noſtrum dictum quo ad ſpecies ſenſibiles, hoc modo. Illa ſpecies ſenſibilis eſt in potentia ſenſitiua externa V.G. viſiua, quę eſt in medio, & in organo: ſed ſpecies rei viſibilis, quæ eſt in medio, & in organo eſt ſimilitudo formalis rei viſæ. Ergo ſpecies rei viſibilis eſt ſimilitudo formalis rei viſæ. Maior patet. Quia ſpecies ſenſibilis V.G. rei viſibilis, cauſatur ab obiecto aliqualiter diſtante à potentia. Vel ab illo ad eam ſine medio peruenit; Vel per medium tranſit. Non primum vt de ſe manifeſtum eſt. Ergo ſecundum. Ergo habemus intentum. Probatur iſta vltima conſequentia. Quia illa ſpecies, quæ paulatim per medium, & organum ad potentiam peruenit, eſt ſimilitudo formalis obiecti. Nam de facto videtur, vt experientia docet, ab obiecto aliqua impreſſio in organo, quæ eſt eiuſdem formalitatis cum obiecto. Videmus enim in oculo videntis, propriam hominis, vel cuiuſcunque obiecti viſi effigiem ſub breuiori quãtitate relucentem. Videatur Durandus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 6. citata, qui quamuis neget in potentia ſenſitiua, & intellectiua ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles; ipſas tamen in medio, in ſpeculo, & in organo admittit, eaſque eſſe formales obiecti ſimilitudines, optimè probat, quidquid Faſolus loco citato dicat. Idem de ſpeciebus in ſpeculo relucentibus efficaciter confirmatur, quod latius cap. ſequenti exagerabimus.

Durand.

Faſolus.

34 Si quis dicat, quod huiuſmodi rei viſibilis ſpecies, non ſunt rationes cognoſcendi, ſed res viſæ.

Contra. Quia huiuſmodi ſpecies vt viſæ, non ſunt rationes cognoſcendi. Quoniam hæ ſpecies dupliciter conſiderari poſſunt. Ex parte videntis ſcilicet, in cuius organo ſubiectantur; Et ex parte videntis cuius aſpectui obijciuntur. Secundo modo, clarum eſt, quòd non ſunt rationes cognoſcendi

35 ſed obiecta viſa. Primo autem modo, cur dum ab organo ad potentiam tranſeunt, rationes cognoſcendi eidem potentiæ eſſe non poſſunt? Niſi dicatur quòd ſpecies quæ ad potentiam tranſeunt, ſunt alterius rationis; quod voluntariè dicitur. Eo quia non poteſt ratio aſſignari quare tales ſpecies in organo relucentes, ſi in potentia ponantur, non ſint rationes videndi.

Si dicatur, quòd ideo huiuſmodi ſpecies non poſſunt eſſe rationes cognoſcendi, quia eo ipſo quòd in potentia ponerentur, viderentur.

36 Contra. Quia de facto experientia conſtat, quòd in organo eſt ſpecies obiecti viſi, quæ eſt formalis ſimilitudo illius, & nihilominus à vidente obiectum, ſpecies nec videtur, nec videri poteſt. Inſuper. Si ſpeculum videret, per imagines, ac formales ſimilitudines impreſſas ab obiectis in ipſo; obiecta quidem videret, ſpecies, & imagines intra ſe exiſtentes non videre. Ergo. &c.

CAPVT QVINTVM.

Probatur tandem ex Scoto contra quoſdam Scotiſtas. Vbi quid de hac re Scotus ſenſerit, enucleatur.

37 QVamuis Vulpes loco citato dicat, Scotum oppoſitæ fuiſſe ſententiæ, verbis ſuperfluis, ac odibilibus vt ſolet, hanc D. Thomę, Thomiſtarumq; ſententiam reprobauerit, ſic loquens. *Dignè non explicatur, vt ſpecies ſit determinatè ſimilitudo formalis obiecti, loco eius ſubſtituta, ſed potiſſimum quia eſt ſimilitudo virtualis illius, ſicut Scotus monet quodlibet. 14. littera duplici E. Eſt enim ſemen obiecti loco eius ſubſtituta*

Vulpes.

Scotus.

Digitized by Google

ſtituta ad efficiendum cum potentia expreſſam ſpeciem ſui obiecti formaliter ipſum declarantem, & exprimentem. Nihilominus ad ſciendum an huius tam prompta locutio in Scoti litteram quadret, videamus Vtrum Scotus loco iam præadducto, ſic apertè
38 pro Vulpis intento loquatur, quemadmodum abſolutè, ac reſolutè refertur.

Scotus. Hæc ſunt Scoti verba. *Ad primum dico quòd nihil ſufficienter continet continentia virtuali ipſam notitiam, niſi contineat obiectum cognoſcibile tāquàm proprium repræſentatiuum eius, ſcilicet formale, vel eius repræſentatiuum virtuale, ſpecies autem propria obiecti, & ſi ſit reſpectu eius diminuta in entitate, tamen continet ipſum primo modo, tanquàm ſcilicet repræſentatum per ipſam formaliter, ſed quando non eſt repræſentatiuum formale obiecti, oportet quòd virtualiter contineat tale repræſentatiuū proprium, & quando eſt repræſentatiuum ſicut obiectum cognitum, tunc oportet quòd contineat aliud obiectum, quòd per ipſum debet cognoſci.*

Vulpes. 39 Hæc ille. Dicat modo Vulpes in quibus iam præcitatis ſubtiliſſimi Scoti verbis, Scotus monet quòd ſpecies ſit ſimilitudo virtualis, non verò formalis obiecti. Imo Scotus ſe apertè declarat, docens, quòd *ſpecies continet continentia virtuali ipſam notitiam*, obiectum verò *tanquàm proprium repræſentatiuum eius formale*; & deinde ſequitur, quòd *ſpecies propria obiecti, & ſi ſit reſpectu eius diminuta in entitate, tamen continet ipſum primo modo, tanquàm ſcilicet repræſentatum per ipſam formaliter*. Quaſi diceret quòd quāuis ſpecies in modo eſſendi quem intra intellectum habet ſit inferior obiecto quo ad modum eſſendi quem habet à parte rei, tamen formaliter loquendo eſt ipſummet obiectum. Vnde eadem quæſt. littera H. §. *Ad ſecundum*, circa medium ſic ait. *Et eſt intelligendum quòd tàm Auguſtinus, quàm Ariſtoteles accipit ſcientiam non pro habitu illo acquiſito ex actibus frequentatis, & facilitante ad ſimiles actus, ſed pro illo per quod obiectum eſt præſens vt actu intelligibile, ſiue ponatur ſpecies intelligibilis ſiuè aliquid aliud.*

40 Hoc autem magis apertè quæſt. 15. littera M. in reſponſione ad 1. magis manifeſtè declarat. Nam tenens quòd obiectum actiuè concurrat ad intellectionem, ſic contra veritatem arguit. *Si dicas quòd illa authoritas 12. ſuper Gen. non affirmat tantùm de anima, ſed etiam negat obiectum agere in animam.* Sic reſpondet. *Ad primum poſſet*

August. *dici quòd Auguſtinus negat ibi obiectum agere in animam, immediatè ſecundùm eſſe materiale quod habet extra animam.* Nota ly, *ſecundùm eſſe materiale*; quoniam accipitur pro vt diſtinguitur contra eſſe formale, quaſi

Scotus. Scotus diceret; obiectum quando non eſt immediatè per ſe ipſum intellectui præſens, ſed per ſpeciem, agit quidem, ſeù producit intellectionem, non ſecundùm eſſe materiale, ſed ſecundùm eſſe formale obiecti, eo quia ſpecies eſt ipſum obiectum, ſeù ſimilitudo formalis illius, non per illud eſſe materiale quod extra intellectum habet, ſed per eſſe formale quod eſt in intellectu ſecundùm alium eſſendi modum.

41 Et littera C. quæſt. 14. ſic ait. *Cognitio diſtincta immediata eſt quando obiectum non mediante aliquo alio obiecto intelligitur, per quod, vel in quo intelligatur, ita quòd hic excluditur medium cognitum, non autem medium quòd eſſet preciſè ratio cognoſcendi, vel intelligendi.* Speciem intelligibilem, rationem intelligendi vocat. Et in Reportationibus concedit ſpeciem rei viſibilis eſſe rationem tendendi ad viſionem, & principium formale.

42 Vbi nota modum loquendi Scoti, pluries ſpeciem impreſſam rationem agendi, ſeu cognoſcendi appellantis, quod ſeruit pro diſp. 23. ad probandum ad mentem Scoti quod ſpecies impreſſa eſt verè forma informans in eſſe ſenſibili, vel intelligibili, aliàs non poſſet abſolutè ratio cognoſcendi, ſeu intelligendi nuncupari; & quando videtur oppoſitum aſſerere, poteſt dici quòd loquitur de ratione agendi quæ potētię intellectiuę, ſeu cognoſcitiuę propriā partialem, ſeù totalem virtutem conferat ad agendum. Seruit quoquè præſenti inſtituto. Quia intelligi nequaquàm poteſt, quomodo ſpecies ſit præciſa ratio cognoſcendi, principium formale, ac formaliter obiecti repræſentatiua, & quod non ſit ſimilitudo formalis illius. Et in 1. diſt. 3. quæſt. 7. §. *Ad rationes alterius opinionis*, ait, *quòd præciſa cauſa cuicumquè potentiæ habendi ſpeciem præſentem repreſentantem obiectum ſuum eſt, quia ipſa eſt cognitiua, & natura dedit ſibi vt poſſit habere obiectum prius naturaliter ſibi præſens quam cognoſcat.*

43 Et in 2. diſt. 3. quæſt. 3. §. *Ad tertium dico*, hæc habet verba. *Imago vno modo accipitur pro ſimilitudine præciſè imitante, ſiuè repræſentante, quia non repræſentat quia cognita, ſed præciſè quia ratio cognoſcendi.*

44 Item in 2. diſt. 3. quæſt. 4. in reportationibus vbi quærit *Vtrum Angelus poſſit habere naturaliter diſtinctam intellectionem Eſſentiæ diuinæ* ſub littera C. ſic ait. *Imago dicitur dupliciter. Vno modo ſicut ſpecies in oculo dicitur imago viſibilis. Alio modo ſicut imago Herculis. Imago primo modo eſt imago, quæ non eſt cognita, ſed tantùm eſt ratio cognoſcendi illius cuius eſt, tamen imago ſecundo modo nunquàm eſt prima ratio cognoſcendi illud cuius eſt.* Et ibidem quæſt. 3. docet quòd Angelus cognoſcit ſe per eſſentiam ſuam tanquàm per rationem intelligendi. Et diſt. 13. littera G. ſic ait, *Tamen hoc nomen intentio æquiuocum, vno modo dicitur actus voluntatis. Secundò, ratio formalis in re, ſicut intentio rei à qua accipitur genus, differt ab inten-*

Digitized by Google

Intentione à qua accipitur differentia . *Tertiò modo*, *dicitur conceptus* . *Quartò*, *ratio tendendi in obiectum*, *ſicut ſimilitudo dicitur ratio tendendi in illud cuius eſt*, *& iſto modo dicitur lumen intentio*, *vel ſpecies lucis* . Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quòd ſecundùm Scotum ſpecies eſt imago obiecti non tanquàm inſtrumentum, ſeù ſemen illius, ſed tanquàm ſimilitudo formalis. Nam eſſentia Angeli eſt ratio cognoſcendi Angelum reſpectu Angeli ſe ipſum cognoſcentis ſecundùm Scotum, non aliter quàm ſpecies intelligibilis, excepta ſola informatione in genere entis, quæ eſt in ſpecie, qua accidens eſt ; & non in eſſentia Angeli . Ergo ſecundùm Scotum ſpecies quatenus eſt ratio cognoſcendi, non eſt inſtrumentum, vel ſemen obiecti.

45 Et in eiſdem Reportationibus in 1. diſt. 3. quæſt. 4. explicans illud Ariſtotelis quomodo anima eſt quodammodo omnia, ſic ait. *Et hoc vult Ariſtoteles 3. de Anima vbi dicit quòd anima eſt quodammodo omnia ſenſibilia per ſenſum, & omnia ſcibilia per intellectum ; ſed habitus ſcientificus derelictus, poſitus ab illis Doctoribus, non eſt ſufficiens, ad hoc quòd anima ſit omnia ſcibilia ſecundùm mentem philoſophi ibi*, *quia ſicut antiqui ponebant*, *quòd anima eſt realiter omnia*, *ſic ponit Philoſophus quòd eſt quodammodo omnia*: *ſed non per illum habitum*. *Igitur per ſpecies* . Nota ly *ſicut antiqui*, &c. *Ita philoſophus*. Nam vt pariformiter

Ariſtot.

46 proportio ſeruetur, iſte debet eſſe ſenſus. Sicut antiqui dicebant quòd realiter in eſſe entitatiuo anima omnium rerum formalitatem habet, ita philoſophus dicit, quòd anima eſt quodammodo omnia formaliter licet non ſecundùm eſſe entitatiuum : Sed non poteſt eſſe formaliter omnia in eſſe repræſentatiuo niſi ſpecies ſit ſimilitudo formalis obiecti. Ergo.

47 Ex quibus omnibus Scoti verbis ſic contra Scotiſtas oppoſitum ſuſtinentes conficio argumentum. Obiectum eſt formaliter potentiæ præſens per ſpeciem quatenus eſt ratio cognoſcendi, & imago obiecti. Ergo in via Scoti ſpecies eſt formalis ſimilitudo obiecti in eſſe repræſentatiuo. Probo conſequentiam. Quia ſi ſpecies eſſet obiecti inſtrumentum, obiectum non formaliter, ſed virtualiter inſtrumentaliter, eſſet potentiæ præſens.

48 Magis vrgeo argumentum, Quia per Scotum duplex eſt imago. Præciſe repræſentans, & ſic eſt ſpecies. & Imitans aliquid quod eſt aliud à ſe. Nota ly, *quod eſt aliud à ſe*. quaſi diceret, quòd prima imago eſt præciſe repræſentans, non vt diſtincta à repræſentato quemadmodum eſt aliud imaginis explicatum genus.

49 Confirmatur. Quia ex doctrina Scoti habetur, quòd ſpecies rei viſibilis eſt omnino eadem cum ſpecie, quæ videtur in ſpeculo V. G. quando Cæſaris aſpectus coram ſpeculo ponitur, Intuens ſpeculum, intuetur etiam ſpeciem faciei Cæſaris in eodem ſpeculo apparentem : ſed imago Cæſaris in ſpeculo eſt ſimilitudo formalis cum facie Cæſaris extra ſpeculum exiſtente. Ergo ſpecies impreſſa rei ſenſibilis, vel intelligibilis eſt ſimilitudo formalis obiecti. Maior eſt Scoti pluribus in locis, & præſertim in 2. diſt. 13. quæſt. 1. ſub littera F. vbi ſic ait. *Reſpondeo ſpecies aliqua intenſa non obſtante quòd ſit intentio, & ſpecies alterius viſibilis, poteſt tamen in ſe eſſe viſibilis*, *ſicut dicit Commentator ſuper de ſenſu, & ſenſato*, *cap. 1. quia quando lumen reflectitur ad virides plantas*, *colorantur parietes*. *Similiter ſpecies non ſunt viſibiles niſi quando terminantur ad opaca*, &c. De qua re plura ſubiungit, & alia exempla refert. Minorem nullus negare poteſt. Nam quoad formam, & rem repræſentatam, talis eſt ac tanta inter rem extra oculum exiſtentem, & ſpeciem in ſpeculo apparentem conuenientia, ac ſimilitudo, vt in nullo alio niſi in ſolo modo eſsendi poſſit aſſignari diſcrimen. Quod ſi quis negare voluerit, non aliter niſi euidenti experientia probatur. Hoc enim patet ad ſenſum. Quòd ſi qui Scotiſtæ Scotum aliter alibi dixiſſe contenderint, ipſi videant, illumquè nè tanquàm ſibi contradicentem arguant, ſuis ſubtilitatibus explicent, & concordent.

Scotus.

CAPVT SEXTVM.

Argumenta in contrarium proponuntur, & eliduntur.

50 Contra iſtam determinationem obijcies primò. Diuus Thomas de verit. quæſt. 8. ar. 11. ad 3. ſic ait. *Conſtat enim quòd forma lapidis in anima eſt longè alterius naturæ quàm forma lapidis in materia*. Ergo contra doctrinam D. Thomæ dicitur, quòd ſpecies eſt ſimilitudo formalis obiecti, & quòd eſt ipſum obiectum vt potentiæ vnitum, ſeù eiuſdem quidditatis cum obiecto.

D.Thom.

51 Reſpondetur explicando D.Thomam, de ſpecie qua accidens eſt, ſeù materialiter ſumpta : non verò de ſpecie qua ſpecies eſt, ſeù materialiter accepta. Videatur Ferrarienſis 2. cont. gent. cap. 98.

Digitized by Google

Obijcies Secundò. à D.Thoma, & à multis nobiſcum ſentientibus, ſpecies ſemen obiecti nuncupari ſolet. Ergo ſpecies non eſt formalis ſimilitudo obiecti.

52 Reſpondetur explicando antecedens. Species, &c. nuncupatur ſemen obiecti, ratione modi eſſendi diſtincti ab eo qui rei repræſentatæ extra potentiam cognitiuam conuenit, concedo antecedens. Ratione formæ ſignificatæ, nego antecedens.

Obijcies Tertiò. Species ponitur loco obiecti. Ergo diſtinguitur ab obiecto.

53 Reſpondetur negando antecedens in ſermonis rigore ſiſtendo. Etenim ſpecies propriè loquendo eſt ipſummet obiectum vt potentiæ vnitum, tanquàm ratio cognoſcendi, ac repræſentandi: quando autem ſupra aliquoties diximus, ſpeciem poni loco obiecti, non abſolutè affirmauimus, ſed ad hominem arguendo contra Faſolum,& alios. Et inſuper qualiter dici poſſit, & ſoleat, explicauimus ſub numero 24. 25, & 26.

54 Obijcies Quartò. Si ſpecies eſſet eiuſdem quidditatis cum obiecto, eſſet vera iſta propoſitio; ſpecies intelligibilis hominis eſt animal rationale: Hoc eſt falſum. Ergo; ſequela patet. Quia hominis quidditas eſt quòd ſit animal rationale. Probatur autem minor. Quia ſpecies intelligibilis non ratiocinatur, nec ratiocinari poteſt. Ergo non eſt animal rationale.

55 Reſpondetur ad hoc friuolum argumentum, diſtinguendo ſequelam. Si ſpecies, &c. Eſſet vera iſta propoſitio, ſpecies intelligibilis hominis eſt animal rationale, tanquàm ratio cognoſcendi, ſeù vt potentiæ cognoſcitiuæ vnitum, concedo ſequelam. Non item, nego ſequelam. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

56 Obijcies quintò: Si ſpecies eſſet eiuſdem quidditatis cum obiecto, non eſſet id quo obiectum videtur, ſed ipſum obiectum quod cognoſcitur: Hoc autem eſt falſum, & contra Sanctum Thomam infra quæſt. 85. art. 2. Ergo. Probatur ſequela ex identitate in ratione formali inter ſpeciem, & obiectum.

57 Reſpondetur negando ſequelam; & ratio negationis eſt, quia quando dicitur quòd ſpecies eſt idem cum obiecto, explicatur eiuſdem rei identitas, necnon diuerſa rei eiuſdem officia declarantur. Nam quando deinde dicitur, quòd ſpecies eſt ratio cognoſcendi obiectum, ſic intelligitur; Obiectum vt potentiæ in actu primo vnitum in ratione formæ intelligibilis, & in ratione comprincipij intellectionis ſui, eſt ratio cognoſcendi ſe ipſum. Quando autem dici ſolet, quòd ſpecies intelligibilis ab intellectu reflexè cognoſcitur; Senſus eſt, quòd idem obiectum potentiæ vnitum, tanquàm ratio cognoſcendi, non eſt per ſe primò cognitum, ſed reflexè cognoſcitur.

58 Obijcies Sextò contra ſpeciem expreſſam, ſeu verbum; Quia D. Thomas de verit. quæſt. 4. art. 4. ad 2. ſic ait. *Non exigitur ad veritatem verbi, ſimilitudo ad rem, quæ per verbum dicitur, ſecundùm conformitatem naturæ, ſed ſecundum repræſentationem.* Ergo verbum non eſt ſimilitudo formalis obiecti. D.Thom.

Hunc D. Thomæ locum pro ſe adducit Faſolus tom. 3. quæſt. 27. dub. 13. num. 247. Faſolus.

59 Sed Reſpondetur explicando authoritatem D.Thomæ. *Non exigitur ad veritatem verbi*, exigitur tamen ad rationem proprij verbi, ſimilitudo ad rem, concedo. *Non exigitur ad veritatem verbi*, neque exigitur ad rationem proprij verbi, ſimilitudo ad rem, nego. D.Thomas autem de verbo locutus eſt primo modo, non autem ſecundo.

60 Explicatur iſta reſponſio. D. Thomas in præallegato articulo quærit. *Num Pater dicat omnem creaturam*; & Reſpondet affirmatiuè dicens, quòd, *Oportet quòd quicquid in ſcientia Patris continetur, totum hoc per Vnum ipſius Verbum exprimatur*. Et quia contra hanc ſolidam veritatem, ſecundum propoſuerat argumentum, quod eſt tale. *Verbum quo Vnumquod dicitur eſt ſimilitudo illius: ſed Verbum non poteſt dici ſimilitudo creaturæ, vt Anſelmus probat in monolog. Quia vel Verbum perfectè conueniret cum creaturis; & ſic eſſet mutabile, ſicut & creaturæ, & periret in eo ſumma immutabilitas. Vel non ſummè conueniret, & ſic non eſſet in eo ſumma veritas. Quia ſimilitudo tantò verior eſt, quantò magis conuenit cum eo, cuius eſt ſimilitudo. Ergo Filius non eſt Verbum quò creatura dicitur.* Cui argumento reſpondens poſt multa ſic ait. *Nec tamen ſequitur*
61 *quòd in Verbo non ſit ſumma veritas, quia eſt immutabile, creaturis exiſtentibus mutabilibus. Quia non exigitur ad veritatem verbi ſimilitudo ad rem, quæ per Verbum dicitur, ſecundùm conformitatem naturæ, ſed ſecundùm repræſentationem.* Hæc D.Thomas. Vbi lõquitur de Verbo diuino & dicit, & optimè, quòd Verbum diuinum, licet non ſit ſimile creaturis ſecundùm conformitatem naturæ, creaturas tamen verè repræſentat ſicuti ſunt, Verbum enim tunc verum eſt, quando res ſicuti ſunt, repræſentat. Loquendo autem de proprio alicuius rei verbo, dicendum eſt, quòd debet eſſe ſimile rei ſecundùm conformitatem naturæ ad minus quo ad formam ſignificatam, vt planè D.Thomas loquitur quæſt. 27. art. ſecundo ſuper quam Faſolus actualiter laborabat. Vbi probat, Verbum diuinum procedere vt ſimile naturæ diuinæ, *quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ.*

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO XXVIII.

VTRVM SECVNDA RATIO D. THOMÆ ſit efficax ad probandum ſuprapoſitæ Concluſionis intentum.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT PRIMVM.

Veritas ſtabilitur, declaratur, & roboratur, & ab aduerſariorum calumnijs liberatur.

1 QVI primam D. Thomæ rationem impugnant, ſecundæ quoquè non deſinunt aduerſari; Et ſunt quos diſp. 25, & 26. retulimus.

Pro determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Secunda ratio D. Thomæ efficaciter probat impoſſibilitatem ſpeciei impreſſæ intuitiuè repræſentantis Deum.

Probatur. Quia hæc eſt ſecunda ratio D. Thomæ. *Eſſentia Dei eſt ipſum eſſe eius; quod nulli formæ creatæ competere poteſt. Non poteſt igitur aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repræſentans, videnti Dei eſſentiam*: ſed hæc ratio eſt efficax. Ergo.

2 Reſpondent aliqui inter quos eſt Suarez lib. 2. de attrib. negat. cap. 13. num. 19. his verbis. *Rem, quæ eſt ſuum eſſe per eſſentiam, repræſentari poſſe per formam, quæ in ratione entis non habeat eſſentialiter exiſtere. Aliud enim eſt eſſe ſuum eſſe: aliud repræſentare, vt patet apertè in ipſa viſione beata, quæ non eſſentialiter exiſtit, & tamen repræſentat eam.* Suarez.

3 Reſpondent alij, concedendo aſſumptum, & diſtinguendo conſequens. Ergo non poteſt aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repræſentans eſſentiam Dei, vt medium cognitum, concedunt conſequentiam. Vt medium incognitum, ſeù vt ratione incognoſcendi, negant conſequentiam.

4 Vtraquè autem reſponſio ex ijs quæ ſupradiximus de facili eradicatur, & impugnatur. Vnde contra vtramquè reſponſionem argumentor primò. Quia ſpecies eſt ſimilitudo formalis obiecti, vt diſputatione præcedenti probauimus: ſed nulla forma creata poteſt eſſe ſimilitudo formalis eius, quod eſt ipſum eſſe per eſſentiam. Ergo nulla forma creata poteſt eſſe repræſentatiua Dei, qui eſt ipſum eſſe per eſſentiam; & conſequenter nequè etiam viſio beata poteſt eſſe Deitatis repræſentatiua.

5 Secundò. Hæc ſecunda ratio D. Thomæ eſt adeo efficax, vt gratis aduerſarijs admiſſo, quòd ſpecies non ſit formalis ſimilitudo obiecti, adhuc demonſtraret intentum, & ſic argumentor. Forma, quæ non eſt ſuum eſſe, ſeù non eſt ipſum eſſe per eſſentiam, non poteſt eſſe ratio eſſendi in aliquo genere, ei quod eſt ipſum eſſe per eſſentiam: ſed Deus eſt ipſum eſſe per eſſẽtiam. Ergo per nullam formam creatam poteſt in aliquo eſſe conſtitui. Ergo eſt omninò impoſſibilis ſpecies creata Deum intuitiuè repræſentans. Maior eſt omnibus manifeſta. Nam quod eſt ipſum eſſe per eſſentiam, eſt aliorum eſſe cauſa, & non ab alio eſſe cauſatur. Minor à nullo negatur, & prima conſequentia eſt euidens. Vltima igitur cõſequẽtia probatur. Quia ſi daretur ſpecies creata repræſentans Deum qui eſt ipſum eſſe per eſſentiam, eſſet vtiquè ratio eſſendi Deo in ratione intelligibilis. Nam de ratione ſpeciei intelligibilis eſt conſtituere obiectum, vt actu intelligibile ab aliqua potentia: hoc autem ipſi eſſe per eſſentiam per aliquam ſpeciem creatam omnino repugnat. Ergo.

6 Huius rationis efficacitas explicatur. Communiter Thomiſtæ rationum D. Thomæ efficaciam ſuper hanc veritatem fundant; quia videlicet, ſpecies eſt ſimilitudo formalis obiecti, ſeù eiuſdem quidditatis, imo ipſa obiecti quidditas. Vnde quia im-

plicat quòd aliqua forma creata ſit eiuſdem quidditatis cum eſſe per eſſentiam; ideo ratio D. Thomæ fundata ſuper hoc, quòd Deus eſt ipsū eſſe, extimatur efficax, & ita res ſe habet. Nihilominus, dato, & non conceſſo, quòd ſpecies non eſt ipſum obiectum, neque ſimilitudo formalis obiecti, præſens ratio conuincit aduerſarios, per hoc quòd de ratione ſpeciei intelligibilis eſt, vnire obiectum potentiæ, illudquè facere actu intelligibile; ſeu illud in aliquo eſſe conſtituere. Et ſenſus eſt, quòd obiectum quod prius propter modum eſſendi materialem, vel immaterialem ſeu limitatum, & finitum, ratione cuius non poteſt vniri alienis intellectibus, vnitur, & cōſtituitur per ſpeciem in eſſe intelligibili. Et quia Deus eſt ipſum eſſe ſuum, ſeù eſſe per eſſentiam, & conſequenter pelagus totius eſſe creati in omni genere; idcirco implicat vt aliqua forma creata ſit illi ratio eſſendi, etiam in eſſe intelligibili.

7 Si dicatur, quòd per ſpeciem intelligibilem Deus conſtituetur in aliquo eſſe, non aliquod eſſe intrinſecè accipiens, ſed dumtaxat extrinſecè: quod tamen Deo non repugnat. Nam Deus de facto dicitur cognitus, & amatus à creatura, per cognitionem, ac dilectionem creatam. Ergo ſimiliter poteſt dici repræſentatus, & conſtitui in aliquo eſſe per extrinſecam denominationem.

8 Contra. Quia quamuis Deum intellectui de facto repræſentari, non ſit aliquid ſibi intrinſecum de nouo aduenĩens, tamen per aliquid aliud à Deo intellectui creato repræſentari tanquàm per ſpeciem, ſeù per rationem repræſentandi, magnam, atquè intrinſecam illi imperfectionem arguit; Quia nimirum, ſequeretur quòd non eſſet ipſum eſſe per eſſentiam. Eo quia aliquid aliud ab ipſo, eſſet ipſi ratio eſſendi in intellectu, quod eſt falſum. Vnde patet paritatis ab aduerſarijs ſæpiùs inculcatæ nullitas, & impugnatio; quatenus dicunt, quòd ſicut non repugnat dari viſionem creatam, quæ eſt ens per participationem, & reſpiciat Deum qui eſt ipſum eſſe per eſſentiam, ita quoquè non repugnat ſpecies creata quæ repræſentet ip-
9 ſum eſſe per eſſentiam. Nam aliud eſt dicere, non repugnat aliquod creatum attingens ipſum eſſe per eſſentiam, Et aliud eſt dicere, non repugnat aliquod creatum repræſentans ipſum eſſe per eſſentiam. Primum enim verum eſt. Quia ſe tenet ex parte potentiæ. Secundum verò nequaquàm. Quia ſpecies ſe tenet ex parte obiecti. Quapropter ſicut viſio, & lumen eſt ratio agendi ipſi potentiæ, ita ſpecies eſt obiecto ratio obiectiuè eſſendi intellectui. Non implicat, imo eſt neceſſarium, vt aliquod creatum ſit potentiæ ratio agendi & attingendi ipſum eſſe per eſſentiam: implicat autem vt ipſi eſſe increato, & per eſſentiam, aliquod creatum in aliquo genere ſit ratio eſſendi.

10 His tandem adde quæ ſupra diſp. 25. cap. 4. diximus. Quia nimirum implicat dari aliquod creatum loco Dei, & quòd Deus in illius muneris exercitio, nullo modo concurrat. Ergo implicat quoquè, quòd forma, ſeu ſpecies per participationem, faciat id quod eſt connaturale formæ, ſeu ſpeciei per eſſentiam, abſquè concurſu eiuſdem formæ, ſeu ſpeciei per eſſentiam: Sed repræſentare id quod eſt ſuum eſſe, eſt proprium munus ſpeciei, quæ eſt ſuum eſſe. Ergo implicat vt forma per participationem ſit ſpecies eius quod eſt ipſum eſſe per eſſentiam.

11 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Non requiritur tanta perfectio in ſpecie, etiam in eſſe repræſentatiuo, ſecundùm rationem formalem ſpeciei. Ergo falſum eſt quòd ſpecies impreſſa ſi repræſentaret Deum, qui eſt ſuum eſſe, deberet etiam & ipſa eſſe ſuum eſſe. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Quia ſpecies V. G. repræſentatiua animalis vt ſic, non repræſentat omnes animalis differentias. Ergo non debet eſſe tanta perfectio in ſpecie impreſſa, etiam in eſſe repræſentatiuo, quanta eſt in obiecto repræſentato.

12 Hoc argumentum quidam decepti fuiſſe videntur, ſed Thomiſticam doctrinam defendentes de facili ſoluunt. Etenim aliud eſt dicere, quòd ſpecies alicuius obiecti in ratione obiecti, non habet in eſſe repræſentatiuo totum quod eſt in obiecto in ratione obiecti: & aliud eſt dicere, quòd ſpecies non habet totum quod eſt in obiecto in ratione rei. Nos primum dicimus, non ſecundùm: argumentum autem non procedit contra primum, ſed contra ſecundum. Vnde in forma.

Reſpondetur negando antecedens. Nam cum ſpecies ſit ipſum obiectum in eſſe repræſentatiuo, in terminis implicat dicere, aliquam perfectionem, ſeu aliquod prædicatum conuenire obiecto, quod non conueniat ſpeciei. Ad cuius probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ratio autem negationis eſt, quia in caſu argumenti, animal vt præſcindens à differentijs eſt obiectum, non quatenus ad differentias ſe extendit, ac deſcendit.

13 Obijcies Secundò. Quod eſt accidens, non poteſt eſſe ſuum eſſe: ſed huiuſmodi ſpecies ſi daretur, eſſet accidens. Ergo non deberet eſſe ſuum eſſe.

Quamuis reſpectu ſubſtantiæ creatæ, ſpecies impreſſa ſit accidens in eſſe entitatiuo, & ſubſtantia in eſſe repræſentatiuo, tamen reſpectu Dei, implicat vt detur ſpecies quę

ſit

ſit ſuum eſſe in eſſe repræſentatiuo, & eſſe receptum in eſſe entitatiuo, ſeu accidens. Eo quia implicat, quòd eſt ſuum eſſe, & actus purus in vno ordine, ſit in alio ordine potentiale. quandoquidem purus actus non identificat ſibi eſſe potentiale.

14 Reſpondetur itaquè in forma, concedendo maiorem, & negando minorem, ſeu diſtinguendo minorem. Eſſet accidens in eſſe entitatiuo, & ſuum eſſe in eſſe repræſentatiuo, concedo. Eſſet accidens in eſſe entitatiuo, & etiam in eſſe repræſentatiuo, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ratio autem D. Thomæ concludit de ſpecie ſecundùm eſſe repræſentatiuum, quòd non poſſit eſſe ſuum eſſe. Eo quòd implicat aliquod creatum, eſſe ſuum eſſe in aliquo ordine. Præterquamquòd ſequeretur, quòd eſſet quoquè ſuum eſſe in eſſe entitatiuo. Vnde.

15 Reſpondetur Secundò. Concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: Sed huiuſmodi ſpecies ſi daretur, eſſet, & non eſſet accidens, concedo minorem. Eſſet tantùm accidens, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. eſſet enim accidens, vt ſupponitur; non eſſet accidens, quia in eſſe repræſentatiuo eſt ſuum eſſe.

DISPVTATIO XXIX.

VTRVM TERTIA RATIO D. THOMÆ ſit efficax ad probandum eiuſdem ſpeciei impreſſæ impoſſibilitatem.

Per Vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Ponitur tertia ratio D. Thomæ, & defenditur.

1 Dico breuiter. Tertia ratio, quam in huius articuli corpore D. Thomas affert, efficaciter probat impoſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam creatam, Deum intuitiuè repræſentantem.

D. Thom. Probatur. Quia hæc eſt ratio. *Diuina Eſſentia eſt aliquid incircumſcriptum continens in ſe ſuper eminenter quidquid poteſt ſignificari, vel intelligi ab intellectu creato: & hoc nullo modo per aliquam ſpeciem creatam repræſentari poteſt. Quia omnis forma creata eſt determinata ſecundùm aliquam rationem, vel ſapientiæ, vel virtutis, vel ipſius eſſe alicuius huiuſmodi:* ſed hæc ratio efficaciter probat intentum. Ergo. Probatur minor. Quia quælibet forma creata eſt ramuſculus (vt ita loquar) alicuius prædicati diuini: ſed Deus eſt totius perfectionis pelagus ſuper eminenter continens, quidquid intelligi, vel ſignificari poteſt. Ergo ratio D. Thomæ probat intentum. Aſſumptum patet. Conſequentia verò probatur. Quia repræſentans id quod eſt totius perfectionis pelagus, ex ſui natura debet eſſe incircumſcriptum, & illimitatum in eſſe intelligibili, ſeu repræſentatiuo. Ergo quia hoc repugnat formæ creatæ, euidenter ſequitur nullam formam creatam poſſe repræſentare Deum vt eſt in ſe.

2 Hæc ratio eoſdem habet aduerſarios, quos duæ præcedentes. Verumtamen eſt efficax, & in eodem firmamento fundata. Supponimus enim quòd ſpecies ſit ſimilitudo formalis obiecti; & conſequenter quòd forma, ſeu ſpecies repræſentans diuinam eſſentiam quatenus eſt aliquod incircumſcriptum continens in ſe omnia ſupereminenter, & ipſa quoquè ſpecies debet eſſe aliquod incircumſcriptum, omnia continens, &c. in eſſe repræſentatiuo.

3 Sed dato, & non conceſſo aduerſarijs, quòd ſpecies non ſit ſimilitudo formalis obiecti, adhuc hæc ratio D. Thomæ efficaciter probaret intentum, & poteſt ſub hac D. Thom.

forma

Digitized by Google

forma proponi. Nullum creatum, circumſcriptum, & contentum, ac limitatum, poteſt continere incircumſcriptum, illimitatum, & quod quidquid ſignificari, vel intelligi poteſt, continet eminenter: ſed quęlibet ſpecies creata eſt finita, contenta à Deo, circumſcripta, & limitata. Ergo nulla ſpecies creata poteſt clarè repræſentare Deum. Probatur maior. Quia ſpecies repræſentans obiectum debet illud continere: Sed nullum creatum, &c. poteſt continere incircumſcriptum, illimitatum, &c. Ergo.

Si dicatur, quòd ſpecies creata cōtinet Deum tanquàm inſtrumentum illius.

4 Contra. Quia manifeſtam contradictionem implicat, quòd aliquod creatum contineat ipſum Deum, licet aliquod creatum poſſit eſſe inſtrumentum Dei ad aliquod producendum. Ergo. Explicatur, ſimul & probatur antecedens. Aliud eſt dicere, quòd aliquod creatum continet Deum. Et aliud eſt dicere, quòd aliquod creatum concurrit vt inſtrumentum Dei ad aliquod producendum. Hoc ſecundum non eſt impoſſibile, ſed verum. Primum autem eſt omninò impoſſibile. Quia continens omne eſſe, à nullo tali eſſe contento, contineri poteſt. Ergo cum ſpecies ſit contenta à Deo, ipſum continere non poteſt. Sed qua ſpecies eſt continere deberet. Ergo.

5 Si dicatur quòd Viſio clara Dei eſt aliquod creatum, & tamen continet Deum.

Hoc eſt omninò falſum, nempè quòd viſio clara Dei contineat Deum, nam viſio clara Dei, eſt attingentia Dei continentis ipſam, non autem continens Deum.

6 Si dicatur quòd ſpecies cōtineret Deum inſtrumentaliter, non principaliter. Non quidem effectiuè, ſed repræſentatiuè, & ſi effectiuè non in ordine ad Deum, ſed in ordine ad viſionem.

Contra, & probo quòd neque etiam in ordine ad viſionem. Quia impoſſibile eſt, vt inſtrumentum concurrat effectiuè ad aliquam operationem, & quòd Deus qua cauſa principalis eſt nihil omnino agat: ſed Deus qua ſpecies intelligibilis reſpectu ſui eſt, per aduerſarios dicitur cauſa, ſeù ſpecies principalis, Species autem creata dicitur cauſa inſtrumentalis. Ergo impoſſibile eſt, vt Deus nihil omninò agat in ratione ſpeciei, ſi aliàs ſpecies creata admitteretur. Quod tamen aduerſarij non admittunt. Dicunt enim, quòd Deus nihil omnino in ratione ſpeciei intelligibilis ageret.

7 Si dicatur quòd ſufficit vt inſtrumentum agat tanquàm virtus cauſæ principalis.

Contra. Quia licet in agentibus creatis id contingere poſſit, & de facto proprias non producāt operationes immediatè per ſuam eſſentiam, ſed per ſolam potentiæ operationem agant. Hoc tamen eſt propter agentis creati imperfectionem, non valentis immediatè per ſe ipſum agere. Tamen ſi inſtrumentum Dei ageret, Deo nihil agente qua cauſa principalis eſt, non modica eſſet in eo imperfectio.

8 Implicat quoquè aliquod creatum ſecundùm aliquod eſſe, continere Deum. Eo quia, ea ratione qua Deus contineretur in aliquo eſſe, ab aliquo creato conſtitueretur; quod eſt contra rationem entis incircumſcripti, illimitati, & quidquid ſignificari, aut intelligi poteſt eminentiſſimè continentis. Ex quo patet, quòd quando ex creaturarum cognitione in Dei cognitionem abſtractiuam deuenimus iuxta illud Apoſtoli *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, &c.* Creaturæ non dicuntur continere Deum, nec ſunt propria ratio ipſum cognoſcendi. Rom. 1.

DISPVTA-

DISPVTATIO XXXI.

VTRVM PER POTENTIAM DEI ABSOLVTAM BEATVS abſque omni ſpecie tam creata, quàm increata, poſſit videre Deum.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, adducuntur opiniones, & reſoluitur diſputatio.

1 NON quærimus in præſenti Vtrum obiectum Beatificum poſſit concurrere in ratione ſpeciei ad viſionem, abſquè eo quòd ſit intellectui Beato vnitum prius natura, quàm concurrat ad viſionem; ſed vtrum ad minus per potentiam Dei abſolutam fieri poſſit, vt Beatus abſquè alicuius ſpeciei creatæ, vel increatæ interuentu, Deum videat. Quod de quacunque alia cognitione pariter intelligitur.

Molina. Peſántius. Suarez. 2 Partem defendunt affirmatiuam, Molina hic, diſp. 2. §. *licet autem*, Peſantius in ſuo Comment. & Suarez lib. 2. de attribut. negatiuis cap. 12. num. 19. per hæc verba. *Alij ergo concedunt, Deum per ſe efficere huiuſmodi actum, non tamen immediatè per ſubſtantiam ſuam tanquàm obiectum actu intelligibile, ſed per voluntatem, per infinitam potentiam qua operatur alios effectus. Sed licet verum ſit, Deum poſſe hoc modo ſupplere efficientiam obiecti non ſolùm in intellectu reſpectu viſionis ſuæ, ſed etiam reſpectu aliorum obiectorum, imo etiam in ſenſibus*, &c.

Nazarius. Conzal. 3 Negatiuam verò partem amplectuntur, Nazarius hic, controu. 4. Conzalez diſp. 25. ſect. 5. num. 74. Vnde pro determinatione veritatis.

Dico Primò. Nequè etiam per Dei potentiam abſolutam intellectus creatus poteſt videre Deum abſquè omni ſpecie. Idem dico de omni alia intellectione cuiuſcunquè obiecti creati.

Hoc dictum eſt D. Thomæ, idquè adeo certum eſt, vt Conzalez qui ſupra ſic dixerit, Cõzalez. *Quantùm horum Authorum ſententia diſtat à D. Thoma hîc, & quæſt. 14. ſequenti ar. 1. tantùm diſtat à veritate.*

4 Probatur igitur D. Thomæ teſtimonijs. Nam 1. cont. gent. cap. 53. hæc habet verba. *Res exterior intellecta à nobis in intellectu noſtro non exiſtit ſecundùm propriam naturam, ſed oportet quòd ſpecies eius ſit in intellectu noſtro, per quam fit intellectus in actu: exiſtens autem in actu per huiuſmodi ſpeciem, ſicut per propriam formam intelligit rem ipſam.*

Et ibidem ait, *ſpeciem intelligibilem oportet conſiderari vt intelligibilis operationis principium.*

5 Et in 1. cont. gent. cap. 46. probat Deũ intelligere ſe per ſuam eſſentiam tanquàm per ſpeciem intelligibilem. Et in 3. cont. gent. cap. 51. Vbi quærens. *Quomodo Deus per eſſentiam videatur*, ſic ait. *Cum autem intellectus ſubſtantiam aliquam intelligere non poſſit niſi fiat actu ſecundùm aliquam ſpeciem informantem ipſum, quæ ſit ſimilitudo rei intellectæ*, &c. Et poſtea concludit, quòd diuina eſſentia eſt ſpecies, ſeù forma intelligibilis intellectus creati Deum videntis. In quibus locis obſerua ly *oportet*, & ly *intelligere non poſſit*, &c. Quia quamuis D. Thomas de potentia Dei abſoluta non loquatur in titulo, tamen quando abſolutè dicit oportere ſic fieri, & non poſſe aliter fieri interpretari ſolet, etiam per ordinem ad potentiam Dei abſolutam. Et tunc præcipuè, quando rationes ad impoſſibile ducunt.

Quibus D. Thomæ verbis præſuppoſitis ſic ratio formatur, & in ordine præcedens dictum.

6 Probatur Secundò. Nullum poteſt agere, ſeù aliquam actionem ſibi propriam producere, tanquàm proprium illius actionis principium, niſi per formam fuerit conſtitutum in actu: ſed intellectus reſpectu talis, vel talis intellectionis abſquè ſpecie

Digitized by Google

ſpecie impreſſa, vel aliquo gerente vicem illius, non eſt conſtitutus in actu. Ergo,&c. Maior patet. Quia vnumquodquè in tantùm operatur in quantùm eſt in actu, taliter quòd oppoſitum dicere, inuoluit contradictionem apertam. Probatur minor. Quia intellectus abſquè ſpecie intelligibili eſt in potentia ad obiectum intelligendum. Alias rationes in Nazario, loco citato require.

8 Dico Secundò. Suppoſita vnione obiecti cum potentia cognoſcitiua, poteſt Deus efficientiam obiecti impedire, & libera voluntate efficientiam obiecti per ſuam potentiam operatiuam ſupplere.

Hoc dictum, & nil aliud aduerſariorum probant argumenta.

8 Probatur igitur hoc modo. Deus poteſt ſupplere cuiuſcunquè effectiuè agentis efficientiam, ea ratione qua pura efficientia eſt: ſed ſuppoſita vnione obiecti cum potentia, nil aliud ſequitur niſi comprincipiare cognitionem, quod dicit puram efficientiam. Ergo poteſt à Deo ſuppleri.

Dixi puram efficientiam à Deo ſuppleri poſſe, cuiuſmodi eſt efficientia obiecti reſpectu cognitionis; Quoniam efficientia potentiæ vitalis, non eſt pura efficientia, vt infra oſtendemus.

CAPVT SECVNDVM.

Argumenta in contrarium eliduntur.

9 Sed contra hanc determinationem obijciet aliquis primò contra primũ dictũ. Intellectus non fit in actu per ſpeciem, ſeù per obiectum. Ergo nullum prioris dicti fundamentum. Probatur antecedens. Quia intellectus fit in actu per virtutem, ſeù per lumen intellectuale. Ergo non per ſpeciem ſeù per obiectum.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Intellectus non fit in actu per ſpeciem, ſeù per obiectum, quo ad intrinſecam virtutem agendi, concedo antecedens. Non fit in actu per ſpeciem, quo ad intrinſecam rationem paſſiuè terminandi, ad cognoſcendum tale obiectum, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Intellectus fit in actu per virtutem, ſeù per lumen intellectuale, quo ad intrinſecam virtutem agendi, concedo antecedens. Quo ad rationem intrinſecam paſſiuæ terminationis ad tale, & non ad aliud obiectum cognoſcendum, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam.

10 Obijcies Secundò, & argumentum contra reſponſionem militat. Vnio obiecti cum potentia eſt neceſſaria vt potentia ſit in actu determinata ad tale obiectum cognoſcendum: ſed hoc non fit neceſſariò per ſpeciem, nec per ipſum obiectum immediatè per ſe ipſum potentiæ vnitum. Ergo remanet ſola neceſſitas concurſus effectiui: ſed Deus omnem effectiuum concurſum ſupplere poteſt. Ergo,&c. Maior patet. Probatur minor. Quia potentia creata determinatur à cauſa prima per phyſicam prædeterminationem. Ergo abſquè vnione obiecti cum potentia, potentia eſt per aliud determinata ad talis obiecti cognitionem.

11 Reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Potentia creata determinaretur à cauſa prima per phyſicam prædeterminationem, determinatione effectiua, & quo ad actum ſecundum, concedo antecedens. Determinatione formali, & quo ad actum primum, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam. Intellectus enim, voluntas, & quælibet potentia, dum præmouetur à Deo ad actum operandi, præſupponitur cum omnibus prærequiſitis ad actum primum, taliter, quòd voluntas creata quando ad hoc, vel ad illud bonum operandum à Deo efficaciter præmouetur, neceſsè eſt, vt in ſe præhabeat poſſe, & vt per intellectum ei oſtendatur obiectum. Quare, &c.

12 Obijcies Tertiò ex Suarez loco citato. *Deus vt prima cauſa poteſt ſupplere efficientias cauſarum ſecundarum, vbi non inuoluitur ſpecialis repugnantia, quæ hic nulla apparet*, ſed concurſus obiectiuus eſt concurſus effectiuus. Ergo à Deo ſuppleri poteſt. Suarez.

13 Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Hic nulla apparet, ratione concurſus effectiui, concedo minorem. Ratione concurſus formalis, qui præſupponitur concurſui effectiuo, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam. Ad ſubſumptionem verò minoris, dico concurſum ſpeciei, vel obiecti immediatè per ſe ipſum, non eſſe merè effectiuum, ſed formalem, & effectiuum; prius formalem, deinde effectiuum. Quare qua formalis eſt, à Deo ſuppleri non poteſt, qua effectiuus ſuppleri poteſt. Vnde argumentum noſtram ſecundam probat concluſionem.

14 Dicet aliquis. Si Deus concurſum formalem obiecti ſupplere non poteſt, quomodo effectiuum eiuſdem ſuppleri continget, cum concurſus effectiuus obiecti ſit neceſſariò ab ipſo mediante informatione in eſſe intelligibili procedens?

15 Reſpondetur quòd hoc de facili explicatur, ſi ad Thomiſticam doctrinam attendamus. Docent enim Thomiſtæ cum

Diuo Thoma, & benè, quòd materia prima neque etiam per Dei potentiam abſolutam poteſt ſine forma exiſtere. Docent etiam quòd ſuppoſita forma in materia diuinitus fieri poteſt, vt materia exiſtat, & ſubſiſtat, ſine exiſtentia, & ſubſiſtentia formæ. Eo quia licet forma non poſſit exiſtentiam, & ſubſiſtentiam communicare materiæ, & compoſito, niſi per informationem; poteſt tamen à ſolo Deo tam exiſtentia, quàm ſubſiſtentia effectiuè cauſari; dummodo materia ſit per formam ad eſſe eſſentiale actuale determinata. Ita quoque in præſenti dicimus, quòd poteſt quidem Deus concurſum effectiuum obiecti, ſe ſolo conferre; Suppoſito tamen quòd intellectus ſit per obiectum informatus, atquè determinatus. Quia ſuppoſita vnione obiecti cum potentia poteſt Deus eiuſdem obiecti efficientiam impedire, & per ſe ipſum, ſeù ſe ſolo effectiuè concurrere. Quemadmodum ſuppoſita forma in materia, poteſt exiſtentiam, & ſubſiſtentiam propriam ab ipſa forma manantem impedire, & ſe ſolo naturam illam reddere ſubſiſtentem, & exiſtentem.

16 Videatur D. Thomas hic in principio corporis vbi ait *quòd ad viſionem tàm ſenſibilem, quàm intellectualem duo requiruntur, ſcilicet virtus viſiua, & vnio rei viſæ cum viſu*. Vbi ex modo loquendi apparet, vnionem obiecti cum potentia eſſe eſſentialiter requiſitam. D.Thom.

DISPVTATIO XXXI.

VTRVM ESSENTIA DIVINA POSSIT IMMEDIATE per ſe ipſam intellectui creato vniri per modum ſpeciei ad repræſentandum aliquod obiectum creatum, non repræſentando ſe ipſam,

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, opiniones referuntur, & reſoluitur controuerſia.

1 CVrioſa eſt præſens diſputatio. Quæritur enim Vtrum diuina Eſſentia poſſit immediatè per ſe ipſam alicui intellectui creato vniri ad repræſentandum aliquod obiectum creatum, non repræſentando ſe ipſam illi, ſed illud creatum obiectum duntaxat, ſupplendo vicem ſpeciei illius obiecti creati, ita vt ſe habeat loco ſpeciei creatæ tantummodo. V.G. Vtrum poſſit vniri intellectui hominis ad repræſentandum Leonem, non ei repræſentando ſuæ diuinitatis Maieſtatem; Et hoc non ſolùm quærimus reſpectu intellectus, verùm etiam reſpectu ſenſus tam interni, quam externi.

2 Doctores ſuſtinentes Deum videre creaturas in ſe ipſo tanquàm in ipſarum ſpecie, inter quos videntur eſſe Scotus in 1. diſt. 35. & 36. & Vaſquez, dicent fortaſſe hoc diuinitus fieri poſſe. Verumtamen nobis aliter dicendū occurrit. Vnde prodeterminatione veritatis reſolutè, & abſolutè Scotus; Vaſquez.

Digitized by Google

Dico breuiter. Eſt omninò impoſſibile vt diuina Eſſentia vniatur alicui intellectui creato, vel ſenſui, per modum ſpeciei intelligibilis, non prius repræſentando ſe ipſam.

Huius dicti explicatio ex tituli explicatione manifeſta eſt. Et quamuis diuerſis rationibus hoc dictum poſſet ſuaderi, nihilominus relictis alijs ſequentibus rationibus ni fallor optimè demonſtratur.

3 Probatur Primò. Implicat vt aliquid creatum ſit primarium obiectum diuinæ eſſentiæ: ſed in tali caſu diuina eſſentia reſpiceret obiectum creatum tâquam obiectum primarium. Ergo implicat vt diuina eſſentia vniatur ſenſui, vel intellectui ad repræſentandum obiectum creatum dumtaxat. Probatur maior. Implicat vt increatum ab aliquo creato ſpecificetur. Ergo implicat vt aliquid creatum ſit primarium obiectum diuinæ eſſentiæ. Probatur autem minor. Quia ſi diuina eſſentia ſenſui, vel intellectui vniretur tanquam ſpecies alicuius obiecti creati, illud obiectum creatum eſſet obiectum primarium, ac formale diuinæ eſſentiæ ſecundùm quòd eſt immediatè illius repræſentatiua.

Probatur Secundò. Quia ſi Deus poſſet hoc modo ſenſui, vel intellectui vniri, non videret creaturas in ſe ipſo, ſed in ſe ipſis; atquè diuina cognitio pro vt ad creaturas ſe extendit, ſpecificaretur ab illis, ſicut Deus vt cognitus, diuinam ſpecificat cognitionem: Hoc eſt omnino falſum. Ergo & illud vnde ſequitur. Probo ſequelam. Quia ſi Deus poſſet vniri ad repræſentandum aliquod obiectum creatum tanquam propria ſpecies illius, hoc idem reſpectu ſuiipſius faceret, nempè quando Deus cognoſcit creaturas illas, cognoſceret per ſuam eſſentiam, non tanquàm per ſpeciem increatam Dei, ſed tanquàm per ſpeciem creatam. Ergo ſicuti diuina eſſentia ſecundùm quòd eſt ſpecies ſui, immediatè repræſentat ſe ipſum, ita ſecundùm quòd eſt ſpecies rei creatæ immediatè repræſentat rem creatam. Ergo ſicuti diuina eſſentia vt cognita, ſpecificat diuinam cognitionem, ita obiectum creatum in ſuo ordine ſpecificat cognitionem Dei, & ſicut cognitio diuina pro vt terminatur ad Deum, dicitur formaliter cognitio Dei, non verò cognitio creaturæ, ita in Deo cognoſcente creaturas, vt immediatè repræſentatas per diuinam eſſentiam tanquàm per ſpeciem creaturarum, daretur cognitio quæ eſſet obiecti creati non autem cognitio Dei: hoc eſt abſurdum. Ergo.

4 Explicatur vis huius rationis. Omnis cognitio ſpecificatur ab obiecto; & per conſequens, quando ad aliquam cognitionem concurrit ſpecies obiecti, & non alterius, ſecundùm quòd eſt ſpecies talis, illa cognitio ita ſpecificatur ab illo obiecto vt dicatur, & ſit, illius & non alterius obiecti cognitio. Si igitur diuina eſſentia in ratione ſpeciei, eſſet veluti propria ſpecies obiecti creati, taliter quòd ſit diſtincta à ſe ipſa ſecundùm quòd eſt ſpecies ſui, ſicuti eſt diſtincta ſpecies, ita quoquè deberet dici diſtincta cognitio; & ſic Deus veluti alia cognitione cognoſcit ſe, & alia cognoſcit creaturas. Nam ſecundùm quòd cognoſcit ſe, eſt propria ſpecies ſui, non verò creaturæ; ſecundùm verò quòd cognoſcit creaturam eſt ſpecies creaturæ, & non Dei. Ergo ſe habent vt duæ cognitiones, quælibet autem cognitio debet habere ſuum ſpecificatiuum. Ergo creatura diuinam ſpecificaret cognitionem, ſicuti Deus: & ſic eſſent duæ cognitiones formaliter.

CAPVT SECVNDVM.

Argumenta in contrarium, & ſolutiones.

5 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Non implicat vt obiectum primarium, & immediatum actionis creatæ, ſit aliquod increatum. Ergo neque etiam implicat, vt aliquod obiectum creatum ſit obiectum primarium actionis, ſeu intellectus increati Dei. Antecedens patet de actu viſionis beatificæ, cuius primarium obiectum eſt ipſe Deus. Patet autem conſequentia à paritate.

6 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt, Quia non implicat, vt actus creatus perficiatur ab obiecto increato; implicat autem vt actus increatus ab obiecto creato perfectionem capiat.

7 Obijcies Secundo. Suppoſitum diuinum poteſt gerere vicem ſuppoſiti creati, immediatè naturam creatam terminando. Ergo etiam eſſentia diuina poteſt gerere vicem ſpeciei creatæ immediatè obiectum creatum repræſentando. Antecedens eſt certum. Nam de facto id contigiſſe fides catholica docet in Sacratiſſimo Incarnationis arcano. Probatur autem conſequentia. Quia Deus non eſt magis infinitus in ratione ſuppoſiti, quàm in ratione ſpeciei: ſed quia eſt ſuppoſitum infinitum poteſt gerere vicem ſuppoſiti finiti. Ergo quia eſt ſpecies infinita poteſt gerere vicem ſpeciei finitæ.

8 Confirmatur quia ſicut Deus, ſeu Verbum virtualiter continet quodlibet

ſup-

Digitized by Google

ſuppoſitum finitum, & creatum, ita diuina eſſentia virtualiter continet omnem ſpeciem creatam, & finitam: ſed quia Verbum diuinum omne ſuppoſitum creatum, & finitum virtualiter continet, ideo poteſt naturam finitam ſuppoſitare ſuppoſitique creati gerere vicem. Ergo ſimiliter, quia virtualiter continet ſpeciem creatam, & finitam, poteſt intellectui creato obiectum creatum repræſentare, & eiuſdem ſpeciei gerere vicem.

9 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Sed quia Verbum eſt ſuppoſitum infinitum, & virtualiter continet cuiuſcūq; ſuppoſiti finiti immediatam terminationem, concedo minorem; Et cuiuſcumquè ſuppoſiti finiti non continet virtualiter naturæ creatæ immediatam terminationem, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam; Et ratio negationis eſt, quia infinitati ſuppoſiti infiniti non repugnat omnium ſuppoſitorum creatorum immediatam terminationem virtualiter continere; repugnat autem infinitati eſſentiæ diuinæ in ratione ſpeciei intelligibilis omnium ſpecierum creatarum immediatam repræſentationem continentia virtualis, ſed ſufficit vt omnia creata obiecta repræſentare valeat. Quod eſt continere virtutem repræſentandi omnium creatarum ſpecierum, non quidem immediatè ſupplendo, ſed mediatè.

10 Ad Confirmationem nego maiorem. & ratio diſparitatis eſt, quia ex hoc quòd Verbum diuinum virtualiter continet omne ſuppoſitum creatum poteſt immediatè quamcumquè ſubſtantiam creatam ſuppoſitare, & gerere vicem cuiuſcumquè ſuppoſiti creati: eſſentia verò diuina non poteſt immediatè repræſentare obiecta creata, & ratio huius eſt, quia ſuppoſitum diuinum non terminat naturam creatam ex vi terminationis naturæ increatæ, ſed ex vi ſolius continentiæ virtualis in pura ratione terminandi: at verò eſſentia diuina ex continentia virtuali reſpectu repræſentationis cuiuſcumquè creatæ ſpeciei repræſentat obiecta creata ex vi repræſentationis ſui ipſius.

11 Ratio huius propria, ex ratione formali obiecti ſecundarij ſumenda eſt. Nam obiectum ſecundarium, in ratione obiecti ſecundarij, non cognoſcitur niſi ex vi cognitionis primarij, & conſequenter, ſpecies repræſentatiua ſecundarij, non repræſentat illud, niſi ex vi repræſentationis primarij, & propterea diuina eſſentia virtualiter continens, cuiuſcumquè ſpeciei repræſentationem, non continet quantum ad immediatam, ſed mediatam obiecti ſecundarij repræſentationem.

12 Dices. in nobis contingere poteſt, vt cognoſcamus obiectum ſecundarium, non cognito obiecto primario. Ergo poteſt repræſentari obiectum ſecundarium, non repræſentato obiecto primario. Ergo falſum eſt, quòd obiectum ſecundarium repræſentatur ex vi obiecti primarij.

13 Reſpondetur, deficere dupliciter argumentum. Primò, circa aſſumptum. Secundò, circa vltimum conſequens. Fallit quidem circa aſſumptum. Quia obiectum ſecundarium, dupliciter cognoſci poteſt. Tanquàm ſecundarium materialiter: & tanquàm ſecundarium formaliter. Primo modo, admitto aliquando per diſtinctam cognitionem cognoſci, non cognito primario. Secundo autem modo, neceſſariò cognoſci debet ex vi cognitionis primarij, ſiue vna, ſiue diuerſa cognitione cognoſcatur, quando per ſpeciem primarij repræſentatur.

14 Peccat Secundò, in vltimo conſequente, quia admiſſo toto aſſumpto, nihil contra nos concluditur ad propoſitum. Eò quia ſpecies ſecundarium obiectum repræſentans, non repræſentat illud tanquàm propria ſpecies illius; ſed tanquàm ſpecies alterius obiecti, nempè primarij: At in caſu noſtro, diuina eſſentia intellectui creato aliquod obiectum creatum repræſentans, repræſentaret illud ſecundùm quòd eſſet illius propria ſpecies.

15 Circa id quod diximus, nimirum, quòd ſuppoſitum diuinum gerere poteſt vicem ſuppoſiti creati, in ratione terminandi eſt breuiter, & tranſeunter obſeruandum, quòd Verbum diuinum, continet omne ſuppoſitum creatum virtualiter, quo ad rationem terminandi tantùm, non verò quo ad rationem informandi, quam habet ſuppoſitum creatum. Quoniam hæc ſecunda continentia imperfectionem dicit. Quomodo autem ſit iſta virtualis continentia in ſuppoſito diuino: cum continere virtualiter ſit dicere perfectionem, & ſuppoſitum diuinum ſicut cætera alia ſuppoſita, Patris, ſcilicet, & Spiritus Sancti, neque perfectionem, neque imperfectionem dicant? dicemus infra.

16 Obijcies Secundò. ex D. Thoma infra quæſt. 14. art. 5. & alibi aſſerente, quòd eſſentia diuina continet ſpecies aliarum rerum. Ergo Deus poteſt gerere vicem ſpeciei creatæ: verba autem Diui Thomæ ſunt iſta. Nam loco cit. in fine corp. ſic ait. *Alia autē à ſe videt, nō in ſe ipſis ſed in ſe ipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo*, & in reſponſione ad ſecundum ſic ait. *Ea verò quæ ſunt alia à Deo intelliguntur à Deo in quantùm eſſentia Dei continet ſpecies eorum*. D.Thom.

17 Reſpondetur explicando D.Thomæ authoritates. Eſſentia diuina continet ſpecies alia-

aliarum rerum, quantùm ad ſufficientiam mediatè ipſarum obiecta repræſentandi, concedo antecedens. & in hoc ſenſu loquitur D. Thomas. Quantùm ad immediatam repræſentationem, ſeu ſuppletiuè, ſeu vices gerendo, nego antecedens. & in hoc ſenſu non locutus eſt D. Thomas. ergo, &c. nego conſequentiam.

D.Thom.

18 Quòd autem in primo, non autem in ſecundo ſenſu intelligendus ſit, probatur. Quia in eodem art. docet, & probat Deum intelligere alia à ſe per ſe ipſum non in ſe ipſis, & rationem aſſignat. Quia alia à ſe non per proprias ipſorum ſpecies, ſed per ſuam eſſentiam ſibi repræſentat. Ex quo deducit quòd cognoſcat alia à ſe, non in ſe ipſis, ſed in ſe ipſo. Tunc ſic. Si eſſentia diuina alia à ſe tanquàm propria ipſorum ſpecies repræſentat. Ergo ita immediatè ſicuti per proprias ſpecies repræſentarentur cognoſceret: ſed ſi per proprias ſpecies obiecta creata repræſentarentur, cognoſcerentur à Deo in ſe ipſis immediatè, non in ſe ipſo. Ergo. Quapropter acutè Caietanus hic, §. *ad euidentiam huius difficultatis* ſic ait. *Licet in hoc omnes conueniant quòd eſſentia diuina, ſiuè vt ratio cognoſcendi, ſiue vt obiectum cognitionis; (vtrumque enim ſibi conuenit eminenter) continet omnia intelligibilia; in hoc tamen eſt diſſentio. Quoniam rudiores putant, quòd in eſſentia diuina contineantur alia cum quadam diſtinctione, ſicut relucent res in ſpeculo: Sapientes verò docent, quòd in eſſentia diuina continentur omnia indiſtinctè, & eleuatè, ut effectus in cauſis eminentibus. Sic tamen perfectè, ac ſi diſtinctè continerentur. Et quoniam hoc proculdubio eſt verum, ut naturæ cauſarum oſtendunt, ex hoc patere poteſt, quòd eſſentia diuina ut ſpecies intelligibilis non repræſentet alia immediatè, ſed mediante ſe ipſa ut obiecto. Habet enim ſe ad alia, ſicut ſpecies cauſæ ad effectus ad quos cauſa illa poteſt extendere.* Hæc ille. Vbi eleganter docet Caietanus, quod eſſentia diuina eſt ſpecies creaturarum in quãtum eſt ſpecies ſui, *mediante*, inquit, *ſe ipſa ut obiecto*.

Caiet.

Caiet.

19 Contra hanc reſponſionem, & doctrinam eſt inſtantia. Quia D. Thomas de verit. q. 12. art. 6. in corp. pluries Deum eſſe rerum ſpeciem dicit. Ergo nulla reſponſio.

D.Thom.

20 Reſpondetur explicando D. Thomam vt ſupra. D. Thomas enim vocat eſſentiam diuinam rerum ſpeciem, quo ad ſufficientiam illas repræſentandi, tanquàm effectus in cauſa, & tanquam per propriam ſpeciem cauſæ, potentis ſufficienter in ſe ipſa ſuos repræſentare effectus, non autem quò ad immediatam repræſentationem, ſuppletiuè, & quaſi vices gerendo. Idque etiam ibidem in reſponſione ad 10. manifeſtè declarat. *Ad decimum*, inquit, *dicendum, quòd perfectior eſt viſio qua videtur Deus, vt eſt ſpecies rerum, quàm illa qua videtur vt eſt beatitudinis obiectum. Quia hæc illam præſupponit, & eam perfectiorem eſſe oſtendit. Perfectius enim videt cauſam, qui in ea eius effectus inſpicere poteſt, quàm qui ſolam eſſentiam cauſæ videt.*

D.Thom.

21 Contra. Quia ſpecies creata eſt ſpecies, non per eſſentiam. Ergo per participationem. Ergo dicitur talis per participationem à ſpecie per eſſentiam, quæ eſt ipſamet diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis. Ergo diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, virtualiter continet omnes ſpecies creatas. Ergo quando creaturas repræſentat, repræſentat eas ſecundùm quòd eſt illarum ſpecies propria.

22 Reſpondetur quòd non quidquid Deus producere poteſt, eiuſdem effectum ſupplere poteſt. Poteſt enim, & de facto produxit, ac in dies producit animas intellectiuas, ipſarum tamen vicem ſupplere non poteſt. Producit intellectum creatum, veru tamen intellectus creati vicem ſupplere non poteſt, & ſimiliter in caſu noſtro producit ſpecies intelligibiles creatas, ipſarum tamen vices gerere nequaquàm poteſt, ipſarum obiecta immediatè repræſentando licet omnium ſpecierum obiecta mediatè repræſentet. Vnde ad argumentum in forma.

23 Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens. Ergo per participationem ſecundùm proportionalitatem, concedo conſequentiam. Secundùm proportionem, nego conſequentiam. Similiter diſtinguenda ſunt cætera conſequentia, & negando vltimum conſequens.

24 Explicatur iſta reſponſio. Quælibet ſpecies creata eſt participatio eſſentiæ diuinæ in ratione ſpeciei, non quidem in ordine ad repræſentandam diuinam eſſentiam, ita vt ſenſus ſit, quòd quemadmodum eſſentia diuina ſe ipſam repræſentat in ratione ſpeciei intelligibilis, ita ſpecies creata eamdem repręſentat eſſentiam proportione ſeruata. hoc enim eſt participare ſecundùm proportionem. Eſt autem participatio diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis in ordine ad repræſentandum obiectum creatum, quod eſt proprium, & connaturale ſpeciei intelligibilis creatæ obiectum; ita vt ſenſus ſit, quòd quemadmodum eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis ſe ipſam repræſentat, tanquàm proprium ſui obiectum, ſic etiam ſpecies creata repræſentat obiectum creatum tanquàm obiectum primarium ſui. & hoc eſt participare diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, ſecundùm proportionalitatem. Eo modo quo Angelus intelligens ſe ipſum, in ratione intellectiui, participat natu-

Digitized by Google

ram diuinam ſecundùm proportionalitatem, & idem Angelus intelligens Deum clarè, & diſtinctè participat naturam diuinam in ratione intellectus ſecundùm proportionem, intelligendo proportionem ſecundùm quòd eſt habitudo potentiæ ad obiectum, non verò ſecundùm quòd proportio dicit quandam certam commenſurationem, vt in primo articulo diximus.

25 Obijcies Tertiò Non implicat vt diuina eſſentia ſit forma in eſſe intelligibili. Ergo neque etiam implicat, vt gerat vicem ſpeciei creatæ illius obiectum immediatè repræſentando. Antecedens patet. Quia per nos de facto diuina eſſentia eſt verè, & propriè ſpecies ſui repræſentatiua ſibi, ac beatorum intellectibus. Probatur autem conſequentia. Quia ſi repugnaret diuinam eſſentiam gerere vicē ſpeciei intelligibilis creatę, ideo eſſet, quia repugnat ei quòd ſit forma etiam intelligibilis quæ deberet etiam inhærere.

26 Quidam nobiſcum ſentientes, ideo negant diuinam eſſentiam poſſe vniri intellectui creato quia deberet inhærere, nobis tamen hic dicendi modus probari non poteſt. Quia de nullius ſpeciei ratione eſt inhærere, niſi materialiter. Ratio autem repugnantiæ eſt, quam ſupra aſſignauimus, nempè quia implicat diuinam eſſentiam reſpicere aliquod obiectum creatum, tanquàm obiectum primarium quare, &c.

27 Obijcies Quartò. Scientia Dei eſt cauſa rerum. Ergo immediatè reſpicit eas. Antecedens patebit infra quæſt. 14. art. 8. Probatur autem conſequentia. Quia cauſa immediatè reſpicit effectum.

28 Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo immediatè reſpicit eas productiuè, ſeu tanquàm terminum immediatum productionis, concedo conſequentiam. Cognoſcitiuè, nego conſequentiam. Nam ſcientia Dei cognoſcitiuè terminatur ad creaturas mediatè, quia ſcilicet, terminatur ad diuinam eſſentiam. productiuè verò, quia Deus non cauſat ſe, ſed creaturas, & cum cauſat creaturas, producit eas ſuam inſpiciendo eſſentiam, tanquàm illarum exemplar.

29 Reſpondetur Secundò, diſtinguendo antecedens. Scientia Dei vt practica, eſt cauſa rerum, concedo antecedens. Vt ſpeculatiua, nego antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

30 Obijcies Quintò. Etiam ſi Deus non produceret creaturas neque illarum eſſet cauſa, eſſentia diuina illas repræſentare poſſet, ex hoc quòd eſſet perfectiſſima ſpecies. Ergo vtroque modo Deus creaturas repræſentat; mediatè ſcilicet, & immediatè. mediatè, ſecundùm quòd eas virtualiter cōtinet, immediatè verò, ſecundùm quòd eſt altioris ordinis ſpecies, omnes res inferioris ordinis repræſentare valens. Antecedens patet. Quia ſpecies intelligibiles Angelicæ, non cauſant res ſingulares, ſed illas repræſentant, ex hoc quòd ſufficit eorum ſpecies in altiori ordine collocari. Ergo ſimiliter eſſentia diuina.

31 Reſpondetur primò, Admiſſo antecedenti, etiam loquendo de immediata repræſentatione, & negatur conſequentia. Quia eſto quòd ex parte ſua repræſentare poſſet, implicaret tamen ex parte obiecti, Quia ſcilicet, ſi eſſentia diuina non contineret virtualiter creaturas, creaturæ non forent poſſibiles. per quid enim poſſibiles eſſent? per ſe, vel dependenter ab aliquo alio tanquam ab exemplari? non primum. Quia eſſent ens per eſſentiam, & ſic eſſent Deus: Non ſecundum. Quia hoc aliud neceſſariò eſſet Deus, & in caſu poſito non eſſet. quare, &c.

32 Reſpondetur Secundò, negando antecedens. Nam vel repræſentaret illas immediatè, vel mediatè. Si mediatè. Ergo mediante ſe ipſa, & ſic in caſu argumenti non eſſemus. Si immediatè, Ergo eſſent obiectum primarium, quod eſt abſurdum, vt probauimus. Nec eſt paritas de ſpeciebus Angelicis ſingularia repręſentantibus, quia ſpecies Angelicæ non repræſentant immediatè ſingularia, ſed mediante aliquo, ſub quo continentur, quod eſt immediatè repræſentatum: hoc autem in diuina eſſētia reſpectu creaturarum inueniri non poteſt. Eo quia ſi Deus cognoſceret creaturas, vt in alio contentas, illud aliud non eſſet Deus. Quia non eſſemus in caſu. Quid ergo eſſet?

33 Poſſet tandem obijci Caietanus, qui art. 9. huius quæſt. formalizans D. Thomæ litteram in fine hæc habet verba. *Tenet namquè ipſa, nempè diuina eſſentia, non ſolum locum obiecti in quo alia videntur, ſed ſupplet etiam vices ſpeciei, qua intellectus aſſimilatur obiecto.* Ergo ad mentem Caietani diuina eſſentia ſuppletiuè ſe habet reſpectu ſpecierum creatarum. Caiet.

34 Reſpondetur explicando Caietanum de ſupplere largè, non propriè. Accipitur enim pro ſufficienti virtute repræſentandi obiecta quæ ſpecies creatæ repræſentant, non quidem immediatè ſed mediatè.

35 Quòd autem hæc ſit mens Caietani. patet ex verbis eiuſdem, in quæſt. 14. art. 5. paulo ante citatis. & ex verbis quæ in eodem art. 9. profert. Sic enim ait. *Cognoſci namquè per ſui ſpeciem, eſt in ſe ipſo vt obiecto cognoſci, & è conuerſo. Et ſimiliter cognoſci per alterius ſpeciem eſt in alio obiecto cognoſci: Conſtat namquè quòd res videri in Deo, eſt videri in alio, cui res aſſimilantur, & pro tanto dicuntur habere ſuas ſimilitudines in Deo, ſicut quilibet effectus habet aliquid in cauſa cui aſſimilatur, &c.*

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXII.

VTRVM SIT POSSIBILIS ALIQVA SPECIES CREATA repræſentans Deum clarè, & immediatè ad minus abſtractiuè.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SEnſus diſputationis eſt, vtrum ſit poſſibilis aliqua ſpecies creata, q̃ ita Deum quo ad ſuam quidditatem, & naturã immediatè repræſentet, vt ſecluſa intuitione, data fingendi licentia, ita clarè per illam præſentetur intellectui creato, ſicut per eamdem intuitiuam viſionem quo ad quid eſt. Neceſsè eſt vt ſic intelligatur diſputatio, quia quæſitum eſt de cognitione clara. Tum etiam quia Scotus contra quem in præſenti diſputamus, ſic eam intelligit, ideſt, de cognitione clara, & immediata.

Scotus.

2 Scotus ita affirmat ſpeciem hanc, eſſe poſſibilem, vt de facto Angelis inditam eſſe contendat. Ita in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 9. quòd autem de eadem claritate qua Beati per viſionem beatificam cognoſcunt loquatur, eiuſdem verba teſtantur. Nam ibidem §. *ſecundo modo perſuadetur*. hæc habet verba. *Aliquis raptus videns tranſitoriè eſſentiam diuinam, ceſſante iſto actu videndi, poteſt habere memoriam obiecti, & hoc ſub ratione diſtincta ſub qua erat obiectum viſionis, licet non ſub ratione præſentis actualiter*, &c. Hæc ille.

Maior. Gabriel. Marſilius. Palatius. Rada. Salas. Angles. Molina. Rochmanius. Vulpes.

3 Scotum ſequuntur Maior. in 2. diſt. 3. quæſt. 2. concl. 5. Gabriel diſt. 3. quæſt. 2. art. 2. in 2. p. art. concl. 3. quæſt. 1. prologi art. 2. propoſit. 6. & 7. Marſilius, 2. quæſt. 7. concl. 8. Palatius, in 1. diſt. 1. diſp. 4. Rada, controu. 10. art. 1. concl. 3. §. *Præterea*. Salas 1. 2. tract. 2. quæſt. 5. ſect. 2. num. 30. Angles in 4. diſt. 49. quæſt. de Beatitudine ar. 2. difficult. 6. concl. 1. Molina ſupra quæſt. 1. art. 2. diſp. 4. §. *ex his duabus*, & quæſt. 56. art. 3. concl. 1. Rochmanius, quæſt. 1. prologi, art. 4. concl. 4. Vulpes diſp. 23. art. 5. num. 9.

Faſolus. Capreol.

Pro hac eadem opinione, Faſolus refert Capreolum, in 2. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. ad argumenta Scoti contra 2. concl. per hoc quòd contra Durandum, ſic ait. *Non videtur repugnare quin virtute intuitiua qua Beatus intuetur Deum, poſſit in ipſo creari abſtractiua, qua euidentius appareat Deum eſſe Trinum, & vnum*.

Capreol. Faſolus.

4 Cupiditas impugnandi Thomiſtas, in huius doctoris pectore maximè feruens, eſt in cauſa, eos obſcitanter legiſſe, & propria voluntate, pro hac, vel illa opinione retuliſſe. Capreolus enim nunquam Scoti fuit opinionis in hac materia. Tum quia vt ipſemet Faſolus hic dub. 16. num. 65. poſtquàm Capreolum pro Scoti retulit opinione, ſuimet oblitus, dicit implicare contradictionem ſpeciem repræſentantem an eſt ſiue exiſtentiam, non autem quid eſt Dei, ſiue eſſentiam. hæc verba profert *quod noto contra Capreolum ſupra in primo loco cit. cuius verba ibidem relata, videntur loqui de vnitate, ac Trinitate Dei, quo ad quæſt. an ſit, non quo ad quæſt. quid ſit*. Hæc ille. Si igitur Faſolus fatetur Capreolum loqui non de quæſt. quid eſt, ſed de an eſt, quare ergo Capreolum pro Scoti opinione refert?

Capreol.

5 Tum etiam quia, ibi Capreolus non loquitur de ſpecie repræſentatiua immediata Dei, neque quo ad quid eſt, neque quo ad an eſt, ſed de cognitione certa, expreſſa, & euidenti, quòd Deus ſit Trinus & vnus, nullam mentionem faciens an ſit mediata, vel immediata, id eſt mediante cognitione alicuius obiecti creati, an verò abſque omni obiecto medio creato, debet enim intelligi de cognitione clara, & euidenti, quo ad an eſt, non quidem immediatè, ſed mediatè. Imo in reſponſione ad quartum ibidem ſe declarat his verbis loquens contra Durandum cum inquit, *dicit Quòd nullus poſuit ante Scotum eſſentiam Dei expreſsè repræſentari per aliquid creatum, ſe habẽs in ratione obiecti*

Digitized by Google

D.Thom. *di cogniti, videtur falſum. Nam Beatus Tho-*
6 *mas p. p. quæſt. 94. art. 1. ſic dicit, in ſolutione Tertij, Duplex eſt medium, quoddam in quo ſimul videtur illud quod per medium videri dicitur, ſicut homo videtur per ſpeculum, & ſimul videtur cum ſpeculo. Aliud medium eſt, per cuius notitiam in aliud ignotum deuenimus, ſicut eſt medium demonſtrationis. Et ſine tali medio Deus videbitur, non tamen ſine primo medio. Non enim oportebat primum hominem in Dei cognitionem deuenire per demonſtrationem ſumptam ab aliquo effectu, ſicut nobis eſt neceſſarium ſed ſimul in effectibus præcipuè intelligibilibus, Deum ſuo modo cognoſcebat.* hæc omnia Capreolus ibidem.

Faſolus. 7 Dicat modo Faſolus, à ſemetipſo dixit Capreolum affirmaſſe poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam immediatè diuinæ eſſentiæ repræſentatiuam, Alij illi de Capreolo dixerunt, An verò ipſe in Capreolo vidit? Si primum, vel ſecundum, non eſt boni doctoris munus. Si tertium verba Capreoli contrarium ſonant expreſſè, Nam repræſentatiuum Diuinæ Eſſentiæ apud Capreolum, ſe habet per modum obiecti cogniti, & non vt ratio cognoſcendi, quod eſt in controuerſia, vel aliter dicat ipſe, & alia perquirat verba Capreoli.

8 Alij verò dicunt impoſſibilem eſſe ſpeciem repræſentatiuam diuinæ eſſentiæ, ſecundùm omnia prædicata; poſſe tamen produci aliquam ſpeciem repræſentatiuam immediatè diuinæ eſſentiæ, ſecundùm aliquod prædicatum, ſeu ſecundùm vnum attributum, & non ſecundùm aliud, nempè ſecundùm attributum ſapientiæ, non verò ſecundùm attributum iuſtitiæ, &c. pro hac opinione Faſolus qui ſupra refert Capreolum loco citato ad 4. ſed immeritò nam hæc ſunt verba Capreoli. *Verumtamen dicitur, quòd talis ſpecies primo homini impreſſa, licet repreſentaret diuinam eſſentiam expreſſè, quo ad rationem alicuius attributi, puta ſapientia; non tamen quo ad omnium attributalium perfectionum rationem, & ideo per talem ſpeciem non habebatur viſio propria diuinæ eſſentiæ, aut cognitio abſtractiua, qualem ponit Scotus.* Hæc ille. Faſolus. Capreol.

9 Dicat Faſolus vbi eſt illa particula immediatè repræſentatiua? certè non adeſt. quare ergo Capreolum refert dixiſſe poſſibilem eſſe ſpeciem immediatè repræſentatiuam alicuius attributi diuini. Faſolus.

10 Secundò, quia Capreolus eſto quòd loquatur de ſpecie immediatè repræſentatiua, non loquitur abſolutè, ſed ad hominem contra Scotum ad oſtendendam Scotici argumenti nullitatem; Idque eius verba manifeſtè declarant, dum dicit. *Verumtamen dicitur quòd talis ſpecies primo homini impreſſa, licet repræſentaret diuinam eſſentiam expreſſè, quo ad rationem alicuius attributi, non tamen quo,* &c. quaſi diceret arguenti, dato caſu quòd daretur aliqua ſpecies impreſſa creata repræſentatiua Dei, illa non eſſet repræſentatiua quantùm ad omnium attributalium perfectionum rationem.

11 Refert etiam pro hac eadem opinione Caietanum. infra, quæſt. 56. a. r. 3. §. *quo ad 2.* ſed Caietani verba referamus; vt inde cẽtè eius mentem percipere valeamus. Hæc ſunt verba Caietani. *Vnde quamuis ſapientia diuina poſſit repræſentari per aliquid creatum diſtinctè, non tamen diſtinctè repræſentatur, in quantum infinita, niſi quo ad quæſtionem an eſt; ſed conſtitutiuum primum Dei, puta Deitas vt ſic, eſt ens infinitum. Ergo eſt irrepræſentabile diſtinctè. Patet minor. Quia non eſt imaginandum, quòd infinitas ſe habeat ad Deitatem; quemadmodum ſe habet ad rationes attributales. Non eſt enim quemadmodum ſapientia, & bonitas, ſunt quædam rationes formales, ſeu realitates ſecundum ſe, & infinitatem, vel finitatem, ſortiuntur vt modum quantitatis perfectionalis: ita Deitas ſortitur infinitatem,* &c. Hæc ſunt verba Caietani. Caiet.

Dicat modo Faſolus, vbi Caietanus in præcitatis verbis affirmat poſſibilem eſſe ſpeciem immediatè repræſentantem clarè, & diſtinctè vnum attributum non verò aliud? immo ibidem §. *Ad ſecundam verò obiectionem*, in fine primæ reſponſionis ſic concludit. *ac per hoc poterit per ſpeciem repræſentantem vt cognitam, eminentius repræſentatiue cognitionem elicere abſque diſcurſu per eamdem virtutem & abſque alia ſpecie.* Faſolus.

12 Dices, Caietanus ibidem in 2. reſponſione ait, quòd eſſentia Angeli non ſolùm repræſentat vt cognita, ſed etiam ex ſua excellentia repræſentat vt ratio cognoſcendi. vnde Sanctus Thomas in corp. art. dicit quod cognitio iſta aſſimilatur cognitioni per ſpeciem ab obiecto impreſſam immediatè repræſentantem. ergo Angelus cognoſcit eſſentiam Dei quo ad aliqua prædicata per ſpeciem immediatè repræſentantem. Caiet.

13 Reſpondetur quòd attentius legi debet profundus ſermo Caietani. Senſus enim Caietani eſt, quòd eſſentia Angeli non ſolùm ſe habet vt res cognita, ſed etiam vt ratio cognoſcendi reſpectu Dei, non ad ſignificandam immediatam repræſentationem, ſed ſimultaneam. Quemadmodum enim eſſentia diuina non ſolùm vt cognita, ſed etiam vt ratio cognoſcendi repræſentat creaturas, eo quòd etiam vt ſpecies repræſentans ſe ipſam, ſimulatquè creaturas repræſentat. Intentum enim Caietani eſt, concludere quòd non per diſcurſum, ſed ſimplici intuitu Angelus cognoſcat ſe ipſum, & Deum: & propterea ab eo modus iſte cognoſcendi aſſimilatur illi cognitioni, qua videtur res per ſpeciem ab ea acceptam.

14 Alij autem dicunt, eſſe poſſibilem ſpeciem

Digitized by Google

ciem impreſſam creatam repræſentatiuam Dei, quantum ad an eſt. Hæc opinio tribuitur Capreolo ab eodem Faſolo ſed immeritò, vt viſum eſt, quomodo autem ſit intelligendus Capreolus, in hac eadem diſputatione manifeſtum erit. Capreol. Faſolus.

15 Alij tandem dicunt impoſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam creatam abſtractiuè repræſentantem diuinam eſſentiam, immediatè, clarè, & diſtinctè, ſiue quo ad quid eſt, ſiue quo ad an eſt, ſiue quo ad omnia, ſiue quo ad vnum prædicatum. Ita reſolutè Capreolus in 2. dist. 3. quæſt. 2. art. 3. ad argumenta Scoti contra Sextam concluſionem ad 2. Caietanus, loco citato, Bañes ibidem dub. 1. concl. 1. Valentia punct. 3. Suarez, in Metaphiſ. diſp. 30. ſect. 11. num. 21. 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 8. num. 3. & tract. 3. lib. 1. cap. 11. num. 14. Vaſquez diſp. 36. cap. 4. num. 1. Becanus cap. 9. quæſt. 2. concl. 3. Gabrera 3. p. quæſt. 11. art. 1. diſp. 5. §. 6. num. 191. §. 7. Faſolus hic dubit. 10. Capreol. Caietan. Bañes. Valentia. Soarez. Vaſquez. Becanus. Gabrera. Faſolus.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

16 PRo determinatione veritatis, Dico primo. Eſt poſſibilis aliqua ſpecies creata repræſentans Deum trinum, & vnum, clarè, & diſtinctè quo ad quæſtionem an eſt, non quidem immediatè, ſed mediatè, non in ſtatu fidei, ſed ſuppoſito lumine gloriæ in intellectu creato.

17 Explico primo hoc dictum, deinde probo. Non dico quòd ſit poſſibilis cognitio clara Dei ſecundum quòd eſt trinus, & vnus reſpectu hominis ſolo lumine naturali conſiderati, neque etiam vt illuſtrati lumine fidei: dico tamen quòd eſt poſſibilis ſpecies creata impreſſa immediatè repræſentatiua viſionis beatificæ quæ non poteſt vti homo habens tantummodo lumen naturale, vel tantummodo lumen fidei, ſed intellectus lumine gloriæ illuſtratus: & ratio huius eſt. Quia actus viſionis beatificæ non eſt cognoſcibilis, niſi per lumen ſui proprij, ac proportionati habitus: huiuſmodi autem eſt lumen gloriæ dumtaxat. Ergo. Vnde ſi à Deo huiuſmodi ſpecies intellectui creato non habenti lumen gloriæ infunderetur; intellectus creatus viſionem beatificam, quidditatiuè, & intuitiuè non

18 cognoſceret. Quemadmodum ſi Deus noſtro intellectui creato, in puro ſuo connaturali lumine manenti, infunderet ſpeciem comprehenſiuè repræſentantem Angelum; intellectus noſter Angelum comprehenſiuè non cognoſceret; non ex defectu ſpeciei, ſed ex defectu luminis. Et ſimiliter. Si Deus in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato lumine gloriæ carenti, vniretur, neque etiam intellectus creatus videret Deum; non ex defectu repræſentantis; ſed ob deficientiam luminis, ac impotentiam cognoſcentis. Ita ſimiliter dicimus in præſenti, quod ſi Deus infunderet ſpeciem alicui intellectui creato, quæ eſſet immediatè repræſentatiua viſionis beatificæ, ſi abſque gloriæ lumine exiſteret; intellectus creatus viſionem claram Dei non videret. Eo quia non haberet ſufficiens lumen, ſeu efficacem virtutem cognoſcendi. Hoc igitur poſito, & explicato, dicere intendo, quòd eſt poſſibilis aliqua ſpecies creata repræſentans intuitiuè, & immediatè viſionem beatificam, dependenter tamen phyſicè, ſeu de potentia ordinaria, ab actu viſionis beatificæ: Logicè verò, ſeu de potentia abſoluta, etiam independenter ab actuali viſione, hoc contingere poteſt; non tamen poteſt eſſe independenter a lumine gloriæ; & hoc etiam explicatione indiget. Vnde pro huius intelligentia eſt,

19 Inſuper obſeruandum, quòd de facto, & de via ordinaria, poſito lumine gloriæ in aliquo intellectu, ſtatim atque Deus vnitur intellectui creato, vt ſpecies intelligibilis, & ex tali vnione ac luminis irradiatione, intellectus creatus ſine aliqua mora, Deum videt. Nihilominus, poteſt eſſe de potentia abſoluta Dei, quòd intellectus creatus ſit lumine gloriæ illuſtratus, abſque eo quòd Deus in ratione ſpeciei intelligibilis, eidem vniatur; & conſequenter abſque eo quòd intellectus creatus videat Deum intuitiuè. Dicimus igitur quòd de

20 facto ſpecies repræſentatiua viſionis claræ Dei, eſt poſſibilis reſpectu videntium Deum; per potentiam tamen abſolutam eſt etiam poſſibilis reſpectu intellectus non videntis Deum; dummodo ſit lumine gloriæ irradiatus; & ſic intelligo Capreolum, concedentem poſſibilitatem cognitionis abſtractiuæ Dei. Nam eius verba hoc indicat. *Mihi*, inquit (loco citato) *apparet, quòd Durandus non ſufficienter probat talem abſtractiuam eſſe impoſſibilem, potiſſimè creaturæ beatæ. Non videtur enim repugnare quin virtute intuitiuæ, qua Beatus intuetur Deum, poſſit in ipſo creari abſtractiua talis, qua euidenter apparet Deum eſſe trinum, & vnum potiſſimè diuina virtute.* Capreol.

21 Probatur igitur noſtrum dictum. Eſt creabilis ſpecies immediatè intellectibus beatorum repræſentans primò, & per ſe intuitiuè, & quidditatiuè viſionem claram Dei: ſed ex vi talis repræſentationis, repræſentaret etiam clarè, & diſtinctè Deum eſſe trinum, & vnum, licet, mediatè, & abſtractiuè: Ergo eſt poſſibilis, &c. Maior patet, & probatur. Ex nullo capite repugnat. Ergo eſt poſſibilis. Probatur antecedens.

Non

Digitized by Google

Non repugnat ex parte obiecti immediatè repræſentati. Non ex deficientia intellectus. Ergo ex nullo capite eſt impoſſibilis. Probatur antecedens quo ad primam partem. Quia obiectum immediatè repræſentatum, eſt aliquid creatum. Probatur verò quo ad ſecundam partem. Quia ſubiectum ſupponitur lumine gloriæ illuſtratum, ſed intellectus lumine gloriæ illuſtratus, cum ſit ſufficiens ad cognoſcendum Deum vt eſt in ſe, multò fortius erit ſufficiens ad cognoſcendum ipſum actum videndi. Minor etiam eſt clara. Quia cognoſcens quid ditatiuè actum alicuius obiecti, cognoſcit clarè, & diſtinctè licet, mediatè, an eſt, illius obiecti. Ergo, &c.

22 Dices. Cognoſcens Deum per lumen gloriæ, intuitiuè non abſtractiuè illum videt. Ergo ſi intellectus ſupponitur lumine gloriæ illuſtratus, & intuitiue cognoſceret viſionem intuitiuè, etiam Deum intuitiuè cognoſceret.

23 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Intellectus lumine gloriæ illuſtratus, & habens in ſe diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis vnitam, repræſentantem Deum intuitiuè illum videt, concedo antecedens. Intellectus lumine gloriæ illuſtratus; & non habens in ſe diuinam eſſentiam vnitam tanquam ſpeciem intelligibilem Deum repræſentantem; intuitiue illum videt, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Loquimur enim in caſu metaphiſico, ſuppoſito, ſcilicet, quòd intellectus creatus habeat lumen gloriæ, non verò diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei ſibi vnitam.

24 Quòd verò non ſit poſſibilis ſpecies impreſſa immediatè repræſentans Deum clarè & diſtinctè, quo ad an eſt, Probatur. Quia ſpecies immediatè exiſtentiam Dei repræſentans, repræſentat etiam quidditatem: ſed non eſt poſſibilis ſpecies immediatè Deum repræſentans quo ad eius quidditatem abſtractiuè, vt videbimus. Ergo. Patet maior. Quia exiſtentia Dei, eſt quidditas Dei.

Confirmatur. Quia ſpecies immediate repræſentans an eſt immediate, immediatè terminatur ad exiſtentiam: ſed huiuſmodi eſt intuitiua non abſtractiua. Ergo.

25 Dico Secundò. Non eſt poſſibilis aliqua ſpecies impreſſa, Deum quò ad vnum, non verò quo ad aliud attributum repræſentans clarè, & immediatè.

Probatur. Quia quodlibet attributum Dei, clarè, & diſtinctè, includit exiſtentiam, ipſamque diuinam eſſentiam. Ergo implicat diſtinctè, & immediatè cognoſcere vnum attributum, non cognoſcendo alterum.

26 Confirmatur. Quia ſpecies repræſentans vnum attributum Dei, clarè, & immediatè, vel repræſentaret illud, vt verè prædicatum Dei, vel ſub quadam vna communi vniuoca, vel analogica ratione cum alijs eandem rationem participantibus, Verbi gratia. Species repræſentans voluntatem diuinam, vel repræſentaret illam ſecundùm quòd eſt voluntas diuina immediatè clarè, & diſtinctè, vel ſecundùm quòd eſt voluntas conueniens Deo, & creaturis voluntatem habentibus. Non ſecundo modo. Quia non eſſet immediata clara, & diſtincta diuinæ voluntatis repræſentatio, vt patet. Cum ſub huiuſmodi ratione etiam voluntas creata repræſentetur. Ergo primum. Si primum. Sic argumentor. Non poteſt immediatè clarè, & diſtinctè cognoſci aliquod attributum eſſe prædicatum Dei, niſi cognoſcatur ipſemet Deus cuius eſt prædicatum, & cætera prædicata, quæ huic diſtinctæ formali rationi identificantur. Ergo implicat repræſentare vnum attributum non repræſentando eſſentiam, ac cætera attributa.

27 Dico Tertiò; Eſt omnino impoſſibilis ſpecies impreſſa Deum quo ad eius eſſentiam immediatè, clarè, & diſtinctè repræſentans abſtractiuè.

Probatur primò. Quia poſita huius ſpeciei poſſibilitate, non poteſt ſubterfugere Scotus, quin vi argumentorum concedat cognitionem, per talem ſpeciem cauſatam, eſſe intuitiuam Dei: ſed hoc omnino concedere refugit: Ergo eſt impoſſibilis ſpecies iſta. Probo ſequelam. Quia peto quare cognitio per huiuſmodi ſpeciem non eſſet cum omni proprietate intuitiua? Scotus.

Scotiſtæ cum Scoto rationem aſſignant. Quia eſt contra rationem cognitionis intuitiuæ fieri per ſpeciem.

28 Contra. Quia viſio corporea eſt cognitio intuitiua, ſed in viſione corporea datur ſpecies impreſſa rei viſibilis. Ergo non eſt contra rationem cognitionis intuitiuæ cognoſci per ſpeciem impreſſam.

29 Reſpondent nonnulli Scotiſtæ, Speciem ſenſibilem obiecti intuitiuè cogniti, non eſſe rationem cognoſcendi obiectum: ſed produci ab obiecto corporeo, & ſeruit tanquam præuius quidam cognitionis intuitiuæ effectus.

30 Hoc quod præcitati Scotiſtæ negant perſpicuis verbis, alibi veritate conuicti, concedunt; Nam Vulpes tom. 1. diſp. 19. Vulpes.
ar. 2. num. 7. cuidam argumento reſpondens ſic ait. *Reſpondemus ex eodem Scoto in Reportationibus ſpeciem viſibilem eſſe quidem principium formale, ſed præuium; Si quidem viſibile non videtur niſi multiplicata eius ſpecie ad organũ.* Tenetur neceſſariò explicare.

Digitized by Google

Scotus. 31 Scotus in Reportationibus in 1. diſt. 3. quæſt. 4. littera C. ſic ait. *Dico quòd propter neutram rationem præcisè eſt ſpecies ponenda in ſenſu, neque in intellectu, quia materia eſt propter formam, & non è contra; ideo propter perfectionem operationis eſt magis ponenda: ita quòd habeat intra ſe principium operationis*, & in iiſdem reportationibus lib. 1. diſt. 4. quæſt. 4. ad 1. littera F. ſic ait. *Secundo modo ſpecies intelligibilis eſſentiæ diuinæ repræſentat eſſentiam diuinam intellectui Angelico, & ſic ſpecies albi in oculo meo repræſentat adequatè album, ſcilicet quantum ipſum eſt cognoſcibile ſecundum proportionem ab oculo meo.* Ecce igitur quomodo Scotus manifeſtè docet quòd ſpecies concurrit ad cognitionem intuitiuam tanquàm repræſentatiua obiecti, & principium intuitiuæ notitiæ. Ergo.

32 Cōtra ſupradictā reſpōſionē, ſupra argumentati ſumus. Nam ridiculum eſt dicere huiuſmodi ſpeciem in cognitione intuitiua corporea eſſe præuium cognitionis intuitiuæ effectu. Etenim huiuſmodi cognitionis intuitiuæ præuius effectus, vel concurrit aliquo modo ad viſionem, vel nullo modo? Si nullo modo vt quid ponitur hæc? vt præueniat cognitionis intuitiuæ effectus, nullatenus ad illam conferens, vel concurrens? Si aliquo modo, clarius explicetur, quid præuius iſte effectus confert? coniungit obiectum cum potentia, vel efficit ſimul cum potentia viſionem? vtrumquè horum ſi dicatur, eſt conſtituere ſpeciem vt rationem cognoſcendi, ſeu videndi. Hæc enim ſunt ſpeciei munera præſtantiora. ſi neutrum horum (quod Scotiſtæ intendunt) explicare tenentur. quoniam huc vſque non explicatum eſt, quid ſit iſte præuius effectus.

33 Secundò. Quia vt ſupra argumentabamur, vbi aliqua forma propriam operationem non habet, nec vnquàm habitura eſt, nec habere poteſt, ibi forma non ſolùm connaturaliter non producitur, verùm etiam eſt impoſſibilis. Vnumquodque enim eſt propter ſuam propriam operationem: ſed propria operatio cuiuſcumquè ſpeciei impreſſæ eſt ponere obiectum præſens potentiæ, prius natura quàm producatur

Scotus. actus, vt docet Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 7. & effectiuè ad illam ſe habere. Ergo in cognitione viſiua corporea, ſi ſpecies non concurrit repræſentando, quæ quidem repræſentatio fit per informationem in eſſe intentionali, nec in ratione principij coefficientis, non eſt poſſibilis ſpecies rei viſibilis, quam tamen Scotus pluries admittit, & præſertim in quodlibetalibus quæſtionibus quæſt. 14.

34 Probo ſecundò principaliter quòd huiuſmodi ſpecies ſi daretur, cauſaret cognitionem intuitiuam Dei non verò abſtractiuam. Per Scotum loco cit. §. *Ad quæſt. igitur.* vbi hæc habet verba. *poteſt aliqua eſſe cognitio obiecti ſecundum quòd abſtrahit ab omni exiſtentia actuali, & poteſt eſſe aliqua eius ſecundum quòd exiſtens, & ſecundum quòd præſens in aliqua exiſtentia actuali. Prima, vocatur abſtractiua, quæ eſt ipſius quidditatis ſecundum quòd abſtrahitur ab exiſtentia actuali, & non exiſtentia. Secunda, vocatur cognitio intuitiua, quæ eſt quidditatis rei ſecundum eius exiſtentiam actualem, vel quæ eſt rei præſentis ſecundum talem exiſtentiam.* hæc ſunt verba Scoti: ſed ſpecies immediatè, clarè, & diſtinctè Deum repræſentans, repræſentaret illum in ratione præſentis. Ergo intuitiuè. Patet conſequentia ex doctrina Scoti. Probatur verò minor. Quia illa ſpecies repræſentaret Deum clarè, & diſtinctè quantùm ad eius eſſentiam per Scotum, tanta claritate, quanta beati vident: ſed ad eſſentiam Dei pertinet eſſe exiſtentialiter præſentem, non eſſe præſentem, & poſſe non eſſe exiſtentialiter præſentem, eſt prædicatum a Deo alienum. Ergo. Scotus.

34 Confirmatur. Quia ideo per Scotum, & Scotiſtas, per aliquam ſpeciem impreſſam, non poteſt intuitiuè ſed abſtractiuè repræſentari obiectum: Quia ſpecies non determinatè obiectum vt exiſtens repræſentat, ſed eodem modo illud repræſentat exiſtens, ac ſi non exiſteret: ſed ſpecies immediatè, clarè ac diſtinctè repræſentans eſſentiam Dei, repræſentaret illam, vt determinatè exiſtentem, ac præſentem. Ergo intuitiuè.

36 Hinc patet Scotiſtas, dum aſſerunt ſpeciem iſtam, fore repræſentatiuam diuinæ eſſentiæ indifferenter, ac ſi non exiſteret, vi huius argumenti male torqueri. Hoc enim poſſet habere aliquem apparentiæ locum, in ſpeciebus impreſſis rerum creatarum, quibus contingit actualiter eſſe; non tamen poſſunt hoc ſincerè de ſpecie impreſſa entis eſſentialiter exiſtentis illudquè immediatè clarè, & diſtinctè repræſentante affirmare.

37 Probo Tertiò. Eſſentia diuina in ratione cognoſcendi repræſentat intuitiuè creaturas exiſtentes. Ergo non eſt contra rationem ſpeciei impreſſæ intuitiuè repræſentare obiectum, ſed non implicat vt aliqua ſpecies participet rationem ſpeciei increatæ quo ad hanc perfectionem vt concurrat ad cognitionem intuitiuam alicuius obiecti. Ergo, &c.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Argumenta Scoti eliduntur.

Scotus.

38 SEd contra iſtam determinationem obijcies primò. ex Scoto, qui non ſolum eſſe poſſibilem huiuſmodi ſpeciem verùm etiam de facto in Angelis concedendam eſſe contendit, hoc modo. *Beatitudo naturalis Angeli excedit naturalem beatitudinem hominis, etiam ſi fuiſſet in ſtatu innocentiæ. Tam Angelus quàm homo per quantumcumquè tempus: igitur cum homo pro ſtatu naturæ lapſæ poſſit habere cognitionem de vltimo fine in vniuerſali, & volitionem conſequentem, & pro ſtatu innocentiæ habere potuerit aliquo modo notitiam diſtinctam, & volitio ſummi boni ſequatur cognitionem vltimi veri ſequitur vt ſic, quòd in tali cognitione, & volitione ſummi boni diſtinctè poſſit haberi maior beatitudo ab Angelo quàm ab homine.*

39 Reſpondetur concedendo antecedens, & explicando conſequens quo ad ſecundam partem, nempè pro ſtatu innocentiæ homo potuit habere de Deo aliquo modo notitiam diſtinctam, id eſt claram ſicuti eſt in ſe, nego. Diſtinctam, id eſt ſecundùm rationem propriam conuenientem Deo, concedo. Hanc enim habuit homo in ſtatu innocentiæ, & per rationem naturalem, & per fidem ſupernaturalem, quam etiam habet in ſtatu naturæ lapſæ, licet naturalem non ita perfectè, ſed per longum tempus, & cũ admixtione multorum errorum. Ad illud verò quòd concludit, nempè quòd in tali cognitione poſſit diſtinctè ab Angelo maior Beatitudo quàm ab homine, ſimiliter dicendum eſt, diſtinctè, quantùm ad cognitionem in ſpeciali, & propriam Dei, concedo. Diſtinctè, id eſt clarè, & immediatè, nego.

40 Arguens Scotus hoc modo. Homo habet aliqualem cognitionem diſtinctam de Deo. Ergo magis diſtinctã habet Angelus; Non probat intentum, ſed quòd Angelus magis accedit ad propriam ipſius Dei cognitionem. Quod ſi Diuum Thomam in 3. cont. gent. cap. 49. legiſſet, plenè intellexiſſet. ſic enim rat. 7. eleganter loquitur. *Tanto aliquis alicuius altitudinem magis nouit, quantò altioribus ſcit eum eſſe prælatum, ſicut & ſi Ruſticus ſciat Regem ſummum eſſe in regno: Quia tamen non cognoſcit, niſi quoſdam regni infimos officiales, cum quibus aliquid habet negotij: non ita cognoſcit Regis eminentiam, Sicut aliquis qui omnium principum regni dignitatem nouit, quibus ſcit Regem eſſe Prælatum, quamuis neuter altitudinem Regiæ dignitatis comprehendat. Nos autem non ſcimus niſi quædam infima entium. Licet ergò ſciamus Deum omnibus entibus eminere, non tamen ita cognoſcimus eminentiam diuinam, ſicut ſubſtantiæ ſeparatæ, quibus altiſſimi rerum ordines noti ſunt, & eis omnibus ſuperiorem Deum eſſe cognoſcunt,* Hæc ille. Itaque Angelus perfectius, ac diſtinctius Deum cognoſcit, quam homo, non tamen diſtinctè, & immediatè ea diſtinctione, & claritate qua Beati.

D.Thom.

41 Obijcies ſecundò ex Eodem. *Aliquis raptus videns tranſitoriè eſſentiam diuinam ceſſante iſto actu videndi, poteſt habere memoriam obiecti, & hoc ſub ratione diſtincta, ſub qua erat obiectum viſionis, licet non ſub ratione præſentis actualiter. Quia talis præſentia non manet poſt actum in ratione cognoſcibilis. igitur per aliam rationem perficientem intellectum talem poteſt obiectum illud, iſto modo obiectiuè eſſe præſens. Aſſumptum poteſt probari per raptum Pauli, qui tranſeunte iſto raptu, recordabatur illorum viſorum iuxta illud 2. ad cor. 12. & audiuit arcana verba quę non licet homini loqui.*

42 *Quod autem poſt raptum poſſet ſpecies obiecti diſtinctè manere, videtur, quia hoc eſt perfectionis in intellectu, quia poteſt conſeruare ſpeciem obiecti ceſſante præſentia obiecti.* Hæc Scotus.

43 Reſpondetur negando ſimpliciter antecedens. Nam ratio diſtincta cognitionis eſſentiæ diuinæ ſub qua erat obiectum viſionis, omnino neceſſariò debet terminari ad Deum vt eſſentialiter exiſtentem; aliàs non eſſet clara diuinæ eſſentiæ eſſentialiter exiſtentis notitia.

44 Ad illud verò de raptu Pauli verba Sacræ Scripturæ afferunt reſponſionem. Non enim Sacra Scriptura dicit quòd recordabatur diuinæ eſſentiæ, ſed eorum quæ vidit in diuina eſſentia. Vnde reſpectu eorum remanſerunt ſpecies; Reſpectu verò diuinæ eſſentiæ, poſtquam ceſſauit ipſam videre non recordabatur; recordabatur tamen in quodam confuſo, ſcilicet, vidiſſe clarè diuinam eſſentiam, quàm poſt raptum per fidem, non autem clarè cognouit. Nam aliàs Paulus poſt raptum de Deitatis natura non habuiſſet fidem.

Diſcernentes quid inter clarum, & obſcurum intereſt, efficaciam huius illationis optimè capiunt. Nam qui credit, aliorum teſtimonio acquieſcit: qui autem de re claritatem habet, aliorum non eget probatione. Meum non eſt figmentum ſed,

45 Argumentum, ſeù illatio eſt D. Auguſtini Epiſt. 112. de videndo Deo cap. 2. vbi ſic ait. *Non quia dixi ea credi, quæ abſunt à ſenſibus noſtris, ſic accipiantur vt inter illa*

Digitized by Google

deputentur, quæ aliquando vidimus, & nos vidiſſe retinemus, certiquè ſumus, quamuis tunc non præſto ſint cum recoluntur à nobis; Nequè enim inter credita, ſed inter viſa deputantur, & ideo nota ſunt, non quia fidem adhibuimus alijs teſtibus, ſed quia nos vidiſſe ſine dubio recordamur, & ſcimus. Conſtat igitur noſtra ſcientia, ex viſis, & creditis: ſed in ijs quæ vidimus, vel videmus, nos ipſi teſtes ſumus; in iis autem quæ credimus, alijs teſtibus mouemur ad fidem. Hæc ille. Teſtimonium hoc benè nota, & obſerua, quoniam etiam pro alijs grauibus materijs nō modicæ vtilitatis eſt. Videatur Caietanus quæſt. 56. art. 2. qui optimè ſoluit tertium eiuſdem Scoti argumentum quod contra hanc determinationem proponit, de cognitione ſcilicet, quam habet Angelus creaturarum in verbo, ex authoritate D. Auguſtini ſuper gen. cap. 22.

Caiet.

Rochma.

46 Quidam Scotiſta Andreas Rochmanius natione Polonus loco in principio diſputationis relato proponens ſupradictum Scoti argumentū, refert reſpōſionē Caietani, his verbis. *Reſpōdet Caietanus; Nō potuit in memoria Pauli rapti remanere ſpecies, quamuis potuerit accipere ſpecies rerum viſarum in obiecto; Vnde & Paulus non meminit obiecti niſi in confuſo, propter quod loquitur in plurali; audiui arcana.*

Caiet.

Illamquè multis impugnat, & ſic incipit loqui, & argumentari. *Sed hæc reſponſio eſt friuola. Quando enim dicit, quòd potuit accipere ſpecies rerum viſarum in obiecto, ſed illæ acceptæ ſpecies non poterant remanere. Quæro. Vel iſta impotentia remanendi ſpeciem repræſentatiuam, eſt ex parte memoriæ, & hoc non,* &c. Ad quod impugnandum longo ſermone laborat.

47 Capere non poſſum, nec vllatenus credere valeo, quòd Doctor iſte legerit Caietanum. Cum prorſus incredibile ſit, eius rationis vſum ita fuiſſe obſtructum, vt in re tam clara hallucinatus, non intellexerit, quod paruuli valde clarè conciperent. Iſta ſunt Caietani verba, infra quæſt. 56. art. 3. §. *Ad obiectionem*, in medio. *Ad id verò quod obijcitur de memoria rapti, dicitur à Sancto Thoma expreſsè, quòd non potuit remanere ſpecies obiecti, quamuis potuerit accipere ſpecies rerum viſarum in obiecto. Vnde & Paulus non meminit obiecti, niſi in confuſo, & quia fuit. Sed rerum viſarum; propter quod dicit in numero plurali, arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Hæc ſunt Caietani verba, quæ ipſe in primis truncat. Dum ſic fideliter refert, *Non potuit in memoria Pauli rapti remanere ſpecies*, ſed omittit illam particulam maximè neceſſariam, & à Caietano poſitam, nempe, *obiecti* ratione cuius truncationis, Rochmanius, Caietanum ſuſtinuiſſe dicit, Paulum in raptu accepiſſe quidem rerum viſarum ſpecies, dum Deum videbat, ſed quòd ſpecies quas in viſione acceperat, tranſeunte viſione non poterant remanere.

Caiet.
D.Thom.

Rochm.

48 Doctor iſte dicat primò; ſuppoſita hac ficta explicatione, Caietano falsò impoſita, & dato quòd contra reſponſionem à sè fictam rectè concludat, quid ſpeciei repræſentanti diuinam eſſentiam clarè, diſtinctè, & immediatè prodeſt? Nam dato Caietanum dixiſſe quòd Paulus potuit accipere rerum viſarum in obiecto ſpecies, quæ tranſeunte viſione, non poterant remanere; Caietanus adhùc omnino negat ſpeciem obiecti, nempe diuinæ eſſentiæ, eſſe poſſibilem; vt ipſum legenti patet. Et tamē huius poſſibilitatem arguens probare tenetur.

Secundò, Dum hæc verba profert, nimirum, *Quando enim dicit* (id eſt Caietanus) *quòd potuit accipere ſpecies rerum viſarum in obiecto, ſed illæ acceptæ ſpecies non poterant remanere.* Dicat quando, & vbi ſic locutus eſt Caietanus? Hoc eſt figmentum arguentis.

49 Tertiò, Quia Caietanus loco iam præadducto manifeſtiſſimè docet, quòd Paulus accepit rerum viſarum in obiecto ſpecies, & quòd illæ acceptæ remanſerunt, dum admittit, quòd recordabatur illarum diſtinctè. diuinæ verò eſſentiæ non niſi in confuſo; Nequè à ſemetipſo hæc affirmare dicit, ſed à Sancto Thoma expreſsè doceri fatetur, & certe ita res eſt. Nam D. Thomas 2. 2. quæſt. 175. art. 4. ad 3. ſic ait. *Paulus poſtquam ceſſauit videre Dei eſsētiam, memor fuit illorum quæ in viſione cognouerat, per aliquas ſpecies intelligibiles, habitualiter ex hoc in eius intellectu relictas, ſicut etiam abeunte ſenſibili remanent aliquæ impreſſiones in*

Caiet.

D.Thom.

50 *anima*. Idem docet in hac quæſt. ar. 9. ad 2. Senſus ergo verborum Caietani eſt iſte. In Paulo poſt raptum, non remanſit aliqua ſpecies obiecti viſi, nempè diuinæ eſſentiæ prout Scotus in argumento contendit, ſed de rebus in eſſentia viſis, accepit ſpecies, quas etiam tranſeunte viſione retinuit. Caietanum lege, quoniam loco citato eius ſermo planus eſt, & à quolibet ſciolo primo aſpectu intelligitur. In alijs verò locis in quibus per Angelicum ingenium, ſuum ſenſum profundiori ſermone fatur; chariſſime frater, ieiunijs, & mane, diligenter lege, & accuratè conſidera; eius enim verba ſunt ponderatione digna; Et deinde ſi vales impugna: & noli obſcitanter dicere, *hæc reſponſio eſt friuola*. Et tamen Caietanum non vidiſti, truncam ſententiam eius retuliſti, & fortè re vera illum nullatenus intellexiſti.

Caiet.

DISPVTATIO XXXIII.

VTRVM VISIO CLARA DEI, ET QVÆVIS ALIA creata cognitio ſit actio de prædicamento qualitatis, an potius de prædicamento actionis?

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur titulus, & recitantur opiniones.

1 IAm Deo Duce tractatum de ſpecie impreſſa reſpectu cognitionis claræ Dei per præcedentes diſputationes expleuimus. Nunc de ſpecie expreſſa, ſeu verbo, reſpectu eiuſdem viſionis claræ Dei aggredimur indagationem,& in primo huius tractatus exordio, quærimus vtrum viſio beatifica ſit actio grammaticalis, ſeu de prædicamento qualitatis, an verò ſit actio de prædicamento actionis. Actio de prædicamento qualitatis, ſeu grammaticalis, ideo dicitur; Quia ſignificatur vt actio, ſeu p modū operationis,& idem ſonat ac operatio, re tamen vera,eſt qualitas,non productio,actio verò de prædicamento actionis eſt productio alicuius termini, ſeu termini ad extra acquiſitio. Exemplum primi, Amor, ſeù Volitio,eſt actio quæ ſignificatur per modum actionis,tamen eſt quędam qualitas. Exemplum ſecundi,vt calefactio,quæ non eſt aliud niſi productio caloris. In præſenti igitur diſputatione quærimus, Vtrum viſio beatifica ſit actio primo, an ſecundo modo. Ex hac autem diſputatione magna ex parte dependet principalis intenti determinatio, Vtrum ſcilicet,Beati videntes Deum, formēt verbum. Nam ſi viſio beatifica eſt actio de prædicamento actionis,neceſſariò dicendū eſt Beatos producere Verbum,ita vt nec de facto, nec de poſſibili fieri poſſit, quin videntes Deum, verbum producant. Quemadmodum fieri nequaquam poteſt, vt per calefactionem non producatur calor, niſi dicatur quòd intellectio non ponitur in intellectu vt actio, & calefactio vt productio exercitè: Si verò intellectio eſt actio grāmaticalis, ſeu de prædicamento qualitatis non eſt doctoribus tam Largus Campus ad probandum, quòd beati in viſione beatifica producant verbum, niſi dixerint verbum eſſe ipſum actum intelligendi, ſeu intellectionem pro,vt multi de facto dicūt. hoc igitur poſito.

2 Nonnullorum fuit opinio, viſionem,& quamcumquè cognitionem eſſe actionem de prædicamento actionis. Pro hac opinione Magiſter Ioannes de Sancto Thoma de anima quæ. 11. art. 1. refert Conimbricenſes in 3. de anima cap. 8. quæſt. 3. art. 3. & Fonſecam 5. Metaph. ſ. cap. 15. quæſt. 10. ſect. 2. Verumtamen vidi Fonſecam, loco citato, & nihil pro hac opinione profert. Imo lib. 7. metaph. cap. 8. ſect. 5. littera D. & E. oppoſitum docet, ſic enim ait. *Intellectio non eſt actio qua producatur Verbum, tum quia actus intelligendi & alij ſimiles, non ſunt propriæ actiones, ſed qualitates, vt oſtendimus*,& ſect. 3. hoc oſtendit. Ioan. de S. Thom. Conimb. Fonſeca.

3 Aliorum verò Theologorum,ac Phyloſophorum eſt ſententia, viſionem beatificam, & quamcumquè cognitionem, ſiue intellectiuam, ſiue ſenſitiuam, non eſſe actionem de prædicamento actionis, ſed de prædicamento qualitatis, ſeu non eſſe actionem, quæ eſt ex ſui natura termini productio,ſed eſſe qualitatem quamdam, ſeu proprium, & per ſe terminum productum ipſius intellectus creati. Ita D. Thomas vt videbimus,quem ſecuti ſunt Scotus, in 1. diſt. 27. quæſt. 3. in ſolutione ad 3. argumentum,1. quæſt. vbi hæc habet verba. *Concedo quòd notitia eſt proles, & verè genita, ſed productio illa non eſt actualis intellectio,quia vt dictum eſt ſupra,actualis intelle-* D. Thom. Scotus.

ctio

Digitized by Google

ctio non eſt actio de genere actionis, ſed eſt qualitas nata terminare talem actionem, quæ ſignificatur per hoc quod eſt dicere. Hæc ille. Vbi quamuis dicat intellectionem produci per dictionem tanquam per actionem quæ eſt de prædicamento actionis, nobiſcum tamen ſentit in hoc, quòd intellectio non eſt actio de prędicamento actionis. Durandus, & Nominales in eodem 1. ſent. diſt. 27. Capreolus, in 1. diſt. 35. quæſt. 1. art. 3. Ferrarienſis, in 2. cont. gentes cap. 9. in fine, & cap. 82. §. *quòd ſi obijciatur*, Soncinnas, & Caietanus infra quæſt. 27. art. 1. qui quamuis ibi intellectionem actionem appellet, tamen declarat eſſe actionem quæ non neceſſariò, ſed permiſſiuè producit effectum, ſeu terminum, & quòd non per ſe ordinatur ad ipſum, ſed è conuerſo, magis eſt propter ipſam terminus productus; quare non propterea debet pro oppoſita ſententia referri, vt nonnulli dixerunt. Eo quia actio prædicamentalis, eſt primò, & per ſe ordinata ad termini productionem. Vnde infra quæſt. 34. art. 1. §. *In reſponſione ad ſecundum* noſtram ſententiam fatetur apertè, his verbis. *Nec obſtat quòd intelligere dicatur actio. Tum quia eſt immanens. Tum quia ſecundum veritatem magis habet de ſignificare, quàm eſſe actionis.* & infra quæſt. 79. art. 2. §. *Quo ad ſecundum quia* paolo ante finem ſic ait. *Quicumque autem eleuare poteſt intellectum, & recolendo quòd actiones immanentes, qualitates ſunt, non actiones aut paſſiones, &c.*

Durand.
Capreol.
Ferrar.
Soncin.
Caiet.

Bañes, Zumel, Nazarius, Conzalez, & alij Thomiſtæ hìc, & infra, quæſt. 27. art. 1. Fonſeca lib. 7. met. cap 8. ſect. 3. & 5. Suarez, lib. 2. de attributis negatiuis cap. 11. num. 7. Vaſquez diſp. 38. Ruuius lib 3. de anima, cap. 4. & 5. quæſt. 3. concl. 2. Recupitus lib. 6. quæſt. 25. Complutenſes lib. 3. de anima, quæſt. 1. num. 6. Salmanticenſes tract. 2. diſp. 2. ad 1. confirmationem primi argumenti num. 108. Magiſter Ioannes de Sancto Thoma, lib. 3. de anima, quæſt. 11. art. 1. concl. 2. & hìc diſp. 13. art. ſuo. 5. in reſponſione ad 3. Pro determinatione ergo veritatis,

Bañes.
Zumel.
Conzal.
Suarez.
Ruuius.
Recupit.
Complut.
Salmant.

Ioan. de S. Thom.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

6 Dico breuiter. Viſio Beatifica, & quælibet alia cognitio, non eſt actio de prædicamento actionis, ſed de prædicamento qualitatis.

Probatur primò hoc dictum authoritatibus D. Thomæ infra quæſt. 34. art. 1. ad 3. vbi circa medium hæc habet verba. *Intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, ſed ſolum informatio quædam in intellectu noſtro, prout intellectus noſter fit in actu per formam rei intellectæ.* Hæc ille. Vbi manifeſtè docet intelligere, non ſignificare actionem, quæ eſt termini productio, ſed qualitatem, per hoc quòd aſſerit, *nullam rationem originis importare, ſed ſolùm informationem quandam in intellectu noſtro.* D.Thom.

7 Idem docet Opuſc. 48. cap. 1. de Actione, cuius titulus eſt, *Quid ſit actio ſecundum rationem prædicamentalem*. Vbi poſtquam actionem in immanentem, & tranſeuntem diuiſit, loquens de primo diuiſionis membro, nempè de actione immanente, ſic ait. *Similiter intelligere, & ſentire ſunt actiones immanentes, quia dicunt actum intelligendi, vel ſentiendi eſſe actu in intelligente, vel ſentiente. Hæc autem actio immanens non eſt directè in prædicamento actionis, ideo de ipſis ſetis dictum ſit. Secunda verò actio quæ dicitur tranſiens, facit prædicamentum actionis.* Hæc ille.

8 Item primo contra gent. cap. 100. vbi oſtendens quòd Deus eſt Beatus, hæc verba profert, in rat. 2. *Perfectio*, inquit, *operationis dependet ex quatuor. Primò, ex ſuo genere, vt ſcilicet ſit manens in ipſo operante: dico autem operationem in ipſo manentem per quam non fit aliud præter ipſam operationem, ſicut videre, & audire. Huiuſmodi perfectiones ſunt eorum quorum ſunt operationes, & poſſunt eſſe vltimæ; quia non ordinantur ad aliquod factum, quod ſit finis. Operatio verò vel actio, ex qua ſequitur aliquid actum præter ipſam, eſt perfectio operati, non operantis & comparatur ad ipſum ſicut ad finem, & ideo talis operatio intellectualis naturæ, non eſt beatitudo, ſiue felicitas.* Hæc ille. Vbi D. Thomas euidenter docet, quòd intelligere eſt actio immanens, per quam vltra ipſam non oportet aliud produci, & in qua beatitudo, ſeu felicitas conſiſtit; & quòd ſi aliquid per ipſam producatur, non eſt ad illud tanquàm ad finem ordinata, ſed è contra. Quę omnia cum actione de prædicamento actionis, maximè pugnant. D.Thom.

9 Probatur Secundò, rationibus ex locis D. Thomæ depromptis, hoc modo. Finis principalis, & vnicus noſtri intellectus eſt, per intellectionem attingere obiectum in ratione cognoſcibilis, non autem in ratione producibilis. Ergo intellectio non eſt operatio quæ per ſe ſit actio de prædicamento actionis. Antecedens patet. Probatur autem euidenter conſequentia. Quia actio de prædicamento actionis reſpicit obiectum productiuè.

10 Confirmatur primò. Quia id conuenit

per ſe

per ſe operationi alicuius potentiæ, quod competit ei in ordine ad ſuum obiectum attingendum: Sed intellectioni, & præſertim viſioni Dei, in ordine ad proprium obiectum, non conuenit quòd ſit actio de prædicamento actionis. Ergo intellectio, & præſertim viſio Dei, non eſt actio de prædicamento actionis. Maior patet. & minor eſt euidens. Quia nomine actionis de prædicamento actionis, effectus productionem, ſeu termini extrinſeci acquiſitionem intelligimus.

Confirmatur ſecundò. Ideo calefactio, exempli gratia, eſt per ſe actio de prædicamento actionis, quia de ſe, & per ſe primò eſt caloris productio. Ergo actio quæ eſt intellectio, quia de ſe, & per ſe primò dicit ordinem ad obiectum vt cognoſcendum, non eſt actio de prædicamento actionis.

11 Probatur Tertiò. Si per intellectionem producitur aliquid, nempè, verbum, intellectio quæ eſt productio verbi, non ordinatur ad ipſum tanquàm ad proprium finem; ſed potius verbum ordinatur ad ipſam. Ergo intellectio etiam ex hoc capite, non eſt actio de prædicamento actionis. Antecedens patet. Quia intellectus noſter producit verbum vt intelligat, non intelligit vt producat verbum. Ad hoc enim producit verbum, vt habeat obiectum ſibi in actu ſecundo intimè præſens. Ad differentiam productionis verbi diuini, quod à Patre æterno producitur, non vt intelligat, ſed ex hoc quòd perfectè intelligit, ita quòd, productio Verbi in nobis eſt ratione neceſſitatis; productio verò Verbi diuini, eſt ratione fœcunditatis. Vel productio Verbi in nobis prouenit ex fœcunditate intellectus creati, propter eius neceſſitatem, ad hoc ſcilicet, vt intellectus noſter intelligat, ſeu habeat obiectum intra ſe in ratione cognoſcibilis intimè præſens. Verbum verò diuinum producitur ex cognitionis fœcunditate excludente neceſſitatem. Ergo ſi quid per noſtram intellectionem producitur, ad intellectionem tanquàm ad finem ordinatur, non verò è contra. Vnde rectè Thomiſtæ dicunt, quòd Verbum diuinum procedit ex perfecta, & completa cognitione Patris; verbum verò creatum, ex cognitione quaſi in fieri. Conſequentia verò eſt manifeſta. Quia actio de prædicamento actionis, per ſe primò inſtituta eſt, vt fit propter terminum tanquàm propter proprium finem.

12 Dices. Verbum quod per intellectionem noſtram producitur, eſt vltimus terminus productus. Ergo ſe habet vt finis.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Eſt vltimus terminus productus propter intelligentis indigentiam, concedo. Eſt vltimus terminus propter ſe ipſum principaliter intentus, nego antecedens.

13 Explicatur hoc. Aliud eſt loqui de proprio termino intellectus noſtri. Aliud de eiuſdem proprio termino producto. Nam ſi loquamur de proprio termino intellectus, eſt obiectum ad quod attingendum intellectus ordinatur. Si verò loquamur de proprio termino producto, eſt intellectio per quam terminus qui dicitur obiectum, per ſe attingitur ab intellectu: Verbum autem non eſt proprius, ac per ſe terminus intellectus abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, ſeu ſecundariò intentus, quia vt dicebamus, in tantum producitur, in quantum eſt neceſſarium vt obiectum ſit intimè præſens intellectui.

14 Id etiam quod dicitur, ac ſæpius dici ſolet, nempè quòd verbum eſt vltimus terminus productus, explicatione indiget, & ſic explico. Iuxta viam quam defendimus, videlicet quòd intellectio vt actio productiua verbi, & vt obiecti contemplatio, ſeu ſpeculatio eſt, non ſunt duæ actiones realiter diſtinctæ, ſed vna, & eadem actio, ſecundùm diuerſam expreſſionem; Intellectus igitur, ſtatim atquè ſpecie impreſſa eſt informatus in eſſe intelligibili, prorumpit in intellectionem, tanquàm per ſimplicem emanationem. In intellectionem, inquam, ſecundùm quòd eſt productiua verbi, ad hoc vt habeat obiectum præſens in actu ſecundo, deinde, verbo iam producto, intellectus per eandem actionem obiectum contemplatur. Ita quòd intellectio vt actio, & intellectio vt contemplatio, ſunt vna & eadem actio, minus magiſquè perfectè conſiderata. Prius enim intelligitur intellectio in ratione dictionis, ſeu productionis, quam verbum: ſed intellectionis, ſeu contemplationis officium non exercet niſi poſt verbi productionem; non quaſi eiuſdem actionis ſint duæ productiones, ſed cum in eodem temporis inſtanti ſint illa duo ſimul, intellectio, & verbum. Prius ratione intellectio conſideratur vt productio verbi, deinde vt obiecti contemplatio, & ſic vltimus terminus perfectè productus eſt intellectio ſecundùm eſſe perfectum.

15 Si autem hoc alicui difficile videbitur, ad altiora eleuet intellectum; conſiderans perſonam v. g. Patris in diuinis, conſtitui in ratione perſonæ per relationem paternitatis, & nihilominus tripliciter conſideranda eſt paternitatis æternæ ſubſiſtens relatio, vt docet D. Thomas infra quæſt. 40. D.Thom.
art. 4. Relatio paternitatis vt forma hypoſtatica vt productiua Verbi, ſpiratiua Spiritus Sancti, & vt forma referens Patrem ad filium. Hæc tria ſimul ſunt in Patre, tamen prius conſideratur. (Non dico eſt prius origine) ſed prius conſideratur relatio paternitatis, vt forma hypoſtatica, deinde vt productiua Verbi, vel Spiritus Sancti, & tandem vt relatio & forma

ma

Digitized by Google

ma referens. Nihilominus hoc eſt veriſſimum, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt omnino ſimul, & per me etiam origine, quamuis enim prioritatem ſecundùm rationem in diuinis concedam, prioritatem verò perfectam originis non admitto; & hoc non obſtante, relatio paternitatis in ratione formæ hypoſtaticæ, prius conſideratur quàm relatio filij etiam conſiderando filiationis relationem ſecundùm quòd eſt forma hypoſtatica. Nam non poteſt conſiderari filiationis relatio,
16 niſi præconſideretur actio generandi Patris. Procedit enim per actionem generandi, & ſic, filiationis relatio, conſideratur vt quid poſterius ſecundùm rationem, relatione paternitatis ſecundùm quòd eſt forma hypoſtatica: & tandem relatio paternitatis, & relatio filiationis vt formæ referentes ad inuicem ſimul, correſpondent. Stat igitur, vt eadem omnino relatio in diuinis, habeat prioritatem, ac poſterioritatem ſecundùm diuerſum conſiderandi modum. Ita ſimiliter. Intellectio, vt actio, & intellectio vt contemplatio in ordine ad verbum, licet ſint via, & eadem notitia, tñ habent prioritatē, & poſterioritatē ſecundùm diuerſam rationem in ordine ad verbum, & reſpectu ſui ipſius; Quemadmodum relatio paternitatis conſideratur vt prior, & poſterior ſecundùm diuerſam rationem, reſpectu verbi diuini.

Probatur tandem. Actio de prædicamento actionis ceſſat, termino iam producto: ſed producto verbo (ſuppoſito quòd: aliquando per intellectionem producatur verbum) non ceſſat intellectio, ſed magis perfecta manet. Ergo intellectio non eſt actio de prædicamento actionis. Maior patet. Quia adueniente termino, ceſsat motus. Ergo producto termino, ceſsat actio in ratione actionis. Cum ſit motus, vel non ſine motu.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & ſolutiones.

17 SEd contra iſtam determinationem, Obijcies primò. Quia Ariſtoteles 10. Eth. cap. 3. ſic inquit. *Nec enim virtutis operationes qualitates ſunt*. Ergo negat Ariſtoteles actiones immanentes eſſe qualitates: ſed intelligere eſt actio immanens. Ergo. Ariſtot.

Inſuper Ariſtoteles 9. metaph. cap. 9. loquens de actione in communi; illam in tranſeuntem, & immanentem diuidit. Ergo actio immanens, eſt verè, & propriè actio. Ergo eſt actio de prædicamento actionis. Ergo ſimiliter intelligere.

18 Reſpondetur, explicando Ariſtotelem, Quando in 10. Ethic. negauit operationes virtutis eſſe qualitates, nõn locutus eſt de qualitate ſecundùm rationem vniuerſalem illius, ſed de qualitate quæ eſt veluti principium alicuius effectus, vel operationis. Et ſenſus eſt. quòd operationes virtutis, non ſunt qualitates, id eſt, non ſunt principia. Vel locutus eſt Ariſtoles de qualitate per modum permanentis, operationes autem immanentes, quamuis dicantur immanentes, quia intra agens manent, tamen in ratione durationis, habent modum tranſeuntis. Quia de ſe tantùm durāt, quantùm per principia productiua conſeruantur. Virtutes verò, de ſe ſunt qualitates durantes, ac permanentes, & non de facili tranſeuntes. Quapropter in definitione virtutis ponitur qualitas explicitè. Vocatur enim virtus, *bona qualitas mentis*. Vel tandem locutus eſt de operationibus quò ad modum ſignificandi, non quoad rem ſignificatam. Ariſtot.

19 Ad ſecundum Ariſtotelis locum, concedo actiones immanentes eſſe actiones per quas à potentijs immanenter attinguntur obiecta; nego tamen eſſe actiones, quæ ſunt terminorum per ſe primò productiones, vel tranſeunter termini extrinſeci acquiſitiones. Actiones primo modo, grammaticales nuncupantur. Actiones ſecundo modo de prædicamento actionis. Primo modo, non ſunt de prædicamento actionis, ſed qualitatis. Ariſtot.

20 Sed pro maiori huius doctrinæ, atquè totius controuerſiæ intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd actiones immanentes dupliciter conſiderari poſſunt. Primò, vt ſunt per ſe primò terminus intellectus, vel cuiuſcunquè potentiæ immanentis in ratione agentis effectus; Secundò, vt ſint via, ſeù medium, per quod potentiæ immanentes ad ſua obiecta attingenda perueniunt. Primo modo, nequè etiam actiones grammaticales eſſe dicuntur, ſed effectus, ſeù termini per ſe primò intenti in ratione producti. Secundo modo, dicuntur actiones grammaticales, non quòd nullatenus ſint actiones, ſed quia cum ſint actiones vnitiuæ, vel obiectorum attactiuæ, ſunt actionibus prędicamentalibus ſimiles, & propterea nominantur actiones quantùm ad modum ſignificandi, ac ſi eſſent actiones de prædicamento actionis. Cum tamen re vera non ſint. Vnde Ariſtoteles diuidens actionem in tranſeuntem, & immanentem, non diuiſit actionem de prædicamento actionis, ſed quid commune ad omnes actiones.

Obijcies Secundò, & contra reſponſionem

militat

Digitized by Google

militat argumentum. Sanctus Thomas intra quæſt. 27. art. 1. docet, quòd omne intelligens ex hoc ipſo quod intelligit producit aliquid intra ſe, nempe verbum; Et idem pluries repetit. Ergo intellectio quatenus eſt verbi productio, eſt actio de prædicamento actionis. D.Thom.

21 Reſpondetur, & gratis arguenti admiſſo, quòd omne intelligens per omnem ſui intellectionem verbum producat, explicando antecedens. Omne intelligens ex hoc ipſo quòd intelligit producit verbum, ſecundariò, concedo antecedens. Per ſe primò, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ratio autem negationis eſt. Quia actio de prædicamento actionis eſt termini productio, vel alicuius extrinſeci acquiſitio, per ſe primò: intellectio autem non eſſet per ſe primò verbi productio. Non enim per ſe primò reſpicit verbum tanquàm proprium, ac intrinſecum terminum intellectus. Quandoquidem proprius, ac per ſe primò terminus intellectus (loquendo de termino per ſe producto) eſt ipſamet intellectio. Finis enim intellectus eſt intelligere, non autem producere verbum, niſi propter ipſum intelligentem.

22 Obijcies Tertiò. Si intellectio eſſet actio de prædicamento qualitatis, deberet produci per aliquam actionem, quæ de ſe ſit actio de prædicamento actionis: Sed hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela. Quia qualitas quæ eſt terminus productus, non poteſt in eſſe produci, niſi per actionem quæ eſt productio. Minor etiam patet. Quia illa productio vel eſſet actio intellectus, vel non. Non ſecundum vt notum eſt. Ergo primum. Si primum. Ergo eſt intellectio. Probatur conſequentia. Quia quælibet operatio intellectus debet eſſe intellectio.

23 Reſpondetur negando ſequelam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Qualitas quæ eſt tantùm terminus, & nullatenus operatio, producitur per aliquam actionem, concedo antecedens. Qualitas quæ eſt ita producta vt ſit ipſius agentis operatio, producitur per aliquam aliam actionem, nego antecedens. In caſu noſtro intellectio iuxta prius dicta eſt ipſa intelligentis vera operatio.

DISPVTATIO XXXIV.

VTRVM VERBVM MENTALE SIT IDEM quòd actualis intellectio.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Opinionum relatio.

1 HAc controuerſia deciſa parum difficultatis reſtat, ad inueſtigandum, Vtrum Beati videntes Deum forment verbum. Etenim ſi dicatur verbum, & actualem intellectionem realiter ad inuicem identificari, omnes aſſerentes, Beatos effectiuè ad viſionem ſe habere verbum quoquè formare, ſuſtinere tenentur: ſi autem verbum, & actualis intellectio ſint duæ qualitates realiter inter ſe differētes, valde pauci Beatos formare verbum affirmant; & in hoc ſenſu Capreolus in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 3. dixit *communiter à Doctoribus ſuſtineri Beatos non formare verbum*. Quoniam ſi nomine verbi actualis intelle- Capreol.

Digitized by Google

ctio accipiatur prout à multis accipitur, omnes dicentes intellectum ad viſionem actiuè concurrere, Beatos producere verbum tenentur aſſerere.

Scotus. Durand. Aureol. Vaſquez. Suarez. Fonſeca. Ruuius. Recupit. Sotus. Faſolus.

Attamen verbum, & ipſum intelligere, ſeu intellectionem ad inuicem identificari, affirmant, Scotus in 1. diſt. 27. quæſt. 3. vbi hæc habet verba. *Sequitur igitur per viam diuiſionis, quòd verbum eſt actualis intellectio.* Et §. ideo iſtis opinionibus omiſſis ſic ait. *Dico quòd non qualibet intellectio actualis eſt verbum, ſicut probatur contra iſtam viam, quæ ponit declarationem, eſſe proprium verbi, ſed tantùm notitia genita. Quælibet autem notitia genita eſt verbum.* Durandus ibidem quæſt. 2. num. 28. vbi ſic ait. *Propter hoc dicendum eſt aliter, quod Verbum in nobis eſt idem, quod actus intelligendi.* Aureolus ibidem, Vaſquez hic, diſp. 39. Suarez lib. 2. de attrib. negatiuis cap. 11. & lib. 1. de Trini. cap. 6. num. 5. Fonſeca 7. metaph. ſect. 5. ad 1. Ruuius lib. 3. de anima cap. 4. & 5. quæſt. 3. Recupitus lib. 6. quæſt. 26. num. 6. Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. Faſolus qui quamuis hic dubit. 5. confusè loquatur, affirmans cum Thomiſtis actum intelligendi diſtingui à verbo, & quòd verbum ſit qualitas quædam verè, & realiter à potentia intellectiua producta, tamen infra quæſt. 27. art. 1. dubitat. 13. num. 248. eadem omnino repetens, docet quòd verbum eſt actus intelligendi.

Capreol. Ferrar. Caiet. Bañes. Ledeſma. Nazar. Nauarret. Conzal. Cano. Torres. Salmant. Complu. Ioa. de S. Thoma.

2 Diſtingui autem inter ſe verbum, & intellectionem, manifeſtè docent Capreolus, in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 3. ad argumenta primo loco, & in 1. diſt. 35. quæſt. 1. ad 3. contra primam, & plures in eodem art. Ferrarienſis, 1. cont. gent. cap. 53. §. *Sanctus Thomas*. Caietanus infra, quæſt. 27. art. 1. Bañes hic, & infra, quæſt. 27. art. 1. dub. 5. Ledeſma de diu. perfect. quæſt. 8. art. 8. Nazarius hic, controu. 2. Nauarrete hic, controu. 3. §. 7. Conzalez diſp. 25. ſect. 4. ad 2. Melchior Cano, de locis Theologicis, Torres infra, quæſt. 27. art. 1. Salmanticenſes, tract. 2. diſp. 2. dub. 9. num. 211, Complutenſes, lib. 3. de anima diſp. 21. quæſt. 2. 3. & 4. Ioannes de Sancto Thoma, lib. 3. de anima quæſt. 11. art. 1. concl. 1. & hìc diſp. 13. art. ſuo 5. in reſponſione ad 3. §. *Et cum inſtatur*.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis, eiuſquè probatio.

3 PRO determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Verbum mentis, & intellectio, ſunt duæ entitates realiter inter ſe diſtinctæ.

D.Thom.

Probatur primò. Authoritatibus D.Thomæ: qui quæſt. 8. de Potentia. art. 1. in corpore, circa medium, ſic ait. *Intelligens in intelligendo, ad quatuor poteſt habere ordinem. Scilicet, ad rem quæ intelligitur: ad ſpeciem intelligibilem qua fit intellectus in actu: Ad ſuum intelligere: & ad conceptionem intellectus. Quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt. A re quidem intellecta. Quia res intellecta, eſt interdum extra intellectum; conceptio autem intellectus non eſt niſi in intellectu. Et iterum conceptio intellectus, ordinatur ad rem intellectam ſicut ad finem. Propter hoc enim intellectus, conceptionem rei format; ut rem intellectam cognoſcat. Differt autem à ſpecie intelligibili. Nam ſpecies intelligibilis, qua fit intellectus in actu; conſideratur ut principium actionis intellectus: cum omne agens agat, ſecundùm quòd eſt in actu. Actu autem fit per aliquam formam; quam oportet eſſe actionis principium. Differt autem ab actione intellectus; quia prædicta conceptio, conſideratur ut terminus actionis: & quaſi quoddam per ipſum conſtitutum. Intellectus enim ſua actione format rei diffinitionem, uel etiam propoſitionem affirmatiuam, ſeu negatiuam.* Hæc ille.

D.Thom.

4 Vbi Sanctus Thomas poſtquam quatuor enumerata narrauit, à conceptione incipit, dicens, *conceptionem à tribus prædictis differre*, à quibus realiter differre ſignificat. Nam aſſerit conceptionem à re intellecta differre, *quia res intellecta interdum eſt extra animam, conceptio verò ſemper intra animam*; ex quibus verbis apertè colligitur diſtinctio realis inter conceptionem, & rem conceptam, non quidem in eſſe repræſentatiuo, ſed ſecundùm quòd conceptio eſt qualitas quædam. Aſſerit etiam diſtingui, ſeu differre à ſpecie intelligibili. Eo quia *ſpecies intelligibilis eſt actionis intellectus principium*. Quæ diſtinctio etiam eſt realis. Et eodem prorſus modo concludit ab actione intellectus differre. *Quia prædicta conceptio conſideratur ut terminus actionis, & quaſi quoddam per ipſam conſtitutum, ſicut actio formatiua, & ratio formata*: ſed inter actionem formatam, & actionem formatiuam intellectus, eſt realis diſtinctio. Ergo D. Thomas ſuſtinet conceptionem intellectus, ſeu verbum realiter ab intellectione diſtingui.

5 Et de potentia quæſt. 9. art. 5. in corp. de verbo intellectus loquens, *hoc autem*, inquit, *ſic ab intellectu conceptum, dicitur verbum interius. Hoc enim eſt, quod ſignificatur per vocem, non enim vox exterior ſignificat ipſum intellectum, aut formam ipſius intelligibilem, aut ipſum intelligere, ſed conceptum intellectus, quo mediante ſignificat rem; ut cum dico, homo. uel homo eſt animal.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc ille. Et quæſt. 4. de veri. in corp. circa medium ſic ait. *Ipſa enim conceptio, eſt effectus actus intelligendi. Vnde etiam, quando mens intelligit ſe ipſam, eius conceptio non eſt ipſa mens, ſed aliquid expreſſum a notitia men tis.* Hæc ille.

D.Thom. 6 In quibus locis D.Thomas, docet verbum noſtri intellectus ab intellectione differre ſicut effectus ab agente, eiuſquè cauſalitate. Vocat enim mentis noſtræ verbum, notitiæ effectum. Ergo ad mentem Diui Thomæ dicendum eſt, verbum ab intellectione realiter differre.

7 Probatur Secundo, ratione. Verbum ſe tenet ex parte obiecti, intellectio ſe tenet ex parte potentiæ: Ergo verbum realiter diſtinguitur ab intellectione. Probatur antecedens. Quia verbum ſeu ſpecies expreſſa, ideo ponitur, vt ſit actualis obiecti repræſentatio, non autem vt ſit obiecti attingentia. Ergo verbum ſe tenet ex parte obiecti. Probatur antecedens. Quia hoc etiam ipſi aduerſarij docent, qui in tantùm intellectionem, verbum eſſe affirmant, in quantùm ipſam eſſe obiecti actualem repræſentationem fingunt. Ita Suarez in metaphiſ. diſp. 30. num. 27. hanc propoſitionem, ad probandum quòd ſit poſſibilis ſpecies impreſſa, hanc propoſitionem format, *Vbi*, inquit, *in aliquo ordine poſſibilis eſt actus creatus repræſentans aliquod obiectum*, &c. & in minori propoſitione ſic ait, *ſed poſſibilis eſt actus creatus diuini ordinis quo videatur, & repræſentetur Deus pro vt eſt in ſe*. & num. 32. ſic ait. *hæc autem repræſentatio formaliter dicitur fieri per ipſum actum intelligendi, ſeu verbum, non quia in eo ſit formalis conuenientia, vt benè refutatum eſt, ſed quia ipſe actus eſt forma quæ informando intellectũ intentionaliter, ſeu intelligibiliter, illi refert obiectum, & hoc eſt formaliter repræſentare illud*. & idem ſæpe ſæpius repetit. Idem docent Vaſquez hic diſp. 39. Recupitus qui ſupra, & alij, vnde Faſolus, infra quæſt. 27. dub. 13. num. 248. ſemetipſum obſcurè ſæpius de hac re locutum, explicans atquè etiam vniens ſe, cum alijs, Scoto, ſcilicet, Durando, & Paludano. ſic ait. *intellectio pro vt eſt actualis ſimilitudo repræſentans intentionaliter obiectum, eſt verbum, quam ego voco actum intellectus: intellectio verò pro vt eſt quædam potentiæ intellectiuæ actio, non eſt verbum, ſed actio de prædicamento actionis, quam ego voco actionem intelligendi*.

Suarez. Vaſquez. Recupit. Faſolus. Scotus. Durand. Paludan.

Itaquè apud iſtos Doctores, intellectio, eatenus dicitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum, quatenus eſt ſimilitudo repræſentans obiectum, quod ſub alijs verbis eſt dicere.

8 Confirmatur hoc primò. Quia ſpecies impreſſa ideo ſe tenet ex parte obiecti, & loco eius ponitur, quia eſt ſimilitudo formalis obiecti in actu primo, vel ſimilitudo virtualis, ſeu inſtrumentalis, & vnit obiectum potentiæ in actu primo, vt aduerſarij admittunt: Sed etiam per aduerſarios verbum eſt expreſſa, & actualis ſimilitudo obiecti, vnio, ac repræſentatio eiuſdem in actu ſecundo. Ergo multò fortius ſe tenet ex parte obiecti quam ſpecies impreſſa.

9 Confirmatur Secundò. Quia cum contra quoſdam Thomiſtas argumentamur, & probamus non eſſe poſſibilem ſpeciem expreſſam, ſeu verbum clarè repræſentans Deum vt in ſe eſt, ab intellectione ſpeciei impreſſæ hoc modo. Eſt impoſſibilis ſpecies impreſſa. Ergo eſt etiam impoſſibilis ſpecies expreſſa. Aduerſarij dicunt, & præſertim Faſolus infra, quæſt. 27. art. 1. dubit. 13. num. 243. rectè nos argumentari, & iſta ſunt illius verba. *Cum enim putent* (id eſt nonnulli Thomiſtæ) *in ſententia Sancti Thomæ implicare ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, vt ſupra quæſt. 12. art. 2. dubitat. 10. ad 16. & rectè aſſerant, eamdem, imo maiorem implicantiæ rationem eſſe de ſpecie expreſſa, quã alio nomine vocamus verbum, conſequenter ipſis dicendum fuit, Beatos per intuitiuam diuinæ eſſentiæ intellectionem non formare verbum propter intimam illius eſſentiæ præſentiam ad intellectum creatum*. Ergo ſi ſpecies impreſſa quia eſt ſimilitudo obiecti in actu primo ſe tenet ex parte obiecti, multo fortius ſpecies expreſſa ex parte eiuſdem ſe tenebit, quia repræſentat obiectum in actu ſecundo. Imo & aduerſarij ſpeciei impreſsæ creatæ poſſibilitatem probant, ex poſſibilitate ſpeciei expreſſæ. Ergo ſpecies expreſsa ſe tenet ex parte obiecti quemadmodum ſpecies impreſsa. Aliàs nõ eſset efficax ipſorum probatio. Faſolus.

10 Confirmatur hoc dictum primò. Quia per ſpeciem expreſſam, ſeu verbum refertur obiectum potentiæ, vt concedit expreſsè Suarez loco citato: ſed per intellectionem intellectus refertur ad obiectum. Ergo ſi verbum ſe tenet ex parte obiecti non eſt idem cum intellectione. Suarez.

11 Confirmatur Secundò. Vnum & idem, non poteſt ſe tenere ex parte potentiæ, & obiecti: Nam lumen ſe tenet ex parte potẽtiæ tantùm, non verò ex parte obiecti, & ſpecies ex parte obiecti, non verò ex parte potentiæ modo tamen ſupra diſp. 26. n. 23. explicato. Ergo aliud eſt quod ponitur in intellectu ex parte intellectus intelligentis, & aliud eſt quod ponitur ex parte obiecti cogniti ſeu intellecti: ſed ex parte intellectus ponitur intellectio, & ex parte obiecti ponitur verbum ergo verbum eſt omnino aliud ab intellectione.

12 Illud verò quod Doctores oppoſitæ ſẽtentiæ dicere ſolent; nempè, quòd intellectio vt actio, eſt fieri; vt qualitas producta, eſt factum eſſe, ſeu terminus, & quòd in-

ratione actionis dicitur intellectio, in ratione verò termini, dicitur verbum, non eſt ad argumentum, vel argumentorum bona ſolutio; ſed contra ipſos eſt graue tormentum. Non en in conſequenter loquuntur, nec quæ docent adinuicem benè cohærent. Non enim benè ſequitur, quòd intellectio in ratione termini producti ſit verbum, de quo in præſenti Loquimur, nēpè de verbo obiectiuo, & effectiuo ſimul, quoniā ſi velſint intellectionē dici verbū effectiuū tantùm, verum dicunt, extra tñ cōtrouerſia ſtatū, ſed tantummodo deducitur, ꝙ per huiuſmodi terminum, intellectus terminatur, ſeu refertur ad obiectum tanquàm ad terminum cognitum. Quòd verò iſte terminus, nempè intellectio in facto eſſe, dicatur verbum obiectiuum, ſeu id quo obiectum repræſentatur, & refertur in ratione præſentis ad intellectum, aſſumūt, & ſupponunt, non probant, nec probare poſſunt.

13 Hoc autem ſic manifeſto. Quia iuxta hunc vltimum dicendi modum, terminus qui propriè producitur, eſt ipſamet operatio immanens intellectus per modum termini primariò intenti, in ratione producti, non autem eſt terminus vt per ipſum fiat obiectum intellectui præſens, quaſi per illum obijciatur obiectum intellectui. Iuxta verò præcedentem horum Doctorum dicendi modum, coguntur, & ipſi aſſerere, velint, nolint, quòd ideo producitur verbum, vt obiectum fiat intellectui intelligibiliter intimè præſens. Alias non haberet rationem verbi. Hac enim ratione per aduerſarios viſio, verbi rationem habet; quia actualiter obiectum intellectui refert.

14 Patet primum. Quia intellectus per intellectionem tendit ad obiectum tanquam attingendum. Ergo intellectio non eſt terminus vt per ipſum fiat obiectum intellectui præſens, &c. Secundum verò eſt etiam euidens. Quia ideo per ipſos intellectio, verbi rationem habet, quia eſt ſimilitudo actualis, & expreſſa obiecti repræſentatio, ita quòd ſi non repræſentaret obiectum in actu ſecundo, intellectio rationem verbi non haberet, per quod in noſtram incidūt ſententiam, nimirum, quòd ideo ponitur verbum, vt faciat obiectum potentiæ intelligibiliter intimè præſens, quod timent aſſerere, & omnino fugiunt concedere; quia ſi hoc admitterent, ſequeretur quòd Beati Deum videntes non formarent Verbum. Eo quia neceſſitatis cauſa ceſſante, effectus quoquè neceſſariò ceſſat: ſed in viſione Dei Deus eſt per ſe ipſum intimè præſens, & conſequenter beati non formarent verbum. Et etiam ſi (vt ipſi putant) intellectio eſſet verbum, propter intimam Dei præſentiam in actu ſecundo formarent quidem intellectionem, ſeu viſionem in ratione attingentiæ obiecti, non autem in ratione verbi.

15 Probatur deinde. Species impreſſa, & lumen intellectus non ſunt vna, & eadem entitas. Ergo nequè etiam verbum, & intellectio ſunt vna, & eadem entitas. Vaſquez.
Antecedens patet, & conceditur ab aduerſarijs, Vaſquez excepto, qui putat ſpeciem impreſſam ſe tenere ex parte potentiæ, & lumen gloriæ habere rationem ſpeciei impreſſæ. Probatur autem conſequentia. Quia ideo ſpecies impreſſa, & lumen non ſunt vna eademque numero entitas quia lumen ſe tenet ex parte potentiæ, ſpecies verò ex parte obiecti. Ambo enim vt principia efficientia cognitionem concurrunt. Principium efficiens lumen, & principium efficiens ſpecies, reſpectu vnius eiuſdemque viſionis, ſunt tamen duæ entitates, lumen, & ſpecies, eo quia lumen ex parte potentiæ ſpecies verò ex parte obiecti ſe tenet: ſed cognitio ſe tenet ex parte potentiæ, & verbum ſe tenet ex parte obiecti, vt probauimus ergo ſi ſpecies, & lumen ſunt duæ entitates, etiam cognitio, & verbum ſunt duæ entitates.

16 Confirmatur. Sicut ſe habent ſpecies impreſſa, & lumen, ita verbum, & intellectio: ſed ſpecies impreſſa, & lumen ſunt duæ entitates realiter diſtinctæ. Ergo verbum, & intellectio etiam ſunt duę entitates realiter diſtinctæ. Maior patet. Quia quemadmodū ſpecies, & lumen ſe habent in actu primo, ita verbum, & intellectio in actu ſecundo.

17 Probatur tandem. Si verbum, & intellectio eſſent omnino vnum, & idem, ſequeretur quòd in diuinis quemadmodum datur verbum à patre procedens, ita daretur ſapientia verè procedens ſeù producta in ratione formali ſapientiæ: ſed hoc eſt falsū. Ergo & illud vnde ſequitur. Probo ſequelam ex identitate formali inter intellectionem vt obiecti repræſentatiuam, & verbū. D.Aug.
Minor eſt D. Auguſtini 7. de Trinit. cap. 2. vbi eruditè explicat quomodo verum ſit, cum verbum ſapientia de ſapientia dicitur, & concludit quòd non eo verbum quo ſapientia, quia verbum non ad ſe dicitur, ſapientia verò ad ſe dicitur, & eſſentialiter cuius verba infra num. 39. referemus.

CAPVT TERTIVM.

Argumentorum euerſio.

Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò authoritate D. Auguſtini D.Aug.
9. de

Digitized by Google

18 9. de Trinit.cap.10.circa finem,&cap.11.
in principio, vbi aſſerit cognitionem eſſe
ſimilitudinem rei cognitæ, ex quo hoc cõ-
ſequens infert cap.11. per hæc verba.
*In quantum Deum nouimus,ſimiles ſumus, ſed
non ad æqualitatem ſimiles, quia non tantum
ipſum nouimus quantum ipſe eſt*. & 15. de
Trinit.cap.16. oſtendens quomodo in in-
telligente ſemper formetur verbum rei in-
tellectę,de verbo quod de Deo in hac vita,
& in patria concipimus, ſic loquitur.
*Quamobrem cum tanta ſit nunc in iſto ænigma-
te diſſimilitudo Dei, & Verbi Dei,hoc eſt Verbi
quod de Deo concipimus in qua tamen nonnulla
ſimilitudo comperta eſt. illud quoquè fatendum
eſt; quòd etiam eum ſimiles ei erimus,quando
videbimus eum ſicuti eſt, &c. tunc quidem
verbum noſtrum non erit falſum, quia nequè*
Auguſt. *mentimur, nequè fallimur*. hæc Auguſtinus
Vaſquez. apud Vaſquez diſputat.38. cap.2. num.6.
& 7.

19 Poteſt amplius ad mentem Auguſtini vr-
geri hoc argumentum. Nam eodem libro
9. de Trinit. cap.10. circa finem, *Verbum*,
inquit, Auguſtinus *quod nunc diſcernere, ac
inſinuare volumus, eſt cum amore notitia. Cum
igitur ſe mens nouit, & amat,iungitur ei amo-
re verbum eius*. & cap.11. *ex quo*, inquit,
*colligitur, quia cum ſe mens ipſa nouit,atquè
approbat,ſic eſt eadem notitia,Verbum eius*.

20 Et paulo poſt ibidem, notitiam vocat ſi-
militudinem rei cognitæ his verbis. *Et cum
habeat notitia ſimilitudinem ad eam rem quam
nouit; hoc eſt, cuius notitia eſt,hæc habet per-
fectam, & æqualem qua mens ipſa quæ nouit
eſt nota*. & infra cap.12. hæc habet verba.
*Quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur. Vnde
proli ſimilia ſunt. Vbi niſi in ipſa notitia? ibi
enim quaſi expreſſa formantur*. & 15. lib. de
Trinit.cap.10. *quædam*, inquit, *cogitationes
locutiones ſunt cordis*. & idem pluries re-
petit.

21 Reſpondetur, quòd non ſunt à ſenſu D.
Auguſtini alieni qui dicunt eum loqui de
Auguſt. verbo vitæ, & morum. Nam Auguſtinus
lib.9. de Trinit. cap.7. ſic ait. *Nihil itaquè
agimus per membra corporis in factis,in dictiſ-
què noſtris, quibus vel approbantur, vel im-
probentur mores hominum, quod non verbo
apud nos intus ædito præuenimus*. Et ibidem
cap.8. *Naſcitur*, inquit, *verbum cum excogi-
tatum placet: aut ad peccandum, aut ad rectè
faciendum. Verbum ergo noſtrum, & mentem
de qua gignitur, quaſi medius amor coniungit,
ſeque cum eis, tertium, complexu incorporeo,
ſine vlla confuſione conſtringit. Conceptum
autem verbum, & natum, id ipſum eſt, cum
voluntas in ipſa notitia conquieſcit, quòd fit in
amore ſpiritualium*. Et ibidem cap.10. Ve-
rumtamen, inquit, *cum illa quæ odimus rectè
diſplicent, recteque improbantur, approbatur
earum improbatio, & placet & verbum eſt*.
idem docet cap.11.& alibi.

22 Verumtamen per hoc ſolùm, difficulta-
ti non ſatisfaciunt. Etenim quando D.Au- Auguſt.
guſtinus verbum notitiam genitam vocat,
loquitur de verbo, quantùm ad propriam
eius rationem; quapropter, per illud ver-
bum creatum pro viribus, verbi diuini ex-
plicat proceſſionem.

23 Reſpondetur itaquè, explicando D.Au-
guſtinu, de notitia non pro actu intellectus
cognoſcentis,ſed pro conceptu quem for-
mat cognoſcendo, ſeu ratione conceptus
formati per cognitionem, non verò pro
ipſa cognitione, quatenus a verbo diſtin-
cta.

24 Explicatio hæc eſt D. Thomæ infra D.Thom.
quæſt.34. art. 1. ad 2. vbi explicat hanc
propoſitionem D.Auguſtini, nimirum,
Verbum eſt notia cum amore, his verbis. *Cum* Auguſt.
*ergo dicitur quòd verbum eſt notitia, non acci-
pitur notitia pro actu intellectus cognoſcentis,
uel pro aliquo eius habitu,ſed pro eo quod intel-
lectus concipit cognoſcendo. Vnde & Auguſti-
nus dicit, quòd Verbum eſt ſapientia genita.
Quod nihil aliud eſt quàm ipſa conceptio ſa-
pientis. Quæ etiam parimodo notitia genita dici
poteſt*. Hæc ille.

25 Et hoc eſt quod pluries inſinuat D. Au- Auguſt.
guſtinus, & præſertim lib.9. cap.7. vbi ſic
ait. *Viſum mentis aſpicimus, atquè inde con-
ceptam rerum ueracèm notitiam,tanquàm uer-
bum apud nos habemus, & dicendo intus gigni-
mus, nec à nobis naſcendo diſcedit*. Vbi non
abſolutè verbum notitiam vocat, ſed con-
ceptam rerum veracem notitiam, id eſt, no-
titiam rerum mediante conceptu.

26 Idquè expreſſius infra cap.11. manife-
ſtat his verbis *Habet ergo animus nonnullam
ſpeciei notæ ſimilitudinem, ſiue cum ea placet,
ſiue cum eius priuatio diſplicet*. Vbi imaginem
rei cognitæ intra animum cognoſcentem
agnoſcit Auguſtinus, & quamuis nomine
ſimilitudinis poſſit intelligi ſpecies impreſ-
ſa, non propterea de ſpecie expreſſa non
verificatur, ad illud autem quod in prima
authoritate adducitur; Reſpondet D.Tho-
mas hic in reſp. ad 2. explicans D. Augu- D.Thom.
ſtinum de ſimilitudine in via non in patria,
& de ſpecie ſpeculari,& ænigmatica, non
propria, quę fit non per cognitionem for-
maliter, ſed per ſpeciem impreſſam in actu
primo,& per expreſſam in actu ſecundo.

27 Conſtat autem hoc ex verbis eiuſdem
Auguſtini. *Habet*, inquit, Auguſtinus, *animus
nonnullam ſpeciei notæ ſimilitudinem, quo cir-
ca in quantùm Deum nouimus ſimiles ſumus*.
Hæc ille. Ergo D. Auguſtinus in tantùm
dicit nos eſſe ſimiles Deo ex vi cognitionis
quam de ipſo habemus, in quantùm habe-
mus aliquam Dei ſimilitudinem,ſeu imagi-
nem Dei intra animum,ſeu intellectum co-
gnoſcentem.

28 Nec ſpernenda eſt Capreoli, Caietani,
& Ferrarienſis explicatio, videlicet cogni-

tio-

Digitized by Google

tionem appellari ſimilitudinem obiecti, non ratione ſui ſed ratione principij a quo procedit,& termini, ſeu conceptus producti, ratione ſcilicet, ſpeciei intelligibilis quæ eſt ſimilitudo obiecti, & ratione verbi, quod eſt expreſſa, & formalis eiuſdem obiecti ſimilitudo; Nam horum Doctorum ſenſus eſt, quòd aſſimilatio formaliter non prouenit ex cognitione tanquam ex ſimilitudine formali, ſed ex ſpecie intelligibili impreſſa in actu primo,& ex ſpecie expreſſa in actu ſecundo. Ita Capreolus in 1. diſt. 35. quæſt. 1. ad 5. ſecundo loco. & in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 3. ad 1. contra primam.

Capreol.

29 Contra quam explicationem ſic inſurgit Vaſquez loco citato, *Friuolum eſt, quòd Capreolus, Caietanus, & Ferrarienſis docent. Quis enim non vident id quod ſecundum ſe non eſt tale ineptè nuncupari tale, ſolum quia principium illius tale eſt?* Adde quòd cum in noſtra opinione, in patria non datur ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ, viſio illius nec ſecundùm ſe, nec ratione principij, ſimilitudo illius poterit appellari: At Auguſtinus contendit nos futuros perfectiſſimè ſimiles, viſione ipſa. *Quia videbimus eum ſicuti eſt.* Ergo ipſam viſionem ſecundùm ſe putat eſſe ſimilitudinem.

Vaſquez. Auguſt. Ioan. 3.

30 Viro in Sanctis Patribus, in Sacra Scriptura non parum verſato, ac in Theologia celebri, nouum,& friuolum videtur aſſerere, id quod ſecundum ſe non eſt tale, nuncupari tale, quia ſuum principium eſt tale. Nonne D. Auguſtinus filium eſſentiam de eſſentia, & Sapientiam de ſapientia nominat? & tamen neque eſſentiæ ratio eſt de eſſentia, neque ſapientiæ ratio de ſapientia procedit. Verùm eſſentia non ratione ſui eſt talis, ſed ratione perſonæ Verbi cum qua identificatur eſt talis, & ſimiliter ſapientia non ratione ſapientiæ, ſed ratione perſonæ verbi, cui ſapientia eſt verbo, patriquè communis, dicitur de ſapientia, id eſt Filius qui eſt eſſentia diuina, eſt à Patre qui eſt eſſentia diuina, & Filius qui eſt ſapientia diuina, eſt à Patre qui eſt eadem ſapientia diuina. Aliter,& magis ad propoſitũ ſolet præſens propoſitio de ſapientia diuina declarari, nempè cũ dicitur verbum, ſeù Filius ſapientia genita, vel ſapientia de ſapientia, quia ſcilicet, verbum diuinum procedit per ſapientiam, ideo illi ratio ſapientiæ appropriatur quemadmodum, & amor per appropriationem Spiritui Sancto conuenit quia ſcilicet per amorem procedit. dicitur etiam de Deo ipſe ſpiritus poſtulat ꝑ nobis ſpiritibus inenarrabilibus: hoc autem non eſt verum in ſe, ſe quia ipſe eſt principium faciens nos ſpiritibus inenarrabilibus clamare, & ſic patet in ſexcentis Sacræ Scripturę, Sanctorumq; phraſibus.

Rom. 8.

31 Reſpondetur itaquè diſtinguendo antecedens. Quod non eſt tale ineptè nuncupatur tale formaliter, quia principium illius tale eſt, concedo antecedens. Quod ſecundum ſe non eſt tale, ineptè nuncupatur tale, Non formaliter, ſed ratione ſui principij, vel ſui termini, nego antecedens. Cognitio autem vocatur ſimilitudo obiecti, non formaliter, ſed ratione principij, vel termini.

32 Ad ſecundam impugnationem quæ valde friuola eſt, Reſpondetur quòd noſtram vel non vidit, vel non percepit opinionem. Nam in noſtra opinione, in patria non datur ſpecies impreſſa creata diuinæ eſſentiæ, datur tamen diuina eſſentia tanquam propriè ſpecies intelligibilis, quę multò perfectius intellectui creato vnita, hominem ſibi ſimilem facit. Puerile igitur eſt argumentum, vt omnes poterunt iudicare.

33 Vrgebit aliquis contra explicationem Capreoli, Caietani, & Ferrarienſis. Ex quia D. Auguſtinus ibi loquitur de ſimilitudine formali quæ eſt Verbum: ſed verbum nõ dicitur tale quaſi in ſe non ſit formaliter ſimilitudo, neq; ratione principij; ſed quia ſic re vera eſt. Ergo non benè explicatur Auguſtinus, dicendo quòd locutus eſt de ſimilitudine ratione ſpeciei intelligibilis.

Capreol. Caiet. Ferrar. D. Aug.

34 Reſpondetur, Quando D. Auguſtinus dicit notitiam eſſe verbum, & conſequenter eſſe ſimilitudinem expreſſam obiecti, verum eſt, quòd hoc non conuenit notitiæ, ratione ſpeciei intelligibilis. Nam ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo formalis in actu primo, verbum verò, ſeu ſpecies expreſſa eſt ſimilitudo formalis in actu ſecundo, & propterea penſatè, ac meritò Diuus Thomas explicauit Auguſtinum de notitia ratione verbi, ſeu conceptus, non ratione ſpeciei intelligibilis, Quando D. Auguſtinus dixit verbum eſſe notitiam. Quando verò D. Auguſtinus ait, notitiam eſſe ſimilitudinem non apponens aliquid.

D. Thom.

35 Vt autem verum D. Auguſtini ſenſum ſincera intelligentia conſequi valeamus, diligentiori ſtudio eius ſcripta indagare debemus; & ſic optimè detegetur an ſit præſtantiſſimorum virorum, nempè Capreoli, Caietani, Ferrarienſis, aliorumquè Thomiſtarum inepta ſupradicta expoſitio, an potius nulla,& vana aduerſariorum impugnatio. Vnde eſt,

D. Aug. Capreol. Caiet. Ferrar.

Obſeruandum primò, quòd verbum dupliciter accipi poteſt. Effectiuè, & obiectiuè ſimul; & effectiuè tantùm. Verbum primo modo, eſt id quod ita ab intellectu procedit, vt etiam ſit rei cognitæ expreſſa, ac formalis ſimilitudo illius, & eſt id quod intellectus de re per cognitionem format. Verbum verò ſecundo modo, poteſt dici cognitio; & meritò quidem. Quia cognitio creata vt ex ſupradictis conſtat, eſt per ſe

primo

Digitized by Google

primò terminus in ratione producti à cognoſcente intentus, & conſequenter quantum ad hoc, iure optimo, verbum, cognoſcentis cognitio, nuncupatur.

36 Obſeruandum Secundo, quòd quamuis verbum tantùm effectiuum, & verbum obiectiuum ſimul, & effectiuum, realiter ab inuicem diſtinguantur; ad inuicem tamen indiſſolubiliter connectuntur, taliter, quòd nunquam verbum obiectiuè ſumptum eſt, ſine verbo effectiuo, ſeù intellectione; Et è contra numquàm vel ſi aliquando, raro, in quibuſdam videlicet, paucis caſibus, intellectio ſeù verbum effectiuum, ſine obiectiuo. Ex quo fit vt aliquando nomine notitiæ, & aliquando nomine verbi, intelligatur vtrumquè, vel vnum ratione alterius.
Auguſt. Quod quidem D. Auguſtino de verbo, & notitia, ſeù de vtroquè verbo diſertè loquenti, contigiſſe fatendum eſt. Nam aliquando nomine notitię vtrumquè verbum accepit, & præſertim 9. de Trinit. cap. 11. dum ſic dixit. *Vnde liquido tenendum eſt, quòd omnis res quamcumquè cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui, ab vtroquè enim notitia paritur, à cognoſcente, & cognito. Itaquè mens cum ſe ipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitiæ ſuæ: & cognitum enim, & cognitor ipſa eſt.* Ecce igitur quomodo notitia accipitur pro vtroquè verbo, & pro notitia ipſa, & pro conceptu per notitiam formato. Vtrumquè enim ex cognoſcente, & cognito generatur.

37 Ex quo teſtimonio, patet quoquè, quomodo etiam ipſa notitia rationem prolis habeat, & conſequenter rectè verbum vocari poſſit. Et ſimiliter lib. 15. cap. 10. propè finem vbi ſic ait. *Neceſſè eſt enim cum Verbum loquimur, id eſt, cum ſcimus loquimur, ex ipſa ſcientia quam memoria tenemus, naſcatur Verbum, quod eiuſmodi ſit omnino, cuiuſmodi eſt illa ſcientia de qua naſcitur. Formata quippè cogitatio ab ea re quam ſcimus, uerbum eſt, quod in corde dicimus.* Quod quidem teſtimonium reſpectu mentis creatæ, de vtroquè verbo intelligi poteſt, quatenus vtrumquè à mente creata procedit. Sunt alia eiuſdem D. Auguſtini teſtimonia, de vtroquè verbo loquentia, ſed illa require num. 40.

38 Aliquando verò nomine notitiæ, non intellexit verbum effectiuum, ſeù notitiam ipſam, ſed terminum per ipſam productum; quemadmodum cum pluries verbum diuinum ſapientiam genitam appellauit, non quia apud Auguſtinum, in diuinis ſapientia verè procedens inueniatur. Quoniam ſapientia eſt prædicatum eſſentiale omnibus tribus perſonis diuinis commune, ſed ideo ſapientia genita dicitur, quia per ſapientiam procedit, & ex Patre qui eſt ſapientia generatur. Ita D. Auguſtinus 7. de

D.Aug. 39 Trinit. cap. 2. vbi ſic ait. *Et ita dicitur Filius Sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id eſt vt quemadmodum lumen de lumine, & vtrumquè vnum lumen; ſic intelligatur ſapientia de ſapientia, & vtrumquè vna ſapientia. Ergo & vna eſſentia. Quia hoc eſt ibi eſſe, quod ſapere. Quod enim eſt ſapientiæ ſapere, & potentiæ poſſe, & Æternitati æternam eſſe, Iuſtitiæ iuſtam eſſe, Magnitudini magnam eſſe, hoc eſt eſſentiæ ipſum eſſe;* Et paucis interiectis cap. ſequenti ſic ait. *Et propterea non eo Verbum quo ſapientia. Quia verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relatiuè ad eum cuius Verbum eſt, ſicut Filius ad Patrem: Sapientia verò, Eo quo eſſentia. Quoniam verò, & Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum quo ſapientia. Verbum enim relatiuè, ſapientia uerò, eſſentialiter intelligitur. Id dici accipiamus, cum dicitur uerbum, ac ſi dicatur nata ſapientia, ut ſit & filius, & imago; Et hæc duo cum dicuntur, id eſt nata ſapientia, in uno eorum. Eo quòd nata eſt, & uerbum, & imago, & Filius intelligatur, & in his omnibus nominibus non oſtendatur eſſentia, quia relatiuè dicuntur: At in altero quod eſt ſapientia, quoniam & ad ſe dicitur ſe ipſa enim ſapiens eſt, etiam eſſentia demonſtretur, & hoc eius eſſe quod ſapere. Vnde Pater, & Filius ſimul una ſapientia, quia una eſſentia, & ſigillatim ſapientia de ſapientia, ſicut eſſentia de eſſentia.* Clarius explicari non poteſt quòd Auguſtinus quando Verbum Æternum ſapientiam genitam vocat, nomine ſapientiæ intelligit terminum media ſapientia productum, non verò ſapientiam quo ad ſapientiæ rationem procedere affirmat. Imo ex hoc quòd Verbum Æternum ſapientiam genitam dicit, denotare intendit identitatem in ratione ſapientiæ, inter Verbum procedens, & Patrem producentem. Dicitur enim Verbum ſapientia de ſapientia, ſicut dicitur eſsẽtia de eſſentia, & ſenſus eſt, quòd Filius qui eſt ſapientia, eſt à Patre qui eſt eadem ſapientia, ſicut Filius qui eſt diuina eſſentia, eſt à Patre qui eſt cum Filio eadem eſſentia diuina. Et eodem modo debet intelligi D. Auguſtinus 9. D.Aug.
de Trinit. cap. 10. cum ait. *Verbum eſſe cum amore notitiam.* Quoniam quamuis reſpectu creati intelligentis, verbumquè animaſticum per intellectionem formantis, notitia pro vtroquè verbo, tantùm ſcilicet effectiuo, & obiectiuo, & effectiuo ſimul (quod verbum animaſticum voco) vſurpari poſſit. Nihilominus, quatenus ad verbi diuini prædicationem transfertur, quia notitia in diuinis vt docet Auguſtinus, non procedit, id circo nomine notitiæ debet intelligi terminus per notitiam productus, ſeù verbum obiectiuum, & effectiuum ſimul, ſeu verbum animaſticum, vt optimè D. Thomas infra quæſt. 34. art. 1. ad 2. obſeruauit, cuius verba ſupra paulo ante retulimus.

40 Aliquando nomine verbi notitiam, ſeù verbum effectiuum pro vt à verbo obiectiuo, &

uo, & effectiuo ſimul accipit. Ita videtur eſſe locutus 15. de Trinit. cap. 15. propè finem vbi ſic ait, *Quid eſt inquam hoc formabile non dumque formatum, niſi quidam mentis noſtræ, quod hac, atquè hac, uolubili quadam motione iactamus, cum à nobis nunc hoc, nunc illud, ſicut inuentum fuerit, uel occurrerit cogitatur? Et tunc fit uerum uerbum quando illud quod nos diximus uolubili motione iactare, ad id quod ſcimus peruenerit, atquè inde formatur, eius omnimodã ſimilitudinem capiens, ut quomodo res quæque ſcitur, ſic etiam cogitetur, ſine uoce, ſine uocis cogitatione, quæ profectò alicuius linguæ eſt, ſi in corde dicitur. Ac per hoc etiam ſi concedamus, ne de controuerſia uocabuli laborare uideamur, iam uocandum eſſe uerbum quiddam, illud mentis noſtræ quod de noſtra ſcientia formari poteſt, & priuſquam formatum ſit*, & poſt pauca in principio ſequentis capitis ſic ait; *cogitatio quippè noſtra perueniens ad id quod ſcimus, atquè inde formata uerbum noſtrum uerum eſt*, & paulò

41 interius ſic ait. *Illud quoquè fatendum eſt, quòd etiam cum ſimiles ei erimus, quando uidebimus eum ſicuti eſt, quod utique qui dixit, hanc proculdubio quæ nunc eſt diſſimilitudinem attendit, nec tunc natura illi erimus æquales; ſemper enim natura minor eſt faciente quæ facta eſt. Et tunc quidem uerbum noſtrum non erit falſum, quia neque mentiemur, neque fallemur. Fortaſſis etiam uolubiles non erunt noſtræ cogitationes ab alijs in aliàs euntes, atquè redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram uno ſimul conſpectu uidebimus*. Vbi quamuis

42 quantum ad præcedentes authoritates ex cap. 15. vſquè ad 16. excepta hac vltimo loco adducta, interpretari poſſit Auguſtinus de vtroquè verbo, tamen quantum ad hanc vltimam quæ de verbo reſpectu claræ Dei viſionis differit, non niſi de verbo tantùm effectiuo, interpretari poteſt, ac debet; & ſenſus verborum Auguſtini eſt, quòd videntiũ Deum, viſio nõ eſt falſa ſed vera, ac determinata, Dei aliarumque rerum firma, ac ſincera cognitio. Et eodem lib. 15. cap. 12. paulò ante finem ſic ait. *Hæc igitur omnia, & quæ per ſe ipſum, & quæ per ſenſus ſui corporis, & quæ teſtimonijs aliorum percepta animus humanus, Theſauro memoriæ condita tenet, ex quibus gignitur uerbum uerum, quando quod ſcimus loquimur, ſed uerbum ante omnem ſonum, ante omnem cogitationem ſoni. Tunc enim eſt uerbum, ſimillimum rei notæ de qua gignitur, & imago eius, quia de uiſione ſcientiæ uiſio cogitationis exoritur, quod eſt uerbum linguæ nullius, uerbum uerum de re uera, nihil de ſuo habens, ſed totum de illa ſcientia de qua naſcitur*. Quæ verba de vtroquè verbo non incongruè interpretari poſſunt. Nam per hoc quòd verbum dicitur verum de re vera, ab intellectu natum, non ſolùm conuenit verbo obiectiuo, verùm etiam ipſi notitiæ. Etenim notitia vera, eſt de re vera ab intellectu producta, & ſimiliter, quando verbum dicitur ſimillimum rei notæ, de vtroquè verbo verificari poteſt. Quandoquidem ſimilitudo duplex eſt. Conuenientiæ, ſeù conformitatis ad obiectum; Et formalis, ideſt in ratione formæ ſignificatæ. Ratione primæ acceptionis, conuenit intellectioni veræ, eſſe verbum, quia vera cognitio, ſeù verum iudicium in nobis, ideo dicitur, quia conformatur obiecto. Oratio enim dicitur vera, vel falſa, ex hoc quòd res eſt, vel non eſt. Ratione vero ſecundæ acceptionis, accipitur verbum obiectiuè. Quapropter aliam particulam adiunxit, nempè, *& imago eius*: attamen capite 13. ſequenti ſic ait, *Quis hoc dicat, qui non animal rationale, ſed ſupra animam rationalem Deum cogitat quantum ab eis cogitari poteſt, qui eum omnibus animalibus, & omnibus animis præferunt, quamuis per ſpeculum, & in ænigmate conijciendo uideant, nondum facie ad faciem ſicuti eſt*; Per quæ verba euidenter inſinuat Auguſtinus quòd quando Deum facie ad faciem videbimus, ipſum per verbum verum, nempè per viſionem quæ eſt verbum tantùm effectiuũ; non autem per verbum obiectiuum contemplabimur.

43 Nec mirum quòd nomine verbi D. Auguſtinus aliquando intelligit ipſam notitiam, ſeù intellectionem, & aliquando conceptum per notitiam formatum. Ex eo quia ſcopus ipſius eſt, Verbi diuini proceſſionem pro viribus balbutiendo tamen fidelibus explicare. De Verbo autem diuino multa explananda, ac explicanda ſunt. Proceſſio ſcilicet à Patre, ſimilitudo in natura Patris, coæternitas Verbi cum Patre, &c. Ad explicandam Verbi diuini conuenientiam in natura Patris, atquè conſubſtantialitatem; per verbum creatum non tantùm effectiuum, quod eſt notitia ipſa ab intellectu procedens, ſed obiectiuum, & effectiuum ſimul, quod eſt formalis, ac expreſſa rei notæ ſimilitudo, ſeù imago. Ad explicandum verò, Verbi diuini à Patre tanquam ab intelligente proceſſionem in ratione prolis genitæ, ac termini producti, per ſe a Patre, tanquam à producente intenti, conuenientius per verbum tantùm effectiuum, nempè per notitiam ab intellectu creato procedentem declaratur. Quia verbum quod eſt rei, formalis ſimilitudo, & imago, non eſt per ſe primò ab intellectu creato intentum, ſed ipſa intellectio eſt terminus per ſe primò in ratione termini producti ab intellectu intenta, vt ex ſupradictis diſputatione præcedenti colligi poteſt. Si hæc ab aduerſarijs diligenter conſiderata fuiſſent, fortaſſe nequè contra Thomiſtas tam liberè inſurrexiſſent, nequè D. Auguſtini authoritatem pro ſua fulcienda ſententià tam ſolemniter adduxiſſent. Nam

quando

quando D. Auguſtinus dixit notitiam eſſe verbum. Si loquitur de vtroquè verbo ſimul, ſic debet interpretari: Eſt verbum effectiuum identicè, & obiectiuum connexiuè. Si loquitur de verbo obiectiuo, ſic debet interpretari. Notitia non identicè, & ratione ſui, ſed ratione conceptus eſt verbum; & ſic de cæteris iuxta doctrinā traditam. Si verò ad ſimilitudinis expreſſæ rationem pertinens nihil ponatur, vtroquè modo poteſt exponi, nempè, quòd notitia eſt ſimilitudo, ſeu intelligentem obiecto ſimilem facit; & ratione ſpeciei impreſſæ, & ratione ſpeciei expreſſæ; & vtraquè explicatio eſt ad mentem D. Auguſtini. De ſecunda quidem patet. De prima verò, quæ eſt ſupradictorum illuſtriſſimorum virorum, probatur ex verbis eiuſdem D. Auguſtini. His enim verbis diſcurrit Auguſtinus. *Habet ergo animus nonnullam ſpeciei notæ ſimilitudinem; ſiue cum ea placet; ſiue cum eius priuatio diſplicet. Quo circa in quantum Deum nouimus ſimiles ſumus.* Hæc ille. Quaſi diceret, ſeu hunc formaret ſyllogiſmum. Habens ſimilitudinem rei intra ſe eſt ſimile rei cognitæ, ſed nos in hac via aliquo modo cognoſcimus Deum. Ergo aliquo modo ſimiles Deo ſumus.

44 Obijcies ſecundò Authoritate Sancti Anſelmi maximè ab aduerſarijs celebrata, & præſertim à Vaſquez diſput. 38. cap. 2. num. 8. vbi ait. *Anſelmum clariſſimè ſuam ſententiam aſſerere, hactenus inquit Anſelmus qui mea quidem ſententia clarius non poterat aſſerere id quod diximus. Nam non ſolùm ait in cognoſcente exprimi ſimilitudinem rei cognitæ, verùm etiam ipſimmet expreſſam ſimilitudinem eſſe cognitionem.* Authoritas autem Anſelmi eſt iſta. Nam in Monologion cap. 31. *Nulla ratione, inquit, negari poteſt cum mens rationalis ſe ipſam cogitando intelligit imaginem ipſius naſci, in ſua cogitatione imo ipſam cogitationem ſui eſſe imaginem ad ſui ſimilitudinem tanquàm ex eius impreſſione formatam: quamcumque enim rem mens, ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtiquè ſimilitudinem quantum valet in ipſa ſua cogitatione conatur exprimere. Habet igitur rationalis cum ſe cogitando intelligit ſe cum imaginem ſuam ex ſe natam, id eſt cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem quaſi ſua impreſſione formatam; quæ imago eius, verbum eius eſt.* Hæc ille. Et hæc eſt Authoritas Anſelmi prò, & ab aduerſarijs tam ſolemniter celebrata.

Vaſquez. Anſelm.

45 Reſpondetur tamen, quòd ante quadringentos circiter annos, verba D. Anſelmi, ab Angelico præceptore D. Thoma, fuerunt optimè ponderata, atquè explicata, vt patet infra quæſt. 34. art. primo ad ſecundum, vbi quærens. *Vtrum verbum in diuinis, ſit nomen perſonale*, & Reſpondens affirmatiuè: in contrarium adducit ſupradictam D. Auguſtini authoritatem, & præſentem D. Anſelmi doctrinam, & vtramquè explicat; & quidem de Auguſtino iam dictum eſt. De Anſelmo verò Reſpondet, Anſelmum impropriè accipere cogitationem pro contemplatione. Verba autem D. Thomæ ſunt iſta. *Et per eumdem modum poteſt intelligi, quòd dicere Deo ſit cogitando intueri, in quantum, ſcilicet, intuitu cogitationis diuinæ concipitur verbum Dei. Cogitationis tamen nomen Dei verbo propriè non conuenit. Dicit enim Auguſtinus 15. de Trinit. ita dicitur illud verbum Dei ut cogitatio non dicatur, ne aliquid eſſe quaſi volubile credatur in Deo, quod non accipiat formam, ut verbum ſit, eamque dimittere poſſit, atquè informiter, quodammodo volutari. Cogitatio enim propriè in inquiſitione veritatis conſiſtit, quæ in Deo locum non habet. Cum verò intellectus iam ad formam veritatis pertingit, non cogitat, ſed perfectè veritatem contemplatur. Vnde Anſelmus impropriè accipit cogitationem pro contemplatione.* Hæc ille. Et ſenſus eſt quòd Deus intuitu cogitationis diuinæ concipit verbum, ſeu clarius, Deus ſua cogitatione concipit verbum.

D.Thom. August. Anſelm. D.Thom.

46 Et hoc eſt a Sancto Auguſtino pluries declaratum, & præſertim lib. 15. de Trinit. cap. 15. vbi ſic ait. *Cum verbum noſtrum noſtra cogitatione dicatur inuenire difficile eſt.* & paulo infra. *verbum verum*, inquit, *noſtrum intimum niſi noſtra cogitatione non dicitur.* Et hoc loquendo de notitia, & verbo diuino, quoniam ſi ſermo ſit, de notitia mentis creatæ extra viſionem Dei, dices, Anſelmum locutum eſſe de vtroquè termino effectiuo tantùm, ſcilicet, & obiectiuo, & effectiuo ſimul; de viſione autem Dei, explica illum de verbo tantùm effectiuo.

47 Obijcies Tertiò authoritate D. Thomæ quæſt. 8. de potentia art. 1. vbi hæc habet verba. *Verbum noſtri intellectus non eſt extrinſecum ab ipſo intelligere intellectus, cum ipſum intelligere compleri non poſſit ſine verbo prædicto.* Hæc ille. Ergo verbum ſecundùm Sanctum Thomam eſt idem ac intellectio. Patet conſequentia. Quia quod non eſt extrinſecum ab aliqua re, & ſpectat ad illius completiuum eſt idem cum illo: ſed per Diuum Thomam non eſt quid extrinſecum ab intelligere, & eſt eiuſdem completiuum. Ergo verbum non diſtinguitur ab intelligere.

D.Thom.

48 Reſpondetur Sanctum Thomam niſi extortè interpretetur, perpetuò ſuſtinuiſſe verbum procedere per intelligere, per actum notitiæ, per intellectionem, & eſſe ab

ab intelligere realiter diſtinctum . Et cum pro oppoſita opinione refertur, deſeritur, non defenditur .

49 Reſpondetur itaquè explicando authoritatem D. Thomæ. Verbum noſtri intellectus non eſt extrinſecum ab ipſo eius intelligere, connexiuè, concedo, & in hoc ſenſu locutus eſt D. Thomas . Entitatiuè, nego, & in hoc ſenſu non locutus eſt D. Thomas. Et cum dicit intelligere compleri non poſse ſine verbo , ſic explicari debet . Sine verbo repræſentante obiectum, compleri non poteſt , id eſt haberi non poteſt intelligere noſtri intellectus in eſſe completo, concedo. Compleri non poteſt, id eſt conſtitutiuè, quaſi entitas ipſius intelligere conſtituatur, & compleatur intrinſecè per verbum, nego . D. Thomas locutus eſt primo, non autem ſecundo modo .

D.Thom. 50 Sed contra. D. Thomas de verit. quæſt. 4. art. 3. vbi quærit , *Num Verbum Spiritui Sancto conueniat* . in reſponſione ad 3. hæc habet verba. *Ad 3. dicendum quòd notitia eſt de ratione Verbi , quaſi importans eſſentiam Verbi, ſed amor eſt de ratione Verbi , non quaſi pertinens ad eſſentiam eius , ſed quaſi concomitans ipſum, vt ipſa authoritas ibi inducta oſtendit; & ideo non poteſt concludi, quòd Spiritus Sanctus ſit Verbum, ſed quòd procedit ex Verbo.* Et in eadem quæſt. art. 2. vbi quærit . *Num Verbum in diuinis eſſentialiter, vel perſonaliter dicatur* . In reſponſione ad 2. hæc habet verba . *Ad 2. dicendum, quòd notitia quę ponitur in diffinitione verbi , eſt intelligenda notitia expreſſa ab alio, quæ in nobis eſt notitia actualis* . Ergo ad mentem D. Thomæ dicendum eſt , quòd notitia nedum connexiuè, verùm etiam entitatiuè , ſit ipſum verbum quod repræſentat obiectum. Probatur conſequentia. Quia per D. Thomam notitia eſt de ratione verbi tanquam aliquod eſſentiale verbo : ſed quod eſt de ratione alicuius tanquam eſſentiale illi, non diſtinguitur entitatiuè ab eo . Ergo. Item Diuus

D.Thom. Thomas docet , quòd quando verbum vocatur notitia , debet intelligi de notitia expreſſa ab alio. Ergo notitia pro vt ponitur in diffinitione verbi , nihil a verbo diſtinctum addit .

51 Reſpondetur explicando vtramquè D. Thomæ authoritatem , & quidem primo loco adductam ſic explico . Notitia eſt de ratione verbi quaſi importans eſſentiam verbi, cauſaliter, concedo. Formaliter, ne-

52 go. Forma enim, & materia ſunt de eſſentia totius compoſiti phyſici, & ſecundùm probabilem multorum philoſophorum , grauiorumquè Thomiſtarum ſententiam , totum diſtinguitur realiter à ſuis partibus etiam ſimul vnitis ; Et tamen materia , & forma ita ſunt de ratione totius, vt ſint quaſi eiuſdem eſſentia; non quidem formaliter, ſed cauſaliter . Quia ſcilicet, totum, totius rationem non haberet, niſi haberet partes, nempe materiam, & formam , ex quibus tanquam aliquid ab ipſis diſtinctum coaleſcat . Ita quoquè in præſenti, notitia eſt de ratione verbi, quaſi pertinens ad eſſentiam eius, non formaliter, ſed cauſaliter. Quia licet, eſſentia verbi non ſaluatur, nec intelligi poteſt , niſi per notitiam procedere intelligatur ; Et hoc modo intelligendus

53 eſt D. Thomas . Ad aliam authoritatem dico, quòd ſi ſermo ſit de notitia creata extra claram Dei viſionem , poteſt explicari D. Thomas de vtroquè verbo, nempè effectiuo tãtum, & obiectiuo, & effectiuo ſimul. Quoniam vtrumquè verbum ab intellectu exprimitur . Vnum nempè intellectio ab intellectu fęcundato ſpecie impreſſa abſque vlla media actione . Alterum verò exprimitur ab eodem intellectu media intellectione quaſi in fieri. Si autem ſermo ſit de viſione clara Dei quam habent Beati, ſic , ſola notitia eſt verbum, non obiectiuum, ſed tantùm effectiuum . Et tandem ſi ſermo ſit de Verbo diuino, nomine expreſſæ notitiæ, debet intelligi conceptus per notitiam expreſſus .

54 Vt autem omnis hæſitationis ſuſpicio à Nouitijs amoueatur , videatur D. Thomas loco in ſecunda authoritate adducto in reſponſione ad 3. vbi hæc habet verba . D.Thom.
Ad 3. dicendum, quòd conceptio intellectus eſt media inter intellectum , & rem intellectam , quia ea mediante operatio intellectus pertingit ad rem, & ideo conceptio intellectus non ſolùm eſt id quod intellectum eſt , ſed etiam id quo res intelligitur, vt ſic id quod intelligitur poſſit dici & res ipſa, & conceptio intellectus . Et ſimiliter id quod dicitur, poteſt dici & res quæ dicitur per Verbum , & verbum ipſum , vt etiam in verbo exteriori patet , &c. Et in eadem ſupradicta reſponſione ad 1. ſic ait . *Similiter autem quod Anſelmus dicit , quòd dicere eſt cogitando intueri, eſt intelligendum , ſi propriè dicere accipiatur, de intuitu cogitationis, ſecundùm quòd per ipſum aliquid progreditur , ſcilicet cogitatum ipſum* . Vbi manifeſtè noſtram explicationem docet , nempè quòd notitia eſt de ratione verbi , & quaſi eſſentialis ratio ipſius , cauſaliter , non formaliter . Anſelm.

55 Obijcies Quartò. Cognitio habet totum illud quod requiritur ad rationem verbi . Ergo verbum eſt ipſa actualis intellectio . Probatur antecedens. Duo ſunt de ratione formali verbi , procedere à dicente, & eſſe ſimilitudinem formalem obiecti , ratione cuius intelligens in actu ſecundo , aſſimilatur obiecto : ſed hæc duo conueniunt cognitioni, & præſertim beatificæ viſioni . Ergo. Maior patet . Probatur minor . Quia intellectio noſtri intellectus ab ipſo immediatè procedit. Concurrit enim actiuè intellectus ad viſionē, vt infra probabimus.

Eſt

Digitized by Google

Eſt etiam viſio, ſeu cognitio, formalis ſimilitudo obiecti. Nam per ipſam ſumus ſi-
56 miles obiecto in actu ſecundo. Ita videtur expreſſum in Sacra Scriptura in illo 1. Ioannis 3. *Cum autem apparuerit ſimiles ei erimus*. Ante viſionem non ſumus ſimiles perfectè Deo, cum videbimus, erimus perfectè ſimiles illi. Ergo viſio eſt illa quæ nos Deo in actu ſecundò perfectè ſimiles facit. Ergo viſio eſt formalis ſimilitudo obiecti. Ergo, &c.

1.Io.3.

57 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem circa primam partem aliquid dicendum occurreret, quia differẽter ab intellectu procedit intellectio, & procedit verbum. Intellectio non procedit per dictionem, ſeu per actionem aliquam mediam à ſe ipſa diſtinctam, quoniam ipſa eſt intellectus operatio, & conſequenter non per aliam mediam dictionem procedit. At verò verbum intellectus noſtri procedit media aliqua actione, quæ eſt eadem intellectio in ratione dictionis: ſed nihilominus tranſeat probatio, quo ad primam partem; Negatur autem quo ad ſecundam. Intellectio enim, & quæcumquè intellectualis cognitio non eſt formalis ſimilitudo obiecti repræſentatiua, ſed obiecti immediatè per ſe ipſum, vel per verbum repræſentati attingentia. Ad cuius autem probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam; vel diſtinguo conſequens. Ergo viſio eſt illa quæ nos Deo in actu ſecundo pefectè ſimiles facit, per modum attingentiæ, concedo conſequentiam. Per modum ſimilitudinis, nego conſequentiam.

58 Aduerſarij ſuper ſydera hoc argumentum extollunt, dictam Sacræ Scripturæ authoritatem exagerando. Eo quia Sanctus Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta, dixit. *Cum autem apparuerit ſimiles ei erimus. Nam videbimus eum ſicuti eſt*. Apud Thomiſtas verò, alioſquè ſanè intelligentes, nullius difficultatis eſt. Eo quia id quò potentia aſſimilatur obiecto, debet eſſe forma obiecti, & conſequenter ex parte illius ſe tenẽs. Intellectio autem eſt operatio intellectus ſe tenens ex parte eiuſdem, tanquàm tendentia ad obiectum, vt attingentia illius in ratione cognoſcibilis: nec vnquàm inſinuatum eſt in Sacra Scriptura, quòd per viſionem ſumus formaliter Deo ſimiles. Solùm enim dicitur, *Cum autem apparuerit ſimiles ei erimus. Nam videbimus eũ ſicuti eſt.*

1.Io.3.

1.Io.3.

59 Magis tamen preſsè, & clariùs ſupradicta Sacræ Scripturę authoritas explicatur. *Cum autem apparuerit ſimiles ei erimus, Nam videbimus eum ſicuti eſt*. Quaſi diceret, cum videbimus Deum ſicuti eſt, tunc ei perfectè ſimiles erimus. Quia tunc vtraquè ſimilitudine ex parte obiecti ſcilicet, & ex parte potentiæ diuinæ aſſimilabimur Maieſtati, magis quàm in via. Etenim *Cum videbimus eum ſicuti eſt*, erimus ei ſimiles ſimilitudine ex parte cognoſcentis ſe tenente; quia ſicuti Deus cognoſcit ſe ipſum per ſe ipſum ita quoq; nos, cognoſcemus eum per eumdem Deum. Erimus quoquè ſimiles ſimilitudine ſe tenente ex parte obiecti, ratione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis, necnõ in ratione termini nobis vnitæ, & ſic ſenſus eſt, quòd cum videbimus eum ſicuti eſt, tunc erimus ei perfectè ſimiles, quia tunc erit vnio diuinę eſſentiæ intellectui noſtro, in actu primo, & in actu ſecũdo, & ipſamet viſio. Ratione primæ erimus Deo ſimiles ſimilitudine ſe tenente ex parte obiecti, ratione verò ſecundæ, erimus ſimiles ſimilitudine ſe tenente ex parte potẽtiæ. Et ꝑpterea ꝑfectè ſimiles ei erimus.

60 Nec potui vnquam capere, vnde aduerſarij tantam habeant repugnantiam, ad concedendum verbum actualiter obiectum repræſentans, vltra actualem notitiam. Cum etiam duo ante intellectionem admittant, vnum ex parte obiecti, quod eſt ſpecies impreſſa, vel ipſum obiectum per ſe ipſum intimè præſens in eſſe obiectiuo, & alterum potentiã intellectiuam ſufficienter per lumen cõſtitutam, vt poſſit intelligere: ſpeciem impreſſam, & potentiam cum lumine, dicunt eſſe duo realiter diſtincta, ſpeciem autem expreſſam, & intellectionem, identificari contendunt. Nullum re uera apparet fundamentum.

61 Obijcies Quintò ex Faſolo infra quæſt. 27. art. 1. num. 249. *Quia poſita prima forma actuali prius producta ab intellectu per actionem intelligendi, apparet euidenter ſuperflua, & irrationabilis alia ſecunda forma, etiam actualis producta à prima. Quid enim muneris fingi poteſt obiri à ſecunda, quod non æquè benè obiri poſſit à prima. Ergo nulla neceſſitas eſt multiplicandi ſecundam*. Ergo ſunt vt aq; vnum. Faſolus.

62 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Poſita prima forma actuali prius producta ab intellectu, per actionem intelligẽdi, apparet euidenter ſuperflua, & irrationabilis alia ſecunda forma eiuſdẽ rationis, cõcedo. Diuerſæ omnino rationis, nego antecedẽs. Nam vltra intellectionem immediatè productam, tanquàm per ſe ipſam, actionem, quando obiectum non eſt intimè præſens intellectui, producitur alia forma actualis, quę nõ eſt operatio, ſed expreſſa ſimilitudo obiecti, ipſum ſcilicet, in actu ſecundo repræſentans.

63 Cum autem ait, *quid enim muneris fingi poteſt, &c*. Sępe numero verbis odibilibus in Thomiſtas inſurgit, & in præſenti aſſumit quòd nihil *muneris fingi poteſt*, in qualitate ab intellectione diſtincta puta verbo, quod *non æque benę obiri poſſit ab intellectione*. Faſolus.

Digitized by Google

Quid autem muneris habeat forma, quæ eſt ſpecies expreſſa, ſeu verbum vltra actum intelligendi, extant libri Thomiſtarum. Verbum enim eſt expreſſa, ac formalis obiecti ſimilitudo, ipſum in actu ſecundo intellectui repræſentans. Sed candidè Lector ſi ſcire cupis quid ſit forma ficta, huius Patris opera lege, connectentis inconnexa, & diuidentis vnita; vt pro opportunitate materiæ demonſtrabo.

Sed aduerte, quòd in creatis vltra qualitatem quæ eſt intellectio, non admittunt Thomiſtæ aliam qualitatem ſequentem primam in eſſe completo conſideratam, ſed in fieri tantùm, vt explicatum eſt. Videantur alia argumenta Aureoli, & Durandi apud Capreolum in 1. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 2. Capreol.

DISPVTATIO XXXV.

VTRVM BEATI VIDENDO DEVM forment verbum.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 MEritò Doctores ſolent hoc quæſitum ſupradicto modo proponere per illam particulam, *forment*, Quoniam magis conuenit verbo mentis noſtræ, quàm verbo diuino formari. Nam illud dicitur propriè formari, quod formabile eſt, illud dicitur formabile, quod informe eſt; Verbum verò diuinum non informe, ſed ſimplex, ac ſempiterna forma eſt; & verbum intellectus creati dicitur formatum, & formabile. Quia non ſemper exiſtit. Vnde D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 15. circa finem de verbo noſtro loquẽs, ſic ait. *Tale eſt enim ſi dicatur, ideo iam vocandum eſſe verbum, quia poteſt eſſe verbum. Sed quid eſt quod poteſt eſſe verbum, & ideo iam dignum eſt verbi nomine? quid eſt inquam hoc formabile nondumquè formatum, niſi quidem mentis noſtræ, quod hac, atquè hac, volubili quadam motione iactamus?* & paulò infra. *Iam*, inquit, *vocandum eſſe verbum quiddam illud mẽtis noſtræ quod de noſtra ſcientia formari poteſt, & priuſquam formatum ſit: quia iam vt ita dicam formabile eſt. Quis enim videat quanta hic ſit diſſimilitudo ab illo Dei verbo, quod in forma Dei ſic eſt, vt non antea fuerit formabile priuſquam formatum, nec aliquando eſſe poſſit informe, ſed ſit forma ſimplex, & ſimpliciter æqualis ei de quo eſt, & cui mirabiliter coæterna eſt.* D. Aug.

2 Quærimus de facto, vtrum ſcilicet, Beati Deum videntes, forment verbum. Quoniam de poſſibili, diſputabimus diſputatione ſequenti. Quærimus abſolutè, vtrum forment verbum. Quoniam in præſenti diſputatione diſquirimus de formatione verbi totalis; Vtrum autem Beati verbum forment partiale per viſionem beatificam, de vno ſcilicet, & non de altero attributo, vel de creaturis, & non de Deo, inueſtigabimus diſputatione ſpeciali. Diſputatio abſquè dubio grauis, Vnde Syluester in conflato quæſt. 12. art. 2. ait, quòd *viri magni circa hoc dubitant*. Syluest.

3 Partem affirmatiuam defendunt omnes Doctores ſuſtinentes verbum, & intellectionem eſſe vnam eamdemquè entitatem ab intellectu productam. Dixi ab intellectu productam. Quoniam docentes intellectionem non effectiuè ab intellectu produci, non admitterent verbum identificari cum intellectione, quoniam verbum à dicente procedere, neceſſarium eſſe concedunt. Vnde quia Scotus non vniformiter de hac re locutus eſt, aliquando enim videtur dicere intellectum beati reſpectu viſionis claræ Dei paſſiuè tantùm ſe habere, & aliquando etiam actiuè ad eamdem poſſe concurrere docet, vt videbimus infra, propterea non poſſumus illum pro vna par-

Scotus. parte determinata referre, ſed ſub diſiunctione, nempè, ſi Scotus tenet viſionem beatificam a Beatis effectiuè produci, cum affirmet verbum identificari intellectioni productę, tenet etiam Beatos formare verbum. Si autem tenet merè paſſiuè ad viſionem Beatos ſe habere, tenet etiam non formare verbum. Imo Rada contr. 10. ar. 2. concl. 2. dicat, beatos videntes diuinam eſſentiam non formare verbum, etiam ſi viſio à Beatis effectiuè procedat, & hanc opinionem dicit eſſe Scoti, & ratio eius eſt, quia ad hoc vt verbum gignatur ab intellectu, neceſsè eſt vt naturaliter, non verò per voluntatem ſit genita: ſed viſio beata creata non eſt à diuina eſſentia per modum naturæ producta. Ergo, &c. Nihilominus Scotus in 1. diſt. 27. quæſt. 3. §. *Primum iſtorum*, ſic ait. *Declaro igitur, quælibet notitia eſt proles, & expreſſiua parentis, & genita ad exprimendum parentem*, & §. ſequenti *diſtinctam notitiam perfectè declaratiuam*, dicit *eſſe perfectum verbum*, & ibidem paulo poſt, hoc dubium mouet. *Vtrum ad rationem verbi concurrat voluntas; puta vtrum de ratione eius ſit, quòd ſit notitia voluntate genita, vel voluntate agente, vel copulante, eam memoriæ*. Cui reſpondet, *Non eſſe de eſſentia verbi actum voluntatis, nec formaliter, nec vt cauſa*, &c. & conſequenter non negat verbum liberè procedens ab aliquo principio non eſſe propriè verbum.

4 Rada.

5 Sed quidquid ſit de ſententia Scoti, Pro hac parte affirmatiua quidam referunt Capreolum immo omnes ipſum referentes, aſſerunt in 1. diſt. 27. quæſt. 2. ad argumenta contra primam concluſionem ſecundo loco adducta, ad 8. ex propria ſententia ſuſtinuiſſe beatos formare verbum, & Nauarrete hìc cōtr. 34. §. 1. ait, infra in 4. diſt. 49. quæſt. 5. mutaſſe ſententiam.

Capreol. Nauarret.

6 Sed vt tanti Doctoris verum ſenſum percipere poſſimus, non diſpliceat eius verba referre. ſic enim loco citato dicit. *Vtrum autem illa viſio Beatifica terminetur ad plura verba, vel ad vnicum, dubium eſt: veriſimile tamen videtur, quòd illa viſio terminetur ad unicum uerbum habitum de obiecto beatifico eſſentialiter in actu*. Hæc ille. in quibus verbis non dicit Capreolus, quòd illa viſione producatur vnicum verbum, ſed quòd *illa uiſio terminatur ad unicum uerbum*. Quare quæſo nomine verbi, viſionem beatificam terminantis, verbum increatum non poteſt intelligi. Itaquè per hæc verba, non debet, nec poteſt Capreolus, pro parte affirmatiua, magis quàm pro negatiua, referri. Vide num. 9. & 10.

Capreol.

7 Adducitur idem Capreolus, pro parte affirmatiua in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 3. ad argumenta primo loco adducta, contra primam concluſionem, per hoc, quòd, probabiliter vtramquè ſuſtinet contradictionis partem, & addit quòd D. Thomas videtur tenere quod ſic.

Capreol.

8 Veruntamen placeat eius verba percurrere. ſic enim ibi habet. *Vtrum autem Beati forment uerbum; communiter tenetur quòd non habent aliud uerbum à Verbo increato diſtinctum, propter intimam præſentiam uerbi ad intellectum beatum, ſicut nec habent aliam ſpeciem intelligibilem quam diuinam eſſentiam. De hoc uide Henricum 4. quodlib. quæſt. 8. ubi quærit. Vtrum uidentes diuinam eſſentiam forment uerbum. Vide etiam Bernardum in impugnatione quæſtionis eiuſdem. Potiſſimè fundamentum arguentis totaliter eſt inane; ſi ponatur quòd actus intelligendi non eſt de genere qualitatis, ſed de genere actionis. Conſtat enim quòd reſpectus de genere actionis non poteſt eſſe ſimilitudo alicuius abſoluti, nec repræſentatiuus, niſi ratione ſui principij, vel termini. Vtrum autem hoc uerum ſit, pro nunc non diſcutio, quia utraquè poſitio probabilis eſt, tamen Sanctus Thomas uidetur tenere quòd ſic*. Hæc ille.

Henricus. Bernard.

9 Vbi primò aduerte, quòd dum ait, *Beatos non habere aliud uerbum à uerbo increato diſtinctum*, explicat ſe ipſum quando in 1. diſt. 27. cit. dixerat, viſionem Beatorum terminari ad vnicum verbum. ſubaudi, quod eſt verbum increatum. & quamuis dicat verbum habitum de obiecto, non tamen dicit formatum.

Secundò, quòd pars negatiua, etiam tempore Capreoli communiter tenebatur, dum dixit, *Communiter tenetur quòd non habent aliud verbum &c.*

10 Tertiò Lectorem rogo, vt verba Capreoli ſemel, atquè iterum accuratè percurrat; ad hoc, vt totius ſermonis detegatur vera ſyntaxis. Nam cum Capreolus hæc verba profert. *Vtrum autem hoc uerum ſit, pro nunc non diſcutio, quia utraquè poſitio probabilis eſt, tamen Sanctus Thomas uidetur tenere quòd ſic*. Meo iudicio horum verborum pronunciatio, ſupra illud quæſitum, *Vtrum*, ſcilicet, *Beati forment uerbum*, nullo modo cadit, ſed ſupra id quod paulo ante dixerat, nempè, *fundamentum arguentis totaliter eſt inane, ſi ponatur, quòd actus intelligendi non eſt de genere qualitatis, ſed de genere actionis*: Eo quia illi priori quæſito, *Vtrum*, ſcilicet, *Beati forment uerbum*, iam reſponderat, & Lectorem ad Henricum, ac Bernardum remiſerat, qui ſuſtinent Beatos Deum videntes non formare verbum; Quo peracto ad arguentis argumentum diſcutiendum ſe totaliter tranſtulit. Ergo vera verborum Capreoli conſtructio non ſaluatur, niſi ly, *utrū autem hoc uerū ſit*, applicetur ſupra id quod immediatè ante præmiſerat; Et hoc euidenter oſtendit illa particula, *hoc*, quæ eſt dictio alicuius, vel præſentis, vel immediatè antecedentis demonſtratiua. Cum igitur hæc ſit vera ſermonis Capreoli intelligentia

Capreol. Henricus. Bernard. Capreol.

tia, fruſtra à Doctoribus ratione huiuſ modi loquendi, pro parte affirmatiua citatur.

Sylueſt. Ferrar. Gabriel. Durand. Vaſquez. Molina. Arrubal. Faſolus. Recupit. Suarez. D.Bona.

11 Sylueſter tamen in Conflato quæſt. 12. art. 2. quamuis dicat poſſe à Beatis non produci verbum, *verius tamen*, inquit, *uidetur quòd uerbum producunt*. Ferrarienſis, in 1. cont. gent. cap. 53. concl. 5. ait, quòd de Beatis poteſt vtrumquè ſuſtineri, ſcilicet, & quòd forment verbum, & quòd non forment, Gabriel in 1. diſt. 27. quæſt. 2. Durandus qui ſupra, Vaſquez hic diſp. 38. Molina hic diſp. 1. Arrubal diſp. 17. Faſolus hic dubit. 3. Recupitus de veritate lib. 6. quæſt. 25. num. 6. Suarez lib. 2. de attributis negatiuis cap. 11. num. 5. Solet etiam pro hac opinione adduci D. Bonauentura in 1. diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. ad vltimum. Vbi tamen hæc verba profert. *Deus eſt præſens ipſi animæ, & omni intellectui per ueritatem, & ideo non eſt neceſſè ab ipſo abſtrahi ſimilitudinem per quam cognoſcatur: nihilominus dum cognoſcitur ab intellectu, informatur quadam notitia quæ eſt ſimilitudo quædam, non abſtracta, ſed impreſſa, inferior Deo, quia in natura inferiori; Eſt ſuperior tamen anima, quia facit ipſam meliorem*, Quæ tamen verba non tam clarè de clara Dei viſione loquuntur; imo potius de cognitione Dei extra viſionem beatificam interpretari indicant; per illa verba, *Deus eſt præſens ipſi animæ, & omni intellectui per ueritatem.* Non enim dixit per claritatem, ſed per *ueritatem*. Dixit, *omni intellectui* non autem Beatorum intellectui; Vnde ſenſus eſt, quòd Deus eſt præſens ipſi animæ, & omni intellectui per *ueritatem*, id eſt per eſſentiam, potentiam, & præſentiam & ideo non eſt neceſſè vt ab ipſo aliqua ſimilitudo abſtrahatur: & cum ſubiungit, *dum cognoſcitur ab intellectu informatur* &c. non loquitur de cognitione patriæ, ſed viæ. Itaquè ratione ſupradicti teſtimonij D. Bonauentura non eſt tàm clarè pro hac ſententia vt aduerſarij dicunt. Eamdem tamen ſententiam tenet Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 3. Machin, hic diſp. 15. ſect. 2. §. *Dicendum eſt igitur* & cęteri dicentes viſionem, & verbum identificari.

Sotus. Machin.

Capreol. Caietan. Ferrar. Bañes. Nazarius. Conzal. Salmanti. Zumel. Iauellus. Io: de S. Thom. Soncinn. Aluarez. Ledeſma. Suarez.

12 Partem verò negatiuam defendunt Capreolus in 4. diſt. 49. quæſt. 5. ſuppoſita tamen verborum eius vera ſyntaxi, iam num. 9. & 10. explicata Caietanus hic, Ferrarienſis loco citato, Bañes hic, Nazarius hic controu. 2. concl. 1. Conzalez diſp. 25. ſect. 4. num. 46. qui quamuis admittat verbum ſecundùm *quòd eſt terminus intrinſecus intellectionis, uniens intellectum cum obiecto*, negat tamen Beatos videndo Deum producere verbum, quod ſit ſimilitudo expreſſa diuinæ eſſentiæ, Salmanticenſes, tract. 2. de viſione Dei, diſp. 2. dub. 9. §. 3. num. 206. Zumel, Iauellus, & Ioannes de Sancto Thoma hic, Soncinnas in 4. diſt. 49. quæſt. 5. ad primum, Aluarez 1. 2. quæſt. 3. diſp. 19. num. 9. & 3. p. quæſt. 2. diſp. 13. num. 11. Ledeſma de perfect. Dei q. 8. ar. 5. & 6. dicens hanc ſententiam inter Thomiſtas eſſe *communiorem*, Suarez ipſe lib. 2. de attrib. negat. cap. 12. qui & ſi contendat beatos formare verbum, taliter quòd nequè etiam per Dei potentiam abſolutam poſſunt non formare illud, hoc tamen ideo affirmat, quia intellectio, & verbum vnum idemquè eſſe defendit, ſimilitudinem tamen creatam quæ ſit formalis ſimilitudo Dei, impoſſibilem eſſe dicit, in cuius ratione nos aſſerimus conſiſtere verbum. Dicimus enim verbum eſſe expreſſam obiecti ſimilitudinem.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

PRo determinatione ergo veritatis, Dico primò Si dicatur quòd verbum eſt intellectio producta, Beati verbum formant, ſed in tali caſu verbum non eſſet formalis ſimilitudo obiecti.

13 Prima pars probatur, quia Beati formant, ſeù producunt viſionem. Ergo formant verbum. Antecedens ſupponitur certum, & probabitur infra. Conſequentia autem patet, ex omnimoda inter intellectionem productam, & verbum identitate.

14 Nec valet quod Rada, & quidem alij Scotiſtæ dicunt, nempè quòd ad rationem verbi, etiam requiritur vt naturaliter ab obiecto procedat, & in caſu noſtro viſio clara Dei procedit liberè à diuina eſſentia, non autem neceſſariò.

15 Non inquam valet, primò. Quia ſi naturaliter ab obiecto procedere, aliquid verbo conferret, hoc eſſet in ratione geniti ſeu filij, quod tantummodo verbo increato propriè conuenit, verbo enim creato non conuenit ratio filij, ſed dicitur gigni, vel produci, tanquàm aliquid mente conceptum, in ratione ſimilis reſpectu obiecti. Quare intellectioni procedenti ab intellectu ratio verbi, neganda non eſſet.

16 Secundò. Quia ad rationem verbi ſufficit, vt procedat à mente fęcunda, ſiue fęcunditas liberè, ſiue naturaliter menti contingat. Ergo ſi intellectio, ſeu viſio clara Dei procedit ab intellectu, & aliàs eſt Dei clarè viſi ſimilitudo formalis, eſt verè, & propriè verbum, niſi de controuerſia vocabuli diſputemus.

Secun-

Digitized by Google

Secunda pars eſt euidens. Quia viſio non eſt formalis ſimilitudo obiecti, etiam per aduerſarios.

17 Dico Secundò. Beati Deum videntes, per viſionem claram Dei non formant verbum, ſuppoſito quòd verbum ab intellectione diſtinguatur,

D.Thom. Probatur primò. Quia ex D. Thoma 1. cont. gent. cap. 100. *Actiones immanentes ſunt perfectiones eorum quorum ſunt operationes, & poſſunt eſſe vltimæ. Quia non ordinantur ad aliquot factum quod ſit finis.* Ex quibus verbis hoc conficio argumentum. Beati Deum videntes non habent alium finem quàm videre Deum. Ergo non formant verbum. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Quia quidquid in viſione diuina interuenit, vel eſt finis ipſius viſionis, vel propter viſionem, ſed verbum non requiritur vt finis viſionis, quia viſio beatifica eſt actio immanens, quæ non ordinatur ad aliquod factum, tanquàm ad finem, vt ex verbis D. Thomæ iam citatis apparet: neque verbum producitur propter viſionem, quia viſio iam habet obiectum ſibi intimè præſens in ratione obiecti independenter ab omni alio ab intellectione diſtincto. Nam Deus qui per viſionem immediatè cognoſcitur, cum ſit maximè perfectus, immenſus infinitus, & in ſummo immaterialis, ſe ipſum per ſe ipſum in ratione obiecti intimè repræſentat.

18 Probatur Secundò. Quia ideo verbum in intellectu ponitur, vt obiectum fiat potentiæ intimè præſens: ſed Deus per ſe ipſum fit intimè præſens intellectui beati. Ergo de facto beati nullum aliud habent verbum præter verbum diuinum, & increatum. Patet conſequentia. Quia de facto ceſſante cauſa effectum ponendi, neceſſitas quoque ceſſat.

19 Probatur Tertiò. De facto non datur ſpecies impreſſa repræſentans Deum (argumentor ad hominem contra Suarez) Ergo neque etiam datur ſpecies expreſſa. Probatur conſequentia. Quia ideo non datur de facto ſpecies impreſſa creata intuitiuè Deum repræſentans, quia Deus eſt ſummè immaterialis, & infinitus in eſſe intelligibili, & conſequenter eſt per ſe ipſum intimè vnitus intellectui, Ita docent Communiter Iuniores concedentes ſpeciei impreſſæ poſſibilitatem, negantes verò de facto dari, & præſertim Suarez in met. diſp. 30. ſect. 11. num. 35. Probatur autem conſequentia. Quia ideo ponitur verbum, vt per ipſum intellectui repræſentetur obiectum. Ita velint, nolint, aduerſarij, & præſertim Suarez loco cit. num. 32. vbi tenens quòd cognitio ſit actualis ſimilitudo obiecti, ſeu verbum, ait, quòd *formalis conuenientia quæ eſt inter verbum, & obiectum, conſiſtit in hoc, quia ipſe actus eſt forma qua informando intellectum, intentionaliter, ſeu intelligibiliter illi refert obiectum, & hoc eſt formaliter repræſentare illud.* Idem pluries ibidem repetit, a numero 27. vſquè ad finem ſectionis.

Suarez.

20 Confirmatur. Quia recta eſt iſta argumentatio. Implicat ſpecies impreſſa creata. Ergo a fortiori implicat ſpecies expreſſa. Ergo recta eſt etiam iſta argumentatio. Non datur de facto ſpecies impreſſa creata. Ergo neq; de facto datur ſpecies expreſſa creata Deum in ſe repræſentans. Patet conſequentia. Quia quando non datur de facto id quod minus implicat, à fortiori multo minus de facto datur id quod magis implicat. Antecedens autem eſt Patris Faſoli in 1. part. quæſt. 27. art. 1. dubi. 13. num. 243. vbi hæc habet verba quæ etiam paulo ante diſputatione præcedenti retulimus. *Quamquàm nonnulli Thomiſtæ dubitant, vel etiam negant cum alijs ipſorum opinionibus. Cum enim putent in ſententia Sancti Thomæ implicare ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, & rectè aſſerant, eamdem imo etiam maiorem implicantiæ rationem eſſe de ſpecie expreſſa quàm alio nomine nunc vocamus Verbum; conſequenter ipſis dicendum fuit beatos per intuitiuam diuinæ eſſentiæ intellectionem non formare Verbum propter intimam illius eſſentiæ præſentiam ad intellectum creatum.* Hæc ille. Ergo eſt recta argumentatio in principio poſita, etiam ad mentem aduerſariorum. Faſolus.

21 Argumentum hoc, ſeù confirmatio magis exageratur ad hominem contra Scotum, & Scotiſtas. Scotus enim ait, ac reſolutè defendit, eſſe poſſibilem ſpeciem impreſſam immediatè, clarè, & diſtinctè, abſtractiuè tamen, & non intuitiuè diuinæ eſſentiæ repræſentatiuam. Ratio autem quare eſt impoſſibilis ſpecies intuitiuè Deitatis repræſentatiua eſt, quia quælibet ſpecies creata qua ſpecies creata eſt, eſt indifferenter obiecti repræſentatiua, ſiuè obiectum exiſtat, ſiue non exiſtat. Ergo neque etiam poteſt dari ſpecies expreſſa creata Deitatis intuitiuè repræſentatiua. Probatur conſequentia. Quia ſi eſt poſſibilis, & de facto datur ſpecies expreſſa creata Deum intuitiuè in actu ſecundo repræſentans, non eſt tergiuerſationi locus, vt poſſit ſpecies impreſſa Deum repræſentans intuitiuè, & in actu primo, negari, Sed ſi negatur impreſſa. Ergo ab eodem etiam debet expreſſa negari. Minus enim eſt, in actu primo Deum intuitiuè repræſentare, quàm in actu ſecundo. Scotus.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & ſolutiones.

Suarez. August. 22 OBijcies.1. ex Suarez loco citato n.6. his verbis. *Eſt hæc ſententia expreſſa D. Auguſtini lib.14. de Trinit. Vbi tractans à principio cap.16. illa verba Pauli, Rom.12.* Rom. 12. Ephes.4. *& ad Epheſi.4. Renouamini in nouitate mentis veſtræ, ipſe addit, Vt incipiat illa imago Vtiq; quæ eſt in mente noſtra, ab illo reformari à quo formata eſt, ſubditquè in cap.17. hanc reformationem paulatim fieri in hac vita, donec perficiatur in gloria. Vnde concludit in hac quippè imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio, de qua dicit Apoſtolus, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, & Apoſtolus Ioannes.* 1.Io.3. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt. Hinc apparet tunc in illa imagine Dei fieri perfectam ſimilitudinem, quando eius plenam perceperit viſionem. Sentit ergo in Beatis fieri quandam perfectam ſimilitudinem Dei, & hanc fieri per viſionem tanquam per verbum, quod per illam viſionem fit. Quod apertiſſimè declarauit idem Auguſtinus* August. *lib.15. de Trinit. cap.16. Vbi prius ſic inquit, cogitatio noſtra perueniens ad id quod ſcimus, atquè inde formata verbum noſtrum verum eſt. Additquè poſtea, Verbum diuinum non dici propriè cogitationem, quia non eſt mutabile, quam imperfectionem cogitatio ſignificat. Ac tandem ſubiungit. Quamobrem cum tanta ſit nunc in iſto ænigmate, diſſimilitudo Dei, & Verbi Dei, quanta nunc non illa ſimilitudo reperta eſt, illud quoquè fatendum eſt, quòd etiam cum ſimiles ei erimus quando videbimus eum ſicuti eſt, quod vtiquè qui dixerit, hanc proculdubio quam nunc eſt, diſſimilitudinem attendit. Nec tunc natura illi erimus equales. Semper enim natura minor eſt faciente, quæ facta eſt. Et tunc quidem verbum noſtrum, non erit falſum, quia nequè mentiemur, nequè fallemur. Eſſe perfectam illam ſimilitudinem ponet in verbo, quod ibi formatur, & in quo non ſunt volubiles cogitationes. Vt ibidem ſubiungit. Et de eodem planè verbo loquitur Auguſtinus, licet generalius etiam extendat ſermonem lib.9. de Trinit. cap.7. In illa æterna veritate formam ſecundum quam ſumus, vel aliquid recta ratione operamur viſu mentis conſpicimus. Atquè inde conceptam rerum veracem notitiam, tanquàm verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis naſcendo diſcedit. Ipſa ergo notitia mente concepta eſt verbum. Quis autem neget, qui æternam veritatem videns in ſe ipſa habere in mentibus ſuis conceptam illius veritatis notitiam. Habeant ergo verbum. Vnde inferius cap.10. & 11. generaliter ait Habere animam nonnullam ſpeciei notæ ſimilitudinem, & omnem notitiam eſſe ſimilitudinem. Vnde ſic concludit. Quocirca in quantum Deum nouimus ſimiles ſumus, ſed non ad æqualitatem, quia non tantum eum nouimus quantum ipſe ſit. Ergo eodem modo quo Beati vident Deum ſicuti eſt, habent in ſe notitiam illius ſimilem illi, quæ eſt verbum.* Hæc ille.

23 Reſpondetur, negando aduerſariorum opinionem eſſe ſententiam D. Auguſtini. Ad cuius probationem, reſpondetur explicando D. Auguſtinum. Nam cum ait, in illa perfecta imagine Dei, fieri perfectam ſimilitudinem, quia ſcilicet tunc perfectè Deo ſimiles erimus, ſic debet intelligi, tunc duplici ſimilitudine ſe tenente ex parte obiecti, & duplici ex parte potentiæ erimus Deo ſimiles. Ex parte quidem obiecti erimus ſimiles Deo dupliciter, propter diuinam eſſentiam intellectui noſtro duplici ratione vnitam, nempè in ratione ſpeciei in actu primo, & in actu ſecundo, tanquam id quod eſt immediatè cognitum. Duplici etiam ſimilitudine ex parte potentiæ, per lumen gloriæ ſcilicet, in actu primo, & per viſionem, in actu ſecundo. Ad illud verò ex 15. de Trinit.

24 cap.16. patet reſponſio ex ſupradictis. Eo quia nomine verbi intelligit viſionem, quæ meritò verbum effectiuè ſumptum nominari poteſt. Vel interpretari debet de verbo increato. Ad illud ex 9. de Trinit. cap. 7. dico vt ſupra, quòd abſolutè loquendo de vtroquè verbo intelligitur, effectiuo tantùm, & obiectiuo, & effectiuo ſimul. Si autem ad viſionem beatificam transferatur, debet intelligi de verbo tantùm effectiuo.

Quòd autem non ſit à veritate alienum aſſerere, quòd D. Auguſtinus poſſit interpretari in cap.16. ex 15. de Trinit. de Verbo Increato, meminiſſe oportet quòd à Theologis communiter dicitur Beatos videre res in verbo. In verbo ſcilicet, non creato, ſed increato, quod autem vt rectè intelligatur. August.

25 Obſerua, quòd quando à Sanctis Patribus, & communiter à Theologis dicitur, beatos videre in verbo quicquid vident nõ intelligitur formaliter, & immediatè de verbo æterno à patre producto, ſed de ipſamet diuina eſſentia quæ verbum dicitur, nõ quia procedens, ſed quia in actu ſecundo ſe ipſam repræſentat, quemadmodum verbum creatum repræſentat obiectum vt actualis, ac ſimilitudo illius, & iuxta hunc ſenſum intelligendum eſt id quod aliquando dicitur, nempè diuinam eſſentiam vniri in ratione verbi, ſeu in ratione ſpeciei expreſſæ beatorum intellectibus, non quia

ſup-

ſuppleret rationem expreſſi. Quoniam eſſentia diuina non exprimitur, ſed quia eſſentia diuina ſe ipſam in actu ſecundo repræſentat, quemadmodum verbum creatum repræſentat id cuius eſt verbum. Ferrar. Vide Ferrarienſem in 1. contra gentes cap. 53.

26 Nec propterea dicimus, quòd verbum diuinum perſonaliter ſumptum, non eſt ſufficienter repræſentatiuum diuinæ eſſentiæ, quoniam cum ſit verbum patris, eſt expreſſum à patre, & eius eſſentiam ex cuius cognitione tanquam ab obiecto primario, & formali procedit, repræſentat; dicimus tamen quòd reſpectu cognitionis beatorum, id quod immediatè in ratione verbi vnitur, eſt diuina eſſentia in ratione eſſentiæ, cum ipſa ſit obiectum primarium, ac formale viſionis claræ Dei.

D.Thom. 27 Obijcies Secundò, Authoritate D. Thomæ infra quæſt. 27. art. 1. in corp. vbi hanc vniuerſalem habet propoſitionem. *Quicumquè autem intelligit, ex hoc ipſo quòd intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens.* Vbi duo continentur. Primum eſt, quòd D. Thomas loquitur vniuerſaliter, vt patet per illud ſignum vniuerſale, *Quicumque*. Alterum eſt, ly *ex hoc ipſo quòd intelligit*, id eſt, non ex aliqua ratione materiali, puta ratione talis, vel talis cognitionis, propter talem, vel talem cauſam, ſed ex hoc ipſo formaliter, quod intelligit: Sed Beati perfectè Deum intelligunt. Ergo perfectum verbum formant. Item videtur dicere D. Thomas in multis alijs locis.

D.Thom. 28 Reſpondetur explicando Diui Thomæ authoritatem. *Quicumquè intelligit ex hoc ipſo*, &c. Quicumquè ſic, vel ſic intelligit, ex hoc ipſo quòd ſic, vel ſic intelligit, producit verbum, concedo maiorem. *Quicumquè intelligit* præcisè, ex hoc quòd præcisè intelligit, format verbum, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia Beati perfectè Deum intelligunt intellectione completa, & perfecta, propter intimam Dei præſentiam. Et aliàs viſio Beatorum non poteſt eſſe fœcunda, & propterea non ſic intelligunt, vt aliud verbum à viſione producant.

29 Explico reſponſionem. Quando dicitur quòd *Quicumquè intelligit, ex hoc ipſo quòd intelligit, producit* verbum, ly *ex hoc ipſo*, quamuis abſolutè proferatur, non tamen abſolutè intelligitur, ſed iuxta mentem D. Thomæ loquentis, quando D.Thom. ſcilicet, & vbi aperta non adeſt repugnantia. Vnde ſenſus verborum D. Thomæ eſt iſte. *Quicumquè intelligit* ſic, quod non habeat ſibi obiectum intimè præſens, vel ſic, quòd habeat obiectum intimè præſens, & ex ſua maxima perfectione, decet eſſe fœcundum, ex hoc ipſo quòd ſic intelligit, producit verbum. Primum quidem intelligens propter eiuſdem intelligentis indigentiam: Secundum verò intelligens, propter eius fæcunditatem perfectam. Si autem ſit aliquod intelligens, habens in ſe obiectum per ſe ipſum intimè præſens, & repugnat ei eſſe fœcundum; vltra intellectionis productionem, non producit verbum. Et huiuſmodi eſt Beatus Deum clarè videns. Habet enim Deum ſibi per ſe ipſum intimè præſentem, & ſic non debet formare verbum propter indigentiam præſentiæ obiecti. Repugnat quoquè per intellectionem producere verbum; Quia quamuis habeat in ſe diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei vnitam, quæ eſt infinita, tamen implicat potentiam intellectiuam finitam, cum ſpecie infinita producere ſpeciem expreſſam, quæ ſit eiuſdem quidditatis cum ſpecie impreſſa, ſeù cum obiecto ſpeciei impreſſæ. Etenim hoc modo producere verbum, eſt proprium Patris Æterni munus.

Vide Zachariam Paſqualigi cler. Regul. Zac. Paſ. diſp. 49. ſect. 3. num. 25. & 26. contra nos, non ſolùm de ſpecie expreſſa, verùm etiam impreſſa, aperto marte loquentem; Nec mirum, quia tam obtuſæ, & obſcuratæ mentis exiſtit, vt ſect. 1. num. 13. ſic de D. Thomæ mente dixerit. *Quæres quid dicendum de mente D. Thomæ? Reſpondetur eſſe obſcuram. Nam aliquando videtur ſolùm negare speciem quæ ſit mediũ ut quod, aliquando etiã quæ ſit mediũ ut quo.*

30 Dices cum Faſolo Diuus Thomas vniuerſaliter locutus eſt, *Quicumquè intelligit, ſi format quicumquè intelligit, eo ipſo quòd intelligit. Ergo nullus poteſt intelligere, quin formet verbum: alioquin non formaret verbum quicumquè intelligit; Et qui intelligit, & formet verbum, non vtiquè formaret, eo ipſo quòd intelligit, ſed ſolùm ex eo quòd intelligit tale particulare obiectum à ſe diſtans; Nam aliud obiectum ſibi præſens intelligeret, & tamen non formaret verbum.* Hæc Faſolus infra quæſt. 27. artic. 1. dub. 13. numero 242. D.Thom. Faſolus.

31 Sed iam reſponſio patet ex præcedenti explicatione, & quamuis Diuus Thomas illa particula, ſeù illo ſigno vniuerſaliter diſtributiuo vſus fuerit, & illa particula, *ex hoc ipſo quòd intelligit*, non propterea debet in ſenſu tam rigoroſo explicari, ſed iuxta præfati Angelici Doctoris mentem. Etenim de clara Dei viſione loquens, expreſsè omnem creatam ſimilitudinem ex parte rei D.Thom.

Digitized by Google

te rei viſæ ſe tenentem, repugnare docet. Dixit autem *Quicumquè*, quia ſic contingit in omnibus intelligentibus, & intellectionibus, excepta intellectione, quæ eſt Beatorum viſio clara Dei; nec non excepta ipſamet intellectione increata, pro vt in Filio, & in Spiritu Sancto. Cœterum per omnem intellectionem, & ab omni intelligente producitur verbum. Itaquè ly, *Quicumquè* non debet intelligi logicè, ſed phyſicè, & regulariter; id eſt omnes, paucis exceptis. Dixit quoquè *ex hoc ipſo quòd intelligit*, non præcisè, ſed iuxta explicationem adhibitam, id eſt ex hoc ipſo quod ſic, vel ſic intelligit.

32 Quòd ſi in ſenſu tam formali, & rigoroſo deberet intelligi, non ſolùm falſa eſſet propoſitio a Diuo Thoma aſſumpta, ſed etiam hæretica, nam Verbum diuinum eſt intelligens, Spiritus Sanctus eſt intelligens: ſed hæretica eſt iſta propoſitio. Verbum diuinum ex hoc ipſo quòd eſt intelligens producit Verbum, & Spiritus Sanctus ex hoc ipſo quòd intelligit producit verbum: quod aſſerere eſt hæreticum. Dicendum eſt igitur, quòd propoſitio à Diuo Thoma aſſumpta, non eſt in ſenſu tam præciſo, & rigoroſo ab aduerſarijs accipienda.

33 Nec propterea ſequitur, quòd Diuus Thomas ex propoſitione aſſumpta, ſuum non probaret intentum videlicet, quòd detur proceſſio verbi in diuinis. Eo quia ratio Diui Thomæ non eſt conuincens demonſtratio, ſed optima coniectura; & vis rationis conſiſtit in hoc, quicunque ſic intelligit, vt eius obiectum non ſit illi per ſe ipſum intimè præſens, vel ſic intelligit, vt eius obiectum ſit intimè præſens, & aliàs ob eius ſummam perfectionem condecet eſſe fœcundum producit verbum: ſed Deus ſic intelligit vt habeat obiectum intra ſe ipſum in ratione obiecti, & aliàs ob eius ſummam perfectionem condecet eſſe fœcundum: Ergo in diuinis datur proceſſio verbi.

34 Contra. Diuus Thomas de verit. quæſt. 4. artic. 2. in corp. hæc verba profert: [Verbum intellectus noſtri eſt id ad quod operatio intellectus noſtri terminatur, quod dicitur conceptio intellectus; Et vniuerſaliter eſt de omni quod à nobis intelligitur, ſiuè per eſſentiam intelligatur ſiuè per ſimilitudinem; Ipſa enim conceptio eſt effectus actus intelligendi.] Ergo in viſione clara Dei quæ eſt cognitio per eſſentiam, producitur verbum ad mentem Diui Thomæ. Patet conſequentia, quia per Diuum Thomam verbum produci, eſt vniuerſaliter verum de omni quod à nobis intelligitur, ſiuè per eſſentiam, ſiuè per ſimilitudinem.

D.Thom.

35 Reſpondetur explicando Diuum Thomam de omni intellectione per eſſentiam excepta beatifica viſione, propter ſpecialem, & apertam ibi repugnantiam.

36 Contra. Quia Diuus Thomas infra quæſt. 93. artic. 8. vbi quærit, Vtrum imago diuinæ Trinitatis ſit in anima, ſolùm per comparationem ad obiectum, quod eſt Deus, ſic ait in corpore. [Attenditur igitur diuina imago in homine ſecundum verbum conceptum de Dei notitia, & amore ex inde deriuatum, & ſic imago attenditur in anima ſecundùm quòd fertur, vel nata eſt ferri in Deum. Fertur autem in aliquid mens dupliciter. Vno modo directè, & immediatè. Alio modo indirectè, & mediatè, ſicut cum aliquis videndo imaginem hominis in ſpeculo, dicitur ferri in ipſum hominem. Et ideo Auguſtinus dicit in 14. de Trinit. quòd mens meminit ſui, intelligit ſe, & diligit ſe; hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem non quidem Deum, ſed iam imaginem Dei, ſed hoc eſt, non quia fertur mens in ſe ipſam abſolutè, ſed pro vt per hoc, vlterius poteſt ferri in Deum.] D.Thom.

37 Et in reſponſione ad 1. ſic ait. [Ad rationem imaginis non ſolùm oportet attendere quòd aliquid procedat ab aliquo, ſed etiam quid à quo procedat, ſcilicet quòd Verbum Dei procedat à notitia de Deo.] Ergo ad mentem D. Thomæ habentes de Deo notitiam de eodem verbum formant.

38 Reſpondetur D. Thomam locis citatis, non aſſerere per notitiam intuitiuam Dei, formari verbum. Vnde debet intelligi de notitia Dei in via. Si vero ſermo ſit de Dei notitia intuitiua. dicendum eſt, quòd creatura rationalis Deum intuitiuè videns, eſt Deo ſimilis ſimilitudine iam explicata, non in ratione productionis verbi per intellectionem producti, ſed in ratione verbi tantum effectiuè accepti, quod eſt ipſa intuitiua cognitio.

39 Obijcies tertiò. Omnis actio debet habere ſuum terminum: ſed actio beatifica eſt quædam actio. Ergo debet habere ſuum terminum: ſed terminus intellectionis vt actio eſt, non eſt niſi verbum. Ergo per viſionem beatificam producitur verbum.

40 Reſpondetur breuiter diſtinguendo maiorem. Omnis actio debet habere terminum iuxta actionis exigentiam, concedo maiorem. Non iuxta actionis exigentiam, nego maiorem. Tunc con-

conceſſa minori, ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens, ſed neganda eſt minoris ſubſumptio.

41 Explicatur iſta reſponſio. Datur quædam actio quæ eſt productio effectus, & hæc debet habere terminum productum, ſicut calefactio eſt actio quæ eſt caloris productio, & conſequenter poſita calefactione debet poni eius terminus, qui eſt calor productus. Datur actio quæ eſt cognitio, & iſta debet habere terminum cognitum. Similiter, volitio, debet habere obiectum volitum, non verò effectum productum.

42 Vnde eſt inſuper aduertendum, quòd in cognitione aliquando datur duplex terminus, terminus ſcilicet, qui producitur, & terminus qui cognoſcitur. Proprius, ac per ſe terminus cognitionis, eſt terminus qui cognoſcitur, terminus verò qui producitur, nempè verbum non eſt per ſe terminus cognitionis, ſed tantùm permiſſiuè, quia tunc ſcilicet, producitur quando obiectum per ſe ipſum in ratione cognoſcibilis potentiæ non eſt intimè præſens. Semper igitur debet habere terminum cognitum, non verò ſemper debet habere terminum productum.

Faſolus.

43 Ex dictis etiam conſtat, ea quæ Faſolus hic dubit. 4. num. 9. futilia eſſe, & vana, dum contra Thomiſtas noſtram ſententiam ſuſtinentes, ſic arguit.

Confirmatur, inquit, *ex eo quòd Bañes hic dubit. 1. ad 2. & Alij aduerſarij dicunt duo, quæ minus cohærere videntur. Concedunt enim, aliquando, ac ferè ſemper per actionem intelligendi produci Verbum, ac terminum illius actionis intrinſecum, & immediatum; aliquando non produci. Hæc enim ſimilia eſſe videntur, ac ſi quis diceret per calefactionem v. G. aliquando produci calorem, aliquando non produci. Si enim actio intelligendi facit aliquando verbum. Ergo illa eſſentialiter eſt aliquod fieri, & aliqua via intrinſeca termini ſibi realiter uniti, ſiuè identificati: ſed implicat dari fieri rei abſquè re quæ fiat, & viam abſquè termino ſibi intrinſeco, & immediato. Ergo implicare etiam debet dari actionem intelligendi ſine verbo, ſeu termino acto, & producto.* Hæc ille. & ſic multi aduerſarij.

44 Diſcurſus tamen prædictus eſt valdè puerilis. Arguens enim contra Thomiſtas aſſerentes Beatos Deum videntes non producere verbum, tanquàm omnino certum aſſumit intellectionem eſſe actionem, eo modo quo calefactio dicitur actio, quod eſt omnino falſum, & non probat. Aſſumit etiam tanquàm omnino certum, quòd intellectio eſt eſſentialiter fieri, quod etiam eſt falſum, & cum præcedenti coincidit. Etenim intellectio de ſuo formali, ac eſſentiali conceptu non eſt aliud niſi obiecti intelligibilis ſibi præſentis actualis attingentia: quòd verò ſit verbi, ſeù termini productio, hoc non eſt de primario intellectionis intento, ſed ad rationem intellectionis, talis intelligentis, ratione neceſſitatis, vel ratione fœcunditatis conſequitur. Itaquè cognitio vt nominis ipſa etymologia docet, non eſt eſſentialiter fieri termini, ſed eſt obiecti attingentia, & ex aliquo conſequenti eſt termini productio.

Heruæus.

45 Patet quoquè quòd parum fideliter Heruæum pro ſe refert, dum infra quæſt. 27. artic. 1. dubitat. 13. num. 248. paulò ante finem placet ei modus loquendi Heruæi hæc enim habet verba. *Quapropter, inquit, ne hac in re vocum ambiguitate confundamur, obſeruandus eſt modus loquendi, quem tradit Heruæus tract. de verbo quæſt. 1. art. 2. initio corporis dicens, verbum non eſſe actum intelligendi, ſed actum intellectus, quia, inquit, eſt quædam forma informans intellectum, & omnis forma eſt actus eius cuius eſt forma.* Hæc ille.

46 Nonne bene dixi, quòd Doctor iſte vnit inconnexa, & connexa irrationabiliter diuidit? Placet ei modus loquendi Heruæi, ne ambiguitate verborum confundamur, & de facto verborum ambiguitate laborat, quod vt omnes percipere valeant, & nullus ab huius Doctoris ambiguitate confundatur, placeat Heruæi ſententiam aliquantulum explicare, eiuſquè verba in quodlib. 2. quæſt. 8. fideliter referre. Sic enim loquitur. *Quantum autem ad illud quod eſt principale in iſto tertio, ſcilicet quid ſit verbum, licet probabiliter poſſit teneri, quòd actus intelligendi expreſſus; ſit verbum, & quod dicere ſit producere talem actum intelligendi: tamen non minus probabiliter etiam poteſt teneri quòd verbum ſit quædam forma ſpecularis, in qua ſicut in quadam forma ſpeculari cognoſcatur veritas de omnibus exterioribus*, & paucis interiectis hæc verba ſubſequitur. *Teneo tamen vt probabilius quòd in intellectu formetur quædam forma, quæ non eſt actus intelligendi, licet talis forma ſit in eo.* Hæc ille.

47 idquè probat primò, *quia reſpectu incomplexorum omnis actus intelligendi videtur eſſe, vel dubitare, vel aſſentire, vel diſſentire: ſed conceptus mentis (accipiendo conceptum mentis pro verbo) nullum eſt iſtorum. Ergo. Maior videtur probabilis. Minor probatur. Quia illud quod ſtat cum quolibet iſtorum, non eſt aliquod illorum, quia unum illorum non ſtat cum alio, purè enim dubitans non aſſentit, nequè diſſentit, nec aſſentiens diſſentit, nec è conuerſo; ſed ſimilis mentis conceptus ſtat cum quolibet eorum. Nam formando conceptum iſtum quem iſta propoſitio ſignificat, ſcilicet quòd ſtellæ ſint pares, vel quòd ſtellæ ſint impares; quandoquè conuenit dubitare, quandoquè aſſentire, quandoquè diſſentire. Ergo, &c.*

48 *Secundò ſic. Circa idem complexum ſimilem conceptum format ille qui diſſentiendo errat, & ille qui aſſentiendo ſcit. V.G. ille qui credit primam cauſam non eſſe errando; & ille qui ſcit primam cauſam eſſe ueritatem attingendo, format ſimilem conceptum de complexo cui aſſentitur, uel diſſentitur, ſcilicet de exiſtentia primæ cauſæ: ſed opinio erronea, & notitia ſcientifica non ſunt ſimiles actus intelligendi. Ergo conceptus non eſt actus intelligendi, qui habetur de re concepta.*

49 *Tertiò ſic. Quia ſicut eſt in ſenſu, ita ſuo modo eſt in intellectu: ſed in ſenſu eſt dare tale idolum, quo cognoſcitur res: nec eſt notitia rei. Ergo, &c. Minorem probo. Quia ſecundum philoſophum de memoria, & reminiſcentia, quandoquè homo per ſenſum utitur imagine exiſtente in ſenſu ut imagine, & medio ducente in cognitionem alterius: quandoquè ut in re cognita, ſicut quando in ſomnis apprehendunt animalia ipſarum imagines ut quaſdam res: hoc autem non eſſet, niſi in ſenſu eſſet dare quoddam idolum, quod non eſt notitia rei, ſed imago in qua res cognoſcitur. Ergo, &c.*

50 *Quartò ſic. Quia uerbum noſtrum dicitur ad ſimilitudinem uerbi diuini: ſed in diuinis uerbum patris dicentis non ſe habet ad patrem ut notitia patris qua cognoſcit, ſed ut illud in quo ut producto per modum intellectus producit. Ergo & uerbum noſtrum non ſe habet ad dicentem ut notitia qua cognoſcit, ſed ut illud in quo cognoſcit. Sic ergo probabiliter poteſt teneri, quod uerbum non eſt actus intelligendi, ſed aliquid alind in quo res cognoſcitur,* & immediatè poſt ſic ſubdit. *Dico ergo ſicut aliàs dixi quod uerbum non eſt actus intelligendi, ſed eſt quædam forma ſpecularis in qua res cognoſcitur, ita etiam quod ipſa forma aliquo modo eſt actus.*

Faſolus. Heruæus. Si igitur Faſolo Heruæi modus loquendi placet, cur magis placere non debuit eiuſdem percipere ſenſum? Etenim dicere quòd verbum ab intellectione diſtinctum eſt actus intellectus, non eſt dicere quòd ſit ipſum intelligere, ſed quòd ſit forma ſeù actus intellectui inhærens, & ex parte obiecti ſe tenens.

51 Obijcies Quartò deſtruendo pręcipuum noſtræ concluſionis fundamentum. Deus eſt ſuo intellectui intimè præſens, & tamen Deus pater intelligendo ſe ipſum producit verbum. Ergo falſum eſt quòd quando obiectum potentiæ intellectiuæ eſt intimè præſens non producitur verbum. Hoc argumentum eſt commune aduerſariorum fundamentum ſicut præcedens.

52 Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, ſed Deus Pater intelligendo ſe ipſum producit verbum, ex indigentia præſentandi obiectum, nego minorem, ex fęcunditate intelligentis, concedo minorem. Ergo, &c. nego conſequentiã, & ratio negationis eſt, quia noſtrę concluſionis fundamentum eſt, quòd ideo intellectus creatus producit verbum vt habeat obiectum ſibi intimè vnitum, non quòd hæc ſit vniuerſalis ratio producendi verbum. i. ex neceſſitate præſentandi obiectum vltra hanc enim rationem eſt alia, & eſt ex fæcunditate quæ reperitur in Patre Æterno, pro vt in primo principio de non principio: quòd autem non ſit ita vniuerſalis illa propoſitio videlicet, omne intelligens ex hoc ipſo quòd intelligit producit verbum, euidenter conſtat, quia Pater Æternus producit verbum non ex hoc ipſo quòd eſt intelligens, ſed ex hoc, quia eſt taliter intelligens, nempè vt origo ſeu vt principium de non principio, Nam ſi verbum produceret ex hoc ipſo quòd eſt intelligens abſolutè, & non quia eſt taliter intelligens, euidenter ſequitur quòd verbum, & Spiritus Sanctus producerent verbum. Probatur ſequela. Quia verbum eſt intelligens, & Spiritus Sanctus etiam eſt intelligens. Quod enim conuenit patri ea ratione qua eſt intelligens, conuenit Filio, & Spiritui Sancto. Dicendum eſt igitur, quòd illa propoſitio omne intelligens ex hoc ipſo quòd intelligit, producit verbum non eſt vniuerſaliter vera, eo modo quo ab aduerſarijs vniuerſalizatur.

53 Sed contra obijciunt aduerſarij, & præſertim Machin hic diſp. 15. ſect. 2. §. *Ratione probatur. Quia ſi præſentia obiecti actu, & per ſe intelligibilis repugnantiam ſecum afferret, ut intuitiuè poſſet uideri cum efformatione uerbi, nulla fœcunditas ſufficiens eſſet ad productionem uerbi ad talem uiſionem intuitiuam, & immediatam, quia ad illud quod repugnat ex intrinſeca natura rei, nulla datur potentia, nequè fœcunditas. Secundò, quia ſi ex fœcunditate producitur uerbum ab intellectione patris; cum uiſio beatifica ſit excellentior participatio talis intellectionis infinitæ; cur non poterit participare eamdem fœcunditatem inferioris ordinis, ſicut eſt ipſa uiſio? atque adeo ſolùm erit fæcunditas non ad producendam ſubſtantiam eiuſdem naturæ, ſicut in diuinis, ſed ad producendum accidens, ſcilicet uerbum. Præcipuè cum hæc fœcunditas conueniat intellectibus naturalibus, & imperfectioribus.* Hæc ille. Machin.

54 Vtraquè inſtantia ex ſupradictis remanet rectè ſoluta. Et quidem prima, ex noſtræ opinionis falſo intellectu procedit. Non enim dicimus, verbi productionem cum intuitiua cognitione pugnare; ſed quòd aſſerimus eſt, verbum ſiuè reſpectu intuitiuæ, ſiuè abſtractiuæ cognitionis. Non aliunde niſi ex indigentia potentiæ non habentis obiectum immediatè per ſe ipſum in actu ſecundo ſibi intimè præſens, vel propter ſinceram, & puram intelligentis fœcunditatem, quæ non ex qualicumquè, ſed ex infinita perfectione procedit. Vnde in forma.

55 Ad primam impugnationem Reſpondetur

Digitized by Google

tur negando ſuppoſitum antecedentis. Supponit enim nos aſſerere productionem, ſeu efformationem verbi repugnantiam ſecum afferre cum intuitiua rei cognitione; quod tamen non dicimus.

56 Ad ſecundam Reſpondetur negando ſequelam. Et ratio diſparitatis eſt, quia quòd viſio clara Dei non ſit verbi productiua, ex eius perfectione, atquè imperfectione prouenit. Ex eius inquam, perfectione ſupra alias creatas cognitiones. Quia ſola viſio clara Dei eſt adeo perfecta, vt habeat obiectum etiam in actu ſecundo immediatè per ſe ipſum ſibi intimè præſens: Cæteræ enim cognitiones etiam quando anima ſeparata, & Angelus ſuimet cognitionem formant, producunt verbum. Eo quia Angelus quamuis in genere rei ſit ſibi præſens; in ratione tamen obiecti cognoſcibilis indigent verbo, per quod actualiter ſibimet obijciantur, vt in materia de Angelis dicemus. Ex imperfectione quoquè procedit vt per viſionem claram Dei verbum produci non poſſit. Ex eo quia verbum eſt formalis, & expreſſa ſimilitudo obiecti: ſed formalis, & expreſſa ſimilitudo Dei vt in ſe eſt, non poteſt eſſe aliquid creatum, nec ab aliquo creato produci poſſit. Eſt enim proprium Patris Æterni munus, hoc modo producere verbum.

57 Nec valet dicere, quòd munus Patris Æterni eſt, verbum ſubſtantiale producere; Quoniam ipſo facto quòd verbum diuinæ eſſentiæ manifeſtatiuum producitur, eſſet verbum ſubſtantiale, & non accidentale. Præterquamquòd repugnat ex ſpeciali ratione, quia ſcilicet, nullum creatum etiam in eſſe repræſentatiuo poteſt eſſe eiuſdem quidditatis cum Deo, & Deus in nullo eſſe, poteſt habere modum eſſendi finitum, vel accidentale, qui ſit modus illi conueniens ratione talis, vel talis ſtatus.

58 Obijcies Quintò. Intellectio, ſeu viſio beatifica eſt manifeſtatio Dei intellectui creato: ſed hoc eſt de ratione verbi, nempè eſſe manifeſtatiuum obiecti. Ergo viſio beatifica eſt verbum: ſed per nos Beati formant viſionem Dei. Ergo beati formant verbum.

59 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Cognitio, ſeu viſio beatifica eſt manifeſtatio, id eſt contemplatio obiecti, concedo maiorem. Eſt manifeſtatio, id eſt, repræſentatio ſeu imago obiecti, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Vel ſub alijs verbis. diſtinguo maiorem, eſt manifeſtatio, ſe tenens ex parte potentiæ, concedo maiorem. Eſt manifeſtatio ſe tenens ex parte obiecti, nego maiorem. Quare, &c.

60 Obijcies Sextò. Beati amantes Deum amore beatifico producunt terminum intra ſe diſtinctum ab ipſo amore. Ergo videntes Deum viſione beatifica producunt terminum intra ſe diſtinctum a viſione: ſed huiuſmodi terminus eſt verbum. Ergo Beati videntes Deum formant verbum. Antecedens patet, & probatur conſequentia. Quia ſicut ſe habet terminus intellectus reſpectu intellectionis, ita terminus productus voluntatis, reſpectu voluntatis.

61 Confirmatur, Deus nõ eſt intimius præſens intellectui beati in ratione cognoſcibilis, quàm voluntati eiuſdem in ratione amabilis. ſed non obſtante hoc, quòd eſt intimè præſens voluntati beati, adhuc producitur terminus intra voluntatem, per actum amoris. Ergo non obſtante quòd Deus ſit intime præſens intellectui beati, adhuc producitur terminus, ſeu verbum per actum intellectionis.

62 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego paritatem, & aſſigno diſparitatem. Nã per actum intellectus noſtri producitur verbũ, vt obiectũ ſit intimè præſens intellectui. At verò per actum amoris producitur terminus, non vt obiectum volitum ſit intimè præſens voluntati, ſed vt voluntas per repræſentationem obiecti ſibi ab intellectu factam, producat terminũ, qui alio vocabulo vocatur impulſus, quo voluntas tendit, ſeu impellitur ad obiectũ; non ſecundùm quòd eſt intra voluntatem, ſed ſecundùm quòd in ſe eſt. Deus igitur quamuis ſit intimè præſens voluntati beati, tamen per ſuam intimam præſentiam, non poteſt ad ſui amorem impellere voluntatem abſque aliquo medio impulſu creato: Attamen Deus eſt ita intimè præſens intellectui, vt ſit ſui manifeſtatiuus, ac repræſentatiuus, & per conſequens ſe ipſum per ſe ipſum manifeſtare, ac repræſentare poteſt, & debet. Præterquam quòd verbum intra intellectum ponitur, tanquàm formalis ſimilitudo obiecti, terminus verò ſeu impulſus voluntatis non item: repugnat autem formalis ſimilitudo Dei creata, non verò impulſus ad amandum Deum.

DISPVTA-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXVI.

VTRVM IMPLICET CONTRADICTIONEM Beatos poſſe formare verbum de Deo clarè viſo.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Referuntur Doctorum opiniones.

1 QVidam Doctores dicunt Beatos de facto formare verbum, & implicare contradictionem in ordine ad quamcumquè potentiam vt verbum nó producăt. Ita Suarez lib. 2. de attributis ca. 11. & omnes ſuſtinentes verbum eſſe intellectionem procedentem ab intellectu, & fieri non poſſe etiam per Dei potentiam abſolutam, quòd intellectio creata ab intellectu creato effectiuè non procedat. Suarez.

2 Quidam dicunt, verbum à Beatis de facto produci, poſſe tamen eſſe per potentiam Dei abſolutam, vt videatur Deus ſine verbo creato, ſed immediatè per ipſam diuinam eſſentiam ſe ipſam intellectui repræſentantem. Ita docet Canarienſis quæſt. 27. art. 1. diſp. 5. Syluester in Conflato q. 12. art. 2. dicens hoc eſſe probabile in via D. Thomæ, Ferrarienſis 1. cont. gent. cap. 53.

3 Dicunt autem alij, Beatos videntes Deũ non formare verbum, & implicare contradictionem quòd verbum producant. Ita abſquè dubio Capreolus iuxta noſtram interpretationem in 4. diſt. 49. quæſt. 5. Caietanus hic Bañes, Zumel, Nazarius, Conzalez hic Salmanticenſes tract. 2. de viſ. Dei diſp. 2. dub. 9. §. 3. num. 106. Soncinnas in 4. diſt. 49. quæſt. 5. Ledeſma de perfect. Dei quæſt. 8. art. 5. & 6. Ripa Iauellus hic, citatur Aluarez pro hac eadem ſententia ſed immeritò quia 1. 2. quæſt. 3. diſp. 15. ad 4. loquitur de facto idem docent Complutenſes in lib. de anima diſp. 11. quæſt. 5. Ioannes de Sancto Thoma in lib. 3. de anima quæſt. 11. art. 2. & in 1. p. quæſt. 12. diſp. 13. art. 4. & hanc ſententiam doctiſſimi Theologi Carmelitæ Diſcalceati aiunt, *quam plures alios aperto Marte tueri*.

Capreol. Caiet. Bañes. Zumel. Nazar. Conza. Salmant. Soncinn. Ledeſma. Ripa. Iauell. Complut. Ioa. de S. Thom. Salmant.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 DIco breuiter. Implicat contradictionem quòd Beati per viſionem beatificam producant verbum. Hoc dictum ſupponit intellectionem diſtinctam à verbo.

Probatur autem primò, Authoritate D. Thomæ in hoc art. vbi D. Thomas ait, *per nullam ſimilitudinem creatam Dei eſſentiam videri poſſe*, & quòd, *dicere Deum per ſimilitudinem videri, eſt dicere diuinam eſſentiam non videri*. Vbi D. Thomas vniuerſaliter omnem creatam ſimilitudinem tenentem ſe ex parte rei viſæ excludit, atque etiam loquitur de potentia abſoluta, pro vt Vaſquez ipſe teſtatur, ſed verbum ſe tenet ex parte rei viſæ, vt probauimus. Ergo. D. Thom.

5 Probatur Secundò tribus rationibus quas D. Thomas ponit in corp. quæ euidenter impoſſibilitatem ſpeciei expreſſæ demonſtrant, & vt robur ac efficaciam habeant, regulandæ ſunt per ea quæ diximus ad probandum ſpeciem impreſſam intuitiuè diuinam eſſentiam repræſentantem eſſe omnino impoſſibilem, nec eas oportet iterum inſtaurare. D. Thom.

6 Probatur Tertiò. Quia poſita intima Dei præſentia in ratione obiecti immediatè per ſe ipſum intra intellectum creatum eſt impoſſibile verbum productum: ſed eſt impoſſibile vt Deus clarè viſus non ſit intimè præſens intellectui ipſam videntis immediatè. Ergo eſt impoſſibile verbum pro-

Digitized by Google

productum. Maior patet. Quia ſi daretur verbum creatum, conſtitueret Deum præſentem intra intellectum. Ergo Deus eſſet præſens non immediatè per ſe ipſum, ſed mediante verbo. Minor etiam eſt clara. Quia ſicut Deus eſt immenſus, & infinitus in eſſe rei, ita eſt immenſus, & infinitus in ratione obiecti: ſed ex hoc quòd Deus eſt immenſus, & infinitus in ratione rei, vel cauſæ, non poteſt fieri præſens alicui loco, eius ſubſtantia mediante aliquo alio, quod ſit loco Dei. Ergo nequè etiam poteſt fieri præſens intellectui mediante aliquo alio à ſe diſtincto, quod ſit loco Dei.

7 Confirmatur. Contradictionem implicat, vt Deus fiat intelligibilis in actu ſecundo per aliquid à ſe diſtinctum. Ergo contradictionem implicat quòd Beati Deum videntes, verbum producant. Antecedens patet, per ea quæ in probatione diximus. Probatur autem conſequentia. Quia cum verbum ſit conſtituens obiectum actualiter cognoſcibile in actu ſecundo, ſi Beati videntes Deum per eſſentiam verbum producerent, Deus conſtitueretur in actu ſecundo cognoſcibilis per aliquid à ſe diſtinctum.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta in contrarium proponuntur, & ſoluuntur.

8 Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò Verbum ſe tenet ex parte potentiæ. Ergo poteſt eſſe aliquid creatum reſpectu viſionis claræ Dei. Probatur conſequentia. Quia D. Thomas in hoc articulo ſolummodo ſimilitudinem creatam tenentem ſe ex parte rei viſæ à Beatifica viſione excludit, ſimilitudinem verò creatam ſe tenentem ex parte videntis, non excludit: ſed non ſolùm affirmat eſſe poſſibilem, verùm etiam de facto dari probat. Probatur igitur antecedens. Quia verbum non producitur ab obiecto nec à Deo tantùm, ſed ab intellectu. Ergo tenet ſe ex parte intellectus.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Verbum ſe tenet ex parte potentiæ, proceſſiuè concedo antecedens. Repræſentatiuè, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

9 Et inſuper diſtinguo antecedens, quo ad primam partem, Verbum ſe tenet ex parte potentiæ etiam proceſſiuè loquendo, ex parte potentiæ fœcundatæ ab obiecto immediatè per ſe ipſum, vel ab eius ſpecie, concedo antecedens. Verbum ſe tenet ex parte potentiæ, non fœcundatæ ab obiecto immediatè per ſe ipſum, vel ab eius ſpecie, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Diuus Thomas excludit, &c. non verò ſimilitudinem ſe tenentem ex parte potentiæ In ratione confortantis, & eleuantis, concedo. In ratione procedentis, & repræſentantis, nego. D. Thomas igitur admittit ſimilitudinem creatam confortantem intellectum, illumquè aſſimilantem intellectui diuino, & hoc conuincit dari lumen gloriæ, & viſionem beatificam, non verò concedit ſimilitudinem creatam tenentem ſe ex parte intellectus proceſſiuè, ex parte verò rei viſæ repræſentatiuè.

10 Pro cuius tamen intelligentia eſt obſeruandum, quòd tàm ſpecies impreſſa, quam expreſſa, ſe tenent ex parte obiecti in ratione repræſentatiui; cum hoc tamen diſcrimine, quòd ſpecies impreſſa cauſatur ab obiecto mediante intellectu agente, infunditur à Deo, vel abſtrahitur, ſeu producitur ab eodem intellectu poſſibili ex ijs quæ intra ſe habet, & cognoſcit; at verò ſpecies expreſſa producitur non ab obiecto, non ab intellectu agente, nec à ſolo Deo, ſed ab intellectu poſſibili mediante obiecto illi vnito, vel eius ſpecie tanquàm fœcundante potentiam. Vnde quando eſt impoſſibilis ſimilitudo creata reſpectu obiecti increati in ratione ſimilitudinis, ſeu in ratione repræſentatiui, eſt etiam impoſſibilis illa ſpecies proceſſiuè, ideſt, vt procedat ab intellectu. Quoniam in tantùm procedit ab intellectu, & in tantùm eſt poſſibilis, in quantùm poteſt dari talis ſimilitudo, vnde cum implicet ſimilitudo creata ſe tenens ex parte Dei clarè viſi, implicat quoquè vt ab intellectu talis ſimilitudo procedat; quemadmodum ſi eſt impoſſibilis ſimilitudo formalis Deum intuitiuè repræſentans in actu primo, erit etiam impoſſibile, vt talis ſpecies producatur à Deo.

11 Dicat aliquis, ſi eſt impoſſibile verbum creatum Deum clarè repræſentans mediãte ſpecie creata, cur erit impoſſibile, vt intellectus creatus producat verbum, ſi diuina eſſentia quæ eſt ſimpliciter infinita vniretur intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis?

12 Reſpondetur, quòd diſparitas, ſeu ratio implicantiæ eſt iam manifeſta. Eo quia omne verbum, quod produceretur eſſet imago expreſſa Dei, repræſentans Deum ſicuti eſt; quod eſt omninò impoſſibile. Nam ideo eſt impoſſibilis ſpecies impreſſa, quia eſt impoſſibile, vt datur aliqua forma creata, quæ ſit formalis ſimilitudo Dei. Ergo

Digitized by Google

Ergo eſt etiam impoſſibile dari verbum, quod etiam eſt ſimilitudo formalis obiecti. Imo multò fortius repugnat verbum quàm ſpecies impreſſa Deum intuitiuè repræſentans. quod ita communiter contra quoſdam Thomiſtas à Doctoribus demonſtratur. Ideo implicat ſpecies impreſſa creata Deum repræſentans, quia implicat ſimilitudo formalis creata Dei, ſed multò magis eſt ſimilitudo formalis obiecti ſpecies expreſſa, quàm impreſſa. Eo quia ſpecies expreſſa repræſentat obiectum in actu ſecundo, eſtquè illius actualis, & completa imago, ſpecies verò impreſſa in actu primo. Ergo.

13 Immo ad oſtendendam oppoſitæ ſententiæ debilitatem, dico & addo, quòd etiam ſi per impoſſibile non ſolùm vniretur diuina eſſentia intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis, verùm etiam infinitum lumen infunderetur ei, non propterea ſequeretur, quòd intellectus ſpeciem expreſſam produceret, & ratio eſt, propter incapacitatem intellectus. Nam illud verbum quod produceretur per ſpeciem infinitam quæ eſt diuina eſſentia, & per lumen infinitum, vel eſſet diuina eſſentia, vel eſſet perſona diuina, quæ eſt filius, id eſt ſecunda in Trinitate perſona: neutrum poteſt dici. Ergo. Nam non poteſt dici primum. Quia hoc eſt impoſſibile, & execrabile; Nequè ſecundum, quia verbum diuinum petit à ſolo Patre Æterno produci; intellectus autem creatus in nullo caſu poteſt eſſe Pater Æternus, nec eſt neceſsè quòd omne intelligens per ſpeciem infinitam, & lumen infinitum producat verbum vt ſupra diximus. Eo quia Filius, & Spiritus Sanctus habent diuinam eſſentiam ſibi vnitam per intrinſecam identitatem, & ſimiliter infinitum lumen, & tamen non producunt verbum.

14 Obijcies Secundò. Verbum limitatur iuxta conatum intellectus intelligentis. Ergo poteſt ab intellectu creato produci aliquod verbum reſpectu diuinæ eſſentiæ clare viſæ, minus perfectum quàm ſit diuina eſſentia. Ergo non eſt impoſſibile.

15 Reſpondetur omiſſis aliorum ſolutionibus, diſtinguendo antecedens. Verbum limitatur iuxta conatum intellectus intelligentis, ita tamen vt ſemper ſit ſimilitudo formalis obiecti, & eiuſdem quidditatis cum illo, in illo eſſe repræſentatiuo, concedo antecedens. Ita vt non ſit ſimilitudo formalis obiecti, &c. nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt. Quia quodcumquè verbum, Deum clarè repræſentans, deberet eſſe vnum, & idem cum Deo in eſſe intelligibili, & conſequenter adæquatum cum Deo, & ſic eſſet & non eſſet adæquatum. Eſſet. Quia identificaretur cum Deo. Non eſſet. Quia eſſet productum aliquo finito conatu. Ex hoc igitur argumento potius arguitur ad oppoſitum, quàm ad propoſitum arguentis, vt autem magis ea quæ diximus declarentur ſit.

DISPVTATIO XXXVII.

VTRVM BEATI VIDENTES DEVM poſſint producere verbum partiale.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SEnſus quæſiti eſt. Vtrum ſuppoſito quòd Beati non forment verbum videndo Deum, poſſint formare verbum ad minus partiale, & inadæquatum. Ita vt quamuis beatus per vnum actum viſionis cognoſcat Deum vt in ſe eſt, quantùm ad omnia eius prædicata, & aliquas creaturas in eo, poſſit diſiunctim de vno attributo formare conceptum, ſeu verbum, non formando verbum de alio, ſeu clarius. Vtrum

poſſit

poſſit formare verbum de voluntate diuina, non formando verbum de intellectu, vel de creaturis cognitis in diuina eſſentia, non verò de ipſa diuina eſſentia.

Capreol. 2 Pars affirmatiua tribuitur Capreolo in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. ad 6. contra primam ſecundo loco. Verumtamen Capreolus in principio reſponſionis, non affirmatiuè loquitur, ſed ad oſtendendam argumenti debilitatem, gratis arguenti admittens, verbum de vno, & non de alio attributo produci, ſed non propterea rectè deducitur arguentis intentum, nempè quòd illa cognitio per quam vnum attributum cognoſcitur, eſſet magis obſcura quàm viſio beatifica. Idquè verba Capreoli indicant manifeſtè. Verba iſta ſunt. *Illa autem difficultas quæ additur ibi de viſione beatifica, non concludit aliud, niſi quòd conceptus formatus mediante viſione beatifica non adæquat viſionem illam, ita quòd quidquid in Deo videtur vno verbo dicatur, & hoc conceditur, ſed non concludit quòd verbum illud ſit cognitio obſcurior, vel imperfectior beatifica viſione, imo non eſt cognitio, ſed terminus cognitionis*. Nota ly *ſed non concludit* ꝙ *verbum, &c.* quia per illa verba ſe arguenti opponit. Contendebat enim arguens, quòd cognitio per quam conſideraretur vnum attributum, eſſet imperfectior viſione clara Dei.

3 Cum verò ſequitur, *ſed habitualiter terminari poteſt ad multa verba habita de attributis, vel creaturis in verbo viſis; cum Beatus per illam diſtinguit attributa, vel ea quæ in verbo videt, ita quòd de illis verbis ſecundarijs nunc format plura, nunc pauciora; unde ſine pluralitate illorum non cognoſcit attributa ſub diſtinctis rationibus vt argumentum falsè ſupponit*. Hæc ille. Videtur primo aſpectu affirmare Beatos per viſionem beatificam de attributis diuinis, & rebus in verbo viſis diuerſos formare conceptus: per hoc quòd ait, *cum Beatus per illam diſtinguit attributa, uel ea quæ in uerbo uidet*.

Capreol. 4 Verumtamen quid re vera Capreolus per ſupradicta verba intellexerit, diligenter, ac fideliter, & non ſuperficietenus diſquirere debemus. Nam quando dixit quòd *per illam*, id eſt per viſionem *Beatus diſtinguit attributa*, dupliciter poteſt intelligi, primò, quaſi ſenſus ſit, quòd Beatus per viſionem diſtinguit attributa, ea tanquàm actu diſtincta concipiendo, & comparando. Secundò quaſi ſenſus ſit quòd attributa diſtinguit actualiter cognoſcendo, tanquàm diſtinguibilia. Capreolus locutus eſt in ſecundo, & non in primo ſenſu.

Capreol. 5 Quòd autem hæc, & non alia mens Capreoli fuerit, non aliundè quàm ex eodem Capreolo manifeſtè colligendum eſt. Etenim in 1. diſt. 8. quæſt. 4. ad 15. ſic ait. *Licet enim duo conceptus formarentur de ſapientia, & eſſentia, unicus uerò de eſſentia, hoc non prouenit ex parte rei, quòd res ita exigat intelligi, ſed quia intellectus noſter intelligit Deum ex creaturis, & ſicut in creaturis ad intelligendum ſapientiam, alium conceptum format, quàm ad intelligendum ſapientem eſſentiam, ita etiam facit cum intelligit Deum. Cuius cauſam aſſignat Sanctus Thomas 1. p. quæſt. 13. art. 4.* D.Thom. *Ratio inquit, quam ſignificat nomen, eſt conceptio intellectus de re ſignificata per nomen; intellectus autem cum cognoſcat Deum ex creaturis format ad intelligendum Deum conceptiones proportionales perfectionibus procedentibus à Deo in creaturas, quæ quidem perfectiones in Deo præexiſtunt ſimpliciter, & unitæ; in creaturis uerò accipiuntur diuerſæ, & multipliciter; Sicut igitur diuerſis perfectionibus creaturarum reſpondet unum ſimplex principium repræſentatum per diuerſas perfectiones creaturarum, uariè, & multipliciter, ita uarijs, & multiplicibus conceptionibus intellectus noſtri reſpondet unum omnino ſimplex ſecundum conceptiones imperfectè repræſentatum*.

6 Vbi duo manifeſtè docet. Primum eſt. Quòd intellectus noſter non vnico, ſed pluribus conceptionibus cognoſcit Deum. Secundum eſt, quòd conceptiones, quas de diuerſis Dei attributis format, ſunt conceptus proportionales cum Deo, non verò vniuocè proportionati.

7 Sed dicet aliquis nihil eſſe ad propoſitum, quoniam Capreolus loquitur de intellectu noſtro non per viſionem claram Dei, ſed extra viſionem. Imo idem Capreolus ibidem, paucis interiectis, hæc verba profert. *Addo etiam quòd poſito quòd intellectus Deum in ſe uideret, & non ex creaturis adhuc plures rationes formare poteſt de eſſentia, & ſapientia Dei, non autem de ſapientia, &c.* Capreol.

8 Sed reſpondetur, ea quæ diximus poſita fuiſſe ad explicandum quòd conceptiones per intellectum creatum formatæ, non ſunt propriæ proportionatæ Deo, ſed proportionales, & extra viſionem, & ad verba ex Capreolo in contrarium adducta, reſpondetur explicando Capreolum, non de formatione actuali, qua ſcilicet, de facto formatur vnus conceptus de vno attributo, vel de altero, quaſi vnum ſit de facto ab altero diſtinctum, ſed quatenus intellectus Beati cognoſcit Deum per viſionem beatificam, tāquàm per plures cōceptus diſtinguibilē,

9 Et quòd iſta ſit mēs Capreoli patet ex ijs, quæ ibidē ad 16. ex Petro de Palude docet vbi hæc habet verba. *Quartò quādo intellect⁹ iudicat aliquid unū eſſe plura rōe non iudicans plura re, quia tunc eſſet falſus, nec iudicans plura ratione, quia etiam ſunt plura ratione,* Capreol. Petrus de Palude.

 quia

quia iſte intellectus non faceret pluralitatem rationis, ſed ſupponeret, ſed ſi videns rem eſſe comparabilem ad plura, vel eſſe conceptibilem pluribus modis, non tunc comparet eam, nec concipiat per illos modos, ſed ex hoc quòd videat eam ſic comparabilem, vel conceptibilem, ex hoc ipſo iudicet eam plures ratione, tunc facit eam plures ratione, cuius dicere eſt facere, &c. Vbi loquitur de intellectu diuino, & concedit intellectum diuinum facere ens rationis diſtinguendo attributa inter ſe, non per comparationem vnius ad aliud, ſed per hoc tantummodo, quòd cognoſcit ſe ipſum, vt plurificabilem, in plura attributa per intellectum. Et hoc Capreolus vocat facere ens rationis. Quod quidem vt explicabimus quæſt. 14. non eſt propriè efficere ens rationis quantùm ad eius eſſentiam, ſed quantùm ad obiectiuam exiſtentiam, per relucentiam ſcilicet, actualis exiſtentiæ entis rationis, quæ tanquàm in proprio ſuo efficiente exiſtit in intellectu creato diſtinguente vnita, ac vniente diſtincta.

10 Itaquè quando Capreolus dicit quòd Beatus per viſionem beatificam attributa diſtinguit, ſenſus eſt, quòd per viſionem beatificam, Deitatem per diuerſa attributa diſtinguibilem eſſe cognoſcit, & ſimiliter quando dicitur quòd per viſionem beatificam de diuerſis attributis Dei, & rebus in ipſo viſis diuerſa verba formantur, debet intelligi non de formatione actuali, ſed habituali, ſeù de diuerſorum verborum formabilitate, taliter quòd ſi intellectus Beatus de facto diuerſa verba format, nunc plura, nunc pauciora, hoc non fit per viſionem beatificam formaliter, ſed per cognitionem extra verbum, dependenter tamen à cognitione in verbo diuino; nec huiuſmodi varia verba formata, ſunt diuinis attributis quo ad formam ſignificatam immediata, & proportionata, ſed tantummodo proportionalia, & mediata, vt dictum eſt.

11 Tribuitur etiam Caietano infra quæſt. 27. art. 1. §. *Ad 3. dubium* cuius verba ſunt iſta. *Beatus enim verbum partiale, non autem adæquatum viſioni proferre poteſt. Plus enim videt quàm dicere poſſit quocumque creato verbo.* Verumtamen in illis verbis non dicit Caietanus quòd Beatus per viſionem beatificam producit verbum inadæquatum, & partiale, ſed quòd *Beatus verbum partiale, non autem adæquatum viſioni producere poteſt*, quod intelligi ac interpretari commodè poteſt, de cognitione quam habet Beatus extra verbum, ſeu extra viſionem beatificam (licet per pendentiam ab ea) & huic interpretationi, verba eiuſdem Caietani quæ hic §. *Aduerte hìc*, profert conſonant. Sic enim ait. *Aduerte hìc, quod hinc habetur, quòd Beati non poſſunt formare verbum de Deo clarè viſo vt ſic, quamuis poſſint formare uerbum de ijs quæ in Deo videtur.* Quaſi diceret, non poſſunt formare verbum per viſionem formaliter, poſſunt tamen verbum proferre de ijs quæ vident per beatificam viſionem, dum eadem extra eamdem noſcunt.

12 Communiter tamen Doctores ſuſtinent, quòd Beati ſi per viſionem beatificam non formant verbum de Deo vt ſic, nequè etiam formare poſſunt verbum de Deo, vel de aliquo eius attributo, aut de creaturis viſis in Deo, quod ſit verbum partiale, & non adæquatum viſioni.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

13 Dico primò. Si nomine verbi intelligatur cognitio, ſeu viſio, eſt omninò impoſſibile, vt per viſionem beatificā producatur verbum partiale. Hoc dictum debet eſſe commune omnibus Doctoribus ſuſtinentibus verbum eſſe omnino idem cum intellectione producta.

14 Probatur. Quia viſio Beatifica eſt vna ſimplex viſio, ſeu intellectio. Ergo non poteſt dici verbum reſpectu vnius obiecti partialis, & non reſpectu totius obiecti. Antecedens patet. Probatur etiam conſequentia. Quia non multiplicatur intellectio. Ergo nequè verbum.

15 Dico Secundò. Abſolutè loquendo, eſt impoſſibile vt beatus per viſionem qua Deum videt formet verbum partiale, reſpectu alicuius attributi, atquè etiam creaturarum viſarum in Deo.

16 Probatur primò, quòd ſit omnino Impoſſibile Beatum formare verbum de vno attributo, & non de alio. Beatus vna, & eadem viſione vnum attributum, qua Deum ipſum, & cætera alia attributa conſpicit. Ergo ſi non format verbum de vno attributo, nequè etiam de altero, & ſi format conceptum de vno, de omnibus ſimul conceptum vnum formare tenetur. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Quia verbum formatur per notitiam vt dictio eſt; ſed eſt vna notitia. Ergo vna dictio adequata notitiæ. Ergo vnum verbum, vel nulla dictio, & verbum nullum.

17 Probatur ſecundò hoc idem. Beatus ſi formaret verbum partiale de aliquo vno attributo, & non de alio, nequè de Deo, vel cognoſceret attributum intuitiuè, vel abſtractiuè mediante illo partiali verbo: Neu-

Digitized by Google

Neutrum dici poteſt. Ergo. Patet ſequela. Probatur autem minor. Non cognoſceret abſtractiuè, Quoniam ſi abſtractiuè cognoſceret, non eſſet viſio clara Dei, & ſic non eſſemus in caſu; Neque intuitiuè. Quia cognoſcens intuitiuè aliquod prædicatum Dei, cognoſcit illud vt eſt in Deo,& ſic videt illud, Deum, & omnia quæ formaliter ſunt in Deo. Ergo non erit verbum partiale.

18 Confirmatur. Quia intellectus creatus producens verbum, ſi cognoſcit obiectum intuitiuè, illud cognoſcit me liante verbo producto. Ergo ſi Beatus formaret verbum partiale, nempè de aliquo dumtaxat attributo, per illud verbum cognoſceret attributum. Ideo enim ab intellectu creato verbum producitur, vt per ipſum cognoſcatur obiectum. Ergo vel cognoſceret illud attributum mediante illo verbo, cognitione intuitiua, & hoc eſt falſum. quia cognoſceret tale attributum, non vt in ſe eſt, quoniam vt in ſe eſt, eſt vnum, & idem cum alijs attributis, & conſequenter, formando verbum de vno attributo, debet repræſentare omnia attributa; quemadmodum eſt impoſſibile vt detur cognitio intuitiua Dei, & omnia attributa quæ ſunt in Deo formaliter non cognoſcantur. Vel cognoſceret abſtractiuè, & ſic non eſſet viſio beatifica, quia viſio beatifica eſt cognitio intuitiua Dei, & omnium eorum quæ formaliter ſunt in Deo.

19 Quòd verò per viſionem beatificam formaliter, non poſſit formari verbum de creaturis in Deo viſis. Sic probo. Beatus per illud verbum vel cognoſceret primò, & per ſe, creaturas, vel ſecundariò. Si ſecundariò. Ergo illud verbum non eſſet verbum creaturarum. Probatur conſequentia. Quia verbum per quod aliquid ſecundariò cognoſcitur, non eſt proprium verbum ipſius. Eſt enim formalis ſimilitudo obiecti. Ergo ſi ſecundariò cognoſcitur, ſecundariò repræſentatur, & ſic ſciendum reſtat, illud verbum cuius obiecti eſſet proprium verbum. Si creaturarum, hoc eſt falſum, quia tunc illa cognitio qua per verbum primò, & per ſe repræſentaretur creatura, non eſſet beatifica, Nam viſio Beatifica eſt viſio Dei, & quæcumquè alia viſio immediata, quæ non eſt Dei, non eſt Beatifica; Quemadmodum in nullo alio obiecto præter Deum, ratio obiecti beatifici ſaluatur.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & ſolutiones.

20 SEd cõtra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò. Poteſt Beatus ponere diſtinctionem inter vnum attributum, & aliud. Ergo poteſt formare conceptum de vno, & non de alio: ſed hoc eſt formare verbum partiale de vno, & non de alio. Ergo. Patet conſequentia. Quia formans diſtinctionem inter vnum attributum, & aliud, diuerſum conceptum format de vno, & de alio. Probatur igitur antecedens. Quia nos in via formamus diſtinctionem inter vnum attributum, & alterum. Ergo multò fortius Beatus.

21 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam: & ratio negationis eſt, quia nos ideo vnum attributum ab alio diſtinguimus, quia illud cognoſcimus per diſcurſum, & per remotionem, remouendo ſcilicet, imperfectiones ab eis; at verò Beati vident Deum vt eſt in ſe, & conſequenter, vident vnum attributum, pro ut eſt idẽ cum altero realiter, & virtualiter diſtinctũ, non tamen diſtinguunt ratione, niſi cognoſcendo ſuam, vel alterius intellectus cognitionem attributa diuina diſtinguentem.

22 Obijcies ſecundò. Creaturæ diſtinguuntur à Deo. Ergo Beati poſſunt formare conceptum de creaturis non formando conceptum de Deo, & attributis.

Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo poteſt formare verbum de creaturis, per diſtinctam cognitionem, concedo conſequentiam. Per eamdem cognitionem, nego conſequentiã.

23 Obijcies tertiò. Creatura quantuncunq; perfecta, eſt finitæ, & limitatæ perfectionis. Ergo Beatus per viſionem claram Dei quamuis non poſſit de Deo, eiuſquè attributis formare verbum, nulla eſt implicantia, vt de creaturis in Deo viſis per eamdem viſionem verbum formare poſſit. Antecedens eſt apud omnes certum. Probatur autem conſequentia. Quia per nos inter alias rationes quare Beati de Deo non formant verbum, vna eſt, quia Deus eſt infinitus, incircumſcriptus, & illimitatus.

24 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiã. Ad cuius probationẽ, cõcedo antecedens, & nego cõſequẽtiã. Ratio autẽ negationis eſt. Primò. Quia non ideo Beati de creaturis in Deo viſis verbũ partiale per viſionẽ formare non poſſunt, quia ſcilicet, tale verbum ſecundùm quòd verbum creaturarum eſſet, eſſet infinitum:

ſed quia cum non poſſit eſſe verbum creaturarum, quin ſit verbum eiuſdem eſſentiæ diuinæ, ſi autem daretur verbum eſſentiæ diuinæ, deberet eſſe infinitum, ideo, &c. Secundò. Quia ſi per viſionem claram Dei produceretur verbum de creaturis in Deo viſis, illæ creaturæ eſſent obiectum ſimul ſecundarium, & primarium eiuſdem cognitionis, & ſic eſſent, & non eſſent obiectum materiale, & ſecundarium. Implicat enim idem eſſe obiectum primarium, & ſecundarium reſpectu eiuſdem cognitionis. Quòd creaturæ eſſent obiectum materiale, & ſecundarium ſupponitur; Quòd autem eſſent obiectum formale, & primarium, probatur. Quia illa viſio attingeret creaturas ſecundùm quòd per tale verbum eſſent præſentatæ: Sed creaturæ per verbum ipſis proprium, tanquàm obiectum formale, & primarium repræſentantur. Quare, &c.

25 Obijcies Quartò. Creaturæ non ſunt obiectum primarium, ſed ſecundarium, & materiale, reſpectu cognitionis claræ Dei. Ergo licet non poſſit de Deo neque de aliquo eius attributo formari verbum, poterit ad minus de creaturis tanquàm de obiectis ſecundarijs, & materialibus formari verbum.

26 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia propoſitio in antecedenti aſſumpta, non ſolùm non proficit, ſed potius officit conſequenti. Nam eo ipſo quòd creaturæ ſunt viſionis claræ Dei obiectum ſecundarium, ſequitur quòd de ipſis tantummodo, non poteſt formari verbum, ex eo quia ſtatim obiectum primarium, ac formale euaderent, vt ex præcedenti reſponſione, & in concluſionis probatione demonſtrauimus.

27 Obijcies Vltimò. Non implicat vt vna, eademquè omnino cognitio ſit neceſſaria, & libera, Vnius obiecti, tantùm ſpeculatiua, & alterius productiua. Ergo non implicat vt viſio clara Dei pro vt terminatur ad Deum, non ſit productiua verbi, ſit verò verbi productiua, pro vt terminatur ad creaturas. Conſequentia patet à paritate. Probatur autem antecedens. Quia eadem cognitio diuina quatenus terminatur ad Deum ad eiuſquè prædicata, nec non ad creaturas poſſibiles eſt neceſſaria; quatenus verò terminatur ad res exiſtentes ſeù futuras, libera dicitur. Item, quatenus terminatur ad eſſentiam, non ſe habet vt illius cauſa; ſe habet tamen vt cauſatiua, quatenus ad creaturas terminatur. Ergo.

28 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt, quia ex eo quòd cognitio Dei reſpectu vnius obiecti eſt neceſſaria, & alterius libera; reſpectu vnius ſpeculatiua tantùm, & alterius etiam productiua, vnum obiectum eſse primarium, & alterum ſecundarium eſse inſinuatur: at verò ſi viſio quatenus ad creaturas terminatur eſset verbi productio, creaturas eſse illius obiectum formale, & primarium ſignificaretur. Quare, &c.

DISPVTATIO XXXVIII.

VTRVM VERBVM MENTALE SIT ID QVOD directè cognoſcitur, ſeù id in quo res ad extra intelligitur.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 VErbum eſſe id quod directè cognoſcitur, nõ eſt aliud quàm eſſe id ad quod mentis acies immediatè terminatur: Eſſe verò id in quo aliquid cognoſcitur, etiam

dicit

dicit eſſe id quod immediatè cognoſcitur. Quot autem modis, eſſe id in quo aliquid cognoſcitur contingere poſſit, capite ſequenti dicemus. Præſentis autem diſputationis diſquiſitio neceſſaria eſt, quia Doctores ſuſtinentes intellectionem ab intellectu productam eſſe verbum, omninò concedere cauent, verbum, eſſe id quod immediate, ac directè cognoſcitur, vel id in quo res ad extra intelligitur, ne euidenti demonſtratione vincantur, contradictionis, erroriſquè arguantur. Etenim ſi verbum eſt id quod immediatè cognoſcitur, & id in quo res ad extra intelligitur; Et alias intellectio eſſet verbum, intellectio eſſet immediatum intellectus creati obiectum, quod cognoſcitur, & ſic eſſet obiectum directum, & obiecti intellectio; quod falſum eſt, & in creatis manifeſtam contradictionem implicat.

2 Huic quæſito negatiuè reſpondent Durandus in 1. diſt. 27. quæſt. 1. à num. 12. vſquè ad finem, Fonſeca lib. 7. metaph. cap. 8. ſect. 5. §. *ſecundo loco*, Molina hic diſp. 1. concl. 1. §. *ad hoc*, & infra quæſt. 27. art. 1. diſp. 8. membro 3. Suarez tract. 1. primæ partis, lib. 2. cap. 11. num. 10. ad 2. & cap. 13. num. 5. & 6; Vaſquez diſp. 39. cap. 2. num. 13, Salas p. 2. diſp. 5. ſect. 2. num. 16. Becanus p. 1. tract. 1. cap. 9. quæſt. 2. num. 7. in fine vbi hæc habet verba. *Verbum non eſt id quod cognoſcitur, ſed eſt terminus, qui per cognitionem exprimitur*, Arrubal diſp. 97. num. 2. Zuniga diſp. 1. dub. 5. num. 2. & ex noſtris Syluester in Conflato quæſt. 27. art. 1. §. 1. not. 4. & §. 3. Faſolus infra quæſt. 27. art. 1. dub. 13. num. 250. qui num. 251. ait Sanctum Thomam ſine vllo dubio eſſe huius opinionis authorem. Eamdemquè opinionem ſuſtinere tenentur, omnes aſſerentes verbum mentale eſſe intellectionem ab intellectu productam.

Durand. Fonſeca. Molina. Suarez. Vaſquez. Salas. Becanus. Arrubal. Zuniga. Syluest. Faſolus.

3 Alij verò antiquiores Doctores, necnon grauiores Thomiſtæ ſuſtinent, verbum eſſe id quod directè, & immediatè cognoſcitur, & id in quo ad res extra intelligitur. Ita Henricus quodlib. 4. quæſt. 8. Ægidius quodlib. 5. quæſt. 5. Heruæus tract. de verbo, & quodlib. 2. quæſt. 8. loco cit. Capreolus in 1. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 2. ad argumenta Aureoli contra primam concluſionem ad 3. Caietanus hic, §. *ad 4. dubitationem*, Ferrarienſis in 1. cont. gent. cap. 53. §. *quinta eſt*. Bañes hic dub. 1. & infra quæſt. 27. ad 3. poſt 7. concluſionem, Zumel hic diſp. 1. Nauarrete controu. 34. §. 4. ad 6. Ripa de ente, & eſſentia cap. 4. quæſt. 4. artic. 5. per totum. Salmant. infra, q. 27. ar. 1. diſp. 1. dub. 1. num. 20.

Henric. Ægid. Heruæus. Capreol. Caietan. Ferrar. Bañes. Zumel. Nauarret. Ripa.

* * *

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Verbum mentale eſt id quod directè cognoſcitur, & id in quo res ad extra intelligitur.

Hoc dictum eſt adeo certum ad mentem Sanctæ Eccleſiæ Angelici Doctoris, vt oppoſitum aſſerere, ſit eius doctrinam euidenter deſerere, non defendere.

Probatur igitur primò, teſtimonijs apertis D. Thomæ. Nam de verit. quæſt. 4. ad 3. hæc habet verba. *Ad 3. dicendum quòd conceptio intellectus eſt media inter intellectum, & rem intellectam, quia ea mediante, operatio intellectus pertingit ad rem, & ideo conceptio intellectus non ſolùm eſt id quod intellectum eſt, ſed etiam id quo res intelligitur, poſſit dici, & res, & conceptio intellectus*. Hæc ille. D. Thom.

Faſolus hic num. 18. ait apud Sanctum Thomam verbum dici intellectum, nequè effectiuè, nequè obiectiuè, ſed tantùm repræſentatiuè, in quantùm eſt expreſſa quædam imago intentionaliter repræſentans rem, quæ per verbum formaliter, & actualiter intelligitur. Faſolus.

5 Sed videns hanc explicationem eſſe immediatam litteræ D. Thomæ contrariam, infra quæſt. 27. art. 1. dub. 13. num. 256. corrigit ſe, & aliter D. Thomam explicat, his verbis. *Nunc verò iterum accuratius perpendens verba citata de Veritate, & alia antecedentia, & conſequentia animaduerti, duobus modis verbum à Sancto Thoma dici intellectum; primò per immediatam, & ſolam beatitudinem ad potentiam intellectiuam. Secundò per immediatam habitudinem ad rem, quam ſe ipſo formaliter, & actualiter manifeſtat intellectui, & facit intellectum. Primo modo, ſecundum quem verbum denominatur propriè, ac ſimpliciter, & immediatè intellectum, nunquam à Sancto Thoma dicitur verbum intellectum obiectiuè, ſed ſemper effectiuè. Secundo modo, quo idem eſt dicere verbum eſſe intellectum, & verbum eſſe rem intellectam, ac proinde denominatur intellectum mediatè, hoc eſt, & mediante re intellecta, accipitur à Sancto Thoma eſſe intellectum repræſentatiuè tantum, non obiectiuè, nec effectiuè: & ita accipi loco citato de Veritate*, &c.

6 Vtraquè autem expoſitio, litteræ, ac menti D. Thomæ aduerſatur; Nam eſſe *id quod intelligitur*, idem omninò eſt, ac eſſe obiectiuè in intellectu, & conſequenter verbum à D. Thoma non dicitur intellectum effecti-

uè

Digitized by Google

uè tantùm, & repræſentatiuè excludendo modum eſſendi obiectiuè.

Fonſeca. Faſolus. D.Thom. Vaſquez. Fonſeca. D.Thom.

7 Verumtamen hîc aduerte, quòd ſunt quidam moderni Theologi, qui in ſuis doctrinis Diuum Thomam Doctorem, ac Præceptorem vocant, cuius tamen fideles nolunt eſſe diſcipuli. Nam quando D. Thomæ aduerſantur, ne apertè aduerſari dicantur, D.Thomam inculpant, & præſertim in hac diſputatione Pater Fonſeca qui ſupra, loquens de diſtinctione verbi mentalis ab actu intelligendi, dixit, magnam eſſe de hac re controuerſiam, & quod ex ſectatoribus D. Thomæ nihil liquidum reſolutum vidiſſe affirmat, & hæc verba immediatè ſubdit. *Et præſertim Diuus Thomas in hac materia, varijs locis ſecum pugnare videtur.* Et Faſolus loco iam citato num.251. hæc verba profert. *Probatur concluſio primò ex Sancto Thoma, quem ſine vllo dubio exiſtimo illius authorem, tametſi interdum ita loquatur, vt contrarium ſentire viſus ſit, non ſolùm multis Thomiſtis, ſed etiam noſtro Vaſquez.* Et Vaſquez diſp.39.cap.2. hæc verba profert, quæ tamen ſupra diſp.29. num.11. iterum retulimus. *Nuſquam*, inquit, *tamen dixit eam eſſe ſpeciem intelligibilem ad eliciendam viſionem. Cæterum quamuis hanc exiſtimem eſſe mentem Sancti Thomæ, vt verbum, & ſpecies expreſſa prius videatur, & per illam obiectum intelligamus, & hac ratione in viſione beatifica non exprimat verbum aliquod ſed eſſentiam ipſam Dei, eſſe loco ſpeciei expreſſæ; probabilius tamen exiſtimo oppoſitũ*, &c. Alter exiſtimat noſtram ſententiam eſſe D.Thomæ, illam tamen hoc non obſtante deſerit; Alter exiſtimat Diuum Thomam noſtræ ſententiæ eſſe contrarium, modum tamen loquendi eiuſdem, non ſatis approbat, cum dicat ex modo loquendi videri oppoſitum ſentire. Et alius tandem vt Fonſeca dicit D. Thomam ſecum in modo loquendi pugnare. Hic eſt modus quo Iuniores, quidam dicuntur eſſe Thomiſtæ, & quãtùm ad hoc noſter Syluester etiã exceſſit. Oportet à vera D.Th. intelligentia trahi, illumquè fideliter, firmiterquè defendere, & non ad eius oppoſitum, verba, doctrinamquè violenta explicatione torquere.

D.Thom.

8 Contra igitur dictam interpretationem militat D.Thomas, verbum vocans eſſe *id quod intellectum eſt*, & *id quo* res intelligitur. Duo enim ponit ibi Diuus Thomas vnum eſt, quòd verbum eſt id *quo res intelligitur*, alterum quod verbum eſt id *quod intellectum eſt*; Et vnum alteri opponit: ſed per hoc quòd verbum eſt *id quo* res intelligitur, ſufficienter explicatur, quòd ſit res intellecta repræſentatiuè, & effectiuè. Ergo per hoc quòd dicit verbum eſſe id *quod intellectum eſt*, debet intelligi de præſentia obiectiua, quaſi ſenſus ſit, quòd verbum eſt *id quod* tanquàm immediatè cognitum ab intellectu reſpicitur,

D.Thom.

9 Idquè pluries D. Thomas ibidem ſatis clarè manifeſtat, nam in corp. eiuſdem articuli circa medium hæc verba profert. *Vnde ad huius notitiam ſciendum eſt, quòd verbum intellectus noſtri ſecundùm cuius ſimilitudinem loqui poſſumus de verbo in diuinis, eſt id ad quod operatio intellectus noſtri terminatur, quod eſt ipſum intellectum, quod dicitur conceptio intellectus.* Hæc ille. Tunc ſic. Id ad quod operatio intellectus noſtri terminatur, eſt id quod intellectui obijcitur, ſeù id quod intellectus concipiendo cognoſcit; ſed D. Thomas ait, quòd id ad quod operatio intellectus noſtri terminatur, eſt ipſum intellectum ſeù verbum. Ergo.

10 Nec valet reſpondere diſtinguendo maiorem *Id ad quod* tanquàm ad obiectum, operatio intellectus noſtri terminatur, &c. conceditur maior. *Id ad quod* tanquàm ad effectum, non verò tanquàm ad obiectum operatio intellectus noſtri operatur, &c. negatur maior. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Etenim apud Sanctum Thomam, verbum eſt id ad quod tanquàm ad effectum, non tanquàm ad obiectum operatio intellectus noſtri immediatè terminatur.

D.Thom.

11 Contra, quia contradicit Diuo Thomæ ibidem, qui paucis interiectis ſic ait *Ita ergo verbum intellectus in nobis duo habet de ſua ratione, ſcilicet quod eſt intellectum, & quod eſt ab alio expreſſum.* Tunc ſic. Verbum habet rationem effectus, ſeù producti, per hoc quòd eſt ab alio expreſſum, non verò per hoc quòd eſt intellectum. Ergo quando D.Thomas ait, quòd verbum eſt *id ad quod operatio intellectus noſtri* tanquàm ad id quod intellectum eſt, terminatur, non loquitur de termino vt producto, ſed de termino vt obiecto, ſeù cognito.

D.Thom.

12 Apertiùs dici non poteſt, prçter id quod dictum eſt. Nihilominus hoc ipſum Diuus Thomas pluries alibi expreſsè declarat. Etenim ſuper caput 1. Ioan. lect.1. hæc verba profert. *Iſtud ergo ſic expreſſum, ſcilicet formatum in anima, dicitur verbum interius, & ideo comparatur ad intellectum, non ſicut quo intellectus intelligit, ſed ſicut in quo intelligit, quia in ipſo expreſſo, & formato, videt naturam rei intellectæ*: ſed eſſe id in quo aliquid intelligitur, eſt id quod intelligitur. Ergo.

Faſolus.

13 Reſpondet Faſolus qui ſupra num.257. ſicut prius, nẽpè quòd verbum *eſt id in quo*, non tanquàm in obiecto, ſed tanquàm in effectu, & cum negatur eſſe *id quo*, negatur quòd ſit ſpecies impreſſa. Eius autem verba iſta ſunt; *Sed ex antecedentibus clariſſimum eſt, negari de verbo eſſe id quo ex eo quod non eſt ſpecies impreſſa, quæ inquit, eſt quo intelle-*

ctus

Digitized by Google

ctus intelligit ; alioqui alijs locis ſupra citatis ſæpè dicitur, Verbum eſſe id quo. Affirmari autem eſſe id in quo, nimirum non tanquàm in obiecto, ſed tanquàm in effectu, vt cuius formaliter videt obiectum, &c.

D.Thom. 14 Sed hæc friuola reſponſio, ex iiſdem D.Thomæ verbis euidenter impugnatur. Nam D.Thomas in præcitatis verbis, duo dicit, quæ cum reſponſione Faſoli cohærere non poſſunt. Vnum eſt; quòd verbum comparatur ad intellectum *non ſicut quo intellectus intelligit*. Alterum eſt, quòd verbum comparatur ad intellectum ſicut *in quo intelligit*. Ratione primi, negat verbum eſſe *id quo* ſicut ſpecies impreſſa, quæ eſt id quo incognitum, & nullo modo id quod, niſi reflexè. Verbum verò, eſt ita quo, vt ſit id in quo res ad extra intelligitur; Id inquam, in quo, non ſolùm tanquàm in effectu, ſed tanquàm in obiecto. Quòd autem iſta ſit vera literæ D.Thomæ intelligentia, ſincerè legenti manifeſtum eſt, & inſuper declaratur, & probatur. (Faſolus.) Quia D.Thomas vt ingenuè Faſolus ipſe fatetur, opponit ſpeciem expreſſam ſpeciei impreſſæ: ſed quando negat ſpeciem expreſſam, ſeù verbum eſſe medium quo, id eſt eſſe ſpeciem impreſſam, quæ eſt medium incognitum; loquitur de ſpecie impreſſa, non in ratione effectus, ſed de medio quo fit cognitio formaliter loquendo. Ergo quando de verbo affirmat eſſe medium in quo, loquitur de medio cognitionis formaliter, quod eſt eſſe medium in quo tanquàm in obiecto. (D.Thom.) Videatur D.Thomas de potentia q.9. art.5. vbi hæc habet verba. *Id autem quod eſt per ſe intellectum, non eſt res illa, cuius notitia per intellectum habetur, ſed eſt primò, & per ſe intellectum, quod intellectus in ſe ipſo concipit de re intellecta*. Videatur quoquè D.Thomas (D.Thom.) 1. cont. gent. cap.53. vbi hæc aurea habet verba; quæ aliàs retulimus. *Vlterius autem conſiderandum eſt, quòd intellectus per ſpeciem rei formatus, intelligendo format in ſe ipſo quamdam intentionem rei intellectæ, quæ eſt ratio ipſius quam ſignificat diffinitio. Et hoc quidem neceſſarium eſt; eo quòd intellectus intelligit indifferenter, rem abſentem, & præſentem, in quo cum intellectu imaginatio conuenit: ſed intellectus hoc ampliùs habet, quòd etiam intelligit rem vt ſeparatam à conditionibus materialibus, ſine quibus in rerum natura non exiſtit: & hoc non poſſet eſſe niſi intellectus intentionem ſibi prædictam formaret, hæc autem intentio intellecta, cum ſit quaſi terminus intelligibilis operationis eſt aliud à ſpecie intelligibili quæ facit intellectum in actu*, & paulo poſt ſic ſequitur. *Per hoc enim quòd ſpecies intelligibilis quæ eſt forma intellectus, & intelligendi principium, eſt ſimilitudo rei exterioris, ſequitur quòd intellectus intentionem formet illi rei ſimilem: quia quale eſt vnumquodquè, talia operatur. Et ex hoc quòd intentio intellecta eſt ſimilis alicui rei, ſequitur quòd intellectus formando huiuſmodi intentionem, rem illam intelligat. Intellectus autem diuinus nulla alia ſpecie intelligit quàm eſſentia ſua; ſed tamen eſſentia ſua eſt ſimilitudo omnium rerum. Per hoc ergo ſequitur quòd conceptio intellectus diuini prout ſemetipſum intelligit, quæ eſt verbum ipſius, non ſolùm ſit ſimilitudo ipſius Dei intellecti, ſed etiam omnium quarum eſt diuina eſſentia ſimilitudo. Sic igitur per vnam ſpeciem intelligibilem quæ eſt diuina eſſentia, & per vnam intentionem intellectam quæ eſt verbum diuinum, multa poſſunt à Deo intelligi*. Hæc ille. Vbi habes primò, quòd verbum eſt formatum ab intellectu tanquàm *ratio ipſius quam ſignificat diffinitio*: ſed ratio quã ſignificat diffinitio, eſt ita id quo cognoſcitur diffinitum, vt ſit ipſum id quod cognoſcitur. Secundò quòd intellectus, & imaginatio cognoſcunt rem abſentem, & intellectus ſupra imaginationem habet vt intelligat rem, vt à conditionibus materialibus ſeparatam. Sed hoc non fit niſi per formationem verbi per quod, & in quo, res abſens, & a conditionibus materialibus ſeparata cognoſcatur. Tertiò quòd verbum vocatur à D.Thoma *intentio intellecta*, non autem intentio facta. Nam & ſi ſit ab intellectu facta, ſeù formata, per hoc non habet rationem intellecti, ſed facti. Vocatur inquam, *intentio intellecta* vocatur etiam *terminus intelligibilis operationis* ſicut ſpecies impreſſa eſt principium: ſed ſpecies impreſſa eſt principium intellectionis formaliter, & non ſolùm materialiter. Ergo ſpecies expreſſa eſt terminus intellectionis non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter. Quartò quòd verbum in creatis eſt ita terminus noſtræ intellectionis ſicut diuina eſſentia (debita tamen ſemper proportione ſeruata) in ratione verbi eſt terminus propriæ cognitionis, ſeù intellectus diuini: ſed D. Thomas habet quòd intellectus diuinus per vnam ſpeciem intelligibilem, quæ eſt diuina eſſentia, & per vnam intentionem intellectam, quæ eſt verbum diuinum, multa poſſunt à Deo intelligi: Et quia diuina eſſentia non dicitur intentio intellecta, niſi per hoc quòd eſt cognita vt quod intra ſuum intellectum. Ergo verbum in creatis eſt id quod cognoſcitur, & id in quo res ad extra intelligitur. (D.Thom.)

15 Vnum breuiter ab aduerſarijs peto, & eſt hoc. Ad probandum quòd Sanctus Thomas ſenſerit, quòd verbum eſt id quod cognoſcitur, & id in quo res ad extra intelligitur, quæ verba clariora deſiderare poſſent? Certè non alia, niſi iſta, nempè verbum eſt id quod intellectum eſt, ſeù id ad quod cognitio terminatur, & id in quo res intelligitur. Hæc verba in Diuo Thoma iam inuenta ſunt, & nihilominus aduerſarij dicunt, quòd per *id quod intellectum eſt*, non intelli- (D.Thom.)

intelligitur id quod eſt intellectum, ſed id quo effectiuè, vel repræſentatiuè; quod eſt dicere, non eſt id quod, ſed id quo. Diuus Thomas dicit verbum eſſe id quod, & aduerſarius gloſat, & dicit, verbũ eſt id quod, id eſt id quo. Diuus Thomas dicit, quòd verbum eſt *id in quo intellectus intelligit*, & non ſicut quo, & aduerſarius gloſat, quòd eſt id in quo effectiuè, & repræſentatiuè, quod eſt dicere vt quo, & ſic explicatur ly in quo, per id quo. Quod quidem quàm vanum, & puerile ſit, iudicent alieni.

16 Peto inſuper ab aduerſario, Hæc propoſitio eſt ne vera, vel falſa? nimirum Intellectus intelligit rem in verbo tanquàm in quo? Reſpondet eſſe falſam, quia verbum per aduerſarium, eſt ipſa intellectio producta: ſed intellectio vt producta non eſt id in quo res intelligitur, ſed id quo. Tunc ſic. Sed Diuus Thomas abſolutè concedit ſupradictam propoſitionem, & tanquàm veram ſtatuit. Ergo dicendum eſt, quòd Diuus Thomas falsò locutus eſt, vel vt à falſitate ſaluetur, quòd eius locutio ſit impropria, & metaphorica; aduerſarij verò loquendi modus eſt verus, & in rigore proprius. Iſte eſt modus defendendi Diui Thomæ doctrinam? Sciolus propriè, Sanctæ Eccleſiæ Angelicus Doctor Diuus Thomas, impropriè loquitur? Melius eſt à doctrina D. Thomæ recedere, quàm illam indignè defendere. D.Thom.

17 Hoc ipſum quod in præſenti probamus, etiam aduerſarij nolentes admittunt, & præſertim Recupitus lib. 1. quæſt. 3. nu. 4. vbi quærens. *Vtrum de Deo formari à nobis poſſint propoſitiones affirmatiuæ*, num. 4. hæc habet verba. *Suppono ſecundò in cognitione qua aliquid affirmatiuè cognoſcimus de obiecto nobis proportionato, duo intercedere. Vnum eſt aſſenſus, aliud relucentia, & expreſſio obiecti, ſupra quod cadit aſſenſus. Hæc autem duo ſeiungi poſſunt. Nam cum aliquid affirmamus de obiecto ſuperiori cuius ſpeciem non habemus, puta de Angelo: non relucet in intellectu poſitiua ratio ſpiritualitatis, cuius ut in ſe eſt, nullum conceptum poſitiuè formamus, ſed ſubſtituimus iuuenem alatum, aut quid ſimile loco Angeli: propoſitiones autem etiam mentales non verificantur de idolo corporeo, ſiuè de obiecto immediato, quod nobis repræſentatur, & immediatè, ac directè relucet in intellectu, ſed de obiecto ultimato, loco cuius aliquid ſubſtituimus, neque de imagine ſe habente ut quo, ſed de imaginato ſe habente ut quod, ſcilicet de eo quod per talem imaginem repræſentare intendimus, &c.* Recupit.

18 Vbi iam admittit idolum loco Angeli ſubſtitutum, non eſſe id quo tantùm, ſed id quod immediatè cognoſcitur. Illud autem idolum dicimus eſſe verbum; quòd ſi illud idolum eſt immediatè cognitum, non obſtante quòd ſit idolum omninò ab Angelo diſtinctum; Idem omninò dicendum erit de idolo cuiuſcunquè rei proprio.

19 Nec valet dicere, quòd illud idolum eſt conceptus obiectiuus, non verò formalis. Quoniam eſt conceptus formalis, & obiectiuus. Formalis quidem, quatenus eſt id quo aliquid extra intelligitur. Obiectiuus verò quatenus eſt id quod immediatè cognoſcitur. Huiuſmodi autem dicimus eſſe verbum. Itaquè niſi aduerſarij de controuerſia vocabuli diſputare velint contra Thomiſtas, doctrinam negare non poſſunt; quia Thomiſtæ dum aſſerunt verbum eſſe id quod immediatè cognoſcitur, & id in quo res extra intelligitur, nomine verbi intelligunt illud idolum intellectui, vel imaginationi intimè præſens. Quare, &c.

20 Probatur igitur ratione. Verbum eſt terminus, ſeù idolum ab intellectu formatum, mediante ſpecie intelligibili ad cognoſcendum aliquid. Ergo non ſolùm eſt id quo, ſed ſic eſt id quo, vt ſit id quod, & in quo res intelligitur. Antecedens ſupponimus. Aliàs nõ eſſet diſputationi locus. De verbo enim ſic ſumpto diſputamus. Probatur autem conſequentia, quia idolum quod intellectus de re, mediante ſpecie intelligibili format, immediatè ab intellectu cognoſcitur. Immediatè enim intellectui obijcitur, vt patet.

21 Et quoniam multùm aduerſarijs diſplicet, id quod de verbo Thomiſtæ dicere ſolent, & nos iam diximus, nempè quod verbum eſt id quod immediatè cognoſcitur, & id in quo res extra intelligitur; ideo eſt breuiter obſeruandum, quòd eſſe id in quo aliquid intelligitur, multipliciter contingere poteſt. In quo tanquàm in cauſa; In quo tanquàm in effectu, & in quo, tanquàm in ſpeculari. Primo, vel ſecundo modo, eſſe id in quo, facit cognitionem mediatam reſpectu rei in aliquo cognitæ. Nam aliquid cognoſcitur in aliquo tanquàm in cauſa, vel tanquàm in effectu, vna, & eadem cognitione, vel vna cognitione cognoſcitur medium in quo, & alia cognoſcitur res in illo. Vtroque modo cognitio dicitur eſſe mediata, vt communiter philoſophi, ac Theologi docent. Ergo. Alio verò modo eſſe medium in quo, non facit cognitionem mediatam, eo quia medium in quo, res ad extra cognoſcitur, & res ad extra cognita, non ſunt duo obiecta, ſed ſunt vnum idemquè obiectum. Idquè communiter Thomiſtæ obſeruant, & præſertim Ripa qui eleganter de ente, & eſſentia cap. 4. quæſt. 4. art. 5. §. *ſed vltra*, hæc verba formalia profert. *Quare ſi id cuius eſt imago attingatur vt quod. Ergo, & imago, at non ſunt duo hæc, quæ attinguntur, in quo decipi video qui contrarium docent, & quoſdam recentiores graues p. p. loco nominato; Dicunt enim* Ripa.

Digitized by Google

enim cum Durando diſt. illa allegata, quòd nos non lateret cognoſcere hunc conceptum, ſi eum vt quod, & vt obiectum attingeremus, cum nunquam cognoſcens cognoſceret ſe, cognoſcere rem quam cognoſcit, & tamen nos non percipimus id cognoſcere. Vbi clarè nimis ſupponunt conceptum, & obiectum eſſe quid diſtinctum, & duo cognita, & volunt nos cognoſcere duo, & hoc ſcilicet, & illud, cum tamen conceptus formaliter acceptus, & obiectum ſint vnum. Videatur Bañes quiſupra concl. 7. Et hoc eſt, quod ſub alijs verbis cœteri Thomiſtæ dicere ſolent, verbum eſſe terminum intrinſecum cognitionis. Quod quidem ſi intimiùs ſcrutemur, verbi naturam, magis eluceſcet, etenim verbum ex ſui natura aliud non habet, niſi vt ſit loco rei ad extra. Dico melius, vt ſit ipſa res ad extra vt intra intellectum concepta. Quare cum dicitur, verbum eſſe id in quo res ad extra intelligitur, ſenſus eſt, quòd verbum non eſt aliud, niſi id quod cognoſcitur ab intellectu pro vt eſt intra intellectum. Ex hoc autem quòd ſit id quod ab intellectu immediatè cognoſcitur, ſit id in quo res ad extra intelligitur, etiam ipſi aduerſarij fatentur. Nam Faſolus loco citato num. 51. ſic ait. *Rationem obiecti intellecti opponit rationi Verbi, quo obiectum intelligitur, manifeſtè ſignificans, ac ſupponens, verbum non habere rationem intellecti, quæ eſt ratio obiecti, & medij in quo, ſed tantùm rationem formalem medij, quo obiectum intelligitur.*

Bañes.

22

Faſolus.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & Solutiones.

23 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò ex Faſolo, authoritate D. Thomæ in 1. diſt. 27. quæſt. 2. ar. 1. ad 4. vbi D. Thomas hæc verba profert. *Deus intelligit eſſentiam ſuam: Vnde eſſentia ſe habet vt intelligens, & vt intellecta, & vt quo intelligitur, & in quantùm ſe habet vt id quod intelligitur, eſt ibi verè ratio intellecti, ſed in quantùm ſe habet vt quo intelligitur, ſic eſt ibi ratio Verbi.* Hæc ille. Et Faſolus ſic ſubſumit; *Rationem obiecti intellecti opponit rationi Verbi, quo obiectum intelligitur; manifeſtè ſignificans, ac ſupponens, verbum non habere rationem intellecti, quæ eſt ratio obiecti, & medij in quo, ſed tantùm formalem rationem medij quo obiectum eſt intellectum.* Ergo verbum non eſt medium in quo.

Faſolus. D. Thom.

Faſolus.

24 Reſpondetur D. Thomam manifeſtè in locis præallegatis docere verbum eſſe medium in quo res intelligitur, & id quod intellectum eſt; neque in loco præallegato, habet oppoſitum. Vnde ſic explicatur. Sed in quantùm ſe habet vt quo, quod in tantùm eſt id quo, in quantùm eſt id quod, concedo; In quantùm id quo opponitur ei, quod eſt id quod, nego. Quando autem Diuus Thomas ait, quòd eſſentia diuina ſe habet, vt intelligens, & vt intellecta, & vt quo intelligitur, per eſſentiam diuinam vt intellectam, noſtro modo intelligendi loquens, accipit eſſentiam diuinam, quaſi ſit veluti res ad extra, & ſimiliter quando ait quòd in quantùm ſe habet, vt id quod intelligitur, eſt ibi vera ratio intellecti, loquitur de ratione intellecti, iuxta noſtrum intelligendi modum de intellecto, ac ſi eſſet res ad extra, & quando ait, quòd eſſentia diuina eſt *vt quo intelligitur*, & in quantùm ſe habet, *vt quo intelligitur, ſic eſt ibi ratio Verbi*, loquitur de quo, pro vt dicit medium cognitum, non pro vt dicit medium incognitum; Eo modo quo medium cognitum, dicitur medium quo aliquid cognoſcitur. Itaquè D. Thomas loco citato, loquitur de diuina eſſentia, per quandam correſpondentiam iuxta noſtrum intelligendi modum cum rebus creatis; in quibus datur res intelligens, res intellecta ad extra, & verbum interius, quod eſt id quo res ad extra intelligitur. In ratione intelligentis correſpondet rei intelligenti; in ratione rei intellectæ, correſpondet rei ad extra; in ratione verò medij quo, correſpondet verbo mentali, quod eſt medium quo res ad extra intelligitur; medium inquam, quo, quatenus eſt id quod intelligitur, ratione cuius intellecti, res ad extra cognoſcitur. non tanquàm aliquid a verbo diſtinctum, ſed tanquàm vnum, idemquè obiectum ſub diuerſo eſſendi modo.

D. Thom.

D. Thom.

25 Obijcies Secundò. Si verbum eſſet medium in quo res ad extra cognoſcitur, & id quod intelligitur, nunquàm res ad extra, mediante verbo cognita, immediatè cognoſceretur, ſed hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela. Quia quod cognoſcitur per medium in quo, mediatè, non immediatè cognoſcitur, ſed per nos res ad extra cognoſcitur per verbum, tanquàm per medium in quo. Ergo non immediatè cognoſcitur.

26 Reſpondetur negando ſequelam. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Quod cognoſcitur per medium in quo, tanquàm in cauſa, vel tanquam in effectu, non cognoſcitur immediatè, concedo maiorem. Quod cognoſcitur per medium in quo, tanquàm in ſpeculari, non cognoſcitur immediatè, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Digitized by Google

27 Contra. Homo qui videtur in ſpeculo non videtur immediatè in ſe ipſo, ſed mediatè; & nihilominus videtur in ſpeculo tanquàm in ſpeculari per ſuam imaginem.

28 Reſpondetur, quòd potentia viſiua quidquid videt, immediatè videt, ex parte rei viſæ, excludens omne medium etiam in quo. Quando autem dicitur, quod pluries D. Thomas repetit, nimirum quòd homo dum videtur in ſpeculo, non videtur immediatè in ſe ipſo, ſed mediatè, debet intelligi de mediatione facta per imaginationē, vel per diſcurſum intellectus, non tamen per viſionem formata. Quandoquidem viſio corporea immediatè ad imaginem in ſpeculo relucentem terminatur, nec aliquid aliud vltra ſpeculatur. Et inſuper etiam reſpectu imaginationis, & diſcurſus intellectualis loquendo, quòd homo viſus in ſpeculo, ſit illius mediata, non immediata cognitio, dupliciter intelligi poteſt. Primò, quo ad modum eſſendi hominis, ratum, & perfectum, quem extra ſpeculum habet. Secundò quantùm ad formam repræſentatam. Primo modo, eſt mediata, nō ſecundo, quia ſecundo modo, eſt vna, & eadem forma hominis in ſpeculo, & extra ſpeculum.

DISPVTATIO XXXIX.

VTRVM VERBVM CREATVM POSSIT immediatè à ſolo Deo cauſari, intellectu merè paſſiuè ſe habente.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 Diſputatio hæc abſquè argumentorum ſtrepitu reſoluenda eſt. Nam ſi nomine verbi, intellectio ſignificetur, dicendum eſt vt infra, per extenſum probabimus, quòd neque etiam per Dei potentiam abſolutam cauſari poteſt à ſolo Deo, intellectu merè paſſiuè ſe habente. Nam actio vitalis non poteſt ſaluari, niſi à ſuo principio vitali effectiuè concurrente, producatur. Si autem nomine verbi intelligatur qualitas ab intellectione diſtincta, variant Doctores. Quidam enim affirmant, quidam autem negant. Veruntamen mihi videtur cum diſtinctione dicendum. Etenim verbum dupliciter conſiderari poteſt. Materialiter ſcilicet, & formaliter. Materialiter, id eſt pro illa re, ſeù qualitate quæ dicitur verbum. Formaliter, id eſt pro verbo in ratione verbi. Et quidem ſi primo modo conſideretur, poteſt à ſolo Deo, intellectu merè paſſiuè concurrente, cauſari. Probatur. Quia verbum non eſt actio vitalis, & aliàs materialiter ſumptum, eſt quoddam idolum, quod non eſt aliud, quàm ſimilitudo formalis, & obiectiua rei ad extra: ſed omne idolum poteſt à ſolo Deo produci cum nulla appareat repugnantia. Ergo.

2 Confirmatur. Quia verbum producitur ab intellectu creato (loquor de verbo materialiter ſumpto) ad hoc vt obiectum ſit illi intimè præſens: ſed hoc non implicat vt à ſolo Deo fieri poſſit Ergo. Si autem verbum ſumatur formaliter, ſic dico, quòd neque etiam per potentiam Dei abſolutam fieri poteſt, vt intellectus intelligat per verbum à Deo ſolo cauſatum.

3 Probatur. Quia verbum eſt à dicente, ſed impoſſibile eſt vt aliquis dicat aliquod verbum, & ipſum non producat, contra Durandum in 1. diſt. 27. quæſt. 2. num. 31. Ergo. Durand.

4 Confirmatur. Non poteſt homo per os exterius habere aliquod verbum vocale, per quod loquatur, & quòd illud verbum ab ipſo loquente non producatur. Aliàs verbum illud, loquentis verbum non eſſet. Ergo ſimiliter, intellectus dum intelligit dicendo, neceſſariò debet producere verbum. Et hoc modo Doctorum ſententiæ, poſſent ad concordiam reduci.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXX.

VTRVM SIT POSSIBILIS ALIQVA SPECIES OBIECTIVA creata per quam Deus intuitiuè videatur.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 Completa ſunt, quæ pro præſentis articuli exacta intelligentia ad ſpeciem impreſſam, & expreſſam pertinent; ſolùm inquirendum ſupereſt, Vtrum ſit poſſibilis aliqua ſpecies creata obiectiua, ex cuius viſione videatur Deus vt eſt in ſe. Triplex enim eſt ſpecies, Impreſſa, Expreſſa, & Obiectiua. Quid impreſſa ſit, quiduè expreſſa, ex ſupradictis notum eſt: Obiectiua verò, eſt illa qua cognita, aliud per ipſam cognoſcitur. Et quidem in hac re, parum, aut nihil laborare neceſſè eſt, eo quia quāuis quodcunquè ens creatum ad viſionem beatificam efficiendam per potentiam obedientialem eleuari poſſit, nihiloſecius omnes, ſpeciem creatam obiectiuam, qua mediante diuina eſſentia vt in ſe eſt, cognoſcatur, impoſſibilem eſſe admittunt. Vnde pro determinatione veritatis.

2 Dico breuiter. Eſt omninò impoſſibilis ſpecies creata obiectiua, ex cuius cognitione clarè, & intuitiuè, Deus vt in ſe eſt, cognoſcatur.

Hoc dictum eleganter, & efficaciter probat D.Thomas 3. cont. gent. cap.49. & hic; Et præter rationes quas D. Thomas hoc loco adducit, breuiter probatur. Si daretur aliqua ſpecies creata obiectiua, ex cuius cognitione Deus vt in ſe eſt, intuitiuè cognoſcatur, id proueniret, quia illa creata entitas, ex natura ſua hoc haberet, vel ex beneplacito Dei: Vtrumquè implicat. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Et quidem quod non ex natura ſua, ſic probatur. Id ex cuius cognitione, rei intuitiuam cognitionem ducit, continet rem per ipſum cognitam, virtualiter, vel formaliter: ſed nulla creatura continet Deum, nequè formaliter, nequè virtualiter. Ergo. Probatur maior, quia quod aliquod ducat in alterius rei cognitionem intuitiuam, & quidditatiuam, aliundè prodire non poteſt, niſi ex rei cognitæ continentia formali, vel virtuali, vel ad minus quia eſt effectus adæquatus ipſius, & vniuocè cum illa conueniens; Et hoc in tantum ſufficeret, in quantum ex talis effectus cognitione, intellectus poſſet cauſæ propriam percipere ſpeciem repræſentatiuam eius, vt exiſtentis: ſed nulla creatura continet virtualiter, nequè formaliter Deum; imo nequè eſt adæquatus, & vniuocus effectus illius. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Et quidem quo ad continentiam virtualem, vel formalem, eſt euidens. Quia creatura, vt creatura in omni ſua perfectione continetur à Deo. Ergo nullo modo formaliter, aut virtualiter, continet Deum vt eſt in ſe. Quo ad vltimam verò partem, etiam probatur. Quia quælibet creatura eſt in infinitum diſtans à Deo, & quacunquè creatura data poteſt dari alia, & alia perfectior in infinitum. Ergo, &c.

3 Quòd verò non ex beneplacito Dei, Probatur ſic. Quia non eſt aſſignabile quid operaretur Deus, vt per aliquod obiectum à creatura, pro vt eſt in ſe videatur. Nam per illud obiectum creatum, in tantùm diuina videretur eſſentia, in quantùm ad talem effectum producendum, diuinitus eſſet eleuatum: ſed non apparet, nec fingi poteſt, per quid eleuaretur, vel quid eſſet illi collatum, vt intellectum creatum ad claram Dei ducat cognitionem.

4 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis Primò. Quia Apoſtolus Rom. 1. ait, *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Ergo poteſt dari aliquod obiectum creatum, ex cuius cognitione Deus vt in ſe eſt intueatur. Rom. 1.

5 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia per creaturas poſſumus cognoſcere Deum non vt in ſe eſt, ſed tanquàm per participatam imaginem à Deitate in infinitum deficientem, & illa particula conſpiciuntur, idem ſonat, ac cognoſcuntur.

Digitized by Google

6 Obijcies Secundò. Poteſt intellectus creatus lumine gloriæ illuſtratus, intuitiuè cognoſcere actum viſionis beatificæ per aliquam ſpeciem ſupernaturaliter inditam. Ergo poteſt dari aliqua ſpecies obiectiua ex cuius clara cognitione, clarè, & intuitiuè cognoſcatur Deus vt in ſe eſt. Antecedens patet ex ſupradictis diſp. 32. num. 17. Probatur autem conſequentia. Quia cognita intuitiuè, & quidditatiuè viſione clara Dei vt in ſe eſt, non poteſt non cognoſci quidditatiuè Deus. Ergo. Probatur antecedens. Quia cognoſcens viſionem claram Dei intuitiuè, & quidditatiuè, debet quoquè neceſſariò cognoſcere intuitiuè, & quidditatiuè id cuius eſt clara, & quidditatiua cognitio.

7 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem nego antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Cognoſcens viſionem claram Dei intuitiuè, & quidditatiuè, debet quoquè neceſſariò cognoſcere, &c. ſignatè, concedo antecedens, exercitè, nego antecedens.

8 Senſus reſponſionis eſt, quòd quando viſio clara Dei ſe habet vt obiectum cognitum, tunc cognoſcens eam, cognoſcit quod cognitio illa eſt talis naturæ, vt per eam Deus vt in ſe eſt, attingatur. Non autem quòd eam intuens tanquam obiectum immediatè cognitum, intueatur Deum.

9 Obijcies Tertiò. Nulla eſt repugnantia, vt aliqua parua, ac modica quantitatiua imago, repræſentet quantitatem, ac figuram magnam, & excedentem, quemadmodum de facto experientia docet, quòd quantitas magna gigantis per paruam quantitatem in ſpeculo, imò, & in pupilla oculi præſentatur. Ergo non implicat, vt aliqua creatura, quæ ſe habet vt parua entitas, repræſentet Deum vt in ſe eſt, qui ſe habet vt maxima entitas. Conſequentia patet à paritate.

10 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Nulla eſt repugnantia, &c. Si illa magna quantitas eſt finita, concedo antecedens. Si illa magna quantitas eſſet infinita, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Imò retorqueo argumentum. Nulla quantitas infinita ſi daretur, poteſt per quantitatem, neque paruam, neque magnam vt in ſe eſt, præſentari, nec dabilis eſt quantitatis infinitæ imago finita, neque parua, neque magna. Ergo cum Deus ſit maximè infinitus in quantitate virtutis ſicut, vel magis quàm infinita quantitas, in ratione molis, ſi daretur; multò minus dabilis eſt, aliqua imago Deum vt in ſe eſt repræſentans. Quare autem magna quantitas finita, per modicam imaginem repræſentari poteſt; ratio eſt, quia quantitas vt eſt in re, poteſt in eſſe intentionali ſub alio eſſendi modo exiſtere, ſicut ſubſtantia creata poteſt in eſſe intentionali habere eſſe accidentale.

11 Obijcies Quartò. Cognoſcendo Deum obiectiuè poteſt cognoſci creatura vt in ſe eſt: Ergo è contra. Probatur conſequentia. Quia quantùm diſtat Deus à creatura, tantùm è contra. Ergo, &c.

12 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Quantùm, & non qualiter, concedo, quantùm, & qualiter, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia creatura diſtat à Deo vt quid inferius à ſuperiori, vt contentum à continente; Deus verò à creatura vt ſuperius ab inferiori vt continens à contento. Deus igitur cognoſcens ſe cognoſcit creaturas, non quia ab eis diſtat, ſed quia eas virtualiter continet.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum eſſentia Dei videri poſſit oculis corporalibus.

Iob. 19. & 42.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod eſſentia Dei videri poſſit oculo corporali. Dicitur enim Iob decimotertio. In carne mea videbo Deũ, &c. & quadrageſimoſecundo. Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te.

Auguſt. de ciuit. Dei lib. 22.

Præterea, Auguſtinus dicit ultimo de ciuitate Dei, cap. 29. Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, ſcilicet glorificatorum, non ut acutius videant, quàm quidam perhibentur videre ſerpentes, vel aquilæ. Quantalibet enim acrimonia cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud poſſunt videre, quàm corpora; ſed ut videant, & incorporalia. Quicumque autem poteſt videre incorporalia, poteſt eleuari ad videndum Deum; ergo oculus glorifi-

Digitized by Google

FORMATIO
Articuli.

Iſa. 6. CORporis diſtributio in vnica concluſione negatiua, atquè vnica eiuſdem probatione conſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Impoſſibile eſt Deum videri ſenſu viſus, vel quocunquè alio ſenſu, aut potentia ſenſitiuæ partis.*

D. Aug. ep. 112. Probatio eſt iſta. *Omnis potentia ſenſitiua eſt actus corporalis organi.* Ergo *nulla potentia ſenſitiua poteſt ſe extendere vltra corporalia.* Antecedens patet, & magis patebit articulo ſequenti, & quæſt. 78. Probatur autem conſequentia, quia, *actus proportionatur ei cuius eſt actus.*

Ad primum argumentum ex duplici Iob authoritate formatum, Reſpondetur, explicando primam authoritatem ſic. *In carne mea*, oculo mentis, non oculo carnis, *videbo Deum Saluatorem meum*, conceditur antecedens; Et in hoc ſenſu intelligitur Sacra Scriptura. *In carne mea*, oculo carnis meæ, *videbo Deum Saluatorem meum*, negatur antecedens; Et in hoc ſenſu non loquitur Sacra Scriptura.

Queſt. ſequ. & 78.

Q. 3. ar. 1.

Ad ſecundam authoritatem, Reſpondetur explicando illam ſic. *Auditu auris audiuite, nunc autem oculus meus*, id eſt oculus mentis meæ *videt te*, conceditur, & hoc

Ephes. 1.

rificatus poteſt videre Deum.

Præterea, Deus poteſt videri ab homine viſione imaginaria. Dicitur enim Iſa. 6. Vidi dominum ſedentem ſuper ſol. &c. Sed viſio imaginaria à ſenſu originem habet: phantaſia enim eſt motus factus à ſenſu ſecundum actum, ut dicitur in tertio de anima; ergo Deus ſenſibili viſione videri poteſt.

*Sed contra eſt, quod dicit Aug. in * lib. de videndo Deum ad Paulinam. Deum nemo vidit unquam; vel in hac vita, ſicut ipſe eſt; vel in Angelorum vita, ſicut viſibilia iſta, quæ corporali viſione cernuntur.*

*Reſpondeo. Dicendũ, quòd impoſſibile eſt, Deũ videri ſenſu viſus, vel quocumque alio ſenſu, aut potentia ſenſitiuæ partis. Omnis enim potentia huiuſmodi eſt actus corporalis organi, ut infra dicetur: * Actus autem proportionatur ei, cuius eſt actus. Vnde nulla huiuſmodi potentia poteſt ſe extendere ultra corporalia. Deus autem incorporeus eſt, ut ſupra oſtenſum eſt. * Vndè nec ſenſu, nec imaginatione uideri poteſt, ſed ſolo intellectu.*

Ad primum ergo dicendum, quòd cum dicitur, In carne mea uidebo Deum Saluatorem meum, non intelligitur, quòd oculo carnis ſit Deum viſurus, ſed, quòd in carne exiſtens poſt reſurrectionem viſurus ſit Deum. Similiter quod dicitur; nũc oculus meus videt te; intelligitur de oculo mentis, ſicut Eph. 1. dicit Apoſtolus; Det uobis ſpiritum Sapientiæ in agnitione eius, illuminatos oculos cordis ueſtri.

Ad ſecundum dicendum, quòd Auguſtinus loquitur, inquirendo in uerbis illis, & ſub conditione.

*Quod patet ex hoc, * quòd præmittitur. Longè itaque potentiæ alterius erunt, ſcilicet oculi glorificati, ſi per eos uidebitur incorporea illa natura.*

Sed poſtmodum hoc determinat dicens; Valdè credibile eſt, ſic nos uiſuros mundana tunc corpora cæli noui, & terræ nouæ, ut Deum, ubique præſentem, & uniuerſa etiam corporalia gubernantem clariſſima perſpicuitate uideamus: non ſicut nunc inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſed ſicut homines, inter quos uiuentes, motuſquè uitales exercentes uiuimus, mox ut aſpicimus, non credimus uidere; ſed uidemus. Ex quo patet, quod hoc modo intelligit oculos glorificatos Deum uiſuros; ſicut nunc oculi noſtri uident alicuius uitam. Vita autem non uidetur oculo corporali, ſicut per ſe uiſibile; ſed, ſicut ſenſibile per accidens. Quod quidem à ſenſu non cognoſcitur, ſed ſtatim cum ſenſu ab aliqua alia uirtute cognoſcitiua. Quod autem ſtatim uiſis corporibus diuina præſentia ex eis cognoſcatur per intellectum, ex duobus contingit, ſcilicet ex perſpicacitate intellectus, & ex refulgentia diuinæ claritatis in corporibus innouatis.

Ad tertium dicendum, quòd in uiſione imaginaria non uidetur Dei eſſentia, ſed aliqua forma in imaginatione formatur, repræſentans Deum, ſecundum aliquem modum ſimilitudinis, prout in ſcripturis diuinis, diuina per res ſenſibiles, Metaphoricè deſcribuntur.

eſt Sacræ Scripturæ intentum. Iuxta quem ſenſum loquitur Apoſtolus ad Epheſios 1. dicens, *Det vobis Spiritum ſapientiæ in agnitione eius, illuminatos oculos cordis veſtri.* Eod. lib. 22. c. 29.

Nunc autem oculus carnis meæ, *videt te*, negatur antecedens, & in hoc ſenſu non loquitur Sacra Scriptura.

Ad ſecundum Reſpondetur, explicando Auguſtinum hoc modo. *Vis itaquè præpollentior oculorum, &c. ſed vt videant, & incorporalia*, ita vt in illo loco Diuus Auguſtinus locutus ſit inquirendo, & ſub conditione, ſuppoſito ſcilicet, quòd oculus corporeus eleuaretur ad tam excelſam viſionem, conceditur maior. Ita vt D. Auguſtinus locutus ſit affirmatiuè, & abſolutè, negatur maior. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia.

Ad Tertium Reſpondetur, diſtinguẽdo maiorem. *Deus poteſt videri ab homine, viſione imaginaria*, mediante aliqua forma in imaginatione formata, Deum repræſentante non in ſe ipſo, ſed in aliqua metaphora, vel ſimilitudine, conceditur maior, & ſic explicanda eſt authoritas Iſaiæ. *Deus poteſt videri* vt in ſe eſt, ab homine viſione imaginaria, negatur maior. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia.

SVPER

Digitized by Google

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRO tituli intelligentia eſt obſeruandum, quòd hoc nomen, oculus, ſicut hæc particula, videre, dicitur, de oculo mẽtis, & de oculo corporis; de oculo mentis, tàm creatæ, quàm increatæ. Et quidem de oculo corporis patet; de oculo verò mentis, non ſolùm eſt in omnium Theologorum, ac Sanctorum Patrum vſu, verùm etiam eſt Sacræ Scripturæ conſuetudo. Nam de oculo mentis noſtræ, dicitur 1. Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*. De oculo mentis Angelicæ, dicitur Matth. 5. *Angeli eorum uident faciem Patris mei, qui in cælis eſt*. De oculo tandem ſupremæ, ac increatæ mentis, infinita quoquè extant Sacræ Scripturæ teſtimonia. Dicitur enim Geneſ. cap. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, & Pſal. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos*, & Pſal. 31. *De cælo reſpexit Dominus, uidit omnes filios hominum*. Et Thren. 1. *Vide Domine afflictionem noſtram*, & infinities alibi.

1 Io. 3. Matth. 5. Gen. 1. Pſal. 33. Pſal. 31. Thren.

2 Et quamuis communiter Doctores aſſerant, oculum, & videre, propriè de oculo corporeo, de oculo verò mẽtis impropriè, ſeù metaphoricè dici, nihilominus hoc ideo eſt, quia ſermo eſt quantùm ad id à quo nomen à nobis eſt impoſitum, & noſtrum ſcire ſit per comparationem ſpecierum à ſenſibus abſtractarum; Si verò ſermo ſit de ratione formali videntis, non quidem in ratione organici, ſed in ratione ſincera vidẽtis; magis propriè oculo mentis, quàm oculo ſenſitiuæ partis, deinde oculo mentis creatæ, & tandem oculo ſenſitiuæ partis aptatur. Et ratio eſt, quia oculus, & videre, in ſua ſincera, ac pura formalitate, claram, ac certam rei præſentis cognitionem ſignificant: ſed cognitio clara, & certa prius, ac principalius conuenit oculo, ac viſioni mentali, quàm corporali. Ergo.

3 Eſt inſuper obſeruandum, quòd viſio, ſeù videre, non ſolùm conuenit potentiæ viſiuæ externę, quatenus ab alijs externis ſenſibus eſt diſtincta, ſed etiam ad omnes quinquè ſenſus exteriores, impropriè tamen, ac metaphoricè, ſe extendit. Ita D. Auguſtinus Epiſt. 112. cap. 2. vbi hæc habet verba. *Nam cum ſint quinquè corporis ſenſus, cernendi, audiendi, olfaciendi, guſtandi, tangendi; viſus quidam eis præcipuè attribuitur per iſta, verumtamen, hoc uerbo utimur etiam in cæteris; Non enim tantùm dicimus, uide quid luceat, ſed etiam, uide quid ſonet, uide quid oleat, uide quid ſapiat, uide quid caleat, tamen per antonomaſiam*. & propriè, ſenſus cernendi dicitur viſus; In præſenti Diuus Thomas, quærens, *Vtrum eſſentia Dei uideri poſſit oculis corporalibus*, per ly *corporalibus*, inſinuat non de oculo mentis ſermonem habere;

D. Aug. D. Thom.

quoniam de hoc, in 1. & 2. art. completè tractauit, & quæ dicenda remanent, perſequentia poſt illum, abundè complebit; nequè omnes ſenſus exteriores quatenus viſiui dici poſſunt, intelligit, ſed tantummodo de ſenſu cernendi, eſt quæſitum in titulo articuli, & ſenſus eſt, *Vtrum eſſentia Dei per oculos corporeos*, nempè per potentiam qua lucem corpoream, vel colores percipimus, Deus vt in ſe eſt videri poſſit; licet reſponſio D. Thomæ eiuſquè ratio, ſit ita communis, vt quod de ſenſu cernendi affirmat, ad cęteros alios ſenſus internos, & externos, extendat, probet, & conuincat. Abundare enim, non eſt deficere, nequè perfectionem excedere, ſed opus completè, & ad ſaturitatem perficere.

4 Concluſio eſt negatiua, quam dupliciter probat, ratione ſcilicet, in corpore, & authoritate D. Auguſtini in argumento ſed contra, vt patet in textu.

Omnis potentia huiuſmodi eſt actus corporalis organi.

5 Contra hanc propoſitionem poſſet Nouitius dubitare, quia non ſolùm potentiæ ſenſitiuæ ſunt actus alicuius organi corporalis, verùm etiam anima intellectiua. Nam anima intellectiua ſub communi animæ definitione clauditur, de qua tamen in lib. 2. de anima dicitur, quòd eſt actus corporis organici. Ergo non eſt proprium potentiæ ſenſitiuæ munus, eſſe actum corporalis organi.

6 Reſpondetur quòd aliud eſt dicere, anima eſt actus corporis organici, & aliud quòd potentia ſit actus corporis, ſeù corporalis organi. Primum, eſt verum, etiam de anima intellectiua, quia ſenſus eſt, quòd anima intellectiua communicat ſe corpori ad conſtituendum hominem. Secundum, de ſola potentia ſenſitiua verificatur, de potentia verò intellectiua verificari non poteſt, ex eo quia, dicere quòd potentia ſenſitiua eſt actus alicuius corporalis organi, facit hunc ſenſum, nempè, quòd potentia ſenſitiua eſt materialis, & conſequenter, in ſuo eſſe dependet ab organo, quod potentię intellectiuę non conuenit. Vnde Ariſtoteles de potentia intellectiua loquens, dixit, quòd intellectus nullius corporis eſt actus. Ariſtot. 3. li. de ani.

7 *Actus autem proportionatur ei cuius eſt actus*. Horum verborum ſenſus immediatus, ac proprius eſt iſte. Actus eſt ita proportionatus ei cuius eſt actus, vt per ordinem ad quamcunquè potentiam, ſit omninò impoſſibile, quòd per ſua naturalia poſſit agere modo perfectiori, quàm conueniat ei ſecũdùm quòd actus talis rei eſt, niſi habeat aliquod, ratione cuius poſſit ad altiorem modum operandi eleuari. Hoc bene nota, quoniam neceſſarium eſt ad multas aduerſariorum garrulitates obſtruendas, nec non ad effi-

Digitized by Google

ad efficaciam rationis D. Thomæ aſtruendam. Hoc enim modo ſupradicta proportione intellecta, rectè intelligitur quare potentia ſenſitiua, nequè de facto nequè de poſſibili per ſua naturalia poteſt videre Deum, nequè eleuari poteſt; Anima autem intellectiua, & Angelus, & ſi per ſua naturalia non valent, poſſunt tamen per eleuationem, quia nimirum, potentia ſenſitiua cum ſit actus corporalis organi, debet corporali organo proportionari, & cum ſit materialis, non habet vnde ad altiorem modum operandi in ratione potentiæ cognoſcitiuæ poſſit eleuari. Anima verò intellectiua, & ſi quatenus eſt forma, ſeu actus corporis non poſſit per ſua naturalia niſi materialia cognoſcere, tamen quia ſpiritualis eſt, habet vnde eleuetur, &c.

8 In reſponſione ad 1. circa primæ authoritatis explicationem, obſerua, quòd æquipollet explicationi, quam adhibet D. Auguſtinus, videlicet, *In carne*, & non per carnem, *videbo Deum Saluatorem meum*, id eſt, in carne exiſtens, oculis mentis videbo Deum Saluatorem meum. Ita D. Auguſtinus lib. 22. de ciuit. Dei cap. 29. circa medium, vbi hæc habet verba, *& in carne mea videbo Deum, reſurrectionem quidem carnis ſine dubio prophetauit, non tamen dixit per carnem meam*. (D. Aug.)

9 Quòd ſi in aliquibus codicibus legatur, *per carnem meam*, id eſt, per oculos carnis meæ, debet de Deo Chriſto, id eſt de Deo viſo in ſua humanitate aſſumpta interpretari. Ita Auguſtinus ibidem vbi hæc habet verba. *Si dixiſſet id eſt per carnem meam, poſſet Deus Chriſtus intelligi qui per carnem in carne videbitur, nunc verò poteſt & ſic accipi in carne mea, videbo Deum, ac ſi dixiſſet, in carne mea ero, cum videbo Deum.* (D. Aug.)

10 Quantùm ad explicationem ſecundi teſtimonij, breuiter obſerua, quòd dum Diuus Thomas ait, intelligendum eſſe de oculo mentis, non loquitur de viſione intuitiua diuinæ eſſentiæ, nam quando Iob hæc verba dicebat, *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus uidet te*, Deum clarè, & intuitiuè non videbat, ſed debet intelligi de quadam perfectiori cognitione Dei, ac eius prouidentia, quàm ex graui perſecutione corporiſquè afflictione diuina adiuuante gratia didicerat. Ita exponit D. Thomas ſuper Iob lect. 1. ex percuſſione videlicet, & ex reuelatione diuina vnde D. Gregorius ibidem, *poſtmodum*, inquit, *per flagella profecit, & quia interno oculo veritatis lumen magis conſpexerat, humanitatis ſuæ tenebras dijudicans plus uidebat*. (D. Thom.)

11 Non eſt prætermittendũ aduertere ꝙ Vaſquez hic, & Eugubinus, explicant hunc locum Iob, de reſurrectione ad ſanitatem, non autem ad vitam, vbi vt rectè Faſolus hic, etiam aduertit num. 4. propè finem, non ſunt audiendi; eo quia clarum Sacræ Scripturæ teſtimonium ad probandam carnis reſurrectionem, eneruant, & non ſine temeritatis nota, explicatio contraria affirmari poteſt; illo enim teſtimonio, quaſi clipeo, eccleſia vt ai. Hieronymus, quæ reſurrectionem mortuorum veriſſimè credit futuram, ſe munit, & protegit, & inimicos ſuos conuincit atquè debellat, & ſcribens contra errores Ioannis Ieroſolimitani ad Pagmachium ſic præſens teſtimonium celebrans, ait, *Quid hac prophetia manifeſtius? nullus tam apertè poſt Chriſtum, quàm iſte ante Chriſtum de reſurrectione loquitur. Sperat reſurrectionem, imo nouit, & vidit*. Hæc ille. Ex quo apparet quòd Pater Vaſquez circa huius loci interpretationem, dum pro fidei propagationem laborat, fidem infirmat. (Vaſquez. Eugub. Faſolus. D. Hier. Io. Ieroſ.)

12 In reſponſione ad ſecundum nota, quòd per viſum corporis, nec per ſe, nec per accidens videtur vita, quaſi per eumdem viſum vita percipiatur, quando autem D. Thomas affirmat, quòd vita videtur ſicut ſenſibile per accidens, vult dicere quòd ſtatim atquè per viſum videtur ſenſibile proprium, quod eſt color, lucidum, ſeu coloratum, & quantitas, vel motus, quæ ſunt ſenſibilia communia, per aliam potentiam ſenſu viſus præſtantiorem, nempè per intellectum, percipitur vita. Quia ſcilicet intellectus miniſterio ſenſus intelligens, eo ipſo quòd per ſenſum viſus animalis motum videt, & non ab alio extrinſeco cauſatum, iudicat eſſe viuum animal quod mouetur. Vide infra quæſt. 42. cap. 3. (D Thom.)

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXXI.

VTRVM CONCLVSIO D. THOMÆ in corpore præſentis articuli, ſit de fide certa.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & reſoluitur controuerſia.

Vaſquez. 1 VAſquez diſp.40.cap.2. dicit concluſionem hanc non eſſe expreſsè de fide definitam, ſed oppoſitum eſſe manifeſtum errorem. Suarez. Suarez p. p. tract.1.lib.2. cap.6.num.5. dicit non eſſe dogma fidei, Trigoſ. ſed illi proximum. Trigoſius p. p. quæſt.7. art.1. dub.8. concl.2. ait non eſſe manifeſtam hæreſim oppoſitum opinari. Valentia. Valentia hic puncto 8. Arrubal diſp.18.num.1. exiſtimant eſſe de fide certam hanc D. Thomę concluſionem.

Sed pro determinatione veritatis.

2 Dico primò. De fide certum eſt nullam potentiam ſenſitiuam poſſe videre Deum vt in ſe eſt, ſi ly videre, ſumatur pro vt terminatur ad aliquod corporeum.

Probatur, quia de fide certum eſt, Deum non eſſe corpus, ſed ſpiritum, iuxta illud Ioan.4. *Spiritus eſt Deus*. Ioan.4.

3 Dico Secundò. Aſſerere Deum eſſe viſibilem oculis corporalibus, ſuppoſito quòd Deus ſit ſpiritus, eſt contra Sacræ Scripturæ intentum, & ſic aſſerens eſt capitoſus, temerarius, & erroneus, non tamen expreſsè hæreticus.

4 Probatur prima pars. Quia Sacra Scriptura in illo 1. ad Timot.1. Deum abſolutè, & ſimpliciter, inuiſibilem, ſicut immortalem vocat. 1. Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali, inuiſibili*, quem Locum de inuiſibilitate per oculos corporeos Sancti Patres, ac Theologi verificari, communiter confitentur. Ergo aſſerens Deum eſſe viſibilem, loquitur contra Sacræ Scripturæ intentum, eſt Capitoſus, Temerarius, & Erroneus.

5 Probatur ſecunda pars. Quia Sacra Scriptura inuiſibilitatem Dei iuxta ſpeculationes metaphyſicas non determinauit, quia non fuit in controuerſia poſitum, quaſi pro vtraquè contradictionis parte, famoſi Theologi in diuerſas ſententias fuerint valdè, acriterquè diuiſi, videlicet quòd quidam aſſeruerint Deum quatenus ſpiritus eſt, per viſionem corpoream videri poſſe, vel per viſionem incorpoream oculo corporeo diuinitus communicabilem, eſt tamen in proximo, vt ab Eccleſia determinetur, ſi vrgeret neceſſitas opinionum. Vide Magiſtrum Grauinam in lib.4. catholicarũ præſcriptionum art.7. de Eccleſiæ ſenſu. Grauina.

DISPVTA-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXXII.

VTRVM PER POTENTIAM DEI ABSOLVTAM fieri poſſit, vt oculus corporeus videat Deum vt in ſe eſt.

In quinque capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & opiniones referuntur.

1 DVobus modis fingi poſſet per oculos corporeos Deum intueri. Primò ſupponendo quòd Deus ſit purus ſpiritus, nullam habens corporeitatis mixtionem, ſicut de facto eſt, & fides ipſa teſtatur, iuxta illud Io: 4. *Spiritus eſt Deus.* Secundò non ſuppoſito quòd Deus ſit ſpiritus, ſed probando quòd Deus ſit corpus, vel corporeus. In præſenti quærimus Vtrum per potentiam Dei abſolutam fieri poſſit, vt oculus corporeus videat Deum vt in ſe eſt, primo modo, non autem ſecundo modo, quoniam ſecundo modo ſupponitur ſupra à D. Thoma determinatum quæſt. 3. dum probauit Deum non eſſe corpus, nequè corporeum. Nam ſi corporeus eſſet, quemadmodum Ethnici, & Anthropomorphitæ dicunt, aſſerẽtes Deum eſſe corporeum, cõſequenter oculis corporeis viſibilis eſſet, non quidem qua corpus præcisè, ſed qua corpus illud deberet eſſe lucidum, vel coloratum. Deberet inquam dici viſibilis, non obſtante quòd alterius altioriſquè viſibilitatis eſſet, vt ſentit Tertullianus in Apol. cap. 47. Nam in tali caſu Deus diceretur inuiſibilis naturaliter, viſibilis verò ſupernaturaliter. Quemadmodum Deus de facto dicitur inuiſibilis, id eſt in intelligibilis naturaliter, dicitur verò viſibilis viſione intellectuali, ſupernaturaliter.

Ioan. 4.

Tertull.

2 Tempore D. Auguſtini cuiuſdam Epiſcopi verſabatur opinio, quòd Deus oculis corporeis poterat intueri, non quidem in hac vita, ſed quãdo corpus hoc mortale induet immortalitatem, & corpus hoc animale reſurget ſpiritale; quæ opinio magis explicabitur infra. Videatur D. Auguſtinus tom. 2. epiſt. 111, & 112. locis inferiùs adducendis. Celſus tamen abſolutè affirmat Deum qui eſt purus ſpiritus, in vita futura externa oculorum inſpectione videri poſſe vt refert Origenes lib. 7. contra Celſum. ſimiliter, Vorſtius Caluiniſta pag. 237. qui tamen inconſtanter loquitur. Nam pag. 237. ſic ait. *Porrò quòd ea loca, quibus Deum viſum iri dicimur, de interiori mentis ſpeculatione, non de externa oculorum inſpectione vulgo interpretantur, neſcio an ſacris litteris ſatis conſentaneum ſit.* pag. autem 199. ingenuè fatetur ' *ſpiritum externis ſenſibus non eſſe perceptibilem.* quæ duo cohærere non poſſunt, niſi dixerit Deum eſſe corpus, & ſic eſſet in Antropomorphitarũ errore peiori. Gregorius de Valentia Punct. 8. §. *ſed quæret*, ſic ait. [Dicendum eſt breuiter, implicare quidem contradictionem vt poſito quòd viſus, & aliæ potentiæ ſenſitiuæ non habeant pro obiecto niſi rem corporeum, & corporum accidentia, percipiant rem incorpoream cuiuſmodi eſt Deus. Non ſatis autem conſtare videtur implicare quoquè contradictionem, vt potentia aliqua ſenſitiua, ſic à Deo condatur, vt vel natura ſua, vel ſaltem dono aliquo gratuito ſuperaddito, videat non ſolùm obiecta ſenſibilia, & corporalia, ſed etiam aliquod obiectum ſpirituale, atquè adeo Deum ipſum percipere.]

D. Aug.

Celſus

Origen.

Vorſtius.

Valentia.

3 In oppoſitum autem ſunt communiter Scholaſtici, qui de hac materia diſputant. Ita D. Thomas hic, & in Additione ſuper 3. p. q. 92. art. 2. & 3. contra gent. cap. 54. Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 8. vbi quærit, *vtrum natura humana ſit natura infima capax beatitudinis*, & reſpondens ſic ait. *Secundò videndum eſt, quòd nulla natura inferior natura humana eſt ſimpliciter beatificabilis. Cuius ratio eſt, quia nulla natura eſt beatificabilis, niſi quæ poteſt attingere obiectum immateriale:*

D. Thom.

Scotus.

Digitized by Google

ſed nulla natura inferior natura humana, poteſt hoc. Ergo. Idem dicit quæſt. 12. in reſponſione ad 3. Albertus Magnus in ſumma tract. 3. quæſt. 13. membr. 1. Alenſis p. p. quæſt. 2. memb. 1. art. 1. ad 5. Aureolus in 1. diſt. 35. art. 3. p. 2. Omneſquè antiqui, & moderni Scholaſtici.

Albertus Magnus. Alenſis. Aureolus

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Nequè etiam per Dei potentiam abſolutam oculus corporeus poteſt videre Deum vt in ſe eſt, ſuppoſito quòd Deus ſit omninò incorporeus.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturę, & præſertim ex illo 1. ad Timot. 1. *Regi ſeculorum immortali inuiſibili*. Quem locum ſic eligantèr explicat D. Auguſtinus epiſt. 111. circa medium *Porrò*, inquit, *ſi naturæ ipſius eſt inuiſibilitas, ſicut incorruptibilitas, non mutabitur utiquè in futuro ſeculo illa natura, ut de inuiſibili uiſibilis fiat, quia nequè poterit de incorruptibili corruptibilis fieri. ſimul enim, & incommutabilis eſt; Et utiquè naturam eius commendauit Apoſtolus, cum duo iſta ſimul poneret dicens: Regi autem ſeculorum inuiſibili, incorruptibili ſoli Deo honor, & gloria*
5 *in ſecula ſeculorum. Vnde non audeo ego iſta diſtinguere, ut dicam, incorruptibili quidem, in ſecula ſeculorum, inuiſibili autem non in ſecula ſeculorum, ſed tantùm in hoc ſeculo*, Et epiſt. ſequenti 112. quæ eſt præcedentis defenſiua cap. 19. propè finem hanc eamdem explicationem confirmat his verbis. *Hæc quippè natura eius, æqualiter cum patre inuiſibilis, ſicut æqualiter incorruptibilis eſt, quæ ſicut ſupradictum eſt; continuatim Apoſtolus poſuit*.

1. Timot. D. Aug.

6 Ad idem omnes Sacræ Scripturæ authoritates aptari poſſunt, in quibus Deus inuiſibilis nominatur ſicut eſt illud Exodi 33. *Non poteris videre faciem meam*, & 1. ad Timot. 6. *Rex regum, & Dominus dominantium, qui lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Et ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, &c.* Et 1. ad Corint. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*. Et 1. Io: 1. & 14. *Deum nemo vidit unquam*; Quæ authoritates quamuis de cognitione intellectuali comprehenſiua, & per vires naturæ veritatem habeant, magis tamen de viſione corporea verificari debent.

Exodi 33. 1. ad Timot. 6. Rom. 1. 1. Cor. 2. 1. Io: 1. & 14.

7 Hoc idem Patres vnanimiter confitentur. Nam Origenes qui ſupra contra Celſum aſſerentem Deum eſſe oculis corporeis viſibilem, *mentitur*, inquit, *Celſus contra nos dicens, quòd ſperamus nos Deum viſuros oculis corporeis*.

Origenes Celſus.

Sanctus Ambroſius ſerm. 8. ſuper Pſalm. 118. ſic ait. *Putauit Deo etiam hoc eſſe poſſibile, ut corporeis oculis faceret id, quod eſt incorporeum comprehendi*. Et ſubdit. *Non reprahenſibilis hic error, ſed grata cupiditas, atquè inexplebilis, quòd Dominum ſuum velut manutenere, & obtutu oculorum videre cupiebat*. Loquitur de Moyſe cupiente Deitatem in ſua Maieſtate corporeis oculis intueri. Et ſuper Luc. cap. 1. tit. de Angeli apparitione circa medium tom. 5. *Nec corporalibus*, inquit, *oculis Deus quæritur, nec circumſcribitur viſu, nec tactu tenetur*. S. Ambr. Pſal. 118.

Et Sanctus Hieronymus ſuper 1. Iſaiæ, *Non ſolùm*, inquit, *diuinitatem Patris, ſed nec Filij, nec Spiritus Sancti oculi carnis poſſunt aſpicere, ſed oculi mentis, de quibus dicitur; Beati mundo corde*. Et ibidem *Res*, inquit, *incorporalis, corporalibus oculis non videtur*. Idem docet Sanctus Athanaſius diſputatione cum Arrio in Concilio Niceno. Gregorius Nazianzenus vel vt alij volunt Nyſſenus in tract. de fide, Epiphanius hær. 70. quos, & quorum doctrinam commemorat Auguſtinus epiſt. 111. S. Hier. 1. Iſaiæ. S. Athan. Gregor. Epiphan.

CAPVT TERTIVM.

Quid de hac re ſenſerit D. Auguſtinus.

8 SVarez lib. 2. de attributis negatiuis cap. 6. num. 5. vbi ſic ait. *Et idem ſenſit Auguſtinus Epiſt. 111. & 112. Vbi unum habet pro comperto, ſcilicet Deum videri à Beatis oculo mentis, & inclinat etiam in hoc, quòd non videatur oculo corporis, nunquam tamen id docet ut omninò certum*. Suarez.

9 Vaſquez hic diſp. 40. cap. 1. hæc habet verba. *Res quidem erat indubitata inter Scholaſticos, & reliquos Eccleſiæ Patres, Deum oculo corporis non poſſe videri. Auguſtinus tamen qui de rebus abdituiſſimis ut erat ingenio acuto, feliciter diſputare conſueuit, 22. de Ciuit. Dei cap. 29. docuiſſe videtur, Deum oculo corporeo, non ſolum poſſe, ſed etiam tunc à Beatis videri, quem locum Auguſtini refert Sanctus Thomas in hoc artic. in 2. argumento, & in bonum ſenſum ipſum interpretatus aſſerit Auguſtinum nihil ibi certi definiſſe, ſed* inqui- Vaſquez. D. Aug.

Digitized by Google

inquirendo tantùm, & quaſi dubitando id propoſuiſſe.

Becanus. 10 Becanus tract. de attributis cap. 5. q. 6. num. 1. idem omnino dicit. Sic enim ait. *Pleriquè negant, tam de oculo corporeo in hac vita mortali, quàm in altera, Auguſtinus tamen lib. 22. de ciuitate Dei, videtur dubitaſſe de oculo glorioſo, ut notat D. Th. q. 12. ar. 3. ad 2. Vorſtius Caluiniſta plus audet quàm Auguſtinus.* Faſolus hic num. 5. in hunc ſic ait. *Credere vera ſemper in vtraquè epiſtola cum loquitur de beatorum oculis, quos ſpirituales futuros docet, non vult certò aſſerere, eos non viſuros Deum in ſe, ſed hoc tantùm aſſerit de corporalibus oculis, quos in hac vita habemus.* Faſolus.

Recupit. D. Aug. 11 Recupitus lib. 6. quæſt. 10. cap. 2. num. 6. ſic ait. *Tum denique Auguſtinus lib. 22. de ciuit. cap. 29. loquitur dubitatiuè, ſicut etiam in epiſtola 111. ad fortunat ubi viſuri ſunt, inquit, Sancti Deum in ipſo corpore, ſed utrum per ipſum ſicuti nunc uidemus, non parua quæſtio eſt. & infra loquens de oculis beatorum, longe, inquit, alterius, &c.* Et paucis interiectis ſic ait. *Quæ vtiquè non dixiſſet Auguſtinus, ſi eam opinionem putaſſet hæreſi proximam.* Vulpes quoquè, dicta Sanctorum, vel Doctorum opiniones, in fonte legere minimè curans ſed aliorum librorum relationibus acquieſcens, diſput. 23. art. 1. num. 7. ait, *non fuiſſe Auguſtinum affirmatiuè locutum, ſed dubitatiuè; de vtraque enim parte dubitat, quæſtionem tamen indeciſam reliquit.* Vulpes.

12 Miror viros doctiſſimos D. Auguſtinum legiſſe illumquè in tàm alieno ſenſu intellexiſſe, & quod peius eſt, Diuum Thomam in teſtimonium vocaſſe.

D. Aug. Quid igitur de hac controuerſia, re vera ſenſerit Auguſtinus, ex eius verbis colligendum eſt. Vnde eſt obſeruandum, quòd tempore D. Auguſtini quidam Epiſcopus erat, cuius tamen nomen tacet, dicens per oculos corporeos non viſuros Deum, & conſequenter cum Anthropomorphitis tacitè ſentiebat, vt patet ex argumento in capite Epiſtolæ, quidquid impiè, Eraſmus in contrarium dicat, contra quem Epiſcopum, epiſtolam miſerat, & aſperioribus verbis, alloquebatur eum, quod etiam idem Auguſtinus in epiſtolæ exordio Fortunatiano Epiſcopo, ad quem eam miſit, mani- Eraſm. Fortunat.

13 feſtè declarat, his verbis. *Sicut præſens rogaui, & nunc commoneo, ut fratrem noſtrum de quo collocuti ſumus, uidere, & rogare digneris, ut ignoſcat mihi ſi quid durius, & aſperiùs in ſe dictum accepit in epiſtola, quam me illo modo ſcripſiſſe non pœnitet, quia dixi* (Nota) *corporis oculos nec videre Deum, nec eſſe viſuros. Cauſam quippè adiunxi, cur hoc dixerim, ne ſcilicet, Deus ipſe corporeus eſſe credatur, & in loci ſpatio, interualloquè viſibilis. Nihil enim uidere aliter iſtius corporis oculus poteſt.*

14 Obſeruandum Secundò, quòd D. Auguſtinus ſubtili, ac ſancta dexteritate contra illum Epiſcopum ſcribit, vt eum ad minus à maiori retrahat errore. Maior enim error eſt, aſſerere Deum oculis corporeis videri poſſe, taliter quòd Deus ſit corpus quàm dicere, quòd Deus eſt ſpiritus, & quod corpus propter ingentem æternæ gloriæ ſplendorem, de corporali fiat ſpirituale, ita quòd habeat aliquid menti ſimile, per quod poſſit videre Deum. Vnde hæc verba ſubiungit. *Cæterum nihil tale de Deo ſentiens, ſed eum incommutabilem & incorruptibilem ſpiritum ubiquè totum eſſe credens, ſi tantam quiſquè mutationis huius corporis futuram putat, cum ex animali fuerit ſpiritale, ut etiam ſubſtantiam incorporalem, non locorum interuallis, uel ſpatijs diuiſibilem, uel etiam membrorum lineamentis, ac finibus terminatam, ſed ubiquè totam, per tale corpus uidere poſſimus, uolo, & me doceat, ſi uerum ſapit. Si* D. Aug.

15 *autem hoc falſum ſentit, longè tolerabilius eſt, corpori aliquid arrogare, quàm Deo derogare. Et ſi uera eſt iſta ſententia, non erit contraria verbis meis, quæ in illa epiſtola poſui. Iſtius namquè corporis oculos, dixi non uiſuros Deum, hoc intuens, quòd iſtius corporis oculi omninò non poſſunt cernere, niſi corpora, quæ ab eis aliquo loci interuallo ſeparata ſunt.* Et paucis inte-

16 riectis ſic ſubdit. *Quapropter ſi uidebunt Deum, non iſtius corporis oculi uidebunt, quia & in hoc non erit ipſum corpus, ipſiquè in illam uim; potentiamquè mutatum; Et non eſt contraria iſta opinio illis uerbis epiſtolæ meæ.* Et poſt pauca ſic ait. *Siuè ergo hoc, ſiuè illud uerum ſit,*

17 *ſeu utrumquè uerum eſt, quòd iſtius corporis oculi, Deum non uidebunt. Aut enim iſtius erunt, & non uidebunt, aut non erunt iſtius. Si uidebunt, quoniam tanta commutatione, longè alterius corporis erunt.*

18 Et Epiſtola 112. cap. 20 eumdem Epiſcopum ſuauibus verbis dulceſcere curat. ſic enim ait. *Et de ſpiritali quidem corporis qualitate quid reſurrecturis promittitur, uel diſcere aliquid adhuc, uel quærere non recuſo, ſi tamen de hac re diſputantes, illis uitijs carere poſſumus, quæ plerumquè ſtudijs humanis, & concertationibus excitantur, dum ſupra quam ſcriptum eſt, unus pro altero infletur aduerſùs alterum, ne dum altercando quærimus ueſtigare, quomodo poſſit uideri Deus, ipſam pacem, ſanctificationemque perdamus.*

19 Et ibidem paucis interiectis vt Epiſcopum ab Anthropomorphitarum errore auertat, hæc verba ſubiungit. *Sunt enim quidam, qui Deum ipſum omninò corpus eſſe præſumunt, putantes quidquid corpus non eſt, nullam prorſus eſſe ſubſtantiam. Iſtos omnimodo auerſandos cenſeo. Sunt autem Alij, Deum quidem ipſum, corpus non eſſe minimè dubitantes, ſed ideo eos qui ad uitam æternam reſurgent, etiam per corpus Deum uiſuros putant, quoniam talem ſperant ſpiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipſa quæ caro fuerat, ſpiritus*

Ii 2 fiat

Digitized by Google

fiat. Et ſtatim hæc verba ſubiungit. *Quòd*
20 *ſi ita eſt, quantùm diſtet à ſuperiori opinione,*
& quàm hoc ſit tolerabilius, etiam ſi uerum non
ſit, puto faciliimè iudicari. Et rationem aſſi-
gnat dicens, *Primò, quia multùm intereſt,*
utrum de Creatore, an de creatura, aliter aliquid
ſentiatur, quàm ueritas habet. Deinde, quia
conatus mentis ut cumquè ferendus eſt, uolentis
corpus conuertere in ſpiritum, non in corpus
21 *Deum. Poſtremò, quia id quod ego in illa epi-*
ſtola mea dixi, de iſtis noſtræ carnis oculis,
quia nequè nunc poſſunt, nequè tunc poterunt
Deum uidere etiam ſic uerum eſt. Non enim
dictum eſt ii ſi de oculis corporalibus, quòd tunc
non erunt, ſi corpus ipſum ſpiritus erit, ac per
hoc corporei oculi nunquàm Deum uidebunt,
quia cum uidebitur, ſpiritus eum, non corpus
uidebit. Ecce quomodo D. Auguſtini ſco-
pus in eo eſt, vt Epiſcopum non laceſſere
velit, ſed ad veram catholicamquè doctri-
nam, ſuauiter reducere poſſit.
22 Vnde ſic immediatè ſubiungit. *Tota igi-*
tur quæſtio iam remanſit, de corpore ſpiritali,
quatenus induat incorruptionem, & immortali-
tatem hoc corruptibile, atquè mortale, & qua-
tenus ex animali in ſpiritale mutetur. Quæ
diligentius ſollicitiuſquè tractanda eſt, &c.
23 Et tandem cap. 21. ſic ait. *Quapropter*
donec diligenti inquiſitione ſi Dominus adiuue-
rit, reperiatur, quòd ſecundùm ſcripturas de ſpi-
ritali corpore, quod in reſurrectione promittitur,
probabilius ſentiendum ſit, interim nobis ſuffi-
ciat, quòd unigenitus filius, idemquè mediator
Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ita uidet
Patrem, ſicut uidetur à Patre. Nos autem ad
illam uiſionem Dei, quæ nobis in reſurrectione
promittitur, nõ ex mundo iſtam concupiſcentiam
oculorum transferre conemur, ſed mundandis
cordibus proſtudeamus affectu, nec corporalem
faciem cogitemus, cum dicit Apoſtolus, uidemus
nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem
facie ad faciem.
24 Hoc idem omninò docet in lib. 22. de
Ciuitate Dei cap. 29. vbi determinat tan-
quàm de fide certum, Beatos in reſurrectio-
ne viſuros Deum in ipſo corpore, non
autem determinat eſſe omninò de fide cer-
tum, Deum vt eſt in ſe per oculos glorioſos
non eſſe viſuros; Nam multò poſt princi-
pium, hæc verba profert. *Dico itaquè quòd*
uiſuri ſunt Deum in ipſo corpore, ſed utrum per
ipſum, ſicut per corpus nunc uidemus Solem,
Lunam, Stellas, Mare, ac Terram, & quæ ſunt in
ea, non parua quæſtio eſt. Et poſt multa ſic ait,
Habebunt tamen etiam illi oculi corporei offi-
cium ſuum, & in loco ſuo erunt, utetur què illis
ſpiritus per ſpiritale corpus. Et poſt pauca
hæc verba ſubiungit; *Abſit ergo ut dicamus*
illos Sanctos in illa uita Deum clauſis oculis non
uiſuros, quem ſpiritu ſemper uidebunt. Sed
utrum uidebunt, & per oculos corporis cum eos
apertos habebunt, inde quæſtio eſt. Et immedia-
25 tè poſt, ſic quæſtioni reſpondet. *Si enim*
tantùm potuerunt in corpore ſpirituali, eo modo
utiquè etiam ipſi oculi ſpiritales, quantùm poſ-
ſunt iſti, quales nunc habemus, proculdubio per
eos Deus uideri non poterit. Longè itaquè alterius
erunt potentiæ, ſi per eos uidebitur incorporea
illa natura, quæ non continetur loco, ſed ubiquè
tota eſt. Et deinde poſt pauca ſubiungit
verba à D. Thoma in argumento propoſi-
ta, dicens. *Vis itaquè præpollentior oculorum*
erit illorum, non ut acutius uideant, & ibidem
ſic ait; *Ipſis autem* (id eſt oculis intelle-
ctualibus) *uideri Deum, cum uidebitur, Chri-*
ſtianus ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod
ait Diuinus ille Magiſter, Beati mundi corde
quoniam ipſi Deum uidebunt. Sed utrum etiam
corporalibus oculis ibi uideatur, hoc in iſta quæ-
ſtione uerſamus. Statimquè incipit ſcrutari
ſcripturas, vt legenti patet. Et poſtquàm
Sacræ Scripturæ authoritates parti affir-
matiuæ fauentes, pro parte negante non
minus verè, quàm eleganter explicauit, ſic
ſubdit; *Sed quia ſpiritale corpus neſcimus quã-*
tos habebit acceſſus, de re quippè inexperta lo-
26 *quimur, ubi aliqua quæ aliter intelligi nequeat*
(Nota) *diuinarum ſcripturarum non occurrit,*
ſed ſuccurrit authoritas, neceſſè eſt ut contingat
in nobis, quod legitur in libro Sapientiæ. Cogita- Sap. 1.
tiones mortalium timidæ, & incertæ prouiden-
tiæ noſtræ. Et multò poſt eiuſdem capitis
principium, vbi poſtquàm determinauit eſſe
omninò de fide certum, Beatos in Patria,
Deum clarè, & intuitiuè, per intellectum
videre, hæc verba ſubdit. *Quapropter cum ex*
me quæritur quid acturi ſint Sancti in illo cor-
pore ſpiritali, non dico quod iam uideo, ſed dico
quod credo, ſecundùm illud quod in Pſalmo lego,
Credidi propter quod locutus ſum.
27 Ex quibus colligo primò, Motiuũ Aug.
fuiſſe, vt Anonymum Epiſcopũ ab Anthro-
pomorphitarum errore pro viribus reuo-
caret. Abſolutè enim Epiſcopus ille aſſere-
bat Deum oculis corporeis quamuis glori-
ficatis, poſſe videri; quod abſolutè prola-
tum Anthropomorphitarum ſeminat erro-
rem, vt D. Auguſtinus quæſt. 111. optimè
notat.
28 Colligo ſecundò quòd D. Auguſtinus
non dubitatiuè, ac mente perplexa in hac D. Aug.
materia locutus eſt, ſed abſolutè ſuſtinuit,
opinionem aſſerentem Deum oculis glo-
rioſis poſſe in ſua pura ſpiritualitate
videri, eſſe omninò falſam, & impoſſi-
bilem.
Patet ex cap. 2. num. 5. Nam D. Auguſtinus D. Aug.
explicans illud *Regi ſæculorum immortali,*
inuiſibili, &c. ſic ait. *Non audeo ego iſta di-*
ſtinguere, ut dicam incorruptibili quidem in
ſæcula ſæculorum, inuiſibili autem non in ſæcu-
la ſæculorum, ſed tantùm in hoc ſæculo.
29 Patet etiam ex verbis Auguſtini num. 17. D. Aug.
relatis vbi ſic ait. *Siuè ergo hoc, ſiue illud*
uerum ſit, ſecundùm utrumquè uerum eſt, quòd
iſtius corporis oculi, Deum non uidebunt. Aut
enim

Digitized by Google

enim iſtius erunt, & nõ uidebunt, aut non erunt iſtius ſi uidebunt, quoniam tanta commutatione longè alterius corporis erunt.

D. Aug. Et num. 20. hæc verba ex D. Auguſtino retulimus. *Quòd ſi ita eſt, quantùm diſtet à ſuperiori opinione, & quàm hæc ſit tolerabilius, etiam ſi uerum non ſit, puto facillimè iudicari.* Et num. 21. hæc alia verba ex eodem Auguſtino retulimus. *Id quod ego in illa Epiſtola mea dixi, de iſtis noſtræ carnis oculis, quia neque nunc poſſunt, neque tunc poterunt Deum Videre, etiam ſic Verum eſt. Non enim dictum eſt, niſi de oculis corporalibus, quòd tunc non erunt, ſi corpus ipſum, ſpiritus erit, ac per hoc corporei oculi nunquam Deum uidebunt, quia cum uidebitur ſpiritus eum, non corpus uidebit.* Quid clariùs Auguſtinus proferre potuit pro concluſione adducta, & pro corollario. Videantur verba Auguſtini num. 25. relata.

30 Patet etiam ex verbis Auguſtini epiſtola 112. cap. 11. vbi ait, *Deum nemo Vidit Vnquam, Vel in hac Vita, ſicut ipſe eſt, Vel in Angelorum Vita, ſicut uiſibilia iſta, quæ corporali Viſione cernuntur.*

Et tandem id manifeſtè eiuſdem Auguſtini verba declarat in lib. 22. de Ciuit. Dei c. 22. circa finem vbi ſic ait. *Aut ergo per illos oculos ſic Videbitur Deus, Vt aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile, quo & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis ſine ſcripturarum teſtimonijs diuinarum, Vel difficile, Vel impoſſibile eſt oſtendere. Aut quòd eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, Vt Videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis, Videatur ab altero, Videatur in ſe ipſo, &c. Videatur & per corpora in omni corpore quocunque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie peruenientе directi.* Vbi docet quòd Deus per oculos glorioſos non videbitur vt in ſe eſt, ſed in corporibus glorioſis, quia ſcilicet Beatus in corpore glorioſo videns glorioſorum corporum ſplendorem, per intellectum cognoſcet abſtractiuè tamen, Deitatem.

D. Thom. 31 Videatur D. Thomas in additione ſuper 3. p. quæſt. 92. art. 2. in corpore vbi habet hæc verba; *Et hunc modum, quo Deus corporaliter poſſit Videri, Auguſtinus ponit in fine de Ciuitate Dei, Vt patet eius Verba intuenti, dicit enim ſic. Valdè credibile eſt ſic nos uiſuros mundana corpora, tunc cæli noui, & terræ nouæ Vt Deum ubique præſentem, & uniuerſa corporalia gubernantem clariſsima perſpicuitate Videamus, non ſicut nunc inuiſibilia Dei per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſed ſicut homines mox ut aſpicimus uiuere, non credimus, ſed Videmus.*

D. Thom. 32 Diuus Thomas ibidem in reſponſione ad 3. ſic ait, *Auguſtinus loquitur inquirendo, in Verbis illis, & ſub conditione, quod patet ex hoc, quòd præmittitur, longè itaque alterius potẽtiæ erũt, ſi per eos uidebitur incorporea illa natura, & poſtea ſubdit. Vis itaquè, &c. Poſtmodum determinat ut dictum eſt.*

33 Dicant Præfati Doctores, quando, & vbi D. Thomas notauit, Diuum Auguſtinum de hac re dubitaſſe? D. Thomas explicans Auguſtinum dicit, quòd D. Auguſtinus, *loquitur inquirendo, & ſub conditione,* vt patet, nunquam autem dixit, D. Auguſtini mentem, dubiam in hac materia fuiſſe. Quomodo ergo ſupracitati Doctores aſſeruit D. Auguſtinum audacter dubitaſſe, & in huius teſtimonium inuocant D. Thomam? D. Thom. D. Aug.

34 Dicent fortaſſe hoc ex illa Diui Thomæ particula poſſe deduci, nempè *ſub conditione.* Idem enim eſt ſub conditione loqui, ac dubitatiuè.

35 Veruntamen hoc eſt ſummulas, ſeù ſummularum regulas ignorare. Aliud enim eſt, propoſitionem eſſe ſub conditione prolatam; & aliud eſt mentem proferentis nõ eſſe abſolutè determinatam, ſed omninò perplexam, & conditionatam. Non enim omnis propoſitio ſub conditione pronunciata, mentem dubiam indicat proferentis. Dicitur enim ſi homo volat habet alas, & tamen nullus ſanæ mentis, dubius eſt, an homo habeat alas. Similiter, conditionalis eſt iſta. Si Deus eſt corporeus, eſt viſibilis oculis corporeis, & tamen nullus catholicorum dubitare audet, Vtrum Deus ſit corporeus nec ne? Quando ergo D. Thomas dixit Diuum Auguſtinum ſub conditione fuiſſe locutum, noluit dicere quod mens Diui Auguſtini in hac re perplexa, dubia, vel conditionata extiterit, quoniam hoc, D. Auguſtino locis iam citatis, & D. Thomæ ipſum explicanti expreſsè contradicit. Et conditio de qua D. Auguſtinus loquitur eſt iſta, nimirum, ſi videbitur Deus oculis corporeis, virtus viſiua prępollentior erit, erit aliquid menti ſimile, &c. *Et ſub conditione* ſic ſubaudi, ſi Deus oculis glorioſis videbitur, ſicut cuiuſdam Anonimi Epiſcopi videtur eſſe opinio, ſi tamen non fuerit in peiori errore verſatus, nempè quòd Deus ſit corporeus] vis viſiua præpollentior erit, &c.

36 Colligo Tertiò, quòd aliqualis D. Auguſtini dubitatio in hac re, non fuit circa ſententiam, ſed circa cenſuram, vtrum ſcilicet opinio docens Deum ſic poſſe videri, vt aſſerebat illa mitior opinio, nempè quòd Deus manens purus ſpiritus, poſſit oculis corporeis in ſpirituales tranſlatis intueri, ſit contra fidem, nec ne? vt patet ex eiuſdem D. Auguſtini verbis num. 26. relatis. Dubitatio igitur D. Auguſtini eſt, vtrum illorum iam relata opinio fuerit contra fidem, & hoc eſt quòd D. Auguſtinus determinare timet, tum quia res non eſt de fide tam clarè determinata, tum etiam, quia timebat ne Epiſcopus ille, quem in alia

qua-

Digitized by Google

quadam epiſtola durioribus verbis exaſpe-rauerat, indignatione commotus in dete-riorem peruenirct errorem.

37 Nec quando D. Auguſtinus ait, de hac ſibi eſſe quæſtionem, aliquid aduerſarijs iuuat, quia ſenſus eſt, quòd illa quæſtio in præſenti agitatur.

CAPVT QVARTVM.

Probatur concluſio rationibus.

38 DEinde concluſio eſt rationibus com-probanda, & prima ratio ſit illa. Supponendo tamen vnum quod eſt de fide certum, nempè quòd anima indiget lumine gloriæ ad videndum Deum. Si oculus cor-poreus glorioſus videret Deum vt in ſe eſt, vel videret per lumen gloriæ, vel abſquè lumine gloriæ. Vtrumquè contradictio-nem implicat. Ergo. Minor probatur, quia lumen gloriæ eſt ſpirituale superna-turale, ſeù lumen intellectus, ſed potentia viſiua corporea non eſt capax luminis in-tellectualis, niſi totaliter à ſtatu ſenſitiuo ad ſtatum intellectiuum fuerit transforma-ta, vel tranſubſtantiata. Ergo implicat pri-mum. Secundum quoquè, quia quæcunquè potentia intellectiua eſt perfectior qua-cunquè potentia ſenſitiua; ſed nulla po-tentia intellectiua creata poteſt abſque lu-mine gloriæ videre Deum. Ergo multo minus potentia ſenſitiua, & præſertim viſi-ua.

39 Si dicatur quòd lumen gloriæ eſt neceſ-ſarium in intellectu ad videndum Deum, de facto, & de potentia ordinaria, non autem de poſſibili; Si autem daretur oculus corporeus glorioſus qui Deum immediatè videret, fieret diuino miraculo, vt lumine gloriæ non indigeat.

40 Contra. Quia quando dicitur quòd lu-men gloriæ ponitur in intellectu ad viden-dum Deum, dupliciter intelligi poteſt. Pri-mò. Quia lumen gloriæ eleuat intelle-ctum, formaliter præbendo illi intrinſecam virtutem agendi, quaſi ipſum ſit tota virtus per quam intellectus agit. Secundò. Quia lumen gloriæ effectiuè tantùm eleuat in-tellectum, quia ſcilicet intellectus in ratio-ne virtutis viſiuæ eſt perfectè potens vide-re Deum, tamen indiget lumine gloriç tan-quàm comprincipio ſupernaturali, Quo poſito iuxta primam acceptionem ſic ar-gumentor. Nullus intellectus creatus habet ſufficientem virtutem ex parte intellectus exigitam ad videndum Deum, & ſic opi-nantes, dicunt neque etiam per Dei poten-tiam abſolutam abſquè lumine gloriç poſſe videri Deum. Ergo a fortiori nulla potent a ſenſitiua quantumcunquè in eſſe ſenſitiuo glorificata, eius obtutu valebit Deum in-tueri abſque lumine gloriæ.

41 Confirmatur. Quia illud lumen potentiæ viſiuæ glorificatæ, per quod Deus vt eſt in ſe videretur, vel eſſet lumen gloriæ, vel in-fra illud. Non primum, quia vt probaui-mus, lumen gloriæ eſt lumen intellectuale. Si ſecundum. Ergo per illud quodcunquè ſit, potentia ſenſitiua eſt impotens, & omni-no inhabilis ad videndum Deum. Ex hoc igitur quòd potentia viſiua in eſſe ſenſitiuo glorificata eſt, non habet vt poſſit videre Deum.

42 Iuxta verò ſecundam acceptionem, ſic argumentor. Potentia intellectiua indiget lumine gloriæ tanquam comprincipio ſu-pernaturali effectiuè concurrente ad viſio-nem, quod à Deo ſuppleri poteſt. Cæterum intellectus in ſe ſufficientes habet vires in-tellectiuas ad vitaliter eliciendam viſionem. Ergo ſi potentia viſiua glorificata, poſſet videre Deum vt in ſe eſt, abſquè lumine gloriæ, quia fortaſsè Deus ſuppleret vi-cem eius, haberet in ſe ſufficientes, ac con-naturales vires independenter à quocun-què extrinſeco: & quantùm ad hoc nulla-tenus ab intellectu differret, quod apertam contradictionem implicat. Ergo.

43 Secunda ratio ſit illa. Si oculus glorioſus per potentiam Dei abſolutam poſſet Deum vt in ſe eſt intuitiuè videre, ſequeretur quòd etiam oculus Bruti poſſet diuinitus eleuari ad videndum Deum: ſed hoc im-plicat. Ergo. Probatur ſequela. Quia ocu-lus glorioſus, vel eleuaretur ad videndum Deum, quia diuinitus tranſubſtantiaretur in ſpiritum, vel quia eſſet illi collata aliqua qualitas materialis ordinis, ſed longè altio-ris. Si primum. In primis non ſumus in caſu, quia tunc ſpiritus Deum videbit, non autem oculus corporeus. Secundò, quia etiam hoc modo oculus Bruti diuinitus in ſpiritum tranſubſtantiari poſſet. Si ſecun-dum. Contra. Quia quæcunquè materialis, ac altioris ordinis qualitas, oculo hominis glorificati collata, nulla eſt repugnantia vt cuiuſcunquè Bruti oculo conferatur. Probatur autem minor quo ad primam partem. Quia ſi bruti oculus videret Deum vt in ſe eſt; In primis brutum eſſet formali-ter Beatum beatitudine ſupernaturali, ra-tionali creaturæ promiſſa; Deindè, Quia ſi oculus bruti poſset videre Deum, etiam brutalis anima capax gratiæ ſanctificantis eſset. Vtrunquè apud omnes implicat. Ergo. Sequela quo ad primam partem pa-tet: Quia beatitudo, ex Dei munere ratio-nali creaturæ promiſsa, conſiſtit in viſione clara Dei, vt de fide certum eſt, ſiuè antece-denter, ſiuè formaliter, ſiuè concomitanter.

Secun-

Digitized by Google

Secunda verò pars probatur. Quia ſi anima bruti eſſet capax ſanctificantis gratiæ, ſequeretur quòd eſſet facta ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Hoc eſt impoſſibile in ordine ad fidem vt probabimus Deo duce infra quæſt. 113. art. 2. tum quia eſſe ad imaginem Dei eſt eſſe intellectiuum, & ſimiliter gratia ſanctificans eſt habitus in eſſe intelligibili, reddens ſubiectum Deo amicum, filiumquè eius adoptiuum, quod animæ brutali vndequaquè repugnat. Ergo.

44 Tertia ratio ſit iſta. Deus vt in ſe eſt, eſt eſſentialiter extra latitudinem obiecti adæquati, & extenſiui potentiæ viſiuæ corporeæ. Ergo nequè etiam per potentiam Dei abſolutam fieri poteſt, vt videatur ab oculo corporeo, non glorificato, vel glorificato. Probatur antecedens. Quia obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ corporeæ, eſt color, ſeu coloratum, lucidum, vel aliquod ſimile corporeum: ſed Deus non eſt color, non coloratus, non corporea luce lucidus, nec aliquod ſimile corporeum, per quod videri poſſit, habet. Ergo eſt eſſentialiter extra latitudinem obiecti potentiæ viſiuæ corporeæ. Patet antecedens. Quia non poteſt fingi in quo alio ratio formalis obiecti adæquati potentiæ viſiuæ corporeæ conſiſtat. Conſequentia autem principalis probatur, quia nulla potentia poteſt ſe extendere vltra latitudinem ſui adæquati obiecti per ſuam operationem, ſibi in ratione potentiæ conuenientem, ad aliquod tanquàm ad ſibi obiectum.

45 Confirmatur primò. Deus non eſt ſenſibilis. Ergo nõ eſt oculo corporeo viſibilis. Antecedens eſt de fide certum. Et ratione probatur. Quia quod eſt ſenſibile eſt materiale: Deus nullo modo eſt materialis, ſed omninò immaterialis. Ergo non eſt ſenſibilis. Conſequentia autem eſt euidens. Quia quod ſenſu corporeo percipitur, eſt ſenſibile, Ideo enim aliquod, ſenſibile dicitur, quia eſt aliquo ſenſu perceptibile. Ergo ſi Deus vt in ſe eſt, non eſt ſenſibilis, nequè etiam erit oculo corporeo viſibilis.

Confirmatur Secundò. Non omne corpus qua corpus eſt, viſibile eſt, ſed vltra hoc, vt corpus videatur, debet in ſe habere, id per quod viſibile redditur, nempè colorem, ſeù lucem, &c. Ita quòd ſi aliquod eſt corpus, ſeù corporeum, & aliquod huiuſmodi non habeat, impoſſibile eſt, vt viſibile ſit. V.G. ſubſtantia corporea per Dei potentiam abſolutam omni quantitate molis, & qualitate ſenſibili ſpoliata, (quod fieri non repugnat, nam non implicat quantitatem ſine ſubſtantia exiſtere, vt patet in altiſſimo altaris Sacramento, & conſequenter, &c.) quamuis ſit ſubſtantialiter corporea, non tamen eſt, nec poteſt eſſe aliquo modo viſibilis; Eo quòd quamuis ſit aliquod corporeum, non tamen habet id per quod videri poteſt. Ergo multò minus Deus, qui non ſolùm luce corporea, & quacunque qualitate ſenſibili caret, ſed etiam eſt omnis corporeitatis expers, dicitur viſibilis.

46 Confirmatur Tertiò. Quia nequè etiam per potentiam Dei abſolutam, ſonus vt in ſe eſt, videri poteſt, quemadmodum, nequè etiam per Dei potentiam abſolutam color vt in ſe eſt, poteſt audiri. Ergo multò magis implicat, Deum vt in ſe eſt, oculo corporali poſſe videri. Antecedens patet. Probo conſequentiam. Quia magis habet viſibilitatis ſonus; quàm Deus. Ergo ſi implicat ſonum videri, multò magis implicat Deum oculo corporeo videri. Probatur antecedens. Quia ſonus conuenit cum obiecto potentiæ viſiuæ, adminus in ratione communi ſenſibilis, quæ eſt ratio formalis generica in ratione obiecti reſpectu ſenſitiuarum potentiarum: Deus autem eſt omnis ſenſibilitatis expers. Ergo.

47 Quarta ratio ſit iſta. Si potentia viſiua videret Deum vt in ſe eſt, vel videret eum per viſionem corpoream, vel per intellectionem à Deo illi infuſam. Non primum, vt probatum eſt. Quia Deus eſſet viſibilis viſibilitate ſenſibili, & conſequenter, in ſe eſſet naturæ ſenſibilis. Non ſecundum. Primò. Quia contradictionem implicat, vt potentia viſiua corporea videat per intellectionem. Tunc enim non diceretur ſenſibiliter videre, ſed potiùs intelligibiliter, ſeù intelligere diceretur. Secundò. Quia intellectio debet procedere à potentia, quæ per ipſam intelligens conſtituitur, vt infra probabimus. Vnde ſi diuinitus intellectio potentiæ viſiuæ corporeæ à ſolo Deo infunderetur, (quod adhuc impoſſibile iudicamus) illa potentia per talem intellectionem non videret, quemadmodum ſi in lapide collocaretur; ſed nulla intellectio à potentia viſiua corporea dimanare poteſt, tanquàm à principio elicitiuo viſionis. Ergo.

48 Secundò. Quia in tali caſu potentia viſiua non videret oculo corporeo, ſeù non ſentiret, ſed intelligeret, & ſic eſſet confundere difficultates, eſſet enim difficultas, ſeù controuerſia, Vtrum potentia viſiua poſſit intelligere.

Tertiò, quia implicat vt potentia intellectiua videat per viſionem corpoream. Ergo etiam implicat, vt potentia viſiua corporea videat per intellectionem, ſeù viſionem incorpoream.

49 Vltima ratio ſit quam adhibet D. Thomas, quæ eſt omnium aliarum rationum radix. D.Thom Actus enim cuiuſcunquè potentiæ eſt proportionatus ei cuius eſt actus: ſed potentia viſiua corporea eſt actus corporalis organi. Ergo debet eſſe proportionata organo corporali: ſed potentia propor-

Digitized by Google

quadam epiſtol[illegible] rauerat, [illegible] riorem [illegible] [illegible] poteſt ad [illegible] extendere. Ergo [illegible] non po[illegible] Deum qui eſt omninò incor-

37 [illegible]

[illegible] quod hæc D. Thomæ ratio eſt alia-[illegible] ita res eſt, [illegible] ad conuer-[illegible] alterum, videlicet, tentiam, & vnum [illegible] materialis, & or- Potentia eſt eſſentialiter [illegible] gano corporali affixa. Ergo eius obiectum ſpecificatiuum [illegible] & extenſiuum non poteſt ad immateriale ſe extendere. Et è contra. Obiectum eſt eſſentialiter immateriale. Ergo non poteſt potentiæ materiali obijci, dato quòd poſſit diuinitus à potentia materiali tanquàm ab inſtrumento Dei produci.

CAPVT QVINTVM.

Argumenta, & ſolutiones.

51 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis Primò. Potentia viſiua poteſt videre Angelum qui eſt ſpiritus. Ergo poteſt eleuari ad videndum Deum. Conſequentia patet. Probatur antecedens. Quia intellectus creatus poteſt eleuari ad videndum Deum. Ergo potentia viſiua poteſt eleuari ad videndum Angelum. Probatur conſequentia. Quia eſt maior diſtantia inter intellectum creatum, & Deum, quàm inter potentiam viſiuam corpoream, & Angelum, & hoc non obſtante poteſt intellectus creatus eleuari ad videndum Deum. Ergo.

Huius argumenti ſolutionem vide ſupra diſputatione de hac re ſpeciali 14.

52 Obijcies Secundò. Corpus poteſt agere in ſpiritum. Aqua baptiſmalis cauſat in anima ſanctificantem gratiam, quæ eſt ſpiritualis, & ſimiliter cætera nouæ legis Sacramenta, quæ ſigna ſenſibilia, & materialia ſunt. Et ignis inferni torquet dæmones, & damnatorum animas; Ergo etiam oculus corporeus poteſt videre Deum. Conſequentia etiam Patet à paritate.

53 Quidam moderni in huius argumēti ſolutione, verba multiplicant, veritatemquè manifeſtam obſcurant.

Reſpondetur igitur diſtinguendo antecedens. Corpus poteſt agere in ſpiritum, Ita ut ſic agere, ſit eſſe inſtrumentum operationis Dei, concedo antecedens. Itaut ſic agere, ſit, eſſe potentiam corpoream per ſuam operationem in ſpiritum actiuam, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Quoniam ſi oculus corporeus videret Deum, concurreret, non quidem vt inſtrumentum operationis Dei, ſed vt potentia corporea ſpiritus viſiua.

54 Tota vis huius argumenti in hac paritate conſiſtit, nempè, ſicut eſt eleuabile corpus, vt agat in ſpiritum, ſic potentia viſiua corporea ad videndum Deum. Quæ tamen paritas aſſumitur, ſeu proponitur, & nullo modo probatur. Eſt enim manifeſta diſparitas, quia corpus agens in ſpiritum, vel aliquod ſpirituale producens, concurrit vt diuinæ operationis inſtrumentum, vt verò potentia viſiua corporea, ſi Deum videret, concurreret per modum potentiæ.

55 Pro maiori autem huius reſponſionis intelligentia eſt obſeruandum, quòd aliud eſt animam per aquam v.g. humectari, & frigefieri, per ignem caleneri, &c. & aliud fieri Deo gratam, & amicam, cruciari, torqueri, &c. & per conſequens aliud eſt dicere. Aquam poſſe eleuari, ad humectandam, vel frigefaciendam animam, & aliud, eleuari poſſe, ad ſanctificantem gratiam in ea cauſandam. Primum, eſt impoſſibile, quia anima eſt ſpiritus, humectari autem, frigefieri, &c. Solùm corpori, & corpori non qualicumquè, ſed ſublunari ex contrarijs qualitatibus compoſito conuenire poteſt. Secundum autem, eſt poſſibile, ac de facto contingere ſolet, vt Theologi docent, & ad illud idem poſſet quoquè oculus corporeus eleuari.

56 Poſſet autem inter aquam v.g. ignem inferni, &c. ex vna parte, & oculum corporeum, optima quædam paritas aſſignari, & eſt iſta. Sicut aqua eſt eleuabilis ad cauſandam in anima ſanctificantem gratiam, Ita quoquè oculus corporeus ad eumdem effectum producendum; & ſic de ſingulis ſimilibus. Et inſuper. Sicut eſt eleuabilis aqua ad humectandam, vel frigefaciendam animam intellectiuam, Ita oculus corporeus ad videndum Deum: Sed vnum argumenti ob eſt, nempè, quòd hæc bona paritas, annihilat argumentum. Quoniam anima intellectiua non eſt humectabilis, nec frigefactibilis, cum ſit ſpiritus. Ergo multò minus Deus erit oculo corporeo viſibilis, cum ſit purus & per eſſentiam ſpiritus.

57 Obijcies Tertiò. Non implicat vt oculus corporeus eleuetur ad videndum Deum, ratione obiecti. Ergo. Probatur antecedēs. Non implicat ratione immaterialitatis, nequè ratione infinitatis Dei. Ergo nullo modo implicat. Probatur antecedens. Non implicat ratione immaterialitatis. Quia ſi hac ratione implicaret, nequè etiam intellectus creatus poſſet eleuari ad videndum Deum. Probatur ſequela. Quia omnia creata per comparationem ad Deum qui eſt purus ſpiritus, dicuntur materialia, quemadmodum vocantur etiam corruptibilia.

Non

Digitized by Google

Non ratione infinitatis, quia nequè etiam intellectus creatus poſſet videre Deum, propter eandem infinitatis rationem.

58 Reſpondetur, implicare ratione immaterialitatis, non verò ratione infinitatis Dei. Ad cuius impugnationem reſpondetur diſtinguendo antecedens. Omnia creata per comparationem ad Deum dicuntur materialia, impropriè, concedo. Poſitiuè, & propriè, nego antecedens. Dicuntur enim materialia, id eſt, non accedunt ad illam tàm excelſam, ac ſublimem Dei immaterialitatem.

59 Diximus non repugnare ratione infinitatis Dei, ſed contra hoc eſt argumentum. Si eſſet poſſibilis ſuperficies alba, & infinita in ratione ſuperficiei, non poſſet videri ab oculo corporeo ratione infinitatis. Ergo ſimiliter, ſi oculus corporeus non poteſt videre Deum, implicantia erit, etiam ratione infinitatis. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Primò. Quia magnitudinis infinitæ ſecundùm quantitatem molis, non poteſt eſſe ſpecies corporea finita, totam magnitudinis infinitæ quantitatem repræſentans. Secundò. Quia oculus eſt organo corporali affixus. Ergo non poteſt ad magnitudinem infinitam, & interminabilem, terminari.

60 Hoc argumentum poſſet formari contra concluſionem primi articuli, in qua dicimus intellectum creatum poſſe eleuari ad videndum Deum, eius infinitate non obſtante. Sic enim formari poſſet. Oculus corporeus non poſſet videre aliquam ſuperficiem albam, infinitam in ratione ſuperficiei, ratione infinitatis, ſi dabilis eſſet. Ergo nequè etiam intellectus creatus poteſt eleuari ad videndum Deum, qui re vera eſt infinitus in ratione intelligibilitatis, ratione infinitatis in eſſe intelligibili.

61 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. & ratio diſparitatis eſt, quia infinitas Dei in eſſe intelligibili ab intellectu creato qui eſt omni materia carens, ratione cuius immaterialitatis, eſt capax vt ad infinitam perfectionem cognoſcendam intuitiuè eleuetur: At verò oculus corporeus cum ſit corporeus, & organo corporali in aliquo determinato ſpatio affixus, propter talem materialitatem, & coarctationem, nequè diuinitus, ad videndum ſuperficiem, ſeu corpus infinitum ſi daretur, eleuari poteſt. Vnde ſi aſſerentes Deum eſſe corporeum, ſeu corpus, eſse corpus infinitum dicerent, deberent etiam ſuſtinere totum videri non poſse.

62 Authoritates in contrarium ex Sacra Scriptura, quæ in hac materia adduci poſſunt, explicandæ ſunt de viſione Dei non in ſe ipſo, ſed in aliquo corpore ad aliquod myſterium, vel operationem repræſentandam, aſſumpto, vt communiter Sancti Patres obſeruant.

DISPVTATIO XXXXIII.

VTRVM PER POTENTIAM DEI ABSOLVTAM, ALIQVA potentia ſenſitiua interna poſſit eleuari ad videndum Deum vt eſt in ſe, vel ad minus ad cognoſcendum eum abſtractiuè.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Determinatio veritatis.

1 DIco primò. Implicat contradictionem, vt aliqua potentia ſenſitiua interna, poſſit eleuari ad videndum Deum vt eſt in ſe.

Hoc dictum patet ex ijs quæ in præcedenti diſputatione diximus; Nam Deus vt in ſe eſt, non eſt imaginabilis, non phantaſiabilis, non cogitabilis, cogitatu corporeo. Ergo nequè etiam per huiuſmodi ſenſus eſt intuitiuè attingibilis. Antecedens patet. Quia eſt ſummè immaterialis. & conſequentia eſt euidens.

2 Probatur Secundò. Quia ſi hoc eſset poſſibile in homine, eſſet etiam poſſibile in potentia ſenſitiua interna beſtiarum, ſeu brutorum; Hoc eſt impoſſibile. Ergo.

Probatur ſequela. Quia omnes potentiæ ſenſitiuæ internæ, ſunt eiuſdem ſpeciei. Minor etiam eſt clara, & ab omnibus conceſſa. Ergo, &c.

Dico Secundò. Etiam contradictionem implicat, vt aliqua potentia ſenſitiua Deum abſtractiuè cognoſcat.

3 Probatur primò. Quia ſi qua potentia ſenſitiua interna Deitatem abſtractiuè cognoſceret, poſſet etiam illā cognoſcere intuitiuè: ſed hoc eſt falſum. Ergo & illud vnde ſequitur. Minor cum cōſequentia patet. Probatur verò ſequela. Quia non poteſt aſſignari aliqua implicātię ratio, quare ſi potentiæ ſenſitiuæ internę, poteſt cōmunicari aliquod lumen ad cognoſcendum Deum abſtractiuè, non etiam poſſit cōmunicari lumen glorię ad cognoſcendū Deū intuitiuè.

4 Probatur ſecundò. Quælibet potentia ſenſitiua cuiuſcumquè ſit ordinis, & qualitercumquè eleuata, eſt eſſentialiter materialis. Ergo neque etiam poteſt abſtractiuè cognoſcere, vel attingere Deum, qui eſt ſpiritualis. Vis huius rationis ex ſupradictis patet; & magis patebit, ex ijs quæ dicuntur articulo ſequēti, & in ſuis diſputationibus.

CAPVT SECVNDVM.

Argumentorum ſolutio.

5 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò: Multoties in Sacra Scriptura dicitur, quòd Deus viſus eſt. Ita dicitur Iſaiæ 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*. Et Geneſ. 28. Iacob vidit Scalam, *& Dominum innixum Scalæ*: ſed huiuſmodi viſiones ſunt ſenſitiuæ, & dicuntur viſiones, ad minus, prout idem ſonant, ac contemplationes. Et ſimiliter D. Thomas 2.2. quæſt. 174. art. 3. in corp. ait quòd altior gradus prophetiæ eſt, ſi ille qui loquitur, vel demonſtrat, videatur in vigilando, vel in dormiendo in ſpecie Angeli, quam ſi videatur in ſpecie hominis: & adhuc altior, ſi videatur in dormiendo, vel in vigilando, in ſpecie Dei. Item 3. p. quæſt. 21. art. 2. ad 1. explicat illud Pſalmi. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. vbi hæc habet verba. *Caro exultat in Deum viuum, non per actum carnis aſcendentem in Deum, ſed per redundantiam à corde in carnem, in quantum appetitus ſenſitiuus ſequitur motum appetitus rationalis*. Ergo in aliquo ſenſu concedendus eſt potentiæ ſenſitiuæ internæ aliquis motus in Deum. Item hic, ad 1. adducit ex D. Auguſtino lib. 22. de ciuitate Dei cap. 29. quòd oculus glorioſus videbit Deum ſicut oculus noſter videt vitam, quæ non eſt viſibilis per ſe, ſed per accidens. Ergo multò magis ſenſus interior poterit attingere Deum.

Iſai. 6. Gen. 28. D. Thom. Pſal. 83. D. Aug.

6 Reſpondetur, explicando omnes ſupradictas authoritates, vnica diſtinctione. Senſus internus poteſt attingere Deum ſubſtitutiuè, concedo. Cōtemplatiuè, nego. & volo dicere, quòd dum per intellectum aliquo modo in hac vita contemplamur Deum, per ſenſum ſubſtituimus aliquod idolum, ſeu aliquod corpus, loco ipſius Dei quem per intellectum contemplamur. Formationes autem corporum repræſentantiū Deum, vel imprimuntur à Deo, ipſis ſenſibus, iuxta proportionem rei, de qua agitur. verbi gratia. Dum Deus alicui apparet prophetæ, ad ſuam eminentiſſimā dignitatem contemplandam; intra imaginatiuam potentiam imprimit præſentiam alicuius magni viri, cum maieſtate in ſolio excelſo, & eleuato ſedentis. Et ſic de ſingulis. Et quando dicitur, à Pſalmiſta, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; rectè declaratur à D. Thoma, non attingendo, ſcilicet, nec contemplando Deum; ſed per redundantiam voluntatis, quæ eſt potentia ſuperior ad appetitum ſenſitiuum. Et ad illud ex D. Auguſtino adductum. Cum dicitur, quòd oculus glorioſus videt Deum, ſicut oculus noſter videt vitam, optimè dicitur, ſed malè ab arguente interpretatur, quia ex vi illius viſionis, neque ſenſus viſus, neque ſenſus internus, vident vitam ſeu Deum contemplatiuè. Sed ſenſus eſt, quòd intellectus ex vi illius viſionis concipit vehementiſſima ſigna vitæ.

Pſal. 83. D. Aug.

7 Pro completa huius doctrinæ, & controuerſiæ intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd tribus modis aliquod prædicatum Dei abſtractiuè cognoſci poteſt. Primò. Formando proprium conceptum, clarè, & diſtinctè Deum repræſentantem abſtractiuè tamē, ſicut imaginatus eſt Scotus, ſupra, à nobis impugnatus. Secundò. Non formando proprium conceptum illius, ſed ſubſtituendo, aliud obiectum loco eius, cōtemplando tamen Deum, vel aliquod eius prædicatum. Tertiò. Formando aliquod loco Dei, ſed non contemplando Deum. Potentia ſenſitiua neque primò, neque ſecundo modo, poteſt cognoſcere Deum. Sed tantùm tertio modo. Id eſt, poteſt formare ſeu concipere illud, quod ſubſtituitur loco Dei, ad hoc vt intellectus contempletur Deum.

Scotus.

8 Obijcies Secundò Poteſt potentia intellectiua finita, finitè cognoſcere Deum infinitum. Ergo etiam potentia ſenſitiua materialis, poteſt materialiter cognoſcere Deum immaterialem. Probatur conſequentia. Quia ſicut Deo repugnat materialitas, ita repugnat finitas. Ergo ſi non obſtan-

Digitized by Google

obſtante ſua infinitate, poteſt à potentia finita intuitiuè, ſed finitè cognoſci, poterit etiam non obſtante eius immaterialitate, materialiter à potentia ſenſitiua abſtractiuè cognoſci.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia duo ſunt in potentia ſenſitiua, Materialitas ſcilicet, & finitas, Ratione primi, habet quòd cognoſcat materialia, & materialiter, Ratione verò ſecundi, habet vt cognoſcat finitè. Duo quoquè ſunt in potentia intellectiua, Immaterialitas, & finitas, Ratione primi, habet vt poſſit eleuari ad cognoſcendum etiam infinitum, ſed ratione ſecundi, habet vt cognoſcat finitè. Quare autem, potentia ſenſitiua ratione materialitatis, habet vt cognoſcat materialia tãtùm, & materialiter, patet ex ipſa ratione materialitatis, quæ eſt ratio formalis diminutiua potentiæ, ſecundùm maiorem, vel minorem materialitatem.

FORMATIO
Articuli.

Corporis diſtributio, conſiſtit in vnica concluſione negatiua, vnáq; eius probatione.

Concluſio eſt iſta. Impoſſibile eſt, quòd aliquis intellect⁹ creatus per ſua naturalia eſſentiam Dei videat.

Multiformiter à Doctoribus, tam aduerſarijs, quàm doctrinæ Diui Thomæ defenſoribus, ratio huius corporis formalizari ſolet; quibuſdam tamẽ formationibus rectis, quibuſdam vero ineptis. Omiſſis autem nunc cęteris; à nobis ſic, in forma ponitur. Nullum cognoſcens, cognoſcit aliquod cognitum per ſua naturalia, quando modus eſſendi obiecti cogniti, excedit modum naturę cognoſcentis, & ſi excedit modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei, ſit ſupra naturã illius cognoſcentis: ſed creatura intellectualis eſt quędam cognoſcens, cuius modus eſſendi exceditur à modo eſſendi Dei. Ergo nulla creatura intellectualis poteſt per ſua naturalia videre Deum, & ſi cognoſceret, illa cognitio eſt excedens naturam. Conſequentia patet ex pręmiſſis. Minor eſt euidens. Nam modus eſſendi Dei, eſt ipſum eſſe ſubſiſtens, modus verò creaturæ intellectualis, eſt eſſe participatum.

Probatur igitur maior, vbi eſt tota rationis difficultas. Omne cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcẽtis, ergo omne cognitum per vires naturæ, ab aliquo cognoſcente, eſt in cognoſcente, ſecundùm modum naturæ cognoſcentis. Ergo ſecundùm vires naturaliter proportionatas naturę cognoſcentis: ſed quando obiectum eſt ipsũ eſſe ſubſiſtẽs, & natura cognoſcitiua habet eſſe participatum, modus eſſendi obiecti excedit modum naturæ cognoſcentis. Ergo & vires illi naturaliter proportionatas. Ergo nullum cognoſcens poteſt per ſua naturalia cognoſcere obiectum, cuius modus eſſendi, excedit modum naturę cognoſcentis: & conſequenter, ſi cognoſcit, oportet quòd

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum aliquis intellectus creatus per ſua naturalia diuinam eſſentiam videre poſſit.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur, quod aliquis intellectus creatus per ſua naturalia diuinam eſſentiã uidere poſſit. Dicit enim Dion. 4. ca. de diu. nom. quod Angelus eſt ſpeculum purum, clariſſimum, ſuſcipiens totam (ſi fas eſt dicere) pulchritudinem Dei. Sed vnũquodquè videtur, dum videtur eius ſpeculum. Cum igitur Angelus per ſua naturalia intelligat ſeipſum, videtur, quod etiam per ſua naturalia intelligat diuinam eſſentiã. (Dion. 4. c. de di. no.)

2 Præterea. Illud, quod eſt maximè viſibile, fit minus viſibile nobis propter defectum noſtri uiſus; vel corporalis, vel intellectualis.

Sed intellectus Angeli nõ patitur aliquem defectum. Cũ ergo Deus ſecundum ſe ſit maximè intelligibilis, videtur, quòd ab Angelo ſit maximè intelligibilis. Si igitur alia intelligibilia per ſua naturalia intelligere poteſt, multò magis Deum.

3 Præterea. Senſus corporeus non poteſt eleuari ad intelligendam ſubſtantiam incorporeã; quia eſt ſupra eius naturam. Si igitur videre Deum per eſſentiam, ſit ſupra naturam cuiuslibet intellectus creati, videtur, quod nullus intellectus creatus ad uidendum Dei eſſentiam pertingere poſſit. Quod eſt erroneum, ut ex ſupradictis patet. Videtur ergo, quòd intellectui creato ſit naturale diuinam eſſentiam uidere.

Sed Contra eſt, quod dicitur Rom. ſexto. Gratia Dei uita æterna. Sed vita æterna conſiſtit in viſione diuinæ eſſentiæ, ſecundùm illud Ioa. 17. Hæc eſt uita æterna, vt cognoſcant te ſolum uerum Deum, &c. Ergo uidere Dei eſſentiã, cõuenit intellectui creato per gratiã, & non per naturam. (Rom. 5.) (Ioan. 17.)

Reſpondeo. Dicendum, quòd impoſſibile eſt, quod aliquis intellectus creatus per ſua naturalia eſſentiam Dei videat. Cognitio enim cõtingit ſecundùm quòd, cognitum eſt in cognoſcente. Cognitum autem eſt in cognoſcẽte ſecundùm modum cognoſcentis. Vndè

eu-

quòd cognitio illius ſit ſupra naturam illius cognoſcentis. Antecedens patet. Quia cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente. ergo ſecundùm modum cognoſcentis.

Idquè manifeſtatur ex multiplici modo eſſendi reru cognoſcētiū. Nam omni modo eſſendi, cognoſcentis correſpondet modus eſſendi cognoſcibilis. Quædā .n. ſunt, quorum natura non habet eſſe niſi in hac materia indiuiduali, & huiuſmodi ſunt omnia corporalia. Quædam verò ſunt quorum naturæ ſunt per ſe ſubſiſtentes, non in materia aliqua, &c. pro vt iacē in textu.

Ad primum reſpōdetur cōcedendo maiorem, & diſtinguēdo minorem: ſed vnumquodquè videtur dum videtur eius ſpeculum, ſi eius eſſentia viſi clarè, & vt in ſe eſt, relucet in ſpeculo, conceditur minor. Si per ſimilitudinem deficienter refulgentem in ſpeculo, negatur minor. Ergo, &c. negatur conſequentia.

cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundū modum ſuæ naturæ. Si igitur modus eſſendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam illius cognoſcentis.

Eſt autem multiplex modus eſſendi rerū. Quędam enim ſunt, quorum natura nō habet eſſe, niſi in hac materia indiuiduali, & huiuſmodi ſunt omnia corporalia. Quædam verò ſunt, quorum naturæ ſunt per ſe ſubſiſtentes, non in materia aliqua, quæ tamen non ſunt ſuum eſſe, ſed ſunt eſſe habentes. Et huiuſmodi ſunt ſubſtantię incorporeæ, quas Angelos dicimus.

Solius autem Dei proprius modus eſſendi eſt, ut ſit ſuum eſſe ſubſiſtēs. Ea igitur, quæ non habent eſſe, niſi in materia indiuiduali, cognoſcere eſt nobis cōnaturale, eo quòd anima noſtra per quam cognoſcimus, eſt forma alicuius materiæ. Quæ tamen habet duas virtutes cognoſcitiuas. Vnam, quæ eſt actus alicuius corporei organi. Et huic connaturale eſt cognoſcere res, ſecundùm quod sūt in materia indiuiduali. Vndè ſenſus non cognoſcit, niſi ſingularia. Alia uerò virtus cognoſcitiua eius eſt intellectus, qui nō eſt actus alicuius organi corporalis. Vndè per intellectū

D.752. *connaturale eſt nobis cognoſcere naturas, quæ quidem non habent eſſe, niſi in materia indiuiduali: non tamen ſecundum quòd ſunt in materia indiuiduali, ſed ſecundùm quòd abſtrahūtur ab ea per conſiderationem intellectus. Vndè ſecundum intellectum poſſumus cognoſcere huiuſmodi res in vniuerſali; quod eſt ſupra facultatem ſenſus.*

Intellectui autem angelico connaturale eſt cognoſcere naturas non in materia exiſtentes. Quod eſt ſupra naturalem facultatem intellectus animæ humanæ, ſecundùm ſtatum præſentis vitæ, quo corpori vnitur. Reliquitur, ergo, quòd cognoſcere ipſum eſſe ſubſiſtens, ſit cōnaturale ſoli intellectui diuino, & quòd ſit ſupra facultatem naturalem cuiuslibet

D.93. *intellectus creati; quia nulla creatura eſt ſuum eſſe, ſed habet eſſe participatum. Non igitur poteſt intellectus creatus Deum per eſſentiam videre, niſi in quántum Deus per ſuam gratiam ſe intellectui creato coniūgit, vt intelligibile ab ipſo.*

Ad Primum ergo dicendum, quòd iſte modus cognoſcendi Deum, eſt angelo connaturalis, vt ſcilicet cognoſcat eū per ſimilitudinem eius in ipſo angelo refulgentem. Sed cognoſcere Deū per aliquam ſimilitudinem creatam, non eſt cognoſcere eſſentiā Dei, vt ſupra oſtenſum eſt. Vndè non ſequitur quòd angelus per ſua naturalia poſſit cognoſcere eſſentiam Dei.*

Ad Secundum dicendum, quòd intellectus angelino habet defectū, ſi defectus accipiatur priuatiuè, vt ſcilicet careat eo, quod habere debet. Si verò accipiatur negatiuè, ſic quælibet creatura inuenitur deficiens Deo comparata, dum non habet illam excellentiam, quæ inuenitur in Deo.

Ad Tertium dicendum, quòd ſenſus viſus, quia omnino materialis eſt, nullo modo eleuari poteſt ad aliquid immateriale. Sed intellectus noſter, vel angelicus, quia ſecundùm naturam à materia aliqualiter eleuatus eſt, poteſt vltra ſuam naturam per gratiam ad aliquid altius eleuari.

Et huius ſignum eſt, quia viſus nullo modo poteſt in abſtractione cognoſcere, id quod in concretione cognoſcit; nullo enim modo poteſt percipere naturam, niſi vt hanc. Sed intellectus noſter poteſt in abſtractione conſiderare, quod in concretione cognoſcit. Etſi enim cognoſcat res habentes formam in materia, tamen reſoluit compoſitum in vtrumquè, & conſiderat ipſam formam per ſe. Et ſimiliter intellectus angeli, licet connaturale ſit ei cognoſcere eſſe concretum in aliqua natura; tamen poteſt ipſum eſſe ſecernere per intellectum, dum cognoſcit, quòd aliud eſt ipſe, & aliud eſt ſuum eſſe.

Et ideo cū intellectus creatus per ſuā naturā, natus ſit apprehendere formā concretā, & eſſe cōcretū in abſtractione, per modū reſolutionis cuiuſdā, pōt per gratiā eleuari, ut cognoſcat ſubſtantiam ſeparatam ſubſiſtentem, & eſſe ſeparatum ſubſiſtens.

Nam Angelo modus cognoſcendi Deum cōnaturalis, eſt vt cognoſcat eum per ſimilitudinem eius in ipſo Angelo refulgentem; cognoſcere autem Deum per aliquam ſimilitudinem diſtinctam à Deo, non eſt cognoſcere intuitiuè eſſentiam Dei.

Ad ſecundum reſpōdetur diſtinguendo maiorem. Quod eſt maximè viſibile fit minus viſibile nobis propter defectum priuatiuè, aut negatiuè, conceditur maior. Semper propter defectum priuatiuè acceptum, negatur maior: Sed intellectus Angelinō patitur aliquem defectum, Priuatiuè, conceditur minor. Negatiuè, negatur minor. Ergo, &c. negatur conſequentia. Art. 1. huius quæſt.

Ad Tertium reſpōdetur negando cauſalem in antecedenti poſitam. Ideo enim ſenſus viſus, ſeù corporeus, nullo modo eleuari poteſt ad aliquod immateriale cognoſcendum, quia omnino materialis eſt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 Titulus huius articuli ex ijs quæ in primi articuli titulo diximus, exponendus eſt. Nam ly intellectus creatus, hîc, & ibi vniuocè ſumitur, pro intellectu ſcilicet, creato, vel creabili, idquè ex ratione Diui Thomæ in corp. manifeſtè deducitur. Ly per ſua naturalia, idem ſonat ac per vires ordinis naturalis.

2 De huius articuli concluſione, atquè eiuſdem rationis efficacia, diſputabimus ſucceſſiuè.

3 Concluſio quantùm ad homines, & Angelos eſt certum dogma fidei, Dicitur enim ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sed vita æterna eſt ipſa viſio, ſiue loquamur de vita æterna in ſenſu formali, ſiue cauſali, non curamus in præſenti. Et in illo Matt. 11. *Nemo nouit filium niſi Pater, nequè Patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Sed quod dependet ex ſola voluntate diuina, non eſt alicui creaturæ connaturale. Ergo. & ex illo 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Et ex illo 1. ad corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus, ijs qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus, per ſpiritum ſuum.* quod promſerat ex Iſaiæ. 64. idem cõſtat de Angelis. Nam de fide certum eſt, Aliquos Angelos peccaſſe. *quomodo cecidiſti de cælo Lucifer qui mane oriebaris.* Et *traxit tertiam partem ſtellarum.* Ergo non ſunt naturaliter ſed per Dei miſericordiam in gratia creati.

Rom. 6. Matt. 11. Timot. 6. 1. cor. 2. Iſa. 64.

4 Eſt etiam definita in Concilio Viẽnenſi, contra Begardos, & Beguinas aſſerentes, quòd homo in hac vita conſequi poteſt beatitudinem, quam ſancti habent in alia. & hoc in quarto errore. in quinto verò, ſic aſſerebant, *Quòd quęlibet intellectualis natura in ſe ipſa, naturaliter eſt beata, quodquè anima non indiget lumine gloriæ, ipſam eleuante, ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* inter octo errores Begardorum, & Beguinarum in concilio damnati, hi duo ad præſentem, & ſequentem articulos pertinent.

Viennẽſe Begardi. Beguinæ.

5 Begardi ſunt quidam homines, vt refert Alfonſus à Caſtro Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ lib. 3. aduerſus hęreſes Verbo, Beatitudo. hæreſi. 4. & Beguinæ ſunt quędam mulieres in Alemania. qui omnes, modo quodam honeſto, & Religioſo incedunt. Begardi enim cœnobia habent, & tria vota ſicut cæteri Monachi emittunt; & Beguinæ in Germania inferiori, quas teſtificatur proprijs oculis vidiſſe, ſunt mulieres ſic nominatæ, in ſocietate quadam honeſtè viuunt; ſine tamen alicuius voti expreſſi emiſſione, & cum propriæ ſupellectilis retentione, quæ cum volunt, & modus viuendi eis diſplicet, liberam recedendi habent facultatem, & in toto poſſunt ſocietatem relinquere.

Alfonſus à Caſtro.

6 Circa id, quod D. Thomas in corp. ait, nimirum, *cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis*, dubium occurrit. Quid per ly *ſecundùm quòd*, intelligatur. Nam ly *ſecundùm quòd* vel dicit modum, vel aliquid aliud in propoſitione a D. Thoma in præſenti aſſumpta. Si ſecundum, explicandum eſt, quid ſit, iſtud ſignificatum. Si primum. Ergo fruſtra in littera ſubditur; *ſecundùm modum cognoſcentis*. Probatur. Quia idem eſt dicere, cognitio contingit *ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente*, ac ſi dicatur, cognitio contingit ſecundùm modum cognoſcentis, ſeu ſecundùm modum, quo cognitum eſt in cognoſcente, & ſic verborum D. Thomæ ſenſus eſſet ridiculus, & identicus. Eo quia idem eſſet dicere, cognitio contingit, ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis, ac dicere, cognitio obiecti contingit ſecundùm modũ quo cognitum eſt in cognoſcente, ſecũdùm modum cognoſcentis.

7 Reſpondetur. Ly *ſecundùm quòd*, explicare hoc, nempè, quòd cognoſcens (propriè ac rigoroſè loquendo) non eſt in obiecto cognito; ſed cognitum eſt in cognoſcente, quia cognitum, potentiam cognoſcitiuam ingreditur non è contra. Vnde ſcitè Diuus Thomas in 2. huius quæſt. artic. in corp. principio, dixit, quòd, *ad viſionem, tàm ſenſibilem, quàm intelligibilem, duo requiruntur, ſcilicet, virtus viſiua, & vnio rei viſæ cum viſu.* Non enim dixit, & vnio viſus cum re viſa; ſed, *vnio rei viſæ cum viſu*. Deinde verò, ad modum tranſit; dicens *ſecundùm modum cognoſcentis*, quaſi diceret. Ex hoc quòd obiectum cognitum eſt in cognoſcente, ſequitur hoc aliud, nempè, quòd cognitum non eſt neceſſe vt ſit in cognoſcente, ſecundùm modum obiecti cogniti, ſed ſecundùm modum cognoſcentis. Patet igitur ad dubium reſponſio.

D.Thom.

8 Circa illam propoſitionem, ex alia deductam, ſcilicet, *Vnde cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundùm modum ſuæ naturæ*. Dubium occurrit, dupliciter. Primò. Quia vel eſt ſermo de cognitione per vires naturæ ipſius cognoſcentis, vel de cognitione excedente cognoſcentis vires naturales vel vtroquè modo. Si primum; non benè deducitur ex præcedenti propoſitione à Diuo Thoma poſita, Videlicet, *cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis*, & probatur.

D.Thom.

Quia

Digitized by Google

Quia quando obiectum excedit naturam cognoſcentis, etiam illud obiectum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcẽtis, aliàs non cognoſceretur; & tamen cognitum excedens naturam cognoſcentis, eſt in cognoſcente, non ſecundùm modum naturę cognoſcentis, ſed ſecundùm modum ſupra illius naturam. Inepta, eſt igitur, iſta conſequentia, videlicet, Ergo *cuiuslibet cognoſcentis cognitio, eſt in cognoſcente, ſecundum modum naturæ cognoſcentis*. Sed addendum erat, hoc aliud; nimirum, vel ſecundùm modum excedentem cognoſcentis naturam. Non ſecundo modo vt patet. Si tertio modo. Ergo arguit ab vniuerſali affirmatiua, ad minus vniuerſalem affirmatiuam, nõ enim valet. Eſt animal. Ergo eſt homo.

9 Secundò. Quia D. Thomas concludit tandem, quòd, ſi *modus eſſendi alicuius rei cognitæ, excedat modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam illius cognoſcentis*. Ergo iuxta eiuſdem D. Thomæ doctrinam, ſtat, quòd cognitum ſit in cognoſcente, & non ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, vt patet ex antecedenti. Ergo non benè concluditur, quòd cuiuslibet cognoſcentis cognitio, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis. D.Thom.

10 Pro reſponſione, & legitima litteræ D. Thomæ intelligentia quam non omnes rectè capiant, eſt obſeruandum primò, quòd omne cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, ſiuè obiectum cognitum ſit excedens modum eſſendi cognoſcentis; ſiuè non; differenter tamen; quia ſi modus eſſendi obiecti cogniti, modum eſſendi cognoſcentis non excedit, cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt, ſecundùm vires naturaliter cognoſcenti conuenientes; & conſequenter, cognitio illius cognoſcentis non eſt ſupra naturam eiuſdem. Si autem modus eſſendi obiecti cogniti, excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, non tamen ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt, non ſecundùm vires naturaliter cõuenientes cognoſcenti, ſed ſecundùm vires cognoſcenti conuenientes, vt eleuabili per illas. vnde cognitio talis, excedit naturam cognoſcentis. D.Thom.

11 Et quoniam quando modus eſſendi obiecti cogniti excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non eſt facile captu, quomodo cognitum ſit in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis; ideo vt facilius intelligatur, eſt obſeruandum. Secundò, quòd obiectum excedens, eſſe in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, dupliciter intelligi poteſt. Primò. Ita vt ille modus quo obiectum eſt in intellectu, ſit obiecto cognito intrinſecus, Secundo. ita vt ille modus ſit extrinſecus obiecto. In præſenti, quando dicimus, propoſitionem D. Thomæ, nempè, quòd omne *cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis*, etiam ſi modus eſſendi obiecti cogniti excedat modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non eſt neceſſe, quòd verificetur, primo modo, ſed ſecundo. Et hoc verum eſt, etiam reſpectu Dei clarè viſi ab intellectu creato. Nam Deus eſt in intellectu Beati modo finito, qui eſt modus potentialis, & proprius creaturæ, omnino repugnans Deo intrinſecè.

12 Obſeruandum Tertiò, quòd cognitio dupliciter poteſt excedere naturam, Primò, excedendo vires naturales dumtaxat, ſecundò, excedendo vires naturales, & omnes alias vires ſibi poſſibiles. Cognitio comprehenſiua Dei excedit naturam cuiuſcumquè creati cognoſcentis, & hæc eſt impoſſibilis nobis, vt videbimus infra; Cognitio verò clara Dei, & intuitiua infra comprehenſiuam, excedit naturam creaturæ intellectualis, primo modo, non ſecundo; & hæc eſt poſſibilis, & de hac loquitur D. Thomas, quando dicit, quòd ſi modus cognoſcendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam, illius cognoſcentis.

13 Ex his colligitur, quòd illa propoſitio D. Thomæ, videlicet, *cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecũdùm modum cognoſcentis*, eſt vniuerſaliſſimè intelligenda reſpectu ſcilicet, cuiuſcunquè obiecti, excedentis, & non excedentis. Sequens verò, ex iſta deducta, videlicet, *unde cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis*; quamuis ſub eodem vniuerſalitatis tenore proponatur, non tamen eſt ita vniuerſalis, ſicut præcedens, nec à D. Thoma ſub eadem vniuerſalitate intelligitur, aliàs, conſequens cum antecedenti eſſent omnino vnum. D.Thom.

14 Nec propterea fallaciam committit D. Thomas, quaſi ab vniuerſali affirmatiua, ad minus vniuerſalem affirmatiuam arguiſſet; ſed neceſſariò pro profundi ſermonis intelligentia præſupponendum eſt; quòd argumẽtatio D. Thomæ fundatur, ſuper quamdam diſtributionem, proportionemquè accomodam; & conſiſtit in hoc; nempè, ſicut cognitio cognoſcentis obiectum, cuius modus eſſendi excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, eſt in cognoſcente, non ſecũdùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt, nõ ſecundùm vires naturaliter conuenientes cognoſcenti, ita cognitio obiecti non excedentis, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt ſecundùm vires naturaliter conuenientes cognoſcenti. Quare ex hac propoſitione, videlicet, *cognitio contingit ſecundùm quòd, cognitum eſt in cognoſcente* D.Thom.

ſcente

Digitized by Google

ſcente ſecundùm modum cognoſcentis, vniuerſaliter intellecta, modo iam a nobis explicato, optimè deducitur hæc alia propoſitio minus vniuerſalis videlicet. Ergo *cuiuslibet cognoſcentis cognitio*, (ſubaud.) naturalis, & non excedens naturam cognoſcentis, *eſt ſecundum modum ſuæ naturæ*, id eſt, ſecundum vires naturaliter conuenientes cognoſcenti. Probatur hoc. Quia ſi omne cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis. Ergo cognitio cognoſcentis aliquod obiectum, cuius modus eſſendi, nō excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis. Probatur. Quia ſicut ſe habet cognitio reſpectu obiecti excedentis in ratione excedentis: ita ſe habet cognitio obiecti non excedentis in ratione non excedentis: ſed cognitio reſpectu obiecti excedentis non eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, ſed ſecundùm modum excedentem naturam. Ergo cognitio cuiuslibet cognoſcentis reſpectu obiecti non excedentis, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis.

15 Reſpōdetur itaquè Ad primum dubium, & Dico, quòd eſt ſermo de cognitione tertio modo. Ad cuius impugnationem, nego illationem. Iam enim ex dictis conſtat, quòd D. Thomas non arguit à magis vniuerſali, ad minus vniuerſale affirmatiuè abſolutè, ſed à magis vniuerſali, ad minus vniuerſale, iuxta debitam diſtributionem accommodatamquè proportionem. v.g. ſi quis diceret ſic. Eſt animal: Ergo reſpectu cuiuſcumquè hominis eſt animal rationale, & reſpectu quorumcunquè brutorum eſt irrationale.

16 Ad ſecundum Reſpondetur concedendo antecedens, cum primo conſequente. Negando tamen vltimam conſequentiam; & ratio diſparitatis patet ex dictis.

17 *Cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcente*. Et *cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundum modum ſuæ naturæ*. Sub alijs verbis ſic huiuſmodi propoſitiones proponuntur. Modus operandi ſequitur modum eſſendi: & ſenſus eſt, quòd quemadmodum operari ſequitur eſſe; ita modus operandi ſequitur modum eſſendi. Hoc autem manifeſtè optimèque D. Thomas ex rerum cognoſcibilium graduatione declarat, atq; demōſtrat. Quædam enim ſunt quorum modus eſſendi, eſt eſſe immerſè in materia, Quædam verò ſunt in materia, ſed per intellectum abſtrahuntur, Quædam ſunt omnino à materia realiter abſtractæ, non tamen ſunt ſuum eſſe ſubſiſtens; Quædam ſunt ſuum eſſe. Exemplum primi. Hæc albedo, hæc quantitas, &c. Exemplum ſecundi. vt albedo, quantitas, &c. Exemplum tertij. vt ſubſtantiæ immateriales, ac per ſe ſubſiſtentes, ſed creatæ. Exemplum quarti, vt Deus. Iſtis cognoſcibilibus, totidem cognoſcentia correſpondent. Nam per ſenſus, ſiue internos, ſiue externos, connaturaliter cognoſcimus materialia in ſua ſingularitate materiali. Per intellectum noſtrum vt in corpore, naturaliter cognoſcimus materialia, vt a materia indiuiduali per intellectum abſtracta. Angeli, & animæ ſeparatæ, connaturaliter cognoſcunt ſubſtantias ſeparatas, & omnia ſine materia exiſtentia, creata tamen, & naturalia; & tandem Deus connaturaliter cognoſcit ſe ipſum.

18 Circa primum cognoſcibilium, & cognoſcentium genus; Obſerua, quòd quamuis plures ſint ſenſus tam interni, quam externi, propter plura obiecta formaliter, ac ſpecificè diſtincta; omnes tamen conueniunt in vno modo eſſendi, nempè in hoc, quòd eſt eſſe in materia indiuiduali immerſum. Omnes enim potentiæ ſenſitiuæ, ſunt actus alicuius corporalis organi.

19 Circa idem, obſerua ſecundò. Quòd quamuis mens D. Thomæ ſit declarare, ac demonſtrare, omnes huiuſmodi cognoſcibilitates connaturaliter cognoſci à ſenſu; tamen propter rationem materialitatis, quia ſcilicet, omnes ſenſus ſunt eſſentialiter materiales, non ſolùm ſunt connaturaliter ſenſibilibus cognoſcibilitatibus addicti, ſed etiam eſſeat aliter habent, vt non poſſint ſpiritualia cognoſcere; quemadmodum idem D. Thomas in reſpōſione ad 3. apertè declarat.

20 Circa ſecundum. Obſerua, quòd intellectus ſeu anima intellectiua, quamuis ſit actus corporis, non tamen eſt actus immerſus corpori, quaſi actus corporei organi, ſed ſecundùm ſubſtantiam ſuam eſt ſpiritualis, & propterea ex eo quia actus corporis eſt; habet vt connaturaliter materialia cognoſcat. Ex eo verò, quia ſpiritualis eſt, quo ad eſſe, habet vt, corporalia & materialia, a ratione materiali indiuiduali, abſtractè conſideret.

21 Circa tertium. Obſerua, quòd, quamuis lumen fidei, lumen gloriæ, viſio beatifica, omneſquè actus, & habitus ſupernaturales, ſint entia abſtracta à materia, non tamen connaturaliter ab aliquo intellectu creato cognoſcuntur, per hoc, quòd nō ſunt ſuum eſſe. Eo quia ſunt entia ſimpliciter ſupernaturalia, & ducunt ad cognitionem eius, quod eſt ſuum eſſe. Vnde, licet, vt quod, non ſint ſuum eſſe; ſunt tamen, ſuum eſſe vt quo.

22 Circa quartum, nihil aliud dicendum occurrit, quoniam infra magis enucleabitur.

In reſponſione ad 3. Iauellus, ſuper hunc articulum, ait, quòd, dum D. Thomas dixit, *ſed intellectus noſter, vel Angelicus qui ſecundùm naturā à materia aliqualiter eleuatus eſt*, poteſt Iauellus.

quadam epiſtola durioribus verbis exaſperauerat, indignatione commotus in deteriorem peruenirct errorem.

37 Nec quando D. Auguſtinus ait, de hac ſibi eſſe quæſtionem, aliquid aduerſarijs iuuat, quia ſenſus eſt, quòd illa quæſtio in præſenti agitatur.

CAPVT QVARTVM.

Probatur concluſio rationibus.

38 DEinde concluſio eſt rationibus comprobanda, & prima ratio ſit illa. Supponendo tamen vnum quod eſt de fide certum, nempè quòd anima indiget lumine gloriæ ad videndum Deum. Si oculus corporeus glorioſus videret Deum vt in ſe eſt, vel videret per lumen gloriæ, vel abſquè lumine gloriæ. Vtrumquè contradictionem implicat. Ergo. Minor probatur, quia lumen gloriæ eſt ſpirituale ſupernaturale, ſeù lumen intellectus, ſed potentia viſiua corporea non eſt capax luminis intellectualis, niſi totaliter a ſtatu ſenſitiuo ad ſtatum intellectiuum fuerit transformata, vel tranſubſtantiata. Ergo implicat primum. Secundum quoquè, quia quæcunquè potentia intellectiua eſt perfectior quacunquè potentia ſenſitiua; ſed nulla potentia intellectiua creata poteſt abſque lumine gloriæ videre Deum. Ergo multo minus potentia ſenſitiua, & præſertim viſiua.

39 Si dicatur quòd lumen gloriæ eſt neceſſarium in intellectu ad videndum Deum, de facto, & de potentia ordinaria, non autem de poſſibili; Si autem daretur oculus corporeus glorioſus qui Deum immediatè videret, fieret diuino miraculo, vt lumine gloriæ non indigeat.

40 Contra. Quia quandò dicitur quòd lumen gloriæ ponitur in intellectu ad videndum Deum, dupliciter intelligi poteſt. Primò. Quia lumen gloriæ eleuat intellectum, formaliter præbendo illi intrinſecam virtutem agendi, quaſi ipſum ſit tota virtus per quam intellectus agit. Secundò. Quia lumen gloriæ effectiuè tantùm eleuat intellectum, quia ſcilicet intellectus in ratione virtutis viſiuæ eſt perfectè potens videre Deum, tamen indiget lumine gloriç tanquàm comprincipio ſupernaturali. Quo poſito iuxta primam acceptionem ſic argumentor. Nullus intellectus creatus habet ſufficientem virtutem ex parte intellectus exigitam ad videndum Deum, & ſic opinantes, dicunt neque etiam per Dei potentiam abſolutam abſquè lumine gloriç poſſe videri Deu. Ergo a fortiori nulla potentia ſenſitiua quantumcunquè in eſſe ſenſitiuo glorificata, eius obtutu valebit Deum intueri abſque lumine gloriæ.

41 Confirmatur. Quia illud lumen potentiæ viſiuæ glorificatæ, per quod Deus vt eſt in ſe videretur, vel eſſet lumen gloriæ, vel infra illud. Non primum, quia vt probauimus, lumen gloriæ eſt lumen intellectuale. Si ſecundum. Ergo per illud quodcunquè ſit, potentia ſenſitiua eſt impotens, & omnino inhabilis ad videndum Deum. Ex hoc igitur quòd potentia viſiua in eſſe ſenſitiuo glorificata eſt, non habet vt poſſit videre Deum.

42 Iuxta verò ſecundam acceptionem, ſic argumentor. Potentia intellectiua indiget lumine gloriæ tanquam comprincipio ſupernaturali effectiuè concurrente ad viſionem, quod à Deo ſuppleri poteſt. Cæterum intellectus in ſe ſufficientes habet vires intellectiuas ad vitaliter elic edam viſionem. Ergo ſi potentia viſiua glorificata, poſſet videre Deum vt in ſe eſt, abſquè lumine gloriæ, quia fortaſsè Deus ſuppleret vicem eius, haberet in ſe ſufficientes, ac connaturales vires independenter à quocunquè extrinſeco: & quantùm ad hoc nullatenus ab intellectu differret, quod apertam contradictionem implicat. Ergo.

43 Secunda ratio ſit illa. Si oculus glorioſus per potentiam Dei abſolutam poſſet Deum vt in ſe eſt intuitiuè videre, ſequeretur quòd etiam oculus Bruti poſſet diuinitus eleuari ad videndum Deum: ſed hoc implicat. Ergo. Probatur ſequela. Quia oculus glorioſus, vel eleuaretur ad videndum Deum, quia diuinitus tranſubſtantiaretur in ſpiritum, vel quia eſſet illi collata aliqua qualitas materialis ordinis, ſed longè altioris. Si primum. In primis non ſumus in caſu, quia tunc ſpiritus Deum videbit, non autem oculus corporeus. Secundò, quia etiam hoc modo oculus Bruti diuinitus in ſpiritum tranſubſtantiari poſſet. Si ſecundum. Contra. Quia quæcunquè materialis, ac altioris ordinis qualitas, oculo hominis glorificati collata, nulla eſt repugnantia vt cuiuſcunquè Bruti oculo conferatur. Probatur autem minor quo ad primam partem. Quia ſi bruti oculus videret Deum vt in ſe eſt; In primis brutum eſſet formaliter Beatum beatitudine ſupernaturali, rationali creaturæ promiſſa; Deindè, Quia ſi oculus bruti poſſet videre Deum, etiam brutalis anima capax gratiæ ſanctificantis eſſet. Vtrumquè apud omnes implicat. Ergo. Sequela quo ad primam partem patet: Quia beatitudo, ex Dei munere rationali creaturæ promiſsa, conſiſtit in viſione clara Dei, vt de fide certum eſt, ſiuè antecedenter, ſiuè formaliter, ſiuè concomitanter.

Secun-

Secunda verò pars probatur. Quia ſi anima bruti eſſet capax ſanctificantis gratiæ, ſequeretur quòd eſſet facta ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Hoc eſt impoſsibile in ordine ad fidem vt probabimus Deo duce infra quæſt. 113. art. 2. tum quia eſſe ad imaginem Dei eſt eſſe intellectiuum, & ſimiliter gratia ſanctificans eſt habitus in eſſe intelligibili, reddens ſubiectum Deo amicum, filiumquè eius adoptiuum, quod animæ brutali vndequaquè repugnat. Ergo.

44 Tertia ratio ſit iſta. Deus vt in ſe eſt, eſt eſſentialiter extra latitudinem obiecti adæquati, & extenſiui potentiæ viſiuæ corporeæ. Ergo nequè etiam per potentiam Dei abſolutam fieri poteſt, vt videatur ab oculo corporeo, non glorificato, vel glorificato. Probatur antecedens. Quia obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ corporeæ, eſt color, ſeu coloratum, lucidum, vel aliquod ſimile corporeum: ſed Deus non eſt color, non coloratus, non corporea luce lucidus, nec aliquod ſimile corporeum, per quod videri poſſit, habet. Ergo eſt eſſentialiter extra latitudinem obiecti potentiæ viſiuæ corporeæ. Patet antecedens. Quia non poteſt fingi in quo alio ratio formalis obiecti adæquati potentiæ viſiuæ corporeæ conſiſtat. Conſequentia autem principalis probatur, quia nulla potentia poteſt ſe extendere vltra latitudinem ſui adæquati obiecti per ſuam operationem, ſibi in ratione potentiæ conuenientem, ad aliquod tanquàm ad ſibi obiectum.

45 Confirmatur primò. Deus non eſt ſenſibilis. Ergo nõ eſt oculo corporeo viſibilis. Antecedens eſt de fide certum. Et ratione probatur. Quia quod eſt ſenſibile eſt materiale: Deus nullo modo eſt materialis, ſed omninò immaterialis. Ergo non eſt ſenſibilis. Conſequentia autem eſt euidens. Quia quod ſenſu corporeo percipitur, eſt ſenſibile, Ideo enim aliquod, ſenſibile dicitur, quia eſt aliquo ſenſu perceptibile. Ergo ſi Deus vt in ſe eſt, non eſt ſenſibilis, nequè etiam erit oculo corporeo viſibilis.

Confirmatur Secundò. Non omne corpus qua corpus eſt, viſibile eſt, ſed vltra hoc, vt corpus videatur, debet in ſe habere, id per quod viſibile redditur, nempè colorem, ſeù lucem, &c. Ita quòd ſi aliquod eſt corpus, ſeù corporeum, & aliquod huiuſmodi non habeat, impoſſibile eſt, vt viſibile ſit. V.G. ſubſtantia corporea per Dei potentiam abſolutam omni quantitate molis, & qualitate ſenſibili ſpoliata, (quod fieri non repugnat, nam non implicat quantitatem ſine ſubſtantia exiſtere, vt patet in altiſſimo altaris Sacramento, & conſequenter, &c.) quamuis ſit ſubſtantialiter corporea, non tamen eſt, nec poteſt eſſe aliquo modo viſibilis; Eo quòd quamuis ſit aliquod corporeum, non tamen habet id per quod videri poteſt. Ergo multo minus Deus, qui non ſolùm luce corporea, & quacunque qualitate ſenſibili caret, ſed etiam eſt omnis corporeitatis expers, dicitur viſibilis.

46 Confirmatur Tertiò. Quia nequè etiam per potentiam Dei abſolutam, ſonus vt in ſe eſt, videri poteſt, quemadmodum, nequè etiam per Dei potentiam abſolutam color vt in ſe eſt, poteſt audiri. Ergo multò magis implicat, Deum vt in ſe eſt, oculo corporali poſſe videri. Antecedens patet. Probo conſequentiam. Quia magis habet viſibilitatis ſonus, quàm Deus. Ergo ſi implicat ſonum videri, multò magis implicat Deum oculo corporeo videri. Probatur antecedens. Quia ſonus conuenit cum obiecto potentiæ viſiuæ, adminus in ratione communi ſenſibilis, quæ eſt ratio formalis generica in ratione obiecti reſpectu ſenſitiuarum potentiarum: Deus autem eſt omnis ſenſibilitatis expers. Ergo.

47 Quarta ratio ſit iſta. Si potentia viſiua videret Deum vt in ſe eſt, vel videret eum per viſionem corpoream, vel per intellectionem à Deo illi infuſam. Non primum, vt probatum eſt. Quia Deus eſſet viſibilis viſibilitate ſenſibili, & conſequenter, in ſe eſſet naturæ ſenſibilis. Non ſecundum. Primò. Quia contradictionem implicat, vt potentia viſiua corporea videat per intellectionem. Tunc enim non diceretur ſenſibiliter videre, ſed potiùs intelligibiliter, ſeù intelligere diceretur. Secundò. Quia intellectio debet procedere à potentia, quæ per ipſam intelligens conſtituitur, vt intra probabimus. Vnde ſi diuinitus intellectio potentiæ viſiuæ corporeæ à ſolo Deo infunderetur, (quod adhuc impoſſibile iudicamus) illa potentia per talem intellectionem non videret, quemadmodum ſi in lapide collocaretur; ſed nulla intellectio à potentia viſiua corporea dimanare poteſt, tanquàm à principio elicitiuo viſionis. Ergo.

48 Secundò. Quia in tali caſu potentia viſiua non videret oculo corporeo, ſeù non ſentiret, ſed intelligeret, & ſic eſſet confundere difficultates, eſſet enim difficultas, ſeù controuerſia, Vtrum potentia viſiua poſſit intelligere.

Tertiò, quia implicat vt potentia intellectiua videat per viſionem corpoream. Ergo etiam implicat, vt potentia viſiua corporea videat per intellectionem, ſeù viſionem incorpoream.

49 Vltima ratio ſit quam adhibet D. Thomas, quæ eſt omnium aliarum rationum radix. D.Thom. Actus enim cuiuſcunquè potentiæ eſt proportionatus ei cuius eſt actus: ſed potentia viſiua corporea eſt actus corporalis organi. Ergo debet eſſe proportionata organo corporali: ſed potentia pro-

por-

portionata organo corporali, cum ſit eſſẽtialiter materialis, non poteſt ad incorporea, & ſpiritualia ſe extendere. Ergo actus potentiæ viſiuæ corporeæ non poteſt ferri in Deum qui eſt omninò incorporeus.

50 Dixi quòd hæc D. Thomę ratio eſt aliarum rationum radix; Et quidem ita res eſt, quandoquidem iſta dicuntur ad conuertentiam, & vnum infert alterum, videlicet, Potentia eſt eſſentialiter materialis, & organo corporali affixa. Ergo eius obiectum ſpecificatiuum formale, & extenſiuum non poteſt ad immaterialia ſe extendere. Et è contra. Obiectum eſt eſſentialiter immateriale. Ergo non poteſt potentiæ materiali obijci, dato quòd poſſit diuinitus à potentia materiali tanquàm ab inſtrumento Dei produci.

CAPVT QVINTVM.

Argumenta, & ſolutiones.

51 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis Primò. Potentia viſiua poteſt videre Angelum qui eſt ſpiritus. Ergo poteſt eleuari ad videndum Deum. Conſequentia patet. Probatur antecedens. Quia intellectus creatus poteſt eleuari ad videndum Deum. Ergo potentia viſiua poteſt eleuari ad videndum Angelum. Probatur conſequentia. Quia eſt maior diſtantia inter intellectum creatum, & Deum, quàm inter potentiam viſiuam corpoream, & Angelum, & hoc non obſtante poteſt intellectus creatus eleuari ad videndum Deum. Ergo.

Huius argumenti ſolutionem vide ſupra diſputatione de hac re ſpeciali 14.

52 Obijcies Secundò. Corpus poteſt agere in ſpiritum. Aqua baptiſmalis cauſat in anima ſanctificantem gratiam, quæ eſt ſpiritualis, & ſimiliter cætera nouæ legis Sacramenta, quæ ſigna ſenſibilia, & materialia ſunt. Et ignis inferni torquet dęmones, & damnatorum animas; Ergo etiam oculus corporeus poteſt videre Deum. Conſequentia etiam Patet à paritate.

53 Quidam moderni in huius argumẽti ſolutione, verba multiplicant, veritatemquè manifeſtam obſcurant.

Reſpondetur igitur diſtinguendo antecedens. Corpus poteſt agere in ſpiritum, Ita ut ſic agere, ſit eſſe inſtrumentum operationis Dei, concedo antecedens. Itaut ſic agere, ſit, eſſe potentiam corpoream per ſuam operationem in ſpiritum actiuam, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Quoniam ſi oculus corporeus videret Deum, concurreret, non quidem vt inſtrumentum operationis Dei, ſed vt potentia corporea ſpiritus viſiua.

54 Tota vis huius argumenti in hac paritate conſiſtit, nempè, ſicut eſt eleuabile corpus, vt agat in ſpiritum, ſic potentia viſiua corporea ad videndum Deum. Quæ tamen paritas aſſumitur, ſeu proponitur, & nullo modo probatur. Eſt enim manifeſta diſparitas, quia corpus agens in ſpiritum, vel aliquod ſpirituale producens, concurrit vt diuinæ operationis inſtrumentum, vt verò potentia viſiua corporea, ſi Deum videret, concurreret per modum potentiæ.

55 Pro maiori autem huius reſponſionis intelligentia eſt obſeruandum, quòd aliud eſt animam per aquam v. g. humectari, & frigefieri, per ignem caleneri, &c. & aliud fieri Deo gratam, & amicam, cruciari, torqueri, &c. & per conſequens aliud eſt dicere. Aquam poſſe eleuari, ad humectandam, vel frigefaciendam animam, & aliud, eleuari poſſe, ad ſanctificantem gratiam in ea cauſandam. Primum, eſt impoſſibile, quia anima eſt ſpiritus, humectari autem, frigefieri, &c. Soli in corpori, & corpori non qualicumquè, ſed ſublunari ex contrarijs qualitatibus compoſito conuenire poteſt. Secundum autem, eſt poſſibile, ac de facto contingere ſolet, vt Theologi docent, & ad illud idem poſſet quoquè oculus corporeus eleuari.

56 Poſſet autem inter aquam v. g. ignem inferni, &c. ex vna parte, & oculum corporeum, optima quædam paritas aſſignari, & eſt iſta. Sicut aqua eſt eleuabilis ad cauſandam in anima ſanctificantem gratiam, Ita quoquè oculus corporeus ad eumdem effectum producendum; & ſic de ſingulis ſimilibus. Et inſuper. Sicut eſt eleuabilis aqua ad humectandam, vel frigefaciendam animam intellectiuam, Ita oculus corporeus ad videndum Deum: Sed vnum argumenti obeſt, nempè, quòd hęc bona paritas, annihilat argumentum. Quoniam anima intellectiua non eſt humectabilis, nec frigefactibilis, cum ſit ſpiritus. Ergo multò minus Deus erit oculo corporeo viſibilis, cum ſit purus & per eſſentiam ſpiritus.

57 Obijcies Tertiò. Non implicat vt oculus corporeus eleuetur ad videndum Deum, ratione obiecti. Ergo. Probatur antecedẽs. Non implicat ratione immaterialitatis, nequè ratione infinitatis Dei. Ergo nullo modo implicat. Probatur antecedens. Non ratione immaterialitatis. Quia ſi hac ratione implicaret, nequè etiam intellectus creatus poſſet eleuari ad videndum Deum. Probatur ſequela. Quia omnia creata per comparationem ad Deum qui eſt purus ſpiritus, dicuntur materialia, quemadmodum vocantur etiam corruptibilia.

Non

Digitized by Google

Non ratione infinitatis, quia nequè etiam intellectus creatus poſſet videre Deum, propter eamdem infinitatis rationem.

58 Reſpondetur, implicare ratione immaterialitatis, non verò ratione infinitatis Dei. Ad cuius impugnationem reſpondetur diſtinguendo antecedens. Omnia creata per comparationem ad Deum dicuntur materialia, impropriè, concedo. Poſitiuè, & propriè, nego antecedens. Dicuntur enim materialia, id eſt, non accedunt ad illam tàm excelſam, ac ſublimem Dei immaterialitatem.

59 Diximus non repugnare ratione infinitatis Dei, ſed contra hoc eſt argumentum. Si eſſet poſſibilis ſuperficies alba, & infinita in ratione ſuperficiei, non poſſet videri ab oculo corporeo ratione infinitatis. Ergo ſimiliter, ſi oculus corporeus non poteſt videre Deum, implicantia erit, etiam ratione infinitatis. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Primò. Quia magnitudinis infinitæ ſecundùm quantitatem molis, non poteſt eſſe ſpecies corporea finita, totam magnitudinis infinitæ quantitatem repræſentans. Secundò. Quia oculus eſt organo corporali affixus. Ergo non poteſt ad magnitudinem infinitam, & interminabilem, terminari.

60 Hoc argumentum poſſet formari contra concluſionem primi articuli, in qua dicimus intellectum creatum poſſe eleuari ad videndum Deum, eius infinitate non obſtante. Sic enim formari poſſet. Oculus corporeus non poſſet videre aliquam ſuperficiem albam, infinitam in ratione ſuperficiei, ratione infinitatis, ſi dabilis eſſet. Ergo nequè etiam intellectus creatus poteſt eleuari ad videndum Deum, qui re vera eſt infinitus in ratione intelligibilitatis, ratione infinitatis in eſſe intelligibili.

61 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia infinitas Dei in eſſe intelligibili ab intellectu creato qui eſt omni materia carens, ratione cuius immaterialitatis, eſt capax vt ad infinitam perfectionem cognoſcendam intuitiuè eleuetur: At verò oculus corporeus cum ſit corporeus, & organo corporali in aliquo determinato ſpatio affixus, propter talem materialitatem, & coarctationem, nequè diuinitus, ad videndum ſuperficiem, ſeu corpus infinitum ſi daretur, eleuari poteſt. Vnde ſi aſſerentes Deum eſſe corporeum, ſeu corpus, eſſe corpus infinitum dicerent, deberent etiam ſuſtinere totum videri non poſſe.

62 Authoritates in contrarium ex Sacra Scriptura, quæ in hac materia adduci poſſunt, explicandæ ſunt de viſione Dei non in ſe ipſo, ſed in aliquo corpore ad aliquod myſterium, vel operationem repræſentandam, aſſumpto, vt communiter Sancti Patres obſeruant.

DISPVTATIO XXXXIII.

VTRVM PER POTENTIAM DEI ABSOLVTAM, ALIQVA potentia ſenſitiua interna poſſit eleuari ad videndum Deum vt eſt in ſe, vel ad minus ad cognoſcendum eum abſtractiuè.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Determinatio veritatis.

1 Dico primò. Implicat contradictionem, vt aliqua potentia ſenſitiua interna, poſſit eleuari ad videndum Deum vt eſt in ſe.

Hoc dictum patet ex ijs quæ in præcedenti diſputatione diximus; Nam Deus vt in ſe eſt, non eſt imaginabilis, non phantaſiabilis, non cogitabilis, cogitatu corporeo. Ergo nequè etiam per huiuſmodi ſenſus eſt intuitiuè attingibilis. Antecedens patet. Quia eſt ſummè immaterialis. & conſequentia eſt euidens.

2 Probatur Secundò. Quia ſi hoc eſſet poſſibile in homine, eſſet etiam poſſibile in potentia ſenſitiua interna beſtiarum, ſeu brutorum; Hoc eſt impoſſibile. Ergo.

Digitized by Google

Probatur ſequela. Quia omnes potentiæ ſenſitiuæ internæ, ſunt eiuſdem ſpeciei. Minor etiam eſt clara, & ab omnibus conceſſa. Ergo, &c.

Dico Secundò. Etiam contradictionem implicat, vt aliqua potentia ſenſitiua Deum abſtractiuè cognoſcat.

3 Probatur primò. Quia ſi qua potentia ſenſitiua interna Deitatem abſtractiuè cognoſceret, poſſet etiam illã cognoſcere intuitiuè: ſed hoc eſt falſum. Ergo & illud vnde ſequitur. Minor cum cõſequentia patet. Probatur verò ſequela. Quia non poteſt aſſignari aliqua implicãtię ratio, quare ſi potentiæ ſenſitiuæ internę, poteſt cõmunicari aliquod lumen ad cognoſcendum Deum abſtractiuè, non etiam poſſit cõmunicari lumen glorię ad cognoſcendũ Deũ intuitiuè.

4 Probatur ſecundò. Quælibet potentia ſenſitiua cuiuſcumquè ſit ordinis, & qualitercumquè eleuata, eſt eſſentialiter materialis. Ergo neque etiam poteſt abſtractiuè cognoſcere, vel attingere Deum, qui eſt ſpiritualis. Vis huius rationis ex ſupradictis patet; & magis patebit, ex ijs quæ dicuntur articulo ſequẽti, & in ſuis diſputationibus.

CAPVT SECVNDVM.

Argumentorum ſolutio.

5 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò: Multoties in Sacra Scriptura dicitur, quòd Deus viſus eſt. Ita dicitur Iſaiæ 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*. Et Geneſ. 28. Iacob vidit Scalam, *& Dominum innixum Scalæ*: ſed huiuſmodi viſiones ſunt ſenſitiuæ, & dicuntur viſiones, ad minus, prout idem ſonant, ac contemplationes. Et ſimiliter D. Thomas 2.2. quæſt. 174. art. 3. in corp. ait quòd altior gradus prophetiæ eſt, ſi ille qui loquitur, vel demonſtrat, videatur in vigilando, vel in dormiendo in ſpecie Angeli, quam ſi videatur in ſpecie hominis: & adhuc altior, ſi videatur in dormiendo, vel in vigilando, in ſpecie Dei. Item 3. p. quæſt. 21. art. 2. ad 1. explicat illud Pſalmi. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. vbi hæc habet verba. *Caro exultat in Deum viuum, non per actum carnis aſcendentem in Deum, ſed per redundantiam à corde in carnem, in quantum appetitus ſenſitiuus ſequitur motum appetitus rationalis*. Ergo in aliquo ſenſu concedendus eſt potentiæ ſenſitiuæ internæ aliquis motus in Deum. Item hic, ad 1. adducit ex D. Auguſtino lib. 22. de ciuitate Dei cap. 29. quòd oculus glorioſus videbit Deum ſicut oculus noſter videt vitam, quæ non eſt viſibilis per ſe, ſed per accidens. Ergo multò magis ſenſus interior poterit attingere Deum.

Iſai. 6.
Gen. 28.
D. Thom.
Pſal. 83.
D. Aug.

6 Reſpondetur, explicando omnes ſupradictas authoritates, vnica diſtinctione. Senſus internus poteſt attingere Deum ſubſtitutiuè, concedo. Contemplatiuè, nego. & volo dicere, quòd dum per intellectum aliquo modo in hac vita contemplamur Deum, per ſenſum ſubſtituimus aliquod idolum, ſeu aliquod corpus, loco ipſius Dei quem per intellectum contemplamur. Formationes autem corporum repræſentantiũ Deum, vel imprimuntur à Deo, ipſis ſenſibus, iuxta proportionem rei, de qua agitur. verbi gratia. Dum Deus alicui apparet prophetæ, ad ſuam eminentiſſimam dignitatem contemplandam; intra imaginatiuam potentiam imprimit præſentiam alicuius magni viri, cum maieſtate in ſolio excelſo, & eleuato ſedentis. Et ſic de ſingulis. Et quando dicitur, à Pſalmiſta, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; rectè declaratur à D. Thoma, non attingendo, ſcilicet, nec contemplando Deum; ſed per redundantiam voluntatis, quæ eſt potentia ſuperior ad appetitum ſenſitiuum. Et ad illud ex D. Auguſtino adductum. Cum dicitur, quòd oculus glorioſus videt Deum, ſicut oculus noſter videt vitam, optimè dicitur, ſed malè ab arguente interpretatur, quia ex vi illius viſionis, neque ſenſus viſus, neque ſenſus internus, vident vitam ſeu Deum contemplatiuè. Sed ſenſus eſt, quòd intellectus ex vi illius viſionis concipit vehementiſſima ſigna vitæ.

Pſal. 83.
D. Aug.

7 Pro completa huius doctrinæ, & controuerſiæ intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd tribus modis aliquod prædicatum Dei abſtractiuè cognoſci poteſt. Primò. Formando proprium conceptum, clarè, & diſtinctè Deum repræſentantem abſtractiuè tamẽ, ſicut imaginatus eſt Scotus, ſupra, à nobis impugnatus. Secundò. Non formando proprium conceptum illius, ſed ſubſtituendo, aliud obiectum loco eius, cõtemplando tamen Deum, vel aliquod eius prædicatum. Tertiò. Formando aliquod loco Dei, ſed non contemplando Deum. Potentia ſenſitiua neque primò, neque ſecundo modo, poteſt cognoſcere Deum. Sed tantùm tertio modo. Id eſt, poteſt formare ſeu concipere illud, quod ſubſtituitur loco Dei, ad hoc vt intellectus contempletur Deum.

Scotus.

8 Obijcies Secundò. Poteſt potentia intellectiua finita, finitè cognoſcere Deum infinitum. Ergo etiam potentia ſenſitiua materialis, poteſt materialiter cognoſcere Deum immaterialem. Probatur conſequentia. Quia ſicut Deo repugnat materialitas, ita repugnat finitas. Ergo ſi non obſtan-

Digitized by Google

obſtante ſua infinitate , poteſt à potentia finita intuitiuè, ſed finitè cognoſci , poterit etiam non obſtante eius immaterialitate , materialiter à potentia ſenſitiua abſtractiuè cognoſci .

Reſpondetur concedendo antecedens , & negando conſequentiam. Ad cuius probationem , concedo antecedens , & nego conſequentiam , & ratio negationis eſt , quia duo ſunt in potentia ſenſitiua , Materialitas ſcilicet , & finitas , Ratione primi, habet quòd cognoſcat materialia,& materialiter,Ratione verò ſecundi, habet vt cognoſcat finitè. Duo quoquè ſunt in potentia intellectiua , Immaterialitas, & finitas , Ratione primi , habet vt poſſit eleuari ad cognoſcendum etiam infinitum,ſed ratione ſecundi, habet vt cognoſcat finitè . Quare autem,potentia ſenſitiua ratione materialitatis, habet vt cognoſcat materialia tàtùm, & materialiter, patet ex ipſa ratione materialitatis,quæ eſt ratio formalis diminutiua potentiæ,ſecundùm maiorem,vel minorem materialitatem .

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum aliquis intellectus creatus per ſua naturalia diuinam eſſentiam videre poſſit.

AD quartum ſic proceditur. Videtur , quod aliquis intellectus creatus per ſua naturalia diuinam eſſentiá uidere poſſit . Dicit enim Dion.4.ca.de diu.nom. quod Angelus eſt ſpeculum purum,clariſſimum, ſuſcipiens totam (ſi fas eſt dicere) pulchritudinem Dei. Sed vnumquodquè videtur,dum videtur eius ſpeculum. Cum igitur Angelus per ſua naturalia intelligat ſeipſum,videtur, ꝙ etiam per ſua naturalia intelligat diuinam eſſentiá .

2 *Præterea.Illud , ꝙ eſt maximè viſibile , fit minus viſibile nobis ꝑpter defectum noſtri uiſus;vel corporalis , vel intellectualis .*

Sed intellectus Angeli nõ patitur aliquem defectum. Cũ ergo Deus ſecundum ſe ſit maximè intelligibilis, videtur , quòd ab Angelo ſit maximè intelligibilis.Si igitur alia intelligibilia ꝑ ſua naturalia intelligere poteſt,multò magis Deum.

3 *Præterea. Senſus corporeus non poteſt eleuari ad intelligendam ſubſtantiam incorporeã; quia eſt ſupra eius naturam . Si igitur videre Deum per eſſentiam ,ſit ſupra naturam cuiuslibet intellectus creati , videtur,quod nullus intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam pertingere poſſit . Quod eſt erroneum , ut ex ſupradictis patet. Videtur ergo , quòd intellectui creato ſit naturale diuinam eſſentiam uidere.*

Sed Contra eſt , quod dicitur Rom.ſexto.Gratia Dei uita æterna. Sed vita æterna conſiſtit in viſione diuinæ eſſentiæ, ſecundum illud Ioa. 17. Hæc eſt uita æterna, vt cognoſcant te ſolum uerum Deum,&c.Ergo uidere Dei eſſentiã,conuenit intellectui creato ꝑ gratiã,& non per naturam.

Reſpondeo.Dicendum, quòd impoſſibile eſt , ꝙ aliquis intellectus creatus per ſua naturalia eſſentiam Dei videat.Cognitio enim cõtingit ſecundùm quòd, cognitum eſt in cognoſcente . Cognitum autem eſt in cognoſcẽte ſecundùm modum cognoſcentis. Vndè cu-

FORMATIO Articuli .

Corporis diſtributio,conſiſtit in vnica concluſione negatiua , vnaq; eius probatione .

Concluſio eſt iſta . Impoſſibile eſt, quòd aliquis intellectus creatus per ſua naturalia eſſentiam Dei videat.

Dion 4.c. de di. no. Multiformiter à Doctoribus, tam aduerſarijs , quàm doctrinæ Diui Thomæ defenſoribus , ratio huius corporis formalizari ſolet ; quibuſdam tamẽ formationibus rectis , quibuſdam vero ineptis . Omiſſis autem nunc cęteris ; à nobis ſic , in forma ponitur . Nullum cognoſcens, cognoſcit aliquod cognitum per ſua naturalia , quando modus eſſendi obiecti cogniti , excedit modum naturę cognoſcentis, & ſi excedit modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei , ſit ſupra naturã illius cognoſcentis : ſed creatura intellectualis eſt ꝙdam cognoſcens , cuius modus eſſendi exceditur à modo eſſendi Dei . Ergo nulla creatura intellectualis poteſt per ſua naturalia videre Deum, & ſi cognoſceret , illa cognitio eſt excedens naturam.Conſequentia patet ex pręmiſſis. Minor eſt euidens . Nam modus eſſendi Dei,eſt ipſum eſſe ſubſiſtens , modus verò creaturæ intellectualis , eſt eſſe participatum .

Probatur igitur maior,vbi eſt tota rationis difficultas.Omne cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis,ergo omne cognitum per vires naturæ , ab aliquo cognoſcente , eſt in cognoſcente, ſecundùm modum naturæ cognoſcentis . Rom.5. Ergo ſecundùm vires naturaliter proportionatas naturę cognoſcentis : ſed quando obiectum Ioan.17. eſt ipsũ eſſe ſubſiſtẽs , & natura cognoſcitiua habet eſſe participatum,modus eſſendi obiecti excedit modum naturæ cognoſcentis. Ergo & vires illi naturaliter proportionatas . Ergo nullum cognoſcens poteſt per ſua naturalia cognoſcere obiectum,cuius modus eſſendi,excedit modum naturę cognoſcentis : & conſequenter , ſi cognoſcit , oportet quòd

cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundũ modum ſuæ naturæ. Si igitur modus eſſendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam illius cognoſcentis.

Eſt autem multiplex modus eſſendi rerũ. Quędam enim ſunt, quorum natura nõ habet eſſe, niſi in hac materia indiuiduali, & huiuſmodi ſunt omnia corporalia. Quædam verò ſunt, quorum naturæ ſunt per ſe ſubſiſtentes, non in materia aliqua, quæ tamen non ſunt ſuum eſſe, ſed ſunt eſſe habentes. Et huiuſmodi ſunt ſubſtantię incorporeæ, quas Angelos dicimus.

Solius autem Dei proprius modus eſſendi eſt, ut ſit ſuum eſſe ſubſiſtẽs. Ea igitur, quæ non habent eſſe, niſi in materia indiuiduali, cognoſcere eſt nobis cõnaturale, eo quòd anima noſtra per quam cognoſcimus, eſt forma alicuius materiæ. Quæ tamen habet duas virtutes cognoſcitiuas.

Vnam, quæ eſt actus alicuius corporei organi. Et huic connaturale eſt cognoſcere res, ſecundum quod sũt in materia indiuiduali. Vndè ſenſus non cognoſcit, niſi ſingularia. Alia verò virtus cognoſcitiua eius eſt intellectus, qui nõ eſt actus alicuius organi corporalis. Vndè per intellectũ connaturale eſt nobis cognoſcere naturas, quæ quidem non habent eſſe, niſi in materia indiuiduali: non tamen ſecundùm quòd ſunt in materia indiuiduali, ſed ſecundùm quòd abſtrahũtur ab ea per conſiderationem intellectus. Vndè ſecundùm intellectum poſſumus cognoſcere huiuſmodi res in vniuerſali; quod eſt ſupra facultatem ſenſus. D.752.

Intellectui autem angelico connaturale eſt cognoſcere naturas non in materia exiſtentes. Quod eſt ſupra naturalem facultatem intellectus animæ humanæ, ſecundùm ſtatum præſentis vitæ, quo corpori vnitur. Relinquitur, ergo, quòd cognoſcere ipſum eſſe ſubſiſtens, ſit cõnaturale ſoli intellectui diuino, & quòd ſit ſupra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati; quia nulla creatura eſt ſuum eſſe, ſed habet eſſe participatum. Non igitur poteſt intellectus creatus Deum per eſſentiam videre, niſi D.93.

in quántum Deus per ſuam gratiam ſe intellectui creato coniũgit, vt intelligibile ab ipſo.

Ad Primum ergo dicendum, quòd iſte modus cognoſcendi Deum, eſt angelo connaturalis, vt ſcilicet cognoſcat eũ per ſimilitudinem eius in ipſo angelo refulgentem. Sed cognoſcere Deũ per aliquam ſimilitudinem creatam, non eſt cognoſcere eſſentiã Dei, vt ſupra oſtenſum eſt. Vndè non ſequitur quòd angelus per ſua naturalia poſſit cognoſcere eſſentiam Dei.*

Ad Secundum dicendum, quòd intellectus angelicus habet defectũ, ſi defectus accipiatur priuatiuè, vt ſcilicet careat eo, quod habere debet. Si verò accipiatur negatiuè, ſic quælibet creatura inuenitur deficiens Deo comparata, dum non habet illam excellentiam, quæ inuenitur in Deo.

Ad Tertium dicendum, quòd ſenſus viſus, quia omnino materialis eſt, nullo modo eleuari poteſt ad aliquid immateriale. Sed intellectus noſter, vel angelicus, quia ſecundùm naturam à materia aliqualiter eleuatus eſt, poteſt vltra ſuam naturam per gratiam ad aliquid altius eleuari.

Et huius ſignum eſt, quia viſus nullo modo poteſt in abſtractione cognoſcere, id quod in concretione cognoſcit; nullo enim modo poteſt percipere naturam, niſi vt hanc. Sed intellectus noſter poteſt in abſtractione conſiderare, quod in concretione cognoſcit. Etſi enim cognoſcat res habentes formam in materia, tamen reſoluit compoſitum in vtrumquè, & conſiderat ipſam formam per ſe. Et ſimiliter intellectus angeli, licet connaturale ſit ei cognoſcere eſſe concretum in aliqua natura; tamen poteſt ipſum eſſe ſecernere per intellectum, dum cognoſcit, quòd aliud eſt ipſe, & aliud eſt ſuum eſſe.

Et ideo cũ intellectus creatus per ſuã naturã, natus ſit apprehendere formã concretã, & eſſe cõcretũ in abſtractione, per modũ reſolutionis cuiuſdã, põt per gratiã eleuari, ut cognoſcat ſubſtantiam ſeparatam ſubſiſtentem, & eſſe ſeparatum ſubſiſtens.

quòd cognitio illius ſit ſupra naturam illius cognoſcentis. Antecedens patet. Quia cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente. ergo ſecundùm modum cognoſcentis.

Idquè manifeſtatur ex multiplici modo eſſendi rerũ cognoſcẽtiũ. Nam omni modo eſſendi, cognoſcentis correſpondet modus eſſendi cognoſcibilis. Quædã .n. ſunt, quorum natura non habet eſſe niſi in hac materia indiuiduali, & huiuſmodi ſunt omnia corporalia. Quædam verò ſunt quorum naturæ ſunt per ſe ſubſiſtentes, non in materia aliqua, &c. pro vt iacẽt in textu.

Ad primum reſpõdetur cõcedendo maiorem, & diſtinguẽdo minorem: ſed vnumquodquè videtur dum videtur eius ſpeculum, ſi eius eſſentia viſi clarè, & vt in ſe eſt, relucet in ſpeculo, conceditur minor. Si per ſimilitudinem deficienter refulgentem in ſpeculo, negatur minor. Ergo, &c. negatur conſequentia.

Nam Angelo modus cognoſcendi Deum cõnaturalis, eſt vt cognoſcat eum per ſimilitudinem eius in ipſo Angelo refulgentem; cognoſcere autem Deum per aliquam ſimilitudinem diſtinctam à Deo, non eſt cognoſcere intuitiuè eſſentiam Dei.

Ad ſecundum reſpõdetur diſtinguendo maiorem. Quod eſt maximè viſibile ſit minus viſibile nobis propter defectum priuatiuè, aut negatiuè, conceditur maior. Semper propter defectum priuatiuè acceptum, negatur maior: Sed intellectus Angeli nõ patitur aliquem defectum, Priuatiuè, conceditur minor. Negatiuè, negatur minor. Ergo, &c. negatur conſequentia. Art. 1. huius quæſt.

Ad Tertium reſpõdetur negando cauſalem in antecedenti poſitam. Ideo enim ſenſus viſus, ſeù corporeus, nullo modo eleuari poteſt ad aliquod immateriale cognoſcendum, quia omnino materialis eſt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 Titulus huius articuli ex ijs quæ in primi articuli titulo diximus, exponendus eſt. Nam ly intellectus creatus, hic, & ibi vniuocè ſumitur, pro intellectu ſcilicet, creato, vel creabili, idquè ex ratione Diui Thomæ in corp. manifeſtè deducitur. Ly per ſua naturalia, idem ſonat ac per vires ordinis naturalis.

2 De huius articuli concluſione, atquè eiuſdem rationis efficacia, diſputabimus ſucceſſiuè.

3 Concluſio quantùm ad homines, & Angelos eſt certum dogma fidei, Dicitur enim ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sed vita æterna eſt ipſa viſio, ſiue loquamur de vita æterna in ſenſu formali, ſiue cauſali, non curamus in præſenti. Et in illo Matt. 11. *Nemo nouit filium niſi Pater, nequè Patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Sed quod dependet ex ſola voluntate diuina, non eſt alicui creaturæ connaturale. Ergo. & ex illo 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Et ex illo 1. ad corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus, ijs qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus, per ſpiritum ſuum.* quod prompſerat ex Iſaiæ. 64. idem cōſtat de Angelis. Nam de fide certum eſt, Aliquos Angelos peccaſſe. *quomodo cecidiſti de cælo Lucifer qui mane oriebaris.* Et *traxit tertiam partem ſtellarum.* Ergo non ſunt naturaliter ſed per Dei miſericordiam in gratia creati.

Rom. 6.
Matt. 11.
Timot. 6.
1. cor. 2.
Iſa. 64.

4 Eſt etiam definita in Concilio Viēnenſi, contra Begardos, & Beguinas aſſerentes, quòd homo in hac vita conſequi poteſt beatitudinem, quam ſancti habent in alia. & hoc in quarto errore. in quinto verò, ſic aſſerebant, *Quòd quælibet intellectualis natura in ſe ipſa, naturaliter eſt beata, quodquè anima non indiget lumine gloriæ, ipſam eleuante, ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* inter octo errores Begardorum, & Beguinarum in concilio damnati, hi duo ad præſentem, & ſequentem articulos pertinent.

Viennēſe Begardi. Beguinæ.

5 Begardi ſunt quidam homines, vt refert Alfonſus à Caſtro Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ lib. 3. aduerſus hęreſes Verbo, Beatitudo. hæreſi. 4. & Beguinæ ſunt quędam mulieres in Alemania. qui omnes, modo quodam honeſto, & Religioſo incedunt. Begardi enim cœnobia habent, & tria vota ſicut cæteri Monachi emittunt; & Beguinæ in Germania inferiori, quas teſtificatur proprijs oculis vidiſſe, ſunt mulieres ſic nominatæ, in ſocietate quadam honeſtè viuunt; ſine tamen alicuius voti expreſſi emiſſione, & cum propriæ ſupellectilis retentione, quæ cum volunt, & modus viuendi eis diſplicet, liberam recedendi habent facultatem, & in toto poſſunt ſocietatem relinquere.

Alfonſus à Caſtro.

6 Circa id, quod D. Thomas in corp. ait, nimirum, *cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis,* dubium occurrit. Quid per ly *ſecundùm quòd*, intelligatur. Nam ly *ſecundùm quòd* vel dicit modum, vel aliquid aliud in propoſitione a D. Thoma in præſenti aſſumpta. Si ſecundum, explicandum eſt, quid ſit, illud ſignificatum. Si primum. Ergo fruſtra in littera ſubditur; *ſecundùm modum cognoſcentis.* Probatur. Quia idem eſt dicere, cognitio contingit *ſecundùm quòd cognitum* eſt in cognoſcente, ac ſi dicatur, cognitio contingit ſecundùm modum cognoſcentis, ſeu ſecundùm modum, quo cognitum eſt in cognoſcente, & ſic verborum D. Thomæ ſenſus eſſet ridiculus, & identicus. Eo quia idem eſſet dicere, cognitio contingit, ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis, ac dicere cognitio obiecti contingit ſecundùm modū quo cognitum eſt in cognoſcente, ſecūdùm modum cognoſcentis.

7 Reſpondetur. Ly *ſecundùm quòd*, explicare hoc, nempè, quòd cognoſcens (propriè ac rigoroſè loquendo) non eſt in obiecto cognito; ſed cognitum eſt in cognoſcente, quia cognitum, potentiam cognoſcitiuam ingreditur non è contra. Vnde ſcitè Diuus Thomas in 2. huius quæſt. artic. in corp. principio, dixit, quòd, *ad viſionem, tàm ſenſibilem, quàm intelligibilem, duo requiruntur, ſcilicet, virtus viſiua, & vnio rei viſæ cum viſu.* Non enim dixit, & vnio viſus cum re viſa; ſed, *vnio rei viſæ cum viſu.* Deinde verò, ad modum tranſit; dicens *ſecundùm modum cognoſcentis,* quaſi diceret. Ex hoc quòd obiectum cognitum eſt in cognoſcente, ſequitur hoc aliud, nempè, quòd cognitum non eſt neceſſè vt ſit in cognoſcente, ſecundùm modum obiecti cogniti, ſed ſecundùm modum cognoſcentis. Patet igitur ad dubium reſponſio. D.Thom.

8 Circa illam propoſitionem, ex alia deductam, ſcilicet, *Vnde cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundùm modum ſuæ naturæ.* Dubium occurrit, dupliciter. Primò. Quia vel eſt ſermo de cognitione per vires naturæ ipſius cognoſcentis, vel de cognitione excedente cognoſcentis vires naturales vel vtroquè modo. Si primum; non benè deducitur ex præcedenti propoſitione à Diuo Thoma poſita, Videlicet, *cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis,* & probatur. D.Thom.

Quia

Quia quando obiectum excedit naturam cognoſcentis, etiam illud obiectum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcẽtis, aliàs non cognoſceretur; & tamen cognitum excedens naturam cognoſcentis, eſt in cognoſcente, non ſecundùm modum naturę cognoſcentis, ſed ſecundùm modum ſupra illius naturam. Inepta, eſt igitur, iſta conſequentia, videlicet, Ergo *cuiuslibet cognoſcentis cognitio, eſt in cognoſcente, ſecundùm modum naturæ cognoſcentis*. Sed addendum erat, hoc aliud; nimirum, vel ſecundùm modum excedentem cognoſcentis naturam. Non ſecundo modo vt patet. Si tertio modo. Ergo arguit ab vniuerſali affirmatiua, ad minus vniuerſalem affirmatiuam, nō enim valet. Eſt animal. Ergo eſt homo.

9 D.Thom. Secundò. Quia D. Thomas concludit tandem, quòd, ſi *modus eſſendi alicuius rei cognitæ, excedat modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam illius cognoſcentis*. Ergo iuxta eiuſdem D. Thomæ doctrinam, ſtat, quòd cognitum ſit in cognoſcente, & non ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, vt patet ex antecedenti. Ergo non benè concluditur, quòd cuiuslibet cognoſcentis cognitio, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis.

10 D.Thom. Pro reſponſione, & legitima litteræ D. Thomæ intelligentia quam non omnes rectè capiunt, eſt obſeruandum primò, quòd omne cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, ſiuè obiectum cognitum ſit excedens modum eſſendi cognoſcentis; ſiuè non; differenter tamen; quia ſi modus eſſendi obiecti cogniti, modum eſſendi cognoſcentis non excedit, cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt, ſecundùm vires naturaliter cognoſcenti conuenientes; & conſequenter, cognitio illius cognoſcentis non eſt ſupra naturam eiuſdem. Si autem modus eſſendi obiecti cogniti, excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, non tamen ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt, non ſecundùm vires naturaliter cōuenientes cognoſcenti, ſed ſecundùm vires cognoſcenti conuenientes, vt eleuabili per illas. vnde cognitio talis, excedit naturam cognoſcentis.

11 Et quoniam quando modus eſſendi obiecti cogniti excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non eſt facile captu, quomodo cognitum ſit in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis; ideo vt facilius intelligatur, eſt obſeruandum. Secundò, quòd obiectum excedens, eſſe in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, dupliciter intelligi poteſt. Primò. Ita vt ille modus quo obiectum eſt in intellectu, ſit obiecto cognito intrinſecus, Secundo. ita vt ille modus ſit extrinſecus obiecto. In præſenti, quando dicimus, propoſitionem D. Thomæ, nempè, quòd omne *cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis*, etiam ſi modus eſſendi obiecti cogniti excedat modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non eſt neceſſe, quòd verificetur, primo modo, ſed ſecundo. Et hoc verum eſt, etiam reſpectu Dei clarè viſi ab intellectu creato. Nam Deus eſt in intellectu Beati modo finito, qui eſt modus potentialis, & proprius creaturæ, omnino repugnans Deo intrinſecè.

12 Obſeruandum Tertiò, quòd cognitio dupliciter poteſt excedere naturam, Primò, excedendo vires naturales dumtaxat, ſeu idò, excedendo vires naturales, & omnes alias vires ſibi poſſibiles. Cognitio comprehenſiua Dei excedit naturam cuiuſcumquè creati cognoſcentis, & hæc eſt impoſſibilis nobis, vt videbimus infra; Cognitio verò clara Dei, & intuitiua infra comprehenſiuam, excedit naturam creaturæ intellectiuæ, primo modo, non ſecundo; & hæc eſt poſſibilis, & de hoc loquitur D. Thomas, quando dicit, quòd ſi modus cognoſcendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam, illius cognoſcentis.

13 Ex his colligitur, quòd illa propoſitio D. Thomæ, videlicet, *cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecũdùm modum cognoſcentis*, eſt vniuerſaliſſimè intelligenda reſpectu ſcilicet, cuiuſcunquè obiecti, excedentis, & non excedentis. Sequens verò, ex iſta deducta, videlicet, *vnde cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis*; quamuis ſub eodem vniuerſalitatis tenore proponatur, non tamen eſt ita vniuerſalis, ſicut præcedens, nec à D. Thoma ſub eadem vniuerſalitate intelligitur, aliàs, conſequens cum antecedenti eſſent omnino vnum. D.Thom.

14 Nec propterea fallaciam committit D. Thomas, quaſi ab vniuerſali affirmatiua, ad minus vniuerſalem affirmatiuam arguiſſet; ſed neceſſariò pro profundi ſermonis intelligentia præſupponendum eſt; quòd argumẽtatio D. Thomæ fundatur, ſuper quamdam diſtributionem, proportionemquè accomodam; & conſiſtit in hoc; nempè, ſicut cognitio cognoſcentis obiectum, cujus modus eſſendi excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, eſt in cognoſcente, non ſecũdùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt, nō ſecundùm vires naturaliter conuenientes cognoſcenti, ita cognitio obiecti non excedentis, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, id eſt ſecundùm vires naturaliter conuenientes cognoſcenti. Quare ex hac propoſitione, videlicet, *cognitio contingit ſecundùm quòd, cognitum eſt in cognoſcente* D.Thom.

ſcente

Digitized by Google

ſcente ſecundùm modum cognoſcentis, vniuerſaliter intellecta, modo iam à nobis explicato, optimè deducitur hæc alia propoſitio minus vniuerſalis videlicet. Ergo *cuiuslibet cognoſcentis cognitio*, (ſub audi) naturalis, & non excedens naturam cognoſcentis, *eſt ſecundum modum ſuæ naturæ*, id eſt, ſecundum vires naturaliter conuenientes cognoſcenti. Probatur hoc. Quia ſi omne cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis. Ergo cognitio cognoſcentis aliquod obiectum, cuius modus eſſendi, nō excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis. Probatur. Quia ſicut ſe habet cognitio reſpectu obiecti excedentis in ratione excedentis: ita ſe habet cognitio obiecti non excedentis in ratione non excedentis: ſed cognitio reſpectu obiecti excedentis non eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, ſed ſecundùm modum excedentem naturam. Ergo cognitio cuiuslibet cognoſcentis reſpectu obiecti non excedentis, eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis.

15 Reſpōdetur itaquè Ad primum dubium, & Dico, quòd eſt ſermo de cognitione tertio modo. Ad cuius impugnationem, nego illationem. Iam enim ex dictis conſtat, quòd D. Thomas non arguit à magis vniuerſali, ad minus vniuerſale affirmatiuè abſolutè, ſed à magis vniuerſali, ad minus vniuerſale, iuxta debitam diſtributionem accommodatamquè proportionem. v.g. ſi quis diceret ſic. Eſt animal: Ergo reſpectu cuiuſcumquè hominis eſt animal rationale, & reſpectu quorumcunquè brutorum eſt irrationale.

16 Ad ſecundum Reſpondetur concedendo antecedens, cum primo conſequente. Negando tamen vltimam conſequentiam; & ratio diſparitatis patet ex dictis.

17 *Cognitio contingit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis*. Et *cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundum modum ſuæ naturæ*. Sub alijs verbis ſic huiuſmodi propoſitiones proponuntur. Modus operandi ſequitur modum eſſendi: & ſenſus eſt, quòd quemadmodum operari ſequitur eſſe; ita modus operandi ſequitur modum eſſendi. Hoc autem manifeſtè optimèque D. Thomas ex rerum cognoſcibilium graduatione declarat, atq; demōſtrat. Quædam enim ſunt quorum modus eſſendi, eſt eſſe immerſè in materia, Quædam verò ſunt in materia, ſed per intellectum abſtrahuntur, Quædam ſunt omnino à materia realiter abſtractæ, non tamen ſunt, ſuum eſſe ſubſiſtens; Quædam ſunt ſuum eſſe. Exemplum primi. Hæc albedo, hæc quantitas, &c. Exemplum ſecundi. vt albedo, quantitas, &c. Exemplum tertij. vt ſubſtantiæ immateriales, ac per ſe ſubſiſtentes, ſed creatæ. Exemplum quarti, vt Deus. Iſtis cognoſcibilibus, totidem cognoſcentia correſpondent. Nam per ſenſus, ſiue internos, ſiuè externos, connaturaliter cognoſcimus materialia in ſua ſingularitate materiali. Per intellectum noſtrum vt in corpore, naturaliter cognoſcimus materialia, vt à materia indiuiduali per intellectum abſtracta. Angeli, & animæ ſeparatæ, connaturaliter cognoſcunt ſubſtantias ſeparatas, & omnia ſine materia exiſtentia, creata tamen, & naturalia; & tandem Deus connaturaliter cognoſcit ſeipſum.

18 Circa primum cognoſcibilium, & cognoſcentium genus; Obſerua, quòd quamuis plures ſint ſenſus tam interni, quam externi, propter plura obiecta formaliter, ac ſpecificè diſtincta; omnes tamen conueniunt in vno modo eſſendi, nempè in hoc, quòd eſt eſſe in materia indiuiduali immerſum. Omnes enim potentiæ ſenſitiuæ, ſunt actus alicuius corporalis organi.

19 Circa idem, obſerua ſecundò. Quòd quamuis mens D. Thomæ ſit declarare, ac demonſtrare, omnes huiuſmodi cognoſcibilitates connaturaliter cognoſci à ſenſu; tamen propter rationem materialitatis, quia ſcilicet, omnes ſenſus ſunt eſſentialiter materiales, non ſolùm ſunt connaturaliter ſenſibilibus cognoſcibilitatibus addicti, ſed etiam eſſent aliter habent, vt non poſſint ſpiritualia cognoſcere; quemadmodum idem D. Thomas in reſpōſione ad 3. apertè declarat.

20 Circa ſecundum. Obſerua, quòd intellectus ſeu anima intellectiua, quamuis ſit actus corporis, non tamen eſt actus immerſus corpori, quaſi actus corporei organi, ſed ſecundùm ſubſtantiam ſuam eſt ſpiritualis, & propterea ex eo quia actus corporis eſt; habet vt connaturaliter materialia cognoſcat. Ex eo verò, quia ſpiritualis eſt, quoad eſſe, habet vt, corporalia & materialia, à ratione materiali indiuiduali, abſtractiuè conſideret.

21 Circa tertium. Obſerua, quòd, quamuis lumen fidei, lumen gloriæ, viſio beatifica, omneſquè actus, & habitus ſupernaturales, ſint entia abſtracta à materia, non tamen connaturaliter ab aliquo intellectu creato cognoſcuntur, per hoc, quòd nō ſunt ſuum eſſe. Eo quia ſunt entia ſimpliciter ſupernaturalia, & ducunt ad cognitionem eius, quod eſt ſuum eſſe. Vnde, licet, vt quod, non ſint ſuum eſſe; ſunt tamen, ſuum eſſe vt quo.

22 Circa quartum, nihil aliud dicendum occurrit, quoniam infra magis enucleabitur.

In reſponſione ad 3. Iauellus, ſuper hunc articulum, ait, quòd, dum D. Thomas dixit, *ſed intellectus noſter, vel Angelicus qui ſecundùm naturā à materia aliqualiter eleuatus eſt*, Iauellus.

poteſt

poteſt ultra ſuam naturam per gratiam ad aliquid altius eleuari. ait, quòd ly, *qui, refert intellectum noſtrum, & non Angelicum, quoniam ille omnino à materia eleuatus eſt. Nec eſt neceſſe quòd referat utrumque, quoniam loquitur diſiunctim*. Hæc ille. Mihi tamen, dicendum videtur, primò, quòd, codex nõ dicit, *qui, ſed, quia*. vt patet in omnibus codicibus benè correctis. Secundò; Quia, dato in ſuo codice ſic legerit neque etiam eius expoſitio placet. Et ratio eſt. Quia quamuis Angelus, quo ad ſuum eſſe, ſit omnino à materia ſeparatus, tamen ratione potentialitatis, quam includit, non dicitur omnino, ſed aliqualiter à materia eleuatus. Et inſuper D. Thomas, quamuis diſiunctim locutus ſit, dicens. *Intellectus noſter, uel Angelicus*, ſimiliter tamen, loquitur de intellectu noſtro, & Angelico. Vnde poſtquam dixit, *ſed intellectus noſter poteſt in abſtractione conſiderare, quod in concretione cognoſcit, &c.* deinde de Angelo loquens, ſubiungit, dicens. & *ſimiliter intellectus Angelicus, &c.* D. Thom.

23 In reſponſione ad 1. ex ijs quæ D. Thomas docet, rectè inſinuatur quomodo intelligendus ſit S. Dionyſius Angelum vocans *ſpeculum purum*. Etenim non eſt ita purum vt de ipſo dici poſſit, *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*, ſicut de æterno, & increato filio dicitur. Dicitur ergo *ſpeculum purum*, quia nullum in ſe defectum habet priuatiuè, non autem dicitur purum quaſi nulla careat perfectione, quod D. Thomas aduertens, in reſponſione ad 2. adnotauit. Dionyſ. D. Thom. Sap. 7.

DISPVTATIO XXXXIV.

VTRVM MODVS OPERANDI, SEQVATVR modum eſſendi.

In duo capita distributa.

CAPVT PRIMVM.

Determinatio veritatis.

1 HAnc propoſitionem, explicatius, longiorique ſermone, proponit D. Thomas in corp. per illa verba. *Cognitio contingit ſecundum quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis*, & per conſequens. *Cuiuslibet cognoſcentis cognitio, eſt ſecundùm modum ſuæ naturæ*. Quam propoſitionem, tanquàm axioma phyloſophicum, Doctores communiter amplectuntur, Vnde pro determinatione veritatis.

2 Dico breuiter, Modus operandi, ſequitur modum eſſendi, & conſequenter modus cognoſcendi, ſequitur modum eſſendi cognoſcentis.

Senſus huius dicti eſt, quòd impoſſibile eſt, vt aliquod agens agat, & non operetur iuxta ſuum modum eſſendi; & ſimiliter impoſſibile eſt, vt aliquod cognoſcens cognoſcat, & eius cognitio, non ſit iuxta modum eſſendi illius.

3 Probatur ratione deprompta ex D. Thoma. Operatio ſequitur eſſe. Ergo modus operandi ſequitur modum eſſendi. Et ſimiliter; Cognitio ſequitur eſſe. Ergo modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi cognoſcentis Antecedens patet. Quia operatio eſt ab eſſe, & per eſſe rei. Nam principium agendi radicale eſt forma ſubſtantialis rei. Vnde Ariſtoteles dixit, Animam eſſe primum principium quo viuimus mouemur, &c. & principium proximum agendi eſt potentia. Ergo operatio eſt ab eſſe, & per eſſe rei. Nomine eſſe, in præſenti non intelligimus aliquid ab eſſentia diſtinctum. Ergo operatio ſequitur eſſe. Idem conſtat de cognitione. Nam anima ſenſitiua, vel intellectiua, eſt primum, ac radicale cognitionis principium; & intellectus eſt proximum principium intelligendi. Ergo cognitio eſt ab eſſe, & per eſſe cognoſcentis. D. Thom. Ariſt. lib. 2. de ani.

Conſe-

Digitized by Google

Conſequentia verò probatur. Quia quando aliquid eſt ratio alicuius, ſi vnus effectus eſt perfectior altero, hoc prouenit ex perfectiori modo quo vnus procedit ab altero. Ergo ſi operatio ſequitur eſſe, modus operandi ſequitur modum eſſendi. Vbi nota, quòd modus operandi ſequitur modum eſſendi non per ſolam ſucceſſionem, ſed per accommodationem, & proportionem, vt patet.

4 Probatur Secundò, Nam cognitio naturalis, eſt per lumen naturale conueniens naturaliter intellectui, ſecundùm quòd intellectus naturaliter eſt ab eſſentia animæ; & cognitio ſupernaturalis eſt ab intellectu mediante lumine ſupernaturali, côueniente animæ, vt eleuabili à Deo, tanquam ab authore ſupernaturali. Ergo hoc prouenit ex diuerſo modo eſſendi animæ, nempè vt eleuabili, & vt non eleuatæ.

5 Dico Secundò. Modus operandi ordinis naturalis, ſiuè ſupernaturalis; ſemper ſequitur modum eſſendi; differenter tamen, hoc modo videlicet. Modus operandi ordinis naturalis, ſequitur modum eſſendi connaturaliter. Modus verò operandi ſupernaturalis, ſequitur modum eſſendi in ratione eleuabilis. Hoc dictum explicatiuum eſt præcedentis, & ex ſupradictis patet, magiſquè patebit infra. Etenim ſi operari ſequitur eſſe. Ergo operari naturaliter, ſequitur eſſe ſecundùm quòd eſt in ſua natura; & operari ſupernaturaliter, ſequitur eſſe ſecundùm quòd à Deo eſt ſupernaturaliter eleuabile.

CAPVT SECVNDVM.

Argumentorum dilutio.

6 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Quia ſpecies intelligibilis in ſuo eſſe eſt imperfectior quàm in ſuo operari. Ergo modus operandi excedit modum eſſendi. Ergo non ſequitur modum eſſendi. Probatur antecedens. Quia ſpecies intelligibilis, quantùm ad modum eſſendi, ſeu quantùm ad ſuam entitatem, eſt accidens intellectui inhærês: quantùm verò ad operationem, aſſimilat potentiam obiecto, eſtquè intellectionis effectiuum principium: quod quidem perfectius eſt quàm intellectui inhærere. Ergo.

7 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Species intelligibilis in ſuo eſſe, vt inhæſiuo, eſt imperfectior, &c. concedo antecedens. Species intelligibilis in ſuo eſſe, vt immateriali, nego antecedens. Ergo, &c. negatur conſequentia.

8 Explicatur iſta reſponſio. Species intelligibilis, in modo eſſendi ab obiecto diſtincta, habet duo, nempe, quòd ſit accidens intellectui inhærens, & quòd ſit ſpiritualis, ſeu immaterialis. Eſt autem principium effectiuum intellectionis, aſſimilatquè potentiam obiecto, non ex ratione qua accidens eſt: ſed ea ratione qua immaterialis eſt. Quamuis igitur quantùm ad modum eſſendi inhæſiuum, ſit imperfectior ſua operatione, & effectu; tamen, quantùm ad rationem immaterialitatis, eſt perfectior; immo eſt proprio obiecto immaterialior.

9 Dices, Species Angeli Superioris, inhærens intellectui Angeli inferioris, non eſt maioris immaterialitatis, immaterialitate quæ eſt in Angelo ſuperiori, imo multo minoris. Ergo nulla reſponſio. Probatur antecedens. Quia immaterialitas Angeli ſuperioris, eſt per ſe ſubſiſtens: immaterialitas verò ſpeciei intelligibilis eiuſdem, eſt inhærens.

10 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Species Angeli Superioris inhærens intellectui Angeli inferioris, non eſt maioris immaterialitatis immaterialitate, quæ eſt in Angelo ſuperiori, quoad modum exiſtendi, concedo antecedê. Quo ad modum intelligibiliter vniendi, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Sum in opinione, quòd quælibet ſpecies intelligibilis, cuiuſcumque obiecti; eſt magis ſpiritualis, ſeu immaterialis, quàm ſit ipſum obiectum, non quidem ea ratione, qua accidens eſt; quoniam hac ratione, poteſt eſſe, & eſt de facto, magis immaterialis Angelus, quàm eius ſpecies intelligibilis. Eo quia in ratione immaterialitatis, modus eſſendi Angeli, eſt actualior, ac purior; cum ſit per ſe ſubſiſtens, quàm modus eſſendi ſpeciei per inhæſionem: ſed ea ratione qua habet vim vniendi obiectum potentiæ. Et hoc eſt quòd antiquiores Thomiſtæ intellexerunt, quando dixerunt, quòd ſpecies intelligibilis eſt immaterialior obiecto. Vnde ad euertenda aduerſariorum argumenta contra prædictam Thomiſticam, veramquè doctrinam; non eſt Iuniorum Thomiſtarum neceſſaria illa diſtinctio, videlicet, reſpectu obiecti materialis, non verò reſpectu obiecti ſpiritualis. Quoniam reſpectu omnium obiectorum, neceſsè eſt, ſpeciem intelligibilem, quo ad modum vniendi intelligibiliter cum potentia, ſit immaterialior quàm obiectum, licet, quo ad rationem formalem ſpeciei, ſit eiuſdem quidditatis, & immaterialitatis cum illo, ſeu (vt formalius loquar) idem obiectum cum modo eſſendi in intellectu, exiſtitmodo immaterialiori, modo ſibi extra intellectum conueniente.

11 Obijcies Secundò. Quando intellectus creatus videt Deum, tunc modus cogno-

ſcendi excedit modum eſſendi animæ. Ergo non in omni caſu modus operandi, ſeu modus cognoſcendi, ſequitur modum eſſendi. Antecedens patet. Quia operatio illa eſt excedens naturam humanam. Ergo modus operandi excedit modum eſſendi.

12 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Quando intellectus creatus videt Deum, tunc modus cognoſcendi excedit modum eſſendi animæ non eleuatæ per gratiam, in eſſentia, & per lumen gloriæ in intellectu, concedo antecedens. Excedit modum eſſendi animæ vt eleuatæ, &c. nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

13 Obijcies Tertiò. Viſio beatifica eſt præſtantior etiam ipſa gratia, & lumine gloriæ. Ergo quãdo intellectus creatus videt Deũ, habet modum operandi, ſeu modum cognoſcendi, excedentem modum eſſendi, etiam vt eleuatum, & conſequenter falſa præcedens reſponſio, & concluſio. Antecedens videtur verum, & conſequentia eſt euidens.

14 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Viſio beatifica eſt præſtantior ipſa gratia, & etiam lumine gloriæ in ratione actus, & quo ad modum attingendi Deum, concedo antecedens. Quo ad rationem gradus, ſeu ordinis diuini, nego antecedens. Omnia enim dona ſupernaturalia, licet inter ſe vnum ſit altero præſtantius, ſunt tamen vnius eiuſdemquè ordinis, puta diuini. Modus autem cognoſcendi non poteſt eſſe altioris ordinis quàm ſit modus eſſendi.

15 Obijcies Quartò. Cuiuſcumquè eſſe, ſeu modi eſſendi perfectio, ex operatione cognoſcitur. Ergo modus operandi excedit modum eſſendi.

Confirmatur. Quia per Phyloſophum, vnumquodquè eſt propter ſuam operationem: Ergo modus operandi eſt præſtantior modo eſſendi.

Confirmatur Secundò. Quia ſpiritualior eſt modus cognoſcendi, quàm modus eſſendi. Ergo modus operãdi eſt præſtantior quàm modus eſſendi.

16 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Cuiuſcumquè, &c. à poſteriori, & declaratiuè, quo ad nos concedo antecedens. A priori, & ſecundùm ſe, nego antecedens. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

17 Ad primam Confirmationem, explico antecedens. Vnumquodquè, &c. quantùm ad perfectionem vltimam, & accidentalem, concedo antecedens, & in hoc ſenſu locutus eſt Ariſtoteles. Quantùm ad perfectionem primam, & ſubſtantialem, nego antecedens. Et in hoc ſenſu non locutus eſt Ariſt. Ergo, &c. nego conſequentiam.

18 Reſpondetur Secundò, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequẽs. Ergo modus operandi pro vt etiam includit modum eſſendi eſt præſtantior modo eſſendi, pro vt non includit modum operandi, concedo conſequentiam, pro vt includit modũ operandi, nego conſequentiam. Ideo enim modus operandi ſemper apparet nobilior modo eſſendi, quia modus operãdi ſemper eſt cum modo eſſendi, non tamen è contra.

19 Ad Secundam Confirmationem, reſpondetur diſtinguendo antecedens. Spiritualior eſt modus cognoſcendi, & prouenit à modo eſſendi, concedo antecedens. Et non prouenit à modo eſſendi, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

Sed dato, quòd vnumquodquè ſit ſe ipſo præſtantius in modo operandi, quàm in modo eſſendi, tamen ſemper verum eſt, quòd ille modus operandi eſt proportionatus modo eſſendi, & ſic difficultates euaneſcunt.

20 Obijcies Quartò. Modus eſſendi luminis gloriæ, & viſionis beaticæ, imo totius compoſiti, nimirum, intellectus, & luminis gloriæ eſt potentialis; Modus autem eſſendi Dei eſt ſuum eſſe: ſed hoc non obſtante Deus connaturaliter attingitur per viſionem, & viſio connaturaliter procedit à lumine gloriæ, &c. Ergo falſum eſt, quòd modus eſſendi naturæ cognitæ naturaliter, & quidditatiuè, non poteſt excedere modum eſſendi naturæ cognoſcentis.

21 Reſpondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam. Ratio autem negationis eſt, quia D. Thomas non dixit quòd modus eſſendi naturæ cognitæ, non poteſt excedere modum eſſendi habitus eleuantis naturam cognoſcentem, aut modum eſſendi cognitionis; quoniam hoc eſt omninò falſum. Eo quia Angelus V.G. vt cognitus à ſeipſo, habet modum eſſendi ſubſtantialem, eius autem intellectus, cùm ſit potentia realiter ab eius eſſentia diſtincta, & cognitio cum ſit accidens; cuiuſcumquè enim ſubſtantiæ creatæ operatio, eſt accidens, habet modum eſſendi inferiorem, modo eſſendi ſubſtantialiter. Doctrina igitur D. Thomæ eſt, quòd modus eſſendi naturæ cognitæ, non poteſt excedere modum eſſẽdi cognoſcẽtis vt quod; Modo, lumen gloriæ, & viſio beatifica non ſe habent tanquàm cognoſcens vt quod, ſed lumen gloriæ ſe habet vt habitus ſupernaturalis eleuans intellectum, vt poſſit videre Deum, & viſio ipſa non ſe habet tanquàm cognoſcens, ſed tanquàm cognitio, ſeu attingentia Dei, quæ naturæ cognoſcenti ex Dei munere, non verò naturaliter conuenit, & ſic, ſtat vt Deus connaturaliter à viſione creata attingatur, abſquè eo quòd ſub eodem connaturalitatis titulo, à natura cognoſcente cognoſcatur.

22 Albertinus tom. 1. quæſt. 1. aſſertione 2. n. 13. ait, quòd exceſſus ille infinitatis Dei, eſt exceſſus quaſi ſpecificus; At verò in modo eſſendi Albertin.

eſſendi

Digitized by Google

eſſendi quaſi generico, conueniunt aliquo modo, quia intellectus eſt eleuatus vt inſtrumentum ad eumdem ordinem obiecti.

23 Si per eumdem ordinem obiecti, nempè Dei, intelligat modum quo Deus, modum eſſendi naturæ cognoſcentis creatæ excedit, ſicuti eſt, eſſe ſuum eſſe, non poteſt intelligi quomodo intellectus creatus cum lumine gloriæ ſit eiuſdem ordinis cum Deo. Semper enim intellectus creatus eſt potentialis niſi dicatur, quòd lumen gloriæ eſt ſuum eſſe vt quo, vt latius explicabimus infra; attamen vt magis ad mentem Diui Thomæ loquamur, reſpondendum eſt vt ſupra.

24 Obijcies Quintò. Modus eſſendi Dei excedit modum eſſendi cuiuſcunquè creati, vel creabilis intellectus: ſed hoc non obſtante intellectus humanus cognoſcit Deũ. Ergo falſum eſt, &c.

25 Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed intellectus humanus cognoſcit Deum abſtractiuè, & per effectus naturales ipſi intellectui proportionatos, concedo minorem. Intuitiuè, & quidditatiuè, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Nam eo modo quo Deus ab intellectu creato cognoſcitur, nõ habet modum eſſendi naturæ intellectiuæ creatæ Angelicæ, vel humanæ excedentem, quia Deus quatenus ab intellectu humano cognoſcitur, intellectum mouet, non per modum quo eſt in ſe, ſed per modum quo eſt in creaturis vt factis ab eo, & non in qualibuſcumquè creaturis, ſed creaturis concretis quidditati ſenſibili, ex quarum cognitione componendo, & diuidendo, remouendo, & arguendo, in Dei cognitionem venit.

DISPVTATIO XXXXV.

VTRVM RATIO D. THOMÆ quam ponit in corpore, efficaciter probet intentum.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Scotus. 1 SCotus hanc D. Thomę rationem diuerſis occaſionibus ſoluit, ac pluries impugnat. Nam in 1. diſt. 3. quæſt. 3. de obiecto intellectus viatoris tractans, hanc Diui Thomæ rationem examinat, illamquè non rationem, nec demonſtrationem, ſed congruentiam, imo congruentiam nullam, appellat. Sic enim ait, *Congruentia enim illa quæ adducitur pro illa opinione nulla eſt*. Et in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. *Reſpondeo dicitur cõmuniter*, rationem D. Thomæ proponit, illamquè ſemel, atquè iterum ſoluere tentat, & eamdem refellit quodlib. quæſt. 14. art. 2. ſub litterra O. Molina hic rationi D. Thomæ non acquieſcit. Vaſquez hic de- (Molina, Vaſquez.)

ratione D. Thomæ hæc verba promit. *Multam operam conſumunt Caietanus, & Thomiſtæ in hoc art. vt explicent, atquè defendant rationem Sancti Thomæ, qua probat concluſionem illius: Eam enim acriter impugnat Scotus locis ab ipſo Caietano citatis. His tamen omnibus ſuperſedere conſtitui, quod exiſtimem, non ita facile de omni intellectu etiam Angelico, vniuerſim, ratione ſolùm phyloſophica id probari.* Caiet.

2 Communiter tamen Theologi, hanc D. Thomæ rationem amplectuntur, & veluti certam, ac euidentem, magnificant. Ita Capreolus, in 4. diſt. 49. quæſt. 4. contra primam. Ferrarienſis, in 3. contra gent. Capreol. Ferrar.

 cap.

Digitized by Google

Caiet. Bañes. Nazar. Conzal. Ioa. de S. Thoma. Salmant. Faſolus Recupit. Suarez. Albertin. Palumb. Sotus. Syluest.

cap.52. Caietanus, Bañes, Nazarius, Ripa, Conzalez, Ioannes de Sancto Thoma, hic, Petrus de Ledeſma, de diuina perfectione art.7.concl.1.rat.5. Salmanticenſes, tract. 2. de viſione Dei diſp.2.dub.1.Faſolus, hic dub.1.num.4.& dub.2.per totum. Recupitus, lib.6. quæſt.3. cap.3. Suarez, lib.2.de attributis cap.9.num.7.Sotus, in 4. diſt.49. quæſt.2.art.2. Albertinus tom.1. quæſt.1. vbi per extenſum probat modum operandi ſequi neceſſariò modum eſſendi, Palumbus, in doctrina, & ſcholaſtico examine ad quæſt.12.cap.3. Sotus in 4. diſt.49.quæſt. 2. Sylueſter in conflato, quæſt.12.art.4.

3 Durand. Solet contra rationem D.Thomæ prædictam adduci Durandus. Verumtamen velit, nolit Durandus, rationem D.Thomę admittit. Etenim in 2.diſt.17.quæſt.1.num. 11. arguens contra quamdam Auerrois opinionem hæc verba profert. *Nec valet ſi dicatur, quòd intellectus noſter licet ſit coniunctus ſecundùm veritatem, & intelligat ex phantaſmatibus, tamen corrupto corpore adhuc intelligit; Sed per alium modum. Et idem poſſet dici de intellectu ſeparato. Hoc enim non eſt ſimile, quòd intellectus noſter coniunctus, & ſeparatus habet alium modum eſſendi, propter quod poteſt habere alium modum operandi, ſed intellectus ſeparatus ſolùm habet vnum modum eſſendi, quare & vnum modum intelligendi, à quo ſi ceſſet, ceſſabit omninò intelligere.* Hæc Durandus. Ergo ad mentem Durandi vera eſt D. Thomæ doctrina, nempè quòd *modus operandi, ſequitur modum eſſendi.* Ergo modus naturalis operandi ſequitur modum naturalem eſſendi. Ergo obiectum excedens modum naturalem eſſendi naturę cognoſcentis, naturaliter cognoſci non poteſt.

Et in 4.diſt. 49. quæſt. 2. num.14. quamuis omnino luminis gloriæ neceſſitatem negare videatur, tamen aſſeueranter affirmat, quòd diuina eſſentia immediatè non poteſt repræſentari intellectui creato ſecundùm ordinem naturæ, per hæc verba, *ſed ſufficit quòd diuina eſſentia immediatè repræſentetur intellectui creato, quod vtiquè non poteſt fieri ſecundùm ordinem naturæ quam experimur, ſecundùm quem nihil intelligimus niſi ex ſenſatis, & imaginatis, ſed poteſt hoc fieri ſecundùm ordinem diuinæ gratiæ.* Hæc ille.

4 Ex quibus verbis euidenter colligitur, quòd intellectus creatus apud Durandum, non poteſt per ſua naturalia videre Deum, ſeù peruenire ad viſionem Dei, quia modus naturalis operandi intellectus noſtri eſt ſecundùm modum eſſendi, nam modus operandi, ſeù cognoſcendi, eſt per ſenſibilia ad intelligibilia gradiri.

* * *

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Ratio quam D. Thomas adducit in corpore efficaciter probat intentum.

5 Probatur, iterum rationem inſtaurando. Modus eſſendi obiecti connaturaliter & quidditatiuè cogniti, non poteſt excedere modum eſſendi naturæ connaturaliter, & quidditatiuè illud obiectum cognoſcentis, & ſi cognoſcitur non connaturaliter cognoſcitur: ſed modus eſſendi Dei in infinitum excedit modum eſſendi cuiuſcumquè creaturæ intellectualis. Ergo nulla creatura intellectualis poteſt connaturaliter cognoſcere Deum quidditatiuè, & intuitiuè. Probatur maior, quia modus eſſendi obiecti cogniti debet eſſe proportionatus modo eſſendi naturæ cognoſcentis; cum obiectum cognitum ſit in cognoſcente. Ergo obiectum quod connaturaliter eſt in cognoſcente, debet eſſe iuxta modum connaturaliter côuenientem naturę cognoſcenti. Ergo modus eſſendi obiecti naturaliter cogniti, non poteſt excedere modum eſſendi naturæ connaturaliter cognoſcentis.

6 Confirmatur primò. Modus cognoſcendi aliquod obiectum connaturaliter, eſt ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis: ſed Deus vt quidditatiuè cognitus in infinitum excedit modum eſſendi cuiuſcumquè intellectus creati. Ergo non poteſt quidditatiuè, & connaturaliter ab intellectu creato cognoſci.

7 Confirmatur Secundò. Quia teſte Apoſtolo Paulo, *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Et ex illo 1. ad Corint.13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem*. Idem habetur in multis alijs Sacræ Scripturæ locis. Tunc ſic argumentor. Inuiſibilia Dei videmus per ea quæ facta ſunt, non per qualiacumquè ſed per ea quæ noſtro intellectui proportionata ſunt, & videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, non per qualecumquè ſpeculum, vel ænigma, ſed per ſpeculum nobis proportionatum: ſed hoc non aliundè prouenit, niſi ex imperfecto modo eſſendi, quem ſequitur proportionatus conformiſquè modus cognoſcendi. Ergo, &c. Rom. 1. 1.Cor.13.

8 Confirmatur Tertiò ad hominem contra Scotum. Nam Scotus in quæſt.1. prologi reſolutione 2.§. *nota quòd*, docet, quòd nullum ſupernaturale poteſt ratione naturali oſten- Scotus.

oſten-

Digitized by Google

oſtendi ineſſe viatori, vel neceſſariò requiri ad perfectionem eius, & infra reſolut. 3. §. *Reſpondeo naturali ratione, &c.* vbi ait ſic. *Non autem oſtenditur ratione naturali quòd hæc pars nempè fruitio eſt finis, vel fruitio non eſt finis, ſit neceſſariò cognoſcenda, & hoc modo rationes prædictæ vt ſunt naturales, concludunt de altera parte contradictionis, hac, vel illa, non determinatè de hac niſi ex creditis tantum.*
9 & in 1. diſt. 3. quæſt. 9. §. *Secundò quia.* Probans quòd cognitio principalius ſit ab intellectu quàm ab obiecto, viſionem excipit beatificam, his verbis. *Principalem autem actionem intellectus, ſequitur actio ſpeciei, quæ nata eſt eſſe ſemper vniformis ex parte ſpeciei. Tamen aliquod obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuæ; puta obiectum beatificum vt clarè viſum, poſſet habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis, aut principaliorem, quàm pars intellectiua, & hoc propter excellentiam talis obiecti; & propter defectum partis intellectiuæ.* Hæc ille. Vbi Scotus duas habet concluſiones, vel vnam bimembrem. videlicet. Obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuè; ſicuti eſt Deus clarè viſus, poteſt poni habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis; aut principaliorem quàm pars intellectiua. Et has, vel hanc, quot, vel quibus rationibus probat? non niſi vna, quæ conſiſtit in exceſſu obiecti, ſupra naturam cognoſcentis. Ecce quomodo ratio D. Thomæ quam Scotus pluries repetit, & impugnat, eſt ſingulare, ac vnicum Scoto refugium. Sic enim argumentor, Quando obiectum eſt multùm excedens naturam cognoſcentis; ex hoc, quòd
10 eſt multùm excedens, non poteſt naturaliter ab exceſſa facultate parte intellectiua cognoſci: Sed Deus clarè viſus, eſt multùm excedens facultatem creatam intellectiuæ partis. Ergo ab illa nequit naturaliter cognoſci. Ergo optima eſt ratio Diui Thomæ. Probatur iſta conſequentia. Quia ratio D. Thomæ fundatur ſuper exceſſum obiecti cogniti; ſupra naturam cognoſcẽtis, nam modus per ſe eſſendi naturæ cognitæ; ideo excedit modum per ſe eſſendi naturæ cognoſcentis, quia ipſum obiectum cognitum, excedit naturam cognoſcentem. Minor eſt euidens; & maiorem, Scotus negare non poteſt. Primò. Quia ex hoc, quòd obiectum eſt multùm excedens naturam cognoſcẽtem, probat poſſe poni quòd obiectum habeat totam cauſalitatem, viſionis intellectu merè paſſiuè ſe habente; vel quòd magis principaliter quàm intellectus quod eſt nõ cognoſcere Deum naturaliter. Secundò. Quia ibidem ſic ſequitur. *De obiectis autem quæ modo naturaliter cognoſcimus, prima pars ſolutionis videtur eſſe vera.* Ergo ſi per Scotum obiecta quæ à nobis naturaliter cognoſcuntur, minus principaliter coagunt, intellectu noſtro agente ad intellectionem; & aliàs ex hoc quòd obiectum multùm excedens intellectum: eſt totalis cauſa viſionis, vel magis principalis; id quod erit ratio mutans hunc naturalem ordinem, erit etiam ratio; quare illud obiectum ab intellectiua parte naturaliter non cognoſcitur: ſed per Scotum tota cauſa eſt exceſſus obiecti ſupra potentiam. Ergo.

11 Et in 4. diſt. 49. quæſt. 8. ait quòd poteſt ratione naturali demonſtrari poſſibilitas viſionis beatificæ his verbis. *Videtur tamen mihi quòd per rationem naturalem poteſt probari ſublata imperfectione ſtatus iſtius quo ad cognitionem, quòd poteſt cognoſci quòd natura humana ſit capax beatitudinis veræ.* Hæc ille. Scotus.
quibus verbis poſitis, ſic contra Scotum argumentor. Stante imperfectione ſtatus iſtius, intellectus humanus non poteſt probare poſſibilitatem viſionis beatificæ, ac veræ beatitudinis; ſublata verò ſtatus iſtius imperfectione, probari poteſt. Ergo quando modus eſſendi obiecti cogniti, etiam per Scotum excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non poteſt cõnaturaliter quidditatiuè cognoſci, & modus connaturaliter cognoſcendi, ſequitur modum eſſendi ſeu proportionatur modo connaturali eſſendi. Probatur conſequentia, quia tunc intelligitur homo in ſtatu imperfectionis iſtius, quando conſideratur ſecundùm modum eſſendi quem habet in corpore, & tunc cõſideratur abſq; imperfectione ſtatus iſtius, quando anima eius eſt à corpore ſeparata. Ergo ſecundùm Scotum modus connaturaliter cognoſcendi, proportionatur modo connaturaliter eſſendi.

12 Si dicatur cum Scoto in primo diſtin. 3. quæſt. 4. §. *Reſpondeo ſtatus.* quòd nomine ſtatus iſtius intelligitur ſtatus pœnalis, non verò naturalis. Scotus.

Pro cuius Scoticæ doctrinæ intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd Scotus loco iam citato, ſtatum definiens, vel Deſcribens ſic ait. *Status non videtur eſſe niſi ſtabilis permanentia, legibus diuinæ ſapientiæ firmata.* & poſtea loquens quomodo intellectus noſter intelligat dependenter à phantaſmatibus, ſic immediatè ſubdit. *Stabilitum eſt autem illis legibus ſapientiæ quòd intellectus noſter non intelligat pro ſtatu iſto, niſi illa quorum ſpecies relucent in phantaſmate, & hoc ſiuè propter pœnam originalis peccati, ſiuè propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando* & paulo poſt ſic ſubdit. *Iſta tamen concordia quæ eſt de facto pro ſtatu iſto, non eſt ex natura noſtri intellectus vnde intellectus eſt. Nec etiam vnde in corpore eſt. Tunc enim in corpore glorioſo neceſſariò haberet ſimilem concordiam quod falſum eſt. Vt cumquè igitur ſit iſte ſtatus, ſiuè ex mera voluntate Dei, ſiuè ex mera iuſtitia punitiua, ſiue ex infirmitate quam cauſam Auguſtinus innuit 15. de Trinit, &c.* D.Aug.
Hæc ille.

Hæc ille. Vbi nonnulla dicenda eſſent circa deſcriptionem ſtatus, quoniam ſtabilis rerum permanentia legibus diuinæ ſapientiæ firmata, non ſemper eſt ex mera voluntate Dei, neque ex mera iuſtitia punitiua, vel ex infirmitate, ſed vltra Dei voluntatem per quam omnia manant, plerumquè omnia eueniré vult ſecundùm rerum proportiones, & naturalitates.

13 Falſum etiam omnino eſt, quòd intellectus noſter pro iſto ſtatu ex pœna peccati habeat per conuerſionem ad phantaſmata intelligere. Nam quamuis propter pœnam peccati originalis impediti ſimus ad cognoſcendas rerum naturalium veritates, tamen intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, nullo modo eſt in pœnam peccati originalis, ſed ex ſola natura. aliàs Adam ante peccatum, & Chriſtus Dominus nunquam per conuerſionem ad phantaſmata intellexiſſent. Vnde hominem intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, non eſt hominem à rerum naturalium cognitione impediri, ſed potius adiuuari. Eſt enim conuerſio ad phantaſmata non impedimentum cognitionis, ſed connaturale inſtrumentum; inſtrumentum enim non eſt impedimentum, ſed requiſitum ad operandum. Fateor igitur quòd cognitionis noſtræ impedimentum ſit propter peccatum, nego tamen intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, eſſe impedimentum. Inſtrumentum enim vt dicebamus, non impedit operantis executionem, ſed expedit. Vnde in Chriſto Domino fuit intellectio per conuerſionem ad phantaſmata, & ſimiliter in Adam ante peccatum, abſquè omni veræ contemplationis impedimento. Et hoc idem dicendum eſt de anima in corpore glorioſo ſi intelligere ei placuerit per ſpecies quas à phantaſmatibus abſtraxerat.

14 Idquè videtur ex parte amplius cognouiſſe Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 8. §. *Reſpondeo intellectus noſter.* vbi quamuis in 1. negauerit procedere ex naturali cauſa, quòd intellectus per conuerſionem ad phantaſmata cognoſcat, expreſsè tamẽ ibi hoc nobiſcum affirmat, his verbis. *Reſpondeo intellectus noſter pro ſtatu iſto non eſt natus moueri immediatè niſi ab aliquo imaginabili, vel ſenſibili extra prius moueatur. & quare hoc? Fortè propter peccatum ſicut videtur Auguſtinus dicere 15. Trinit. cap. vlt. hoc tibi fecit infirmitas. & quæ cauſa infirmitatis? niſi iniquitas, &c. vel fortè iſta cauſa eſt naturalis pro vt natura iſto modo inſtituta eſt. Non abſolutè naturalis: puta ſi ordo iſte potentiarum, de quo dictum eſt in 1. diffuſè, neceſſariò hoc requirat, quodcumquè vniuerſale, intellectus intelligat. Oportet phantaſiam actu phantaſiare ſingulare eiuſdem, ſed hoc non eſt ex natura. Nec iſta cauſa eſt abſolutè naturalis, ſed eſt ex peccato, & non ſolùm ex peccato, ſed etiam ex natura potentiarum pro ſtatu iſto. quidquid dicat Auguſtinus.* Hæc ille. Vbi Scotus modo recurrit ad peccatum, modo ad cauſam naturalem, modo refugit ad cauſam naturalem recurrere, & tandem ad vtrumque confugit, dicens. *Ex peccato, & non ſolùm ex peccato, ſed etiam ex natura potentiarum pro ſtatu iſto.* Quòd ſi ſemel Scotus concedat, id, ex natura potentiarum prouenire pro ſtatu iſto, non poterit ſaluare, quòd in corpore glorioſo anima ſi intelligeret per ſpecies à phantaſmatibus acceptas, non conuerteret ſe ad phantaſmata. Nam natura potentiarum pro ſtatu iſto, eſt natura potentiarum pro ſtatu, in quo anima ineſt corpori, & nõ ſolùm ex peccato, ſed etiam ex natura potentiarum. Ergo etiam in corpore glorioſo id continget. Quare non conſequenter Scotus, &c.

15 Eſt etiam breuiter obſeruandum, quòd ineptè Scotus refellit Auguſtinum, dicens. *quidquid dicat Auguſtinus.* Quoniam D. Auguſtinus quando id ad infirmitatem, iniquitatemquè refundit, loquitur ſecundùm quòd phantaſmata non ſunt ita expedita, & ita apta ad intelligendum, ſicuti fuiſſent, ſi Adam fuiſſet abſquè peccato, non autem de conuerſione ad phantaſmata abſolutè. Sic igitur inſtauratur argumentum contra Scotum. Quòd homo intelligat tantummodo materialia, vel ſenſibilia, tanquàm obiecta motiua, prouenit ex modo eſſendi ipſius, quia ſcilicet, eſt in ſtatu iſto. Ergo modus cognoſcendi per Scotum proportionatur modo eſſendi cognoſcentis; & quando modus eſſendi obiecti cogniti excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non poteſt naturaliter, & quidditatiuè cognoſci, à cognoſcente habente modum eſſendi inferiorem.

16 Idem deducitur ex eodem Scoto in 2. d. 9. quæſt. 2. §. *Ad ſecundam, ſi arguitur.* vbi ſic ait. *anima non tantùm vnitur corpori vt operetur circa corpus, ſed vnitur vt totum compoſitum ſit, cuius ipſa eſt pars; ita quòd totum operans, habet corpus: non tantùm pro obiecto; ſed pro parte operantis, non ſic autem Angelus.* Hæc ille. Ergo ad mentem Scoti, modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. Nam per ipſum, anima vnitur corpori etiam vt accipiat ſcientiam à rebus, & hoc non eſt propter aliquam peccati pœnam, ſed tantummodo propter naturalitatem.

Scotus. Scotus. Scotus. D. Aug. Scotus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Argumenta pro Scoto proponuntur, & diſſoluuntur.

17 Contra iſtam determinationem obijciet aliquis pro Scoto primò. Si ratio D. Thomæ eſſet vera, ſequeretur quòd intellectus humanus nullo modo poſſet ſubſtantias à corpore abſtractas quidditatiuè intelligere: ſed hoc eſt falſum. Ergo & illud vnde ſequitur. Probatur ſequela. Quia modus eſſendi ſubſtantiarum ſeparatarum eſt excedens modum eſſendi animę ſeparatæ. Nam ſubſtantiæ ſeparatæ, nempè Angeli, ſubſiſtunt completè, anima verò, eſt quid incompletum. Ergo modus eſſendi ſubſtãtiarum ſeparatarum excedit modum eſſendi animæ ſeparatæ.

18 Reſpondetur negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Modus eſſendi ſubſtantiarum ſeparatarum eſt excedens modum eſſendi animæ ſeparatæ, intra eundem gradum cognoſcentium, & cognoſcibilium, concedo antecedens. In diuerſo gradu, nego antecedens. Ergo, &c, nego conſequentiam.

19 Explicatur iſta reſponſio. Quamuis omnes ſubſtantiæ ſeparatæ ad inuicem realiter, & ſpecificè diſtinguantur, nihilominus omnes ſub vno gradu cognoſcentium collocantur; Quandoquidem, cognoſcentium gradus quatuor ſunt. Eorum, quę ſunt in materia indiuiduali immerſa. Eorum, quæ ſpiritualia ſunt, exiſtunt tamen in materia, non autem in materia immerſa. Eorum, quę omninò à materia ſeparata ſubſiſtunt, ſed cum potentialitate. Et tandem Dei, qui eſt omninò ſpiritualis, cũ puritate actus. Omnes igitur ſubſtantiæ ſeparatæ creatæ ſub tertio cognoſcentium gradu reponuntur. Quòd ſi inter ipſas, altera eſt altera, & altera alia perfectior, hoc eſt intra eundem cognoſcentium gradum, & adhuc ratione huius exceſſus, in modo eſſendi imperfectior cognoſcendi modus in vna, quàm in altera inuenitur, vel in ordine ad obiectum proportionatum, & connaturale, vel ad minus, quo ad modum intelligendi. Quapropter anima intellectiua etiam à corpore ſeparata intelligit Angelos quidditatiuè, ſed non tam perfectè, quemadmodum Angelus Angelum; Et vnus Angelus alio imperfectior, intelligit per ſpecies perfectiores, atquè vniuerſaliores. Et hoc eſt quod dicunt, ac dicere volunt reliqui Thomiſtæ, nempè quòd modus eſſendi vnius Angeli, & modus eſſendi alterius, ſcù modus eſſendi omnium Angelorum, & modus eſſendi animæ ſeparatæ, differunt ſecundùm rationem ſpecificam, quam Ego voco diſtinctionem intra eundem gradum, non verò ſecundùm rationem genericam, quam ego voco diſtinctionem in diuerſo gradu.

20 Contra hanc reſponſionem ſub titulo de non exceſſu ſecundùm rationem genericam, & exceſſu ſecundùm rationem ſpecificam, Vulpes tom. 1. d. 23. ar. 4. concl. 2. quatrupliciter arguit. Vulpes

21 Primò. *Hæc reſponſio non ſatisfacit adæquatè argumento, quod præſertim probat intellectum humanum ſeparatum naturaliter non poſſe cognoſcere ſubſtantias abſtractas (conceſſa hypotheſi D. Thomæ) quod eſt rationi diſſentaneum. Cum Angelorum conſideratio ſit ſimpliciter naturalis, ſpectans ad metaphyſicam ſcientiam.*

22 Secundò. *Conuenientia illa in modo eſſendi generico inter Angelos, non eſt formaliter à parte rei in ſententia ipſius Sancti Thomæ, non admittentis à parte rei formalem diſtinctionem inter realitatem generis, & realitatem differentiæ, inter gradum genericum, & ſpecificum. Ergo à parte rei remanet formaliter exceſſus in modo eſſendi: cum ſecundùm ipſum omnes Angeli differant ſpecie.*

23 Tertiò. *Cum Angeli omnes ſecundùm Thomiſtas ſint ſuaptè natura ſubſiſtentes, ſingulares ſpiritualeſquè omnino à parte rei iudicantur rectè in gradu generico conuenire aliquo modo in modo naturali eſſendi cum ipſo Deo. Ergo naturaliter Angeli Deum beatificè attingere poſſent, quod eſt error in fide. Neque pot eſt abeſſe compoſitio à parte rei in Angelis, cum compoſitio in eis non ſit phyſica ex materia, & forma, ſed metaphyſica, penes inadæquatos conceptus in eorum ſententia. Ideoquè non per diſtincta formaliter à parte rei, ſed ſolùm comparatione creati intellectus.*

24 Vltimò. *Si inter potentiam & obiectum, foret neceſſaria coæquatio in modo eſſendi, ſaltem generico; quando obiectum huiuſmodi non habet coæquationem, eſſet prorſus impoſſibile, poſſe à potentia attingi, atquè ita, creatus intellectus nequiret naturaliter videre accidentia ſupernaturalia, naturam creatam perficientia; nec accidentia ſenſibilia quæ genere differunt generaliſſimo, à creato intellectu. Non priora, quia cum ſint ordinis diuini, & ſuaptè natura ſupernaturalia, in eorum ſententia ſuperant modum eſſendi intellectus prædicti. Non poſteriora quia in modo eſſendi deficiunt.*

25 Vulpes, D. Thomæ, ac Thomiſtarum dogmata non intelligit, & dum per ſupradicta quatuor argumenta ea demoliri conatur, occaſionem præbet, vt à cæteris vera, ac firma eſſe noſcantur. Vnde. Vulpes.

26 Ad primam impugnationem reſpondetur, negando antecedens, quod tenebatur probare, & non probat. Hoc enim argumen-

Digitized by Google

Hæc ille. Vbi nonnulla dicenda eſſent circa deſcriptionem ſtatus, quoniam ſtabilis rerum permanentia legibus diuinæ ſapientiæ firmata, non ſemper eſt ex mera voluntate Dei, neque ex mera iuſtitia punitiua, vel ex infirmitate, ſed vltra Dei voluntatem per quam omnia manant, plerumquè omnia euenire vult ſecundùm rerum proportiones, & naturalitates.

13 Falſum etiam omnino eſt, quòd intellectus noſter pro iſto ſtatu ex pœna peccati habeat per conuerſionem ad phantaſmata intelligere. Nam quamuis propter pœnam peccati originalis impediti ſimus ad cognoſcendas rerum naturalium veritates, tamen intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, nullo modo eſt in pœnam peccati originalis, ſed ex ſola natura. aliàs Adam ante peccatum, & Chriſtus Dominus nunquam per conuerſionem ad phantaſmata intellexiſſent. Vnde hominem intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, non eſt hominem à rerum naturalium cognitione impediri, ſed potius adiuuari. Eſt enim conuerſio ad phantaſmata non impedimentum cognitionis, ſed connaturale inſtrumentum; inſtrumentum enim non eſt impedimentum, ſed requiſitum ad operandum. Fateor igitur quòd cognitionis noſtræ impedimentum ſit propter peccatum, nego tamen intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, eſſe impedimentum. Inſtrumentum enim vt dicebamus, non impedit operantis executionem, ſed expedit. Vnde in Chriſto Domino fuit intellectio per conuerſionem ad phantaſmata, & ſimiliter in Adam ante peccatum, abſquè omni veræ contemplationis impedimento. Et hoc idem dicendum eſt de anima in corpore glorioſo ſi intelligere ei placuerit per ſpecies quas à phantaſmatibus abſtraxerat.

Scotus. 14 Idquè videtur ex parte amplius cognouiſſe Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 8. §. *Reſpondeo intellectus noſter.* vbi quamuis in 1. negauerit procedere ex naturali cauſa, quòd intellectus per conuerſionem ad phantaſmata cognoſcat, expreſsè tamẽ ibi hoc nobiſcum affirmat, his verbis. *Reſpondeo intellectus noſter pro ſtatu iſto non eſt natus moueri immediatè niſi ab aliquo imaginabili, vel ſenſibili extra prius moueatur. & quare hoc? Fortè propter peccatum ſicut videtur Auguſtinus dicere 15. Trinit. cap. vlt. hoc tibi fecit infirmitas. & quæ cauſa infirmitatis? niſi iniquitas, &c. vel fortè iſta cauſa eſt naturalis pro vt natura iſto modo inſtituta eſt. Non abſolutè naturalis: puta ſi ordo iſte potentiarum, de quo dictum eſt in 1. diffuſè, neceſſariò hoc requirat, quodcumquè vniuerſale, intellectus intelligat. Oportet phantaſiam actu phantaſiare ſingulare eiuſdem, ſed hoc non eſt ex natura. Nec iſta cauſa eſt abſolutè naturalis, ſed eſt ex peccato, & non ſolùm ex peccato, ſed etiam ex natura potentiarum pro ſtatu iſto. quidquid dicat Auguſtinus.* Hæc ille. Vbi Scotus modo recurrit ad peccatum, modo ad cauſam naturalem, modo refugit ad cauſam naturalem recurrere, & tandem ad vtrumque confugit, dicens. *Ex peccato, & non ſolùm ex peccato, ſed etiam ex natura potentiarum pro ſtatu iſto.* Quòd ſi ſemel Scotus concedat, id, ex natura potentiarum prouenire pro ſtatu iſto, non poterit ſaluare, quòd in corpore glorioſo anima ſi intelligeret per ſpecies à phantaſmatibus acceptas, non conuerteret ſe ad phantaſmata. Nam natura potentiarum pro ſtatu iſto, eſt natura potentiarum pro ſtatu, in quo anima ineſt corpori, & nõ ſolùm ex peccato, ſed etiam ex natura potentiarum. Ergo etiam in corpore glorioſo id continget. Quare non conſequenter Scotus, &c. Scotus.

15 Eſt etiam breuiter obſeruandum, quòd ineptè Scotus refellit Auguſtinum, dicens. *quidquid dicat Auguſtinus.* Quoniam D. Auguſtinus quando id ad infirmitatem, iniquitatemquè refundit, loquitur ſecundùm quòd phantaſmata non ſunt ita expedita, & ita apta ad intelligendum, ſicuti fuiſſent, ſi Adam fuiſſet abſquè peccato; non autem de conuerſione ad phantaſmata abſolutè. Sic igitur inſtauratur argumentum contra Scotum. Quòd homo intelligat tantummodo materialia, vel ſenſibilia, tanquàm obiecta motiua, prouenit ex modo eſſẽdi ipſius, quia ſcilicet, eſt in ſtatu iſto. Ergo modus cognoſcendi per Scotum proportionatur modo eſſendi cognoſcentis; & quando modus eſſendi obiecti cogniti excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non poteſt naturaliter, & quidditatiuè cognoſci, à cognoſcente habente modum eſſendi inferiorem. Scotus. D. Aug.

16 Idem deducitur ex eodem Scoto in 2. d. 9. quæſt. 2. §. *Ad ſecundam, ſi arguitur.* vbi ſic ait. *anima non tantùm vnitur corpori vt operetur circa corpus, ſed vnitur vt totum compoſitum ſit, cuius ipſa eſt pars; ita quòd totum operans, habet corpus: non tantùm pro obiecto; ſed pro parte operantis, non ſic autem Angelus.* Hæc ille. Ergo ad mentem Scoti, modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. Nam per ipſum, anima vnitur corpori etiam vt accipiat ſcientiam à rebus, & hoc non eſt propter aliquam peccati pœnam, ſed tantummodo propter naturalitatem. Scotus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Argumenta pro Scoto proponuntur, & diſſoluuntur.

17 COntra iſtam determinationem obijciet aliquis pro Scoto primò. Si ratio D. Thomæ eſſet vera, ſequeretur quòd intellectus humanus nullo modo poſſet ſubſtantias à corpore abſtractas quidditatiuè intelligere: ſed hoc eſt falſum. Ergo & illud vnde ſequitur. Probatur ſequela. Quia modus eſſendi ſubſtantiarum ſeparatarum eſt excedens modum eſſendi animę ſeparatæ. Nam ſubſtantiæ ſeparatæ, nempè Angeli, ſubſiſtunt completè, anima verò, eſt quid incompletum. Ergo modus eſſendi ſubſtãtiarum ſeparatarum excedit modum eſſendi animæ ſeparatæ.

18 Reſpondetur negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Modus eſſendi ſubſtantiarum ſeparatarum eſt excedens modum eſſendi animæ ſeparatæ, intra eundem gradum cognoſcentium, & cognoſcibilium, concedo antecedens. In diuerſo gradu, nego antecedens. Ergo, &c, nego conſequentiam.

19 Explicatur iſta reſponſio. Quamuis omnes ſubſtantiæ ſeparatæ ad inuicem realiter, & ſpecificè diſtinguantur, nihilominus omnes ſub vno gradu cognoſcentium collocantur: Quandoquidem, cognoſcentium gradus quatuor ſunt. Eorum, .ſ. quę ſunt in materia indiuiduali immerſa. Eorum, quæ ſpiritualia ſunt, exiſtunt tamen in materia, non autem in materia immerſa. Eorum, quę omninò à materia ſeparata ſubſiſtunt, ſed cum potentialitate. Et tandem Dei, qui eſt omninò ſpiritualis, cũ puritate actus. Omnes igitur ſubſtantiæ ſeparatæ creatæ ſub tertio cognoſcentium gradu reponuntur. Quòd ſi inter ipſas, altera eſt altera, & altera alia perfectior, hoc eſt intra eumdem cognoſcentium gradum, & adhuc ratione huius exceſſus, in modo eſſendi imperfectior cognoſcendi modus in vna, quàm in altera inuenitur, vel in ordine ad obiectum proportionatum, & connaturale, vel ad minus. quo admodum intelligendi. Quapropter anima intellectiua etiam à corpore ſeparata intelligit Angelos quidditatiuè, ſed non tam perfectè, quemadmodum Angelus Angelum; Et vnus Angelus alio imperfectior, intelligit per ſpecies perfectiores, atquè vniuerſaliores. Et hoc eſt quod dicunt, ac dicere volunt reliqui Thomiſtæ, nempè quòd modus eſſendi vnius Angeli, & modus eſſendi alterius, ſeù modus eſſendi omnium Angelorum, & modus eſſendi animæ ſeparatæ, differunt ſecundùm rationem ſpecificam, quam Ego voco diſtinctionem intra eumdem gradum, non verò ſecundùm rationem genericam, quam ego voco diſtinctionem in diuerſo gradu.

20 Contra hanc reſponſionem ſub titulo de non exceſſu ſecundùm rationem genericam, & exceſſu ſecundùm rationem ſpecificam, Vulpes tom. 1. d. 23. ar. 4. concl. 2. quatruplicter arguit. Vulpes

21 Primò. *Hæc reſponſio non ſatisfacit adæquatè argumento, quod præſertim probat intellectum humanum ſeparatum naturaliter non poſſe cognoſcere ſubſtantias abſtractas (conceſſa hypoteſi D. Thomæ) quod eſt rationi diſſentaneum. Cum Angelorum conſideratio ſit ſimpliciter naturalis, ſpectans ad metaphyſicam ſcientiam.*

22 Secundò. *Conuenientia illa in modo eſſendi generico inter Angelos, non eſt formaliter à parte rei in ſententia ipſius Sancti Thomæ, non admittentis à parte rei formalem diſtinctionem inter realitatem generis, & realitatem differentiæ, inter gradum genericum, & ſpecificum. Ergo à parte rei remanet formaliter exceſſus in modo eſſendi: cum ſecundùm ipſum omnes Angeli differant ſpecie.*

23 Tertiò. *Cum Angeli omnes ſecundùm Thomiſtas ſint ſuaptè natura ſubſiſtentes, ſingulares ſpiritualeſquè omnino à parte rei iudicantur rectè in gradu generico conuenire aliquo modo in modo naturali eſſendi cum ipſo Deo. Ergo naturaliter Angeli Deum beatificè attingere poſſunt, quod eſt error in fide. Neque è poteſt abeſſe compoſitio à parte rei in Angelis, cum compoſitio in eis non ſit phyſica ex materia, & forma, ſed metaphyſica, penes inadæquatos conceptus in eorum ſententia. Ideoquè non per diſtracta formaliter à parte rei, ſed ſolùm comparatione creati intellectus.*

24 Vltimò. *Si inter potentiam, & obiectum, foret neceſſaria coæquatio in modo eſſendi, ſaltem generico; quando obiectum huiuſmodi non habet coæquationem, eſſet prorſus impoſſibile, poſſe à potentia attingi, atquè ita, creatus intellectus nequiret naturaliter videre accidentia ſupernaturalia, naturam creatam perficientia; nec accidentia ſenſibilia quæ genere differunt generaliſſimo, à creato intellectu. Non priora, quia cum ſint ordinis diuini, & ſuaptè natura ſupernaturalia, in eorum ſententia ſuperant modum eſſendi intellectus prædicti. Non poſteriora quia in modo eſſendi deficiunt.*

25 Vulpes, D. Thomæ, ac Thomiſtarum dogmata non intelligit, & dum per ſupradicta quatuor argumenta ea demoliri conatur, occaſionem præbet, vt à cæteris vera, ac firma eſſe noſcantur. Vnde. Vulpes.

26 Ad primam impugnationem reſpondetur, negando antecedens, quod tenebatur probare, & non probat. Hoc enim argumen-

mentandi modo, omnes reſponſiones tam veræ, quàm falſæ de facili impugnantur, dicendo, reſponſio non ſatis facit argumento. Ergo non eſt bona. Hoc eodem prorſus modo prima impugnatio à Vulpes in præſenti propoſita procedit.

27 Ad ſecundam impugnationem Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Conuenientia illa in modo eſſendi generico inter Angelos non eſt formaliter vna poſitiuè à parte rei in ſententia Sancti Thomę, concedo antecedens. Non eſt formaliter vna negatiuè, à parte rei, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam. Vel diſtinguo conſequens. Ergo à parte rei remanet formaliter exceſſus, in modo eſsendi ſpecifico, concedo conſequentiam. In modo eſſendi generico, nego conſequentiam. Nam quamuis omnes Angeli differant ſpecie, non tamen differunt genere.

28 Reſpondetur Secundò ſub alijs verbis, diſtinguendo antecedens. Conuenientia illa in modo eſſendi generico inter Angelos, non eſt formaliter à parte rei, neque à p.r. formaliter diſconueniētia. cōcedo antecedēs. & à p.r. eſt formaliter diſcōuenientia. nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem concedo antecedens,& nego conſequentiam.

29 Ad tertiam impugnationem Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Angeli omnes ſecundùm Thomiſtas, &c. iudicantur rectè in gradu generico analogico, conuenire aliquo modo, in modo naturali eſsendi cum ipſo Deo, concedo antecedens. In gradu generico vniuoco, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam. Nam Angelus, & Deus quo ad modum eſſendi immaterialitatis conſtituentis modum cognoſcentis,& cognoſcibilis, ſe habent vt actus purus,& vt quid potentiale. Vt ſuū eſse,& vt eſse dependens, inter quæ non poteſt eſſe vniuocatio. Subſiſtentia autem, & immaterialitas Angeli, eſt participata, & non eſt ipſum eſse ſubſiſtens, eſt potentialis, non autem actus purus: At verò ſubſiſtentia,& immaterialitas Dei eſt imparticipata,& ipſum eſse ſubſiſtens, & actus purus.

30 Illud autem quod de compoſitione dicit, nempè quòd non poteſt *obeſſe compoſitio à parte rei in Angelis, cum compoſitio in eis non ſit phyſica, ex materia, & forma, ſed metaphyſica, penes inadequatos conceptus in noſtra ſententia. Ideoquè non per diſtincta formaliter à parte rei, ſed ſolùm comparatione creati intellectus.* Ni fallor ego, nec rectè loquitur,& quid ſibi velit ignorat. Etenim in ſententia D. Thomæ, & Thomiſtarum, in Angelis compoſitio ex materia,& forma negatur, vera tamen compoſitio ex eſse, & eſsentia, nullo intellectu cogitante admittitur, & defenditur. Ergo non benè dicit, quòd in ſententia Thomiſtarum, ex hoc quòd Angelis compoſitio ex materia,& forma phyſica omninò negatur, quòd per nos nulla alia realis compoſitio in eis inueniatur, ſed tantummodo ea, quę per inadæquatos noſtri intellectus cōceptus ab arguente tribuit.

31 Et inſuper compoſitio, quæ eſt ex genere, & differentia in Angelis, quamuis ſit logica,& metaphyſica, fundatur tamen ſuper realem ipſorum potentialitatem. Et deniquè D. Thomas docet, quòd modus eſſendi per abſtractionem omnimodam à materia, reſpectu eorum quæ non ſunt ſuum eſſe ſubſiſtens, ſed participatum, & potentiale, differt à modo eſſendi Dei, per hoc quòd immaterialitas Angelorum non eſt ſuum eſſe ſubſiſtens, ſed eſt habens eſſe. Immaterialitas verò Dei eſt ipſum eſſe ſubſiſtens. Quid ergo ſibi vult arguens, ad compoſitionem ex ſolo genere, & differentia recurrens, dicens, *nihil obeſſe,&c.* Verum eſt quòd ad hoc quòd eſt eſſe ſuum eſſe,& ad puritatem actus, ſequitur ſimplicitas,& ad potentialitatem, ſequitur compoſitio vera,& realis, & ſi non phyſica ex materia, & forma, ad minus ex eſſe, & eſſentia iuxta viam D. Thomæ. Attamen D. Thomas inter modum eſſendi naturæ cognoſcentis Angelorum, & modum eſſendi naturæ diuinæ in ratione cognoſcitiuæ diſcrimen aſſignat per hoc, quòd Deus eſt ſuum eſſe, Angeli autem ſunt habēres eſſe. Ad primum eſſendi modum, ſequitur ſimplicitas. Ad ſecundum, compoſitio realis ex materia,& forma, vel ex eſſe, & eſſentia, & ex genere, & differentia, quæ compoſitiones, imperfectionem dicunt.

32 Ad quartam impugnationem Reſpondetur, quòd doctus, ac ſincerus aduerſarius, doctrinam quam impugnat peruidere tenetur, non autem reſponſionem, & explicationem pluries auditam, ſilere, ac veram peruertere. Diuus Thomas in hoc articulo intendit probare, & efficaciter probat, creaturam intellectualem non poſſe per ſua naturalia Deum quidditatiuè, & intuitiuè cognoſcere, quia obiectum quidditatiuè cognitum non poteſt excedere modum eſſendi naturæ cognoſcentis, non tamen ait, ſemper, & indiſpenſabiliter, ſeu neceſſariò inter quodcumquè obiectum qualitercumquè cognitum interuenire coæquationem cum modo eſſendi naturæ cognoſcentis. Vnde ad impugnationem

33 Reſpondetur negando ſuppoſitum antecedentis. Supponit enim, quòd ratio D. Thomę fundetur in coæquatione inter potentiam,& obiectum, quod eſt falſum. Nam loquitur de connaturali modo cognoſcendi, reſpectu cuius, obiectum cognitum vel debet coæquari cum natura cognoſcente, vel non debet illam excedere, vel modus eſſendi naturæ cognoſcentis debet excedere modum eſſendi obiecti cogniti, vel tandem

dem

Digitized by Google

dem ſi obiectum cognitum habet modum eſſendi excedentem modum eſſendi naturæ cognoſcentis, cognitio non erit naturalis, ſed ſupra naturam.

34 Deinde, volens arguere contra Sanctum Thomam arguit contra Scotum, dum probat eſſe inconueniens aſſerere, quòd intellectus creatus per ſua naturalia non poſſit accidentia ſupernaturalia cognoſcere. Nam Scotus in q. 1. prolog. §. *nota*, & infra, omnino negat huiuſmodi ſupernaturalia poſſe lumine naturali cognoſci. Quare, &c. Scotus.

35 Obijcies Secundò. Quia inter obiectum cognitum, & potentiam cognoſcitiuam, nõ oportet eſſe aſſimilationem in modo eſſendi. Ergo nulla eſt ratio D. Thomæ. Probatur antecedens. Quia potentia, & obiectum ſe habent vt motiuum, & mobile, & ita ſe habent vt diſſimilia: Quia vt actus, & potẽtia: ſunt tamen proportionata: Quia iſta proportio requirit diſſimilitudinem proportionatorum: ſicut communiter dicitur in omni proportione: ſicut patet de materia, & forma, parte, & toto, cauſa, & cauſato, & ceteris proportionalibus. Igitur ex modo eſſendi talis potentiæ, non poteſt concludi ſimilis modus eſſendi in obiecto.

36 Reſpondetur ſuppoſita explicatione doctrinæ D. Thomæ prius tradita, negando antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Potentia, & obiectum ſe habẽt vt motiuum, & mobile, in eſſe intelligibili, cõcedo antecedens. In eſſe entitatiuo, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et eodem modo reſpondendum eſt ad probationem.

37 Explicatur iſta reſponſio. Obiectum, & potentia non ſe habent vt motiuum, & mobile, in eſſe entitatiuo, quaſi ſenſus ſit, quòd obiectum tangat intellectum, & intellectus ab obiecto patiatur, veluti ſubiectum, in ſe recipiẽs actionis effectum. Quandoquidem intellectus recipiens ſpeciem intelligibilem tanquàm ſubiectum illius, patitur paſſione quadam perfectiua, non quidem in eſſe intelligibili, ſed in eſſe entitatiuo. Non enim eſt de ratione ſpeciei intelligibilis vt ſic, intellectui inhærere, ſed qua accidens eſt, vt rectè obſeruat ipſemet Scotus in 1. diſtin. 3. q. 8. §. *Reſpondeo ad primam*. Dicitur igitur intellectus mobilis ab obiecto, & obiectum dicitur mouens in eſſe intelligibili; & ſenſus eſt iſte. Obiectum per ſe ipſum, vel per ſpeciem intellectui vnitũ, intrinſecè terminat intellectum reſpectu ſuæ cognitionis, ita videlicet, vt intellectus per virtutẽ actiuam luminis concurrat ſimul cũ obiecto ad efficiendam cognitionem. Itaquè intellectus non ſe habet vt purè mobilis, vel vt purè materia reſpectu obiecti, quaſi ipſe non ſit cauſa principalis, & magis principalis ſuæ cognitionis, quàm ſit ſpecies, ſeu obiectum. Scotus.

38 Doctrina eſt eiuſdem Scoti in 1. diſt. 3. q. 8. §. *cum arguitur*, vbi hæc habet verba. Scotus.

Alia eſt indeterminatio materialis propter defectum actus, Alia eſt indeterminatio agentis propter illimitationem virtutis actiuæ. Et paucis interiectis, ſic ſubdit. *Ita in propoſito, indeterminatio intellectus non eſt indeterminatio potentialitatis paſſiuæ in ordine cauſalitatis, ſed eſt indeterminatio actualitatis, quaſi illimitatè, & ideo non determinatur per formam, quæ ſibi ſit ratio determinatè agendi, ſed tantummodo per præſentiam obiecti, circa quod determinatum, nata eſt eſſe determinata intellectio.*

39 Et in §. *vel aliter*, idem explicans ſic ait. *Sicut cauſa ſuperior determinatur ad agendum, concurrente aliqua particulari cauſa inferiori, ita intellectus, qui eſt cauſa ſuperior, & cauſa illimitata determinatur ad hoc obiectum concurrente cauſa particulari determinata, puta ad agendum circa hoc obiectum, concurrente hac ſpecie. Non enim iſtud determinans,* Nota, *determinat effectiuè cauſam indeterminatam ſuperiorem, neque formaliter, ſicut ratio agendi, ſed ſic determinat, hoc eſt virtus actiua ſuperior indeterminata, poteſt in determinatum effectum tali virtute inferiori determinata concurrente. In quibus verbis quamuis aliqua à nobis* ſupra impugnata contineantur, tamen pro huius argumenti ſolutione optima ſunt, & contra Scotum arguentem militant.

40 Idem ex eodem Scoto in 2. diſt. 3. q. 3. §. *ad 2. dico*, colligitur, vbi hæc habet verba. Scotus.
Intellectus habet actiuitatem ſuam propriam ſiuè obiecto præſente in ſe, ſiue in ſpecie ſua, cõcurrente ſecum, ad cauſandum effectum communem amborum, ita quòd ſufficit vnio, & approximatio iſtarum partialium cauſarum; nec tamen requiritur, quòd altera alteram informet; quia neutra dat alteri actum pertinentem ad ſuam cauſalitatem partialem. Hæc ille.

41 Ex quibus verbis habetur primò, quòd non eſt neceſſè vt obiectũ informet intellectũ. (Intellige de informatione inhæſiua) quamuis neceſſè ſit, quòd intellectũ informet in eſſe intelligibili, formaliter illum terminãdo. Habetur ſecundò, quòd intellectus habet ſuam actiuitatem ad intellectionem, imo magis principaliter concurrit intellectus quàm obiectum, iuxta doctrinam eiuſdem Scoti in 1. diſt. 3. q. 9. & in quæſt. quodlibetalibus quæſt. 14. Quibus poſitis, explicet modo Scotus, quomodo verum ſit, quòd potentia, & obiectum ſe habet tantũmodo vt motiuum, & mobile, vt actus, & potentia, vt materia, & forma. quòd ſi vltra rationem mobilis, & motiui, admittat, quod docuit in 2. diſt. 3. loc. iam citato, intellectum concurrere ſua propria, ac principali efficientia, licet, partiali, reſpectu intellectionis, in ordine ad obiectũ intelligibiliter mouẽs, quare diſſimilitudinem in modo eſſendi interuenire poſſe affirmat, taliter, quod modus eſſendi obiecti cogniti per vires naturales cognoſcentis modum eſſendi naturæ cognoſcentis excedat? Scotus.

42 Quantùm verò ad illud quod ſubdit; nempè, quòd *potentia, & obiectum ſe habent vt diſſimilia*. Dupliciter intelligi poteſt. Primò, quòd ſe habeant vt diſſimilia, quo ad denominationem cognoſcentis, & cogniti; & hoc verum eſt, ſed nihil ad propoſitum. Nam Angelus, vt cognoſcens, & idem Angelus vt cognitus, quo ad denominationem cognoſcentis, & cogniti, diſſimilantur. Sed non propterea ſequitur, quòd in modo eſſendi non debeant conuenire. Secundò. Quòd ſe habeant vt diſſimilia in modo immaterialiter eſſendi, & hoc reſpectu obiecti connaturalis; Falſum aſſumit, nec vnquàm probare potuit: Sic autem eſt in caſu noſtro. Quamuis enim cognoſcens connaturaliter, & connaturaliter cognitum, quo ad denominationem cognoſcentis & cogniti, diſſimilentur; tamen quo ad modum eſſendi immaterialiter, debent neceſſariò ad inuicem conuenire, ad minus ſub vna ratione generica, ſeu ſub vno formali modo eſſendi intra eumdem gradum.

43 Dices pro Scoto. Poſſunt eſſe plures modi ad minus intra eumdem gradum ſpecificè diuerſi, id eſt, in ratione ſpecifica entitatiua, ſub vno modo cognoſcendi, ita quòd aliqualiter modus eſſendi obiecti cogniti, poſſit eſſe perfectior, modo eſſendi naturæ cognoſcentis. Ergo poterit dari aliqua creatura quæ per ſua naturalia, Deum quidditatiuè cognoſcat, & tamen modus eſſendi Dei, aliqualiter excedat, modum eſſendi creaturæ; & ſic illa creatura, non eſſet ſuum eſſe ſubſiſtens, ſeu Deus. & conſequenter nõ eſſet vltra terminos creaturæ.

44 Reſpondetur concedendo antecedens; & negando conſequentiam; & ratio diſcriminis eſt manifeſta. Quia potentiale, vt potentiale eſt, in infinitum ab actu puro diſtat; & conſequenter, ſub vna & eadem ratione formali, omnimodæ abſtractionis à materia, poſſunt eſſe plures, ac plures eſſendi modi, vnus alio perfectior: At verò Actus purus, ex hoc quòd actus purus eſt, vnus eſt; & ideo ſi aliqua creatura, haberet eumdem modum eſſendi in ratione cognoſcentis formaliter, cum modo eſſendi Dei; eſſet Deus. Quia modus eſſendi Dei, in ratione cognoſcibilis, eſt eſſe immateriale ſubſiſtẽs, & ſuum eſſe, ſeu actus purus.

45 Obijcies Tertiò, ex eodem ibidem, paulo poſt. Non ſequitur. Oculus videns per ſpeciem obiecti, aſſimilatur obiecto. Ergo viſus habet ſimilem modum eſſendi modo eſſendi obiecti: & ita vlterius, ſicut quædam viſibilia, habent materiam, quæ eſt cauſa corruptionis, & contradictionis, vt mixta, quędam carent tali materia, vt corpora cęleſtia, ita erit quidam viſus in materia tali; quidam ſine materia tali; vel quoddam organum tale, & quoddam non tale. Vel adhuc magis ad propoſitum, Idea in mente diuina quæ eſt ſimilitudo obiecti eſt immaterialis. Igitur & lapis cuius eſt idea, eſt immaterialis.

46 Reſpondetur, & ante reſponſionem eſt breuiter obſeruandum, quòd duplex eſt per ſe modus rei cognitæ. Vnus dicitur per ſe ſpectans ad rem quo ad modum phyſicè eſſendi, non verò per ſe ad rem vt cognitam, verbi gratia, Sol habet per ſe modum incorruptibiliter exiſtendi, qui tamen ad Solem in modo eſsendi ita pertinet, vt impertinenter ſe habeat ad per ſe viſibilitatis modum, ita enim Solis rota per ſe viſibilis eſt, cum modo incorruptibili, quæ de facto habet, ac ſi corruptibilis eſſet. Alter verò dicitur per ſe modus rei, ſpectans ad rem non ſolùm ad phyſicè eſſendum, ſed etiam ad hoc, quòd cognoſcatur, verbi gratia, eſſe ſenſibile in ſingularitate, ſecundùm quòd ſcilicet, eſt in materia indiuiduali. Eſſe ſenſibile in communi. Subſiſtere tanquàm aliquod ſpirituale potentiale, Et tandem ſine omni potẽtialitate cum puritate actus. Quando D. Thomas dicit, quòd modus eſſendi obiecti naturaliter, & quidditatiuè cogniti non debet excedere modum eſſendi naturæ cognoſcentis naturaliter, & quidditatiuè, loquitur de per ſe modo eſſendi, hoc ſecundo modo, non autem primo.

47 Reſpondetur igitur, negando antecedens, loquendo de modo eſſendi obiecti in ratione obiecti; Nam benè ſequitur oculus videns per ſpeciem obiecti connaturaliter, & quidditatiuè cogniti, aſſimilatur obiecto. Ergo viſus habet ſimilem modum eſſendi per ſe conuenientem viſui in ratione videntis, & quod vlterius deducit, nempè, quòd erit quidam viſus in materia tali, & quidam ſine materia tali, &c. euidenter conſtat eſſe falſum. Quia eſſe in tali, vel tali materia, non ſunt modi per ſe conuenientes naturæ viſiuæ, in ratione viſiuæ: nam ſi potentia viſiua corporea haberet modum eſſendi incorruptibilem, etiam eſſet eodem modo ſicuti de facto eſt, quo ad rationem formalem potentiæ viſiuæ, eſt adeo friuolum hoc argumentum, vt Caietanus dixerit, *hoc eſſe puerile*.

48 Reſpondetur ad aliam inſtantiam de Idea, quã Scotus ait eſſe *magis ad propoſitum*, primò, quòd Scotus decipitur, exiſtimans ideam lapidis in mente diuina eſſe ſimilitudinem obiecti ſeu ipſum obiectum diſtinctum tantummodo in modo eſſendi, quoniam ſecundùm Sanctum Thomam, Idea in mente diuina eſt ipſamet diuina eſſentia vt imitabilis à creatura, vt videbimus infra quæſt. 15. ſecundò dato quòd idea in mente diuina ſit ipſummet obiectum diſtinctum tantummodo in modo eſſendi, reſpondetur diſtinguendo antecedens. Idea eſt immaterialis quantùm ad modum eſſendi ve- Scotus.

Digitized by Google

di veluti inhæſiuum, concedo. Quantùm ad modum eſſendi veluti obiectiuum, nego. Quare nihil ad propoſitum affert.

49 Obijcies Quartò, ex eodem in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. *reſpondeo dicitur*, non multò ante medium. Ens *ordinatum ad finem ſuum proximum habet proportionem immediatam ad illum, & tamen diſtat in infinitum à fine, nec tamen impedit hoc, proportionem eius quod eſt ad finem: Ad illud genus proportionis pertinet proportio obiecti, & actus.* Hæc ille, & clarius ſic formari poteſt. Quod eſt ad finem habet proportionem cum illo naturaliter: ſed hoc non obſtante modus eſſendi finis excedit modum eſſendi eius quod eſt ad finem. Ergo ſimiliter poteſt aliquod obiectum naturaliter cognoſci, non obſtante quòd modus eſſendi illius excedat modum eſſendi naturæ cognoſcentis. Conſequentia patet. Quia vtrobiquè eſt æqua ratio.

50 Reſpondetur concedendo maiorem, minorem, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt manifeſta, eo quia ratio finis conſiſtit in maiori, & ſumma perfectione ſupra perfectionem operantis, atquè ad finem tendentis. At verò ratio obiecti connaturaliter, & quidditatiuè cognoſcibilis, fundatur ſupra proportionem immaterialitatis cum natura cognoſcitiua. Quare, &c.

Obijcies Quintò ex eodem ibidem, paulo ante, *Si hoc eſt uerum*, nempè quòd modus eſſendi obiecti cogniti non poteſt excedere modum eſſendi naturæ cognoſcentis, *tunc nec cum lumine gloriæ uel quocumquè habitu eſſet poſſibile creaturæ uidere Deum, quia eſſe Dei excedit modum eſſendi ipſius, imo totum ipſum, intellectum, & habitum, & lumen.* Hæc ille.

Scotus. 51 Admirabile Scoti ingenium ſi ſua reuidiſſet opera, quemadmodum multi facere potuerunt, inter alia abſquè dubio, hunc argumentandi modum correxiſſet. Etenim D. Thomas non ſub velamine, ſed apertè in hoc articulo dixit, quòd modus eſſendi naturæ cognoſcentis aliquod obiectum naturaliter, & quidditatiuè non debet excedi à modo eſſendi obiecti quidditatiuè, & naturaliter cogniti, quòd ſi modus eſſendi obiecti cogniti excederet modum eſſendi naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio ſit ſupra naturam illius. Itaquè D. Thomas non aſſumit dictā propoſitionem, ad probandum quòd in omni cognitione requiratur vt modus eſſendi obiecti non excedat modum eſſendi naturæ cognoſcentis, quoniam hoc eſt apertè contra Sanctum Thomam; ſed aſſumit illam propoſitionem, ad probandum quòd non poteſt intellectus creatus per ſua naturalia videre Deum. Vnde

D. Thom.

52 Reſpondetur in forma ad argumentum, negando ſequelam. Ad cuius probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Peccat enim per fallaciam, quæ eſt ſecundùm non cauſam vt cauſam. Vide quæ diximus diſp. 4 . num. 21.

53 Pro cuius tamen completa notitia eſt breuiter obſeruandum, quòd cognitum tribus modis poteſt eſſe in cognoſcente, ſeu tres ſunt modi quibus cognoſcens dicitur in ſe habere obiectum cognitum. Naturalis, Eſſentialis, & Supernaturalis. Naturalis, ille dicitur, qui eſt ſecundùm naturæ vires, ſeù ſecundùm vires naturaliter conuenientes naturæ cognoſcenti, & ſic omne quod cognoſcitur ab homine per lumen intellectus agentis, eſt in eius intellectu iuxta modum naturalem illius. Eſſentialis eſt ille qui ex viſceribus eſſentiæ ſequitur, illamquè ſemper comitatur; & ſic in intellectu creato, eſt finito modo cognoſcere. Vnde etiam ſi cognoſcat Deum, clarè, & diſtinctè, finito modo illum cognoſcere debet. Supernaturalis verò tunc eſt, quando per vires nullo modo naturæ debitas, ſed ſunt ordinis ſupernaturalis, ſicut cum per fidem, vel per lumen gloriæ ſupernaturalia cognoſcit. Semper verum eſt, quòd omne cognitum eſt in cognoſcente, iuxta modum eſſentialem cognoſcentis, ita tamen, quòd quando obiectum cognitum excedit modum eſſentialem naturæ cognoſcentis, debet eſſe capax, vt per modum ſibi extrinſecum poſſit eſſe in cognoſcēte, aliàs cognoſci non poſſet. Vnde ſi Deus non poſſet niſi infinitè cognoſci, nullo modo ab intellectu creato cognoſceretur. Non tamen ſemper cognitum eſt in cognoſcente iuxta modum naturalem, nequè iuxta modum ſupernaturalem cognoſcenti conuenientem; ſed quando per vires naturales cognoſcentis eſt cognitum, dicitur eſſe in cognoſcente iuxta modum eſſentialem, & naturalem, id eſt iuxta modum eſſentialem, & vires naturaliter illi conuenientes. Quando verò per vires ſuperioris ordinis, tunc cognitum eſt in cognoſcente iuxta modum eſſentialem, & ſupernaturalem cognoſcentis, non autem iuxta naturalem. Quando igitur D. Thomas probat non poſſe intellectum creatum per ſua naturalia videre Deum, quia modus eſſendi obiecti cogniti non debet excedere modum eſſendi naturę cognoſcentis, loquitur de modo eſſendi obiecti naturaliter cogniti, & de modo eſſendi naturæ cognoſcentis, iuxta vires ſibi naturaliter conuenientes. In prima tamen propoſitione, nempè quòd cognitio contingit ſecundùm quòd *cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognitionis*, loquitur de modo eſſendi eſſentiali, de modo verò eſſendi naturali, & ſupernaturali, iuxta proportionem accommodam, vt in commentario articuli explicauimus. Recole ea quæ ibi diximus, ſi placet.

Digitized by Google

54 Pro completa autem huius, & ſequentis diſputationis, præſentis, & ſubſequentis articuli intelligentia, eſt obſeruandum, quòd lumen naturaliter ſufficiens ad aliquod obiectum quidditatiuè cognoſcendum, eſt proportionatum modo eſſendi naturæ cognoſcentis, ita quòd, quotieſcumquè lumen eſt naturaliter ſufficiens alicui cognoſcenti, debet eſſe proportionatum, ſeù commenſuratum modo eſſendi illius. Vnde quia intellectus noſter habet ſufficiens, ac naturale lumen, vt poſſit ſubſtantias ſeparatas intelligere, ſequitur quòd debet quoquè habere modum eſſendi tali lumini proportionatum. Modus autem eſſendi quem habet intellectus noſter dum anima corpori eſt vnita, non eſt proportionatus lumini intellectus noſtri adæquatè ſumpti, & propterea homine corrupto, anima eius remanet, eiquè competit ſeorſim à corpore exiſtere, & tunc habet modum eſſendi proportionatum, vt per illud lumen cognoſcat ſubſtantias ſeparatas.

55 Ex quo collige, quòd animæ à corpore ſeparatæ non aduenit nouiter, peculiare lumen ſibi connaturale, ſed illud omnino idem quod habebat dum exiſtebat in corpore, perſeuerat. Solummodo, tantum ac tale lumen ei nouiter aduenit, quantum per habitum ſcientiæ infuſæ à Deo ſuperadditur. Et quamuis corpori vnita, idem lumen naturale habebat, quod eidem ineſt ſeparatæ, non propterea ad ipſarum ſubſtantiarum ſeparatarum naturaliter valuiſſet pertingere; non quidem ob luminis inſufficientiam, ſed propter coniunctionem ad corpus, à quo quamuis non tanquam ab organo, tamen tanquam ab obiecto, & a ſenſibus tanquam ab eius inſtrumentis, in ſcientiarum acquiſitione neceſſariò dependet: corpus autem, & quæcunquè ſenſibilia, improportionata ſunt ad propriam, & quidditatiuam ſubſtantiarum ſeparatarum

56 cognitionem attingendam. Verumtamen quando eſt à corpore ſeparata, habet modum eſſendi proportionatum, vt poſſit eas connaturaliter intelligere; non quia ſufficit ei modus vt per ſua naturalia ad illarum notitiam ex ſe perueniat, vt quidam exiſtimant; ſed quia, eo ipſo quòd eſt a corpore ſeparata, ſub titulo connaturalitatis, Deum vt authorem naturæ debitorem habet, ad infundendum ei omnes ſcientias naturaliter acquiſibiles. Itaquè in anima noſtra, eſt vnum lumen, & duplex eſſendi modus. Ratione luminis eſt ſufficiens ad cognoſcenda materialia, & immaterialia. Ratione verò modi eſſendi in corpore, habet vt per ſenſus mediante intellectus agentis abſtractione, cognoſcat ſenſibilia, & per ipſa, remouendo, componendo, diuidendo, ac diſcurrendo, ad immaterialia perueniat. Ratione verò ſeparationis, omnium obiectorum naturaliter cognoſcibilium à Deo tanquam ab authore naturæ petit ſpecierum infuſionem. Ex quo ſequitur, quòd ſcitè D. Thomas non in luminis quantitate, ſed in cognoſcentis modo eſſendi fundatur.

Scotus.

57 Obſeruandum deinde, quòd quamuis in ratione ſubſtantiarum ſeparatarum plures modi eſſendi ſpecificè diſtincti inueniantur, non propterea dicendum eſt, quòd multitudo ſpecifica ſubſtantiarum, conſtituat graduum ſpecificam diſtinctionem. Quoniam ſub vno, & eodem gradu omnes collocantur, vt dictum eſt. Vnde ſpecifica ſubſtantiarum ſeparatarum diſtinctio, eſt in modo eſſendi intra eundem gradum, & ſpecifica diſtinctio eſt ſecundùm diſtinctam formalitatem in eſſe phyſico. Quapropter quamuis ſubſtantiæ ſeparatę in eſſe phyſico ſpecificè diſtinguantur, non propterea vna naturaliter, & quidditatiuè aliam non cognoſcit; & vltra hoc, ex eo quia (vt dicebamus) modus eſſendi vnius ſubſtantiæ ſeparatæ eſt inferior, vel præſtantior modo eſſendi alterius, ideo ſequitur, quòd ſubſtantia ſeparata inferior minus perfectè intelligit ſubſtantiam ſeparatam intra tamen eundem gradum perfectiorem, & Angelus ſuperior, vel intelligit plura, quàm inferior, quia videlicet, comprehenſiuè cognoſcit inferiorem, & ab inferiori non comprehenditur, vel ſi non plura, ſuperior perfectius cognoſcit, quàm inferior, ad minus per pauciores, ac vniuerſaliores ſpecies intelligens. Quomodo autem hoc in-

58 telligatur, explicabimus infra quæſt. 54. art. 3. dicendum tamen eſt, quòd quando D. Thomas, ait Angelos ſuperiores intelligere per vniuerſaliores, ac pauciores ſpecies, debet intelligi de Angelis ſuperioribus, & ſi non indiuidualiter, ſeù ſpecificè acceptis, ad minus de Angelorum ſuperioritate quo ad ordines hierarchicos, & ſenſus eſt, quòd Angeli ſuperioris ordinis intelligunt per pauciores, ac vniuerſaliores ſpecies, quàm Angeli ordinis inferioris; Angeli verò intra eundem hierarchiæ ordinem perfectiores, intelligunt eadem obiecta per ęquales ſpecies, ſed limpidiori, ſeù clariori cognitione ex parte cognoſcentis.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam, aliquo creato lumine indigeat.

AD Quintũ ſic proceditur. Videtur, quòd intellectus creatus ad uidendum eſſentiam Dei, aliquo lumine creato non indigeat. Illud enim, quod eſt per ſe lucidum in rebus ſenſibilibus, alio lumine nõ indiget, ut uideatur. Ergo nec in intelligibilib⁹. Sed Deus eſt lux intelligibilis. Ergo non uidetur per aliquod lumen creatum.

Præterea. Cum Deus uidetur per medium, non uidetur per ſuam eſſentiam. Sed cum uidetur per aliquod lumẽ creatum, uidetur per medium. Ergo non uidetur per ſuam eſſentiam.

Preterea. Illud quod eſt creatum, nihil prohibet alicui creaturę eſſe naturale. Si ergo per aliquod lumen creatum Dei eſſentia uidetur, poterit illud lumen eſſe naturale alicui creaturæ. Et ita illa creatura nõ indigebit aliquo alio lumine ad uidendum Deum. Quod eſt impoſſibile. Non eſt ergo neceſſarium, quòd omnis creatura ad uidendum Dei eſſentiam, lumen ſuperadditum requirat.

Sed contra eſt, quod dicitur in Pſal. In lumine tuo uidebimus lumen.

Reſpondeo. Dicendũ, quòd omne, quod eleuatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet, quòd diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam. Sicut, ſi aer debeat accipere formam ignis, oportet, quòd diſponatur aliqua diſpoſitione ad talem formam.

Cum autem aliquis intellectus creatus uidet Deum per eſſentiam, ipſa eſſentia Dei fit forma intelligibilis intellect⁹. Vnde oportet, quòd aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur, ad hoc quòd eleuetur in tantam ſublimitatem.

*Cum igitur uirtus naturalis intellect⁹ creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam uidendam, ut oſtenſum * eſt, oportet, quòd ex diuina gratia ſuperaccreſcat ei uirtus intelligendi.*

Et hoc augmentum uirtutis intellectiuæ illuminationem intellectus uocamus, ſicut, & ipſum intelligibile uocatur lumen, uel lux. Et iſtud eſt lumen, de quo dicitur Apocal. uigeſimoprimo, quòd claritas Dei illuminabit eam, ſcilicet ſocietatem beatorum Deum uidentium.

Et ſecundum hoc lumen, efficiuntur deiformes, id eſt Deo ſimiles; ſecundum illud primæ Io. 3. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & uidebimus eum ſicut eſt.

Ad Primum ergo dicendum, quòd lumen creatum, eſt neceſſarium ad uidendum Dei eſſentiam, non quòd per hoc lumen, Dei eſſentia intelligibilis fiat, quæ ſecundum ſe intelligibilis eſt; ſed ad hoc, quòd intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum.

Sicut & etiam & lumen corporale neceſſarium

FORMATIO Articuli.

BIpartita eſt corporis diſtributio. In prima enim parte ſtatuitur concluſio, eiuſquè probatio, & hoc eſt litteræ intentum principale. In ſecunda verò parte delineatur, ſeù circumſcribitur, quid ſit creatum illud lumen, quo intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam indiget.

Quo ad primam partem, concluſio principaliter intenta non in fronte ponitur, ſed illa eſt, quæ ex ratione, ſeù diſcurſu ſyllogiſtico in principio poſito, deducitur. Concluſio igitur eſt iſta. *Oportet quòd intellectus creato ex diuina gratia ſuperaccreſcat uirtus intelligendi*, quod eſt dicere, intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam aliquo creato lumine indiget.

Probatio eſt iſta. *Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet quòd diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam, ſed cum aliquis intellectus creatus uidet Deum per eſſentiam, ipſa eſſentia Dei fit forma intelligibilis intellectus*, & ſubaudi, quæ eſt excedẽs cuiuſcumquè intellectus creat naturam. Ergo *oportet quòd aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur, ad hoc, quòd eleuetur in tantam ſublimitatem: Sed uirtus naturalis intellectus creati non ſufficit*, ſubaudi, vt diſponat intellectũ ad Dei eſſentiam videndam. Ergo *oportet, quòd ex diuina gratia ſupperaccreſcat ei uirtus intelligendi.*

Quo ad ſecundam partem, quæ ſcilicet ſit hæc intelligendi virtus, explicatur hoc modo. *Hoc augmentum uirtutis intellectiuæ illuminationem intellectus uocamus, ſicut & ipſum intelligibile, uocatur lumen, uel lux.*

Deinde in huius confirmationem ait, D.919. *hoc eſſe illud lumen, de* D.936. *quo dicitur Apoc. 21. quòd claritas Dei illuminabit eam, ſcilicet ſocietatem Beatorum Deum uidentium.*

Et tandem huius luminis effectum declarat dicens. *Et ſecundam hoc lumen efficiuntur Deiformes, id eſt* Art.præc. *Deo ſimiles, ſecundum illud 1. Ioan. 3. cum apparuerit ſimiles ei erimus.*

Ad primum reſpõdetur diſtinguendo antecedens. *Illud quod eſt per ſe lucidum in rebus ſenſibilibus, non indiget alio lumine ut uideatur*, Apoc.21. nõ indiget ipſum, cõceditur antecedens. Non indiget ipſum, Nec indiget lumine potentia, vt vidẽs ipſum, negatur antecedẽs. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens, & per idem patet ad probationem. Nam lumen creatum non eſt neceſſarium propter Deum, ſed ad hoc quòd intellectus fiat potens ad intelligendum, &c.

Ad ſecundum reſpondetur diſtinguẽdo maiorem. *Cum Deus uidetur per medium in quo, non uidetur per ſuam eſſentiam*, conceditur maior. *Cum Deus uidetur per* D.361. *medium ſub quo, non uide-*

detur per ſuam eſſentiam, negatur maior. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad Tertium reſpondetur diſtinguẽdo antecedens. *Illud quod eſt creatum*, & naturale, *nihil prohibet alicui creaturæ eſſe naturale*, conceditur *rium eſt in uiſu exteriori, in quantum facit medium transparens in actu, ut poſſit moueri à colore.*

Ad Secundum dicendum, quòd lumen iſtud non requiritur ad uidẽdum Dei eſſentiam, quaſi ſimilitudo, in qua Deus uideatur, ſed quaſi perfectio quædam intellectus confortans ipſum ad uidendum Deum. Et ideo poteſt dici, quod nõ eſt medium, in quo Deus uideatur: ſed ſub quo uidetur. Et hoc non tollit immediatam uiſionem Dei.

Ad Tertium dicendum, quòd diſpoſitio ad formam ignis, non poteſt eſſe naturalis, niſi habenti formam ignis. Vndè lumen gloriæ non poteſt eſſe naturale creaturæ, niſi creatura eſſet naturæ diuinæ: quod eſt impoſſibile. Per hoc enim lumen fit creatura rationalis deiformis, ut dictum eſt.

antecedens. *Illud quod eſt creatum*, & eſt ſimpliciter ſupernaturale, *nihil prohibet, &c.* negatur antecedens. Ergo, &c. negatur conſequentia; Et ratio eſt, quia lumen gloriæ cum reddat creaturam rationalem Dei formem, eſt ſimpliciter ſupernaturale.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRo tituli intelligentia obſerua, præſentis articuli à præcedenti diſcrimen. Etenim in præcedenti D. Thomas probauit, quod *uirtus naturalis intellectus creati non ſufficit ad Dei eſſentiam uidendam*, vt D. Thomas in huius articuli corpore per eadem omninò verba declarat. In præſenti autem quærit per quid intellectus creatus ad tantam ſublimitatem eleuatur, Verum ſcilicet, per ipſum lumen increatum quod eſt ipſe Deus, an per aliquod aliud lumen ab increato diſtinctum, quod per illa verba inſinuatur, nimirum, *aliquo creato lumine*. Vnde quæſiti ſenſus eſt. Verum intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam, cum lumen eius naturale non ſufficiat, indigeat aliquo lumine ſupernaturali creato, & quodnam ſit huiuſmodi ſupernaturale lumen. Vide Ferrarienſem in 3. cont. gent. cap. 53.

Concluſio eſt de fide certa, vt infra conſtabit.

2 *Omne quod eleuatur ad aliquid quod excedit ſuam naturam, oportet quòd diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam.* Obſerua, quòd non ſolùm omne quod eleuatur ad aliquod excedens ſuam naturam, aliqua diſpoſitione ei ad quod eleuatur proportionata, debet eſſe diſpoſitum; ſed etiam omne quod ad formam deteriorem impellitur, debet aliqua diſpoſitione formę deteriori proportionata diſponi. Itaquè propoſitionis D. Thomæ veritas, ſuper hac vniuerſaliori fundàtur, videlicet. Omne quod ſuſcipit aliquam formam, debet diſponi diſpoſitione illi formæ proportionata. Ergo omne quod eleuatur ad ſuſcipiendam aliquam formam, ſeu aliquod, quod eſt excedens naturam, ſuſcipientis, debet diſponi aliqua diſpoſitione excedente, &c.

3 *Omne quod eleuatur ad aliquid quod excedit ſuam naturam.* Nota ly, *ad aliquid quod excedit*, quoniam inter ſupernaturalia rationalis creaturæ virtutem naturalem excedentia, eiquè conuenientia, quædam ſunt, quæ immediatè creaturæ rationali vniuntur, ad transferendam eam à ſtatu naturalitatis, ad ſupernaturalitatis ordinem, & ſtatum. Huiuſmodi autem ſunt, Gratia ſanctificans, in eſſentia animæ, Fides, & lumen gloriæ, in intellectu, Spes, & Charitas, in voluntate, &c. Quædam verò ſunt, quæ nõ niſi à principio ſibi proportionato in eodem ordine, & quaſi connaturali procedunt, vel non niſi potentiæ, ſufficienter in ordine ſupernaturali conſtitutæ vniuntur, ſeu recipiuntur. Huiuſmodi ſunt actus ſupernaturales, nempè fidei infuſæ, vel viſionis beatificæ ab intellectu procedentes, eidemquè inhærentes. Actus ſperandi in Deum, ac diligendi ſuper omnia Deum, à voluntate procedentes, eidemquè inhærentes, Diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui vnita. &c. Omnia enim iſta nec ſunt immediatè in virtute naturali potentiarum, nec immediatè ab iiſdem per naturale lumen. Per ly Ergo *ad aliquid quod excedit*, D. Thomas intelligit ſupernaturale, vt in ſecunda acceptione, non autem in prima. Et hoc benè nota, quoniam iuxta hanc litterę explicationem, multa aduerſariorum ſophyſmata euaneſcunt, vt magis per extenſum in diſputationibus apparebit.

4 Scio Caietanum, omneſquè Thomiſtas per ly *ad aliquid quod excedit, &c.* exponere, & interpretari, de eo quod in ratione per ſe termini ſupernaturalis generationis rationem habet. Optima quidem expoſitio, & ve-

& vera, quam ego ob tantorum Doctorum authoritatem veneror, tamen quia littera D. Thomæ prægnans eſt, conſequenter vtroquè modo poteſt exponi. Quare, &c.

5 *Aliqua diſpoſitione*, Obſerua, quòd diſpoſitio non eſt aliud, niſi alicuius expedita ad agendum, vel patiendum præparatio; & conſequenter, aliquod eſſe diſpoſitum non eſt aliud, quam eſſe promptum, ac præparatum ad actiuè, vel paſſiuè cocurrendum.

6 Dixi ad actiuè, vel paſſiuè concurrendum, quoniam vtrumquè, agens ſcilicet, & patiens, ad promptè, ac expeditè agēdum, vel patiendum debet eſſe diſpoſitu. Quando D. Thomas dixit *oportet quòd diſponatur aliqua diſpoſitione, &c.* indefinitè locutus eſt, pro quacumquè ſcilicet diſpoſitione iuxta vniuſcuiuſquè diſpoſiti exigentiam.

7 *Sicut ſi aer debeat accipere formam ignis*. Dupliciter intelligi poteſt quòd aer debeat accipere formam ignis, in ſenſu compoſito ſcilicet, & in ſenſu diuiſo. Si in ſenſu compoſito accipiatur, ſenſus eſſet iſte. Aer manens aer, ſi debeat accipere formam ignis, &c. & hic ſenſus non eſt ad mentem litteræ, quia eſt omninò falſus. Etenim, aer & ignis, ſunt duo elementa eſſentialiter, & completè diſtincta. Ergo aer non poteſt fieri ignis. Nequè etiam corpus aeris, & corpus ignis poſſūnt naturaliter eſſe ſimul in eodem loco. Si in ſenſu diuiſo accipiatur, ſenſus eſſet iſte. Ad hoc vt aer deſinat eſſe aeris, & tranſeat ad formam ignis, prius debet diſpoſitione aliqua formæ ignis proportionata, præparari, & hic ſenſus eſt verus; ſed planior, ac magis in litteram quadrans eſt iſte. Si materia dum eſt ſub forma aeris, debeat transferri ad accipiendam formam ignis, debet diſponi, &c. Exemplum autem hoc, non ponitur vt adæquatè, rei de qua eſt ſermo correſpondeat, ſed ſufficit vt ad aliqualem diſpoſitionis naturam explicandam manuducat; Vnde dici ſolet, quòd *exempla claudicant*.

8 *Ipſa eſſentia Dei fit forma intelligibilis intellectus*, illum ſcilicet intelligibiliter intrinſecè determinando, & cum illo coeffectiuè ad ſui viſionem producēdam, concurrendo

9 *Oportet quòd aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur, ad hoc quòd eleuetur in tantam ſublimitatem*. Obſerua, quòd quia diuina eſſentia non eſt forma intellectus creati in eſſe entitatiuo, ſed in eſſe intelligibili, ideo diſpoſitio ſupernaturalis qua intellectus debet eſſe diſpoſitus, vt ad tantam ſublimitatem eleuetur, non debet eſſe, tantummodo propter formæ tam excelſæ ſuſceptionem, ſed diſpoſitio, & præparatio intellectus per lumen, eſt ad hoc vt eadem eſſentia intellectui potenti, in ratione formæ intelligibilis vniatur, ratione cuius vnionis intellectus ſit determinatus ad producendam Dei viſionem, & non alterius, atquè vt intellectus ſit potens viſionem Dei producere ſimul cum eſſentia diuina.

10 *Oportet quòd aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur ad hoc quòd eleuetur in tantam ſublimitatem*. Obſerua, quòd differenter diſponitur intellectus per lumen naturale ad cognoſcenda obiecta naturaliter cognoſcibilia, & ſimiliter per lumen ſupernaturale fidei ad aſſentiendum myſterijs ſupernaturalibus, & differenter per lumen gloriæ ad videndum Deum. Nam per lumen naturale, & per lumen fidei ita diſponitur, vt intellectus ſit promptus, ac benè paratus ad cognoſcendum, vel aſſentiendum, non tamen per huiuſmodi eſt ita diſpoſitus vt naturaliter poſito lumine naturali, ſequantur obiectorum naturaliter cognoſcibilium ſpecies, & poſito lumine fidei, ſtatimatquè neceſſariò, neceſſitate connaturalitatis, cōſequatur aſſenſus. At verò poſito lumine gloriæ in intellectu, intellectus eſt ita benè diſpoſitus vt ſtatimatquè Deus in ratione formæ intelligibilis eidem vniatur, & in eodem temporis inſtanti ab eodem intellectu, & eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis vnita, viſio clara Dei producatur, licet intellectus lumine gloriæ illuſtratus, per miraculum poſſit impediri, ne diuinam intueatur eſſentiam.

Et hoc augmentum virtutis intellectiuæ illuminationem intellectus vocamus, ſicut & ipſum intelligibile vocatur lumen, vel lux.

11 Dubium pro Nouitijs occurrit. Nam obiectum intelligibile non vocatur virtus intellectiua, nec augmentum virtutis intellectiuæ. Ergo malè dicit D. Thomas quòd hoc augmentum virtutis intellectiuæ vocatur illuminatio intellectus, ſicut & ipſum intelligibile vocatur lumen, vel lux. Antecedens eſt euidens, quia virtus intellectiua inhæret intellectui; obiectum verò intelligibile non eſt intellectui inhærens, ſed vt ipſa nominis etymologia declarat, non ſubijcitur, ſed obijcitur.

12 Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia D. Thomas non comparauit augmentum virtutis intellectiuæ vt ſic, cum ipſo intelligibili vt ſic, ſed locutus eſt de augmento virtutis intellectiuæ, quod oportet ex diuina gratia ſuperaccreſcat intellectui, & iuxta hanc interpretationem, ſenſus verborum D. Thomæ eſt iſte. Hoc augmentum virtutis intellectiuæ puta lumen gloriæ, vocatur eiuſdem intellectus illuminatio, *ſicut ipſum intelligibile*, ſubaudi, quod eſt ipſe Deus, *vocatur lumen vel lux*, quia videlicet Deus quando ab intellectu creato intelligitur, ſe habet vt lux, ſeù vt Sol, qui dum ab oculo corporeo conſpicitur, non aliter fit eius obtutus, niſi per eumdem Solem irradietur, ſeù illuſtretur aer, vt potentia viſiua poſſit conſpicere Solem:

Ita

Digitized by Google

Ita debita proportione ſeruata, Deus qui eſt lux vera increata, non videtur ab intellectu creato, niſi ab eodem lumine increato profluat lumen illuminans, non aerem, ſed ipſum intellectum, iuxta illud Pſal. *in lumine tuo videbimus lumen.* Id eſt videbimus lumen tuum increatum, mediante eiuſdem increati luminis irradiatione, ſeù mediante luminis gloriæ creati in intellectum influentia. Pſal. 35.

13 Reſpondetur Secundò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia paritas à D.Thoma aſſignata non conſiſtit in ea, quæ eſt in argumento poſita, ſed conſiſtit in hac proportionalitate, nempè, quòd quemadmodum obiectum cognoſcibile, ſeù intelligibile vt ſic, denominatur lux, ſeù lumen obiectiuum. Non enim obiectum poteſt dici intelligibile, niſi ſit aliquo modo immateriale, ſeù immaterialiter in intellectu: immaterialitas autem ſe habet veluti quoddam lumen, quia ſcilicet, habet vnde reſplendeat, vt poſſit ab intellectu cognoſci. Ita quoquè augmentum intellectiuæ virtutis dicitur intellectus illuminatio, ex parte intellectus ſe tenens, non autem ex parte obiecti.

14 *Et ſecundùm hoc lumen, efficimur Dei formes, id eſt Deo ſimiles.* Loquitur de ſimilitudine ex parte potentiæ, non autem de ſimilitudine ex parte rei viſæ, & ſenſus eſt; quòd per hoc lumen per quod videtur Deus à Beatis, Beati Deo ſimiles efficiuntur, quia per participationem luminis diuini, quo Deus dicitur ſe ipſum intuens, vident quoquè, & ipſi Deum.

15 In reſponſione ad primum, dum ait, *quòd lumen creatum eſt neceſſarium ad videndum Dei eſſentiam, ad hoc quòd intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum quo potentia fit potentior ad operandum per habitum.* Non debet ita intelligi, quaſi potentia intellectiua creata abſquè lumine gloriæ, ſit potens, ſed eo mediante fiat magis potens, vt

16 nonnulli videntur intellexiſſe, Hoc enim eſt contra Sanctum Thomam in 3. contra gent. rat. 4. vbi docet quòd intellectus per lumen gloriæ eleuatur ad videndum Deũ, *non per ſimplicem virtutis intenſionem*, ſed *per nouæ formæ appoſitionem.* Quando igitur dixit, quòd *fit potens, ſicut potentia fit potentior per habitum.* in primis non expreſſit habitum naturalem, ſed *habitum*, & conſequenter debet intelligi, quòd *fit potens, ſicut potentia fit potentior per habitum* ſupernaturalem, qui reddit eam potentiorem, non per maiorem eiuſdem virtutis intenſionem, ſed per nouæ formæ appoſitionem. Vnde Theologi communiter dicunt, quòd habitus acquiſiti dant faciliter; habitus verò infuſi præbent ſimpliciter poſſe. Deinde poteſt ſic interpretari, quòd intellectus *fit potens* ſimpliciter per lumen gloriæ, quemadmodum *potentia fit potentior per habitum.* Et Tandem ſic illum explica. *Lumen creatum eſt neceſſarium vt intellectus fiat potens.* Subaudi, non autem vt per ipſum fiat obiectum intelligibile, *Per modum quo potentia fit potentior ad operandum*, Subaudi, non autem obiectum fit magis intelligibile per eumdem habitum; Quòd autem iſta ſit D.Thom.

17 mens D.Thomæ, ex eo manifeſtum eſt, quia argumentum ad hoc tendebat, vt probet lumen gloriæ non eſſe neceſſarium, quia Deus eſt ex ſe intelligibilis. Cui reſpõdens D.Thomas ait, lumen gloriæ non eſſe neceſſarium, vt Deum faciat intelligibilem, ſed vt intellectum potentem ad intelligendum reddat, quemadmodum habitus non ponitur in intellectu propter obiectum, ſed propter intellectum, Ita lumen gloriæ cum ſit habitus, ponitur vt virtus fortificans intellectum, non eo modo quo habitus acquiſitus, qui intellectui ineſt, vt eius virtutem multò magis intra eumdem ordinem naturalitatis augeat, ſed eo modo quo habitus infuſus, & ſupernaturalis, qui intellectus virtutem auget, per nouæ formæ ſeu virtutis nouæ, & altioris ordinis, appoſitionem.

IAM

Digitized by Google

Iam de Lumine gloriæ inſignem inter Theologos aggredimur tractatum, per ſubſequentes Diſputationes, noſtro Angelico Doctore illuminante, complendum.

DISPVTATIO XLVI.

VTRVM SIT POSSIBILIS ALIQVA CREATVRA intellectualis naturalis ordinis, cui connaturale ſit Deum intuitiuè videre.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur titulus, ac Doctorum ſententiæ referuntur.

1 NON quærimus in præſenti, Vtrum ſit dabilis aliqua intellectualis creatura ſupernaturalis ordinis, cui connaturale ſit Deum videre, ſed Vtrum ſit poſſibilis aliqua creatura intellectualis, ita perfecta, intra ordinem naturalem manens, quæ ex proprijs, abſquè Dei gratuito dono, habeat videre Deum.

2 Partem affirmatiuam videtur ſuſtinere Molina art. præced. & hic diſp. 2. §. *quòd verò attinet ad* 2. & in hoc ſenſu eum doctiſſimi viri intellexerunt. Quamuis eadem diſp. in reſp. ad 2. videatur oppoſitum dicere; Vbi habet quòd ſi poſſibilis eſſet huiuſmodi ſubſtantia, *non minus, imo longè plus, eſſet ordinis diuini, quàm lumen gloriæ*.

Molina.

3 Sed pro opinionis Molinæ intelligentia, eſt obſeruandum, quòd Molina diſput. 2. citata, hoc quæſitum format, *Vtrum diuina potentia fieri poſſit, vt res aliqua diuinam eſſentiam naturaliter videat.* Volens autem quæſiti titulum explicare, his verbis illum enucleare conatur. *Quòd tali rei creatæ naturale eſſet videre diuinam eſſentiam, ex altero è duobus capitibus poſſet prouenire, nempè, vel ex eo quòd lumen gloriæ eſſet illi naturale, vel ex eo, quòd vis intellectus illius eſſet talis, ac tanta, vt ſine lumine gloriæ eſſet illi naturale videre diuinam eſſentiam; Eo quòd talis, ac tanta vis intelligendi, non minus accommodatam proportionem haberet, ad intuendum Deum, quàm intellectus noſter illuſtratus lumine gloriæ. D. Thomas hoc loco, ſolùm ex primo capite rem hanc examinauit, ea tamen ex vtroquè examinanda eſt.* Hæc ille.

4 Sed re vera ſuæ controuerſiæ ſtatum, non explicat, ſed obſcurat, & confundit. Quod ita probo. Nam explicare tenetur quid per ſecundum membrum, pro vt à primo diſtinguitur, intelligere vult. Vel enim vis intellectus alicuius, quæ eſſet talis, ac tanta, vt ſine lumine gloriæ, Sit illi naturale videre diuinam eſſentiam, eſſet ordinis naturalis, vel ordinis diuini, & ſupernaturalis. Si primo modo ſibi contradicit, dum ait illam ſubſtantiam (ſi poſſibilis eſſet) *plus eſſe ordinis diuini, quàm lumen gloriæ*. Si ſecundo modo, non ſumus in caſu. Nam tunc, vel coincidit cum primo diſtinctionis membro; vel ſenſus erit, quòd per vim intelligendi ita perfectam, vt illi ſit connaturale Deum videre, intelligit lumen gloriæ non vt ab intellectu diſtinctum, ſed vt cum intellectu identificatum: & hoc non eſt videre Deum abſquè lumine gloriæ, ſed cum lumine gloriæ ab intellectu indiſtincto. Non igitur rectè ſecundum diſtinctionis membrum explanat.

5 His adde, quòd Molina ſuſtinere videtur, lumen gloriæ non eſſe aliquid ſimpliciter ſupernaturale, ſed comparatiuè; & conſequenter, ſi daretur aliqua ſubſtantia cui ex natura ſua conueniret Deum intuitiuè, & quidditatiuè cognoſcere, nequè eſſet ſimpliciter ſupernaturalis, nequè naturalis, ſed comparatiuè dumtaxat. Quod autem hæc ſit Molinæ ſententia patet, ex ijs quæ ibidem docet, ſic enim ait.

Adde, eſſe naturale, aut ſupernaturale, eſſequè vnius, aut alterius ordinis, per accidens ſe habere ad rem de qua diſputamus. Et in ſuâ concordia quæſt. 14. art. 13. ad 4. ſic ait, *Nos non negare actum vnius ſpeciei, eſſe poſſe naturalem, & ſupernaturalem, comparatione diuerſorum, &c.*

6 Non immeritò igitur Molina pro affirmatiua refertur ſententia. Nec occurrit illum cum Recupito lib. 6. quæſt. 3. cap. 1. excuſare, his verbis. *Molina tantùm dicit rationem illi non occurrere, quæ id demonſtret.* Quoniam re vera partem affirmatiuam, tanquàm probabilem non obſcurè defendere videtur. Nam loco citato in §. *quòd verò*, argumentum contra partem negatiuam affert, & dicit non leue eſſe argumentum ad probandum diuina potentia fieri poſſe *rem aliquam cui naturale ſit videre Deū.* Et ſubiungens argumento reſponſionem, ſic de reſponſionis veritate fatur. *Solutio hæc, licet quadam ex parte ſatisfacere videatur, ſi tamen rectè exponatur, non omnino dubitationem tollit.* Molina. Recupit.

7 Et §. ſequenti, celebrans ſui argumenti contra partem negatiuam efficacitatem, hæc verba profert. *Re uera argumentum non modicam continet difficultatem, perſuaderequè videtur Deum ſua omnipotentia efficere poſſe creaturas intellectuales, tam perfectas, quæ non ſolùm in latitudine virtutis, ac perſpicacitatis ad intuendum, ſed ſimul etiam in latitudine entitatiua perfectionis eſſentialis, excedant latitudinem aggregati ex intellectu, & lumine gloriæ, cuiuſcunquè beati deſignatam, ac proinde quæ naturaliter videre poſſint diuinam eſſentiam: id quod diuinam potentiam vehementer extollit, quæ tales ac tantos effectus valeat producere.* Hæc ille.

8 Deinde totis viribus argumēta pro parte negatiua propoſita ſoluere tentat, argumenta pro parte affirmatiua per ipſum poſita, inſoluta relinquens. Et tandem in vltimo §. de vtraquè ſententia iudicium proferens ſic loquitur. *Verùm cum in re tam ſublimi nihil facile audendum ſit, ſatius nunc videtur aliorum iudicio, quàm noſtro, rem definiendam relinquere. Hinc enim, vis argumenti propoſiti ita urget, vt propè rem demonſtrare videatur. Illinc, allicit communis Doctorum ſententia, quæ affirmat Deum ſua omnipotentia efficere non poſſe creaturam, quæ ſuaptè natura beata ſit, & videre diuinam eſſentiam poſſit. Hinc rurſus, premit argumentum, cuius nulla occurrit ſolutio, quæ omnino expleat intellectum. Suadetquè, vt tandem aſſentiamur. Illinc incommoda illa deterrent, quæ paulo antè intulimus, ac diſſoluere conati ſumus, in quæ ſtatim incidet, quicunquè à communi Doctorum opinione deflectere inſtituat. Quo circa noſtræ partes modo fuerint rei difficultatem pro vtraquè parte acri diſcuſſione aperuiſſe: aliorum nunc ſit attentè indicare ac ſententiam ferre.* Hæc ille.

9 Vbi Molina vtramquè opinionem conferens, non obſcurè affirmatiuam negatiuè præponit; dum illam ratione pollere; iſtam tantummodo Doctorum authoritate fulciri contendat: Ad probandum autem aliquid contradictionem implicare, potius rationi, quàm doctorum authoritatibus eſt inhærendum. Molina.

10 Et in concordia quæſt. 14. art. 3. diſput. 38. argum. 4. ſic ait. *Si diuina potentia eſſe poſſit creatura cui naturale ſit videre diuinam eſſentiam, ut nos quæſt. 12. huius primæ partis art. 3. diſp. 2. non improbabile iudicamus, &c.* Ecce igitur quomodo non currit excuſatio, quia ore proprio fatetur id, quod loco citato dixit ab ipſo probabile iudicari. Hæc eſt igitur opinionis Molinæ vera relatio.

11 Becanus eadem graditur via, qua Molina. Nam cap. 9. de viſione Dei quæſt. 10. poſtquàm vtriuſquè partis argumenta propoſuit: num. 4. alteram alteri confert, his verbis. *Difficile eſt inter has duas ſententias iudicium ferre. Prior habet plauſibiliora argumenta, & plus tribuit diuinæ potentiæ; Poſterior habet plures authores pro ſe, & in ſcholis magis recepta eſt, ac proinde tutius eſt illi adhærere. Fateor tamen, non habere argumenta, quæ oſtendant ullam contradictionem.* Hæc ille: Vbi ad affirmatiuam partem propter plauſibiliora argumenta magis inclinat. Verùm in calce quæſtionis, multùm ſe excuſat, dicens. *Hæc omnia uolo dicta eſſe, ſaluo meliori iudicio*: immeritò tamen à quibuſdam excuſatur: nempè quòd tantùm dixerit, ſe *non habere argumenta, quæ oſtendant contradictionem.* Non enim tantùm hoc dicit, ſed etiam ſententiam affirmatiuam celebrat, tanquàm ea quæ plauſibilioribus quàm negatiua nititur argumentis. Tribuitur etiam à Salas p. 1. quæſt. 3. tract. 1. diſp. 3. ſect. 2. Valentię, quaſi opinioni affirmatiuę faventi; Sed re vera Valentia, quamuis dicat difficile eſſe oſtendere, in hoc repugnantiam, tamen expreſſam partem tuetur negatiuam. Nam in calce, ait; *Arbitrari ſe nullam talem creaturam fieri poſſe.* In recitandis Doctorum opinionibus, nec accuſamus; nec excuſamus quemquam. Sed ipſorum ſententias, vt Thomiſtas decet, cum omni fidelitate referimus. Becanus. Salas. Valentia.

12 Senſus ergo quæſiti eſt, Vtrum dabilis ſit aliquod ordinis naturalis, intellectualis creatura, cui connaturale ſit videre Deum. Affirmatiuè ac reſolutè de hominibus reſpondent Eunomius; Ita referunt Chryſoſtomus homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura, Baſilius lib. 1. contra Eunomium, Theophylactus ſuper illud ad Epheſios 3. in gentibus euangelizare, Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, D. Hieronymus in Matt. cap. 11. Begardi, & Beguinę ſupra in Commentario art. 4. n. 5. relati, contra hunc errorem Sancti Patres Eunom. Chriſoſt. Baſilius. Theoph. Teodor. D Hier. Chriſoſt.

virili-

Digitized by Google

Chryſoſt. & præſertim Chryſoſtomus integra opera
de hac re eruditiſſimè ſcribens, qui cautè
Vaſquez. legendus eſt, non vt Vaſquez audacter hic
diſp.41. cap.1. his verbis Chryſoſtomum
lacerans *tametſi cautè legendus ſit vt diſput.
37. cap.2. & 3. monſtrauimus adeò Anomæorum errorem declinare volunt, vt in extremum
etiam inciderit* à qua tamen præſumptuoſa,
indigna cenſura, ſupra diſput.12. contra
Vaſquez vindicauimus, cautè igitur legendus eſt, ne iuxta Vaſqueſij interpretationem explicemus.

13 Communiſſima tamen Theologorum
D.Thom. ſententia eſt negatiua. Ita D.Thomas art.
præcedenti, & hic in reſponſione ad 3. &
in 3. contra gentes cap.52. Capreolus in
Capreol. 4.diſt.49. Caietanus art. præc. Ferrarienſis
Caietan. in 3. cont. gent. capit.52. Syluester in
Ferrar. conflato quæſt.12.art.4.& 5. Bañes quæſt.
Syluester. 34.art.1.dub.1.ad 4.§. *ad confirmationem*
Bañes. dicens eſſe inſignem ignorantiam exiſtimare fieri poſſe huiuſmodi ſubſtantiam,
Zumel. Zumel hic, & art. præcedenti, Nazarius
Nazarius. hic controuerſia 3. Nauarrete controu. 38.
Nauarr. Gabrera 3. p. quæſt.2.art.12, & tom.3. q.
Gabrera. 64. art.1. diſp.1. §.6. appendix ad præce-
Ledeſma. dentem diſputationem, Ledeſma de diuina
perfectione quæſt.8, art.7. concluſ.1. Sotus
Sotus. in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 4. vbi dicit,
*vniuerſalem eſſe omnium confeſſionem, quòd
Deus à creatura non poſſit naturaliter per eſſentiam cognoſci, & Doctores variare tantum in
modo eſſendi*. Suarez in met. diſp. 30. ſect. 11.
Suarez. num. 41. & 1. p. lib. 2. de attrib. negatiuis
Vaſquez. cap. 9. num. 2. Vaſquez, diſp. 41. Arrubal
Arrubal. diſp. 21. Salas 1. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſp. 3.
Salas. ſect. 2. dicens oppoſitam ſententiam eſſe
periculoſam, & reyciendam à Scholis. Salman-
Salmanti. ticenſes tract.2. diſp. 3. dub. 1. & 2. Faſolus
Faſolus. per ſex integras dubitationes, Recupitus
Recup. lib. 6. quæſt. 3. cap. 2. num. 3. vbi ſic ait.
*Ego verò contrariam non ſolùm vt Salas, periculoſam, & reyciendam à Scholis, ſed etiam temerariam cenſeo, quia eſt in re grauiſſima contra
communem conſenſum; cum quorum ſententia,
quam Zumel valdè conſonam fidei, ego etiam
proximam fidei appello*; Henricus quodlib. 4.
Henricus. quæſt. 9. Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 11.
Scotus. Riccardus ibidem ar. 1. quæſt. 6. Albertinus
Riccard. tom. 1. quæſt. 2. Ioannes de Sancto Thoma
Albert. hic, & art. præcedenti. Itaquè D.Thomas
Io: de S. Thoma. cum Thomiſtis, Nominales, Scotus cum
Scotiſtis, horum ſequaces, & alieni, ſuſtinēt
non ſolùm ſubſtantiam naturalis ordinis
intellectiuam, verùm etiam ſubſtantiam
creatam intellectiuam ordinis ſupernaturalis cui ſit connaturale videre Deum vnanimiter negant.

* * *

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

14 PRo determinatione veritatis Dico breuiter. Impoſſibile eſt dari aliquam
creaturam intellectualem naturalis ordinis, cui connaturale ſit videre Deum vt in
ſe eſt.

Probatur primo vehementiſſimis Sacræ Scripturæ teſtimonijs. Dicitur enim Ioan. 3. Ioan 3.
*Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus qui eſt
in ſinu patris ipſe narrauit*, & 1. ad Tim. 6. 1. Tim. 6.
*qui lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus
hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Vide
ſuper articulum præcedentem commentarium num 3. & 4.

15 Nec valet reſpondere, quòd Sacra
Scriptura loquitur reſpectu hominum, &
Angelorum, non vero reſpectu creaturarum poſſibilium, Nō inquam, valet, niſi cū
magno Sacræ Scripturæ detrimēto, primò
quia quamuis ſupradictæ authoritates de
hominibus, & Angelis loquantur, tamen
ex modo loquendi, & ratione quam aſſumunt ad omnem creaturam qualitercumquè poſſibilem ſe extendunt, Vocant enim
Deum abſolutè inuiſibilem, & exclamant
quòd *lucem habitat inacceſſibilem*: ſed quòd
Deus dicatur naturaliter inuiſibilis, &
quòd naturaliter habitet lucem inacceſſibilem, prouenit ex eius infinita viſibilitate,
& actus puritate ſupra naturam creatam
hominis, & Angelorum. Ergo quia hæc
eadem ratio militat reſpectu cuiuſcumquè
creaturæ de facto, & poſſibilis, reſpectu
quoquè illarum verificari debent. Secundò
quia Sacra Scriptura nō debet ad libitum,
& ſine optimo fundamento, abſquè magna
temeritatis nota, contra communem Sanctorum Patrum, atquè Theologorum ſenſum explicari: Dicere autem quòd ſupradictæ, & aliæ conſimiles authoritates, intelliguntur de hominibus, & Angelis tantùm, eſt contra communem Sanctorum
Patrum, atquè Theologorum explicationem, & ſine omni fundamento. Ergo, &c.

16 Idem docent communiter Sancti Patres
præſertim S. Ioannes Chryſoſtomus ſuper Chryſoſt.
hom. 14. in Ioannem, & omnes Sancti Patres ſupra art. 1. diſp. 12. citati, quorum
quamuis nonnulli loquantur de cognitione Dei comprehenſiua, dum dicunt Deum
eſſe ab intellectu creato inuiſibilem, tamen
etiam, dicunt Deum, naturaliter a creatura
inuiſibilem eſſe, Idem docet Auguſtinus Auguſt.
lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 1. Et Sanctus Pro- Proſper.
ſper lib. ſent. Auguſtini ſent. 142. Et San-

Digitized by Google

Dionyſ. ctus Dionyſius de diu. nom. cap. 2. de Dei à creatura cognoſcibilitate per vires naturæ, ſic ait. *Omni eſſentia ſuperior eſt, ab omni etiam cognitione ſolutus, & liber*. Quæ D. Dionyſij verba non ſolùm intelligenda ſunt de homine, & Angelis, ſed etiam de qualibet creata, ac poſſibili creatura. Quia quacumquè creatura poſſibili data ſemper vera eſt illa propoſitio, Deus omni eſſentia ſuperior eſt, ab omni etiam eſt cognitione ſolutus, & liber. Videantur authoritates Sanctorum adductæ diſp. 12.

17 Confirmatur. Quia oppoſitum aſſerere, eſt naturam gratiæ funditus eneruare. Nam quòd homo videat Deum, totum tribuitur Deo, iuxta illud, *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & quòd homo ad Deum tanquàm ad authorem gratiæ, & gloriæ conuertatur, non proprijs meritis, ſed gratuitæ Dei voluntati tribuitur. Ergo, &c. Pſalm. 83.

18 Probatur Tertiò ratione. Quia ſi aliqua creatura ordinis naturalis, haberet vim ſufficientem ad videndum Deum, vt eſt in ſe, vel illud lumen eſſet lumen gloriæ, vel non, Si ſecundum. Ergo eſt inſufficiens ad videndum Deum. Probo conſequentiam. Quia fruſtra Concilium Viennenſe determinaſſet hominem ad videndum Deum, indigere lumine gloriæ. Quoniam abſquè luminis gloriæ infuſione, & eleuatione efficeret illud lumen ordinis naturalis, quod dicitur eſſe poſſibile, & ſufficiens ad videndum Deum. Secundò. Quia viſio qua illa creatura ordinis naturalis videret Deũ, vel eſſet naturalis, vel ſupernaturalis. Non Primum; Quia eſſet eiuſdem ordinis cum viſione, quæ modo de facto eſt, quam communiter dicunt eſſe ſupernaturalem. Si ſupernaturalis. Ergo nõ poteſt produci tanquàm à propria cauſa à lumine ordinis naturalis.

19 Si dicatur primum. Ergo non eſſet ordinis naturalis, vt aſſeritur. Probatur conſequentia. Quia lumen gloriæ ex hoc quòd lumen gloriæ eſt, non eſt ordinis naturalis, ſed ſupernaturalis. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta in contrarium diſſoluuntur.

20 SEd contra iſtam determinationem Obijcies ex Molina. Primò. *Coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ alicuius Beati in ſingulari, habet certam, & finitam quamdam virtutem ad intelligendum, cum ſit quid creatum: ſed dato quocunquè intellectu qui habeat certam, & finitam virtutem naturalem ad intelligendum, poteſt Deus creare alium, ac alium in infinitum, qui ſuaptè natura habeat maiorem, ac maiorem virtutem ad intelligendum, quacumquè data. Ergo diuina potentia eſſe poteſt res creata intellectu prædita, quæ ſuaptè natura habeat maiorem facultatem intelligendi, quàm ſit vis totius coniuncti ex intellectu, & lumine gloriæ Beati ſingularis deſignati, ac proinde talis res intellectu prædita ex ſuis tantùm naturalibus, videre poterit diuinam eſſentiam, non minus quàm Beatus ille deſignatus lumine gloriæ perfuſus eam poteſt videre.* Molina.

21 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ alicuius Beati in ſingulari, habet certam, & finitam quamdam virtutem ad intelligendum, ac ſupernaturalis ordinis concedo maiorem, & naturalis ordinis nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Quantumcunquè enim aliquod inferioris ordinis intra ſuum ordinem creſcat, nunquàm ad ordinis ſuperioris perfectionem poterit peruenire. Sicuti quantumcunquè intra ſpeciem hominis multiplicaretur indiuidualis perfectione in infinitum, nunquàm ad æqualitatem Angeli minimi, & inferioris valebit aſcendere.

22 Obijcies Secundò. Si daretur aliquis intellectus creatus ordinis naturalis, qui tamen eſſet infinitus, ad minus data fingendi licentia, poſſet Deum vt eſt in ſe ipſo videre. Ergo eſſe ordinis naturalis, non obeſt intellectui creato, vel creabili, vt poſſit Deum intuitiuè cognoſcere. Antecedens probatur. Quia intellectus in eo caſu, erit obiecto, puta Deo, proportionatus. Conſequentia videtur euidens. Ergo.

23 Reſpondent quidam, negando antecedens; eo quia vt in argumento tangitur intellectus, ſeù natura illa cognoſcitiua eſſet ordinis inferioris, quia ſcilicet, potentialis. Ita Albertinus tom. 1. quæſt. 2. theolog. ex primo principio phyloſophico num. 3. Albertin.

24 Sed contra hanc reſponſionem ſic argumentor. Si daretur aliquis intellectus creatus, qui eſſet infinitus in cognoſcendo, eſſet ordinis ſupernaturalis. Ergo poſſet naturaliter cognoſcere Deum. Probatur antecedens. Quia non minus Deus eſt ſupernaturalis ratione puritatis actus, quàm ratione ſuæ infinitatis in cognoſcendo, imo alterum prædicatum, alterum infert, & ratio puritatis actus, eſt cauſa, ſeù ratio infinitatis. D.Thom.

25 Reſpondetur igitur, concedendo quòd ſi daretur intellectus infinitus in cognoſcendo, cognoſceret vtiquè intuitiuè, imo, & comprehenſiuè Deum, ſed negando talem intellectum ordinis naturalis fore.

26 Obijcies Tertiò. Supra modum eſſendi

na-

Digitized by Google

naturæ humanæ,ſeù ſupra modum eſſendi animæ intellectiuæ corpori vnitæ, datur alius modus eſſendi quo naturaliter poſsũt cognoſci ſubſtantiæ ſeparatæ, nempè Angeli. Ergo ſupra modum eſſendi naturalem Angeli poteſt dari aliqua creatura intellectualis Angelo perfectior. Ergo illa creatura eſſet naturaliter cognoſcitiua Dei vt in ſe eſt. Probatur illa vltima conſequentia Primò; Quia ſupra modum naturalem eſsẽdi, & cognoſcendi Angeli, per D.Thomæ calculationem, non remanet alius connaturalis cognoſcendi modus, quàm Deum naturaliter cognoſcere intuitiuè. Secundò. Quia anima intellectiua dum eſt corpori vnita cognoſcit aliquo modo Deum: Separata verò Deum perfectiori modo cognoſcit propter perfectiorem eſſendi modum; & Angeli cognoſcunt Deum perfectiori modo quàm anima ſeparata. Ergo creatura Angelo ſuperior cognoſceret Deum perfectiori modo quàm Angelus; ſed ſupra modum naturalem cognoſcendi Angeli, nõ remanet alius cognoſcendi modus, niſi cognoſcere Deum intuitiuè. Ergo.

17 Reſpondetur Primò concedendo antecedens, & negando primam cõſequẽtiam, & ratio negationis eſt, quia quamuis dato quocunque Angelo perfecto, poſſit alius, & alius in infinitum perfectior produci, non tamẽ ſupra naturam Angelicam poteſt dari alius creaturæ rationalis, ſeù intellectualis gradus, Angelico perfectior. Illud enim quod ſupra Angelicum gradum reperitur, eſt Deus.

28 Reſpondetur Secundò concedendo antecedens, & tranſeunte prima cõſequentia, negatur ſecunda; & ratio negationis eſt; quia ſi aliquis gradus intellectualis creaturæ gradu Angelico perfectior dabilis eſſet, creatura illius gradus cognoſceret Deum per effectus perfectiores, & eſſet ſui ipſius immediatè cognoſcitiua, non autem Dei.

DISPVTATIO XLVII.

VTRVM SIT POSSIBILIS ALIQVA CREATVRA intellectualis, cui ſit connaturale lumen gloriæ, & videre Deum. ſeù VTRVM SIT POSSIBILIS ALIQVA SVBSTANTIA ſupernaturalis creata.

In quinque capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

In quo conſiſtat Dei ſupernaturalitas.

1 SVppoſito quòd viſio clara Dei, & lumen gloriæ, ſint accidentia ſupernaturalia, euidenter ſequitur, quòd ſubſtantia intellectualis creata, cui huiuſmodi accidentia connaturalia eſſent, non eſſet naturalis ordinis, ſed ſupernaturalis. Vnde cum quæritur, Vtrum ſit poſſibilis aliqua creatura intellectualis, cui ſit connaturale lumen gloriæ, & videre Deum, idem eſt, ac quærere, Vtrum ſit poſſibilis aliqua ſubſtantia ſupernaturalis creata, ſed aduerte, quòd hæc explicatio, non eſt completa, ſed ſuperficialis tituli lucidatio, nec haberi poteſt, niſi ex controuerſiæ deciſione. Vnde ante determinationem veritatis eſt. Obſeruandum Primò, quòd ſupernaturalitas in quo verè conſiſtat, non vniformiter ab omnibus Theologis aſſignatur, quorum tamen diuerſa placita, adducere confuſionem parit. Eſt igitur ſupernaturalitas, exceſſus ſupra naturam, ita quòd ſupernaturale, idem ſonat ac exceſſum ſupra id quod eſt naturale, verumtamen, hoc non eodem modo conuenit Deo, Accidentibus ſupernaturalibus, & ſubſtantiæ ſupernaturali creatæ, ſi dabilis eſſet. Deus dicitur ſubſtantia verè, & propriè ſupernaturalis, non ſolùm efficiendo, ac finalizando, verumetiam, in eſſendo. Contra Salas loco citato, aſſerentem Deum poſſe dici eſſe ſuper- Salas.

per-

pernaturalem, efficiendo, & finalizando, non verò in eſſendo, quem tamen Magiſter Gabrera, 3.p. quæſt.64. art.1.diſp.1. §.6. & ſignanter §. *poſtremo idem*, durioribus verbis, rationibuſquè, & benè, contundit. In quo verò ſupernaturalitas Dei conſiſtat, ſeù ratione cuius, Deus dicatur ſupernaturalis, diuerſi diuerſa dicunt, ipſorum tamen varia placita, non refero, quia, vt dixi, per ipſorum relationem, ac confutationem, res tam grauis, curioſa, & à noſtro captu multùm eleuata, obſcuritatem pareret, tantummodo igitur dicam, quid in hac re, per me ſentiendum ſit, & dico, quòd Deus

Gabrera.

2 dicitur ſimpliciter ſupernaturalis, non quidem ratione vnius, & non alterius prædicati, ſed ratione omnium prædicatorum, quæ propriè de Deo prædicantur, dummodo conſiderentur iuxta modum ſibi proprium, ac formaliter conuenientem, V. G. ratio entitatis Dei, eſt ſupernaturalis, per hoc quòd eſt entitas per eſſentiam; Ratio actualitatis Dei, eſt ſupernaturalis, per hoc, quòd eſt actualitas pura, & ſic de ſingulis. Itaquè in quolibet eius attributo, ſeù prædicato, duo conſideranda ſunt. Formalitas ipſa, & modus eſſendi in illa formalitate, V. G. Actualitas Dei, quo ad formalitatem, dicit ipſammet actualitatem, ſed quo ad modum ſibi formaliter conuenientem, dicit puritatem. Et hinc prouenit, quòd Deus vocatur actus purus. Deus igitur dicitur ſupernaturalis, non qua actus eſt, ſed qua purus actus eſt; & ſimiliter, entitas Dei dicitur ſupernaturalis, non qua entitas, ſed qua entitas per eſſentiam eſt, & ſic de multis diſcurrendo.

3 Ratio autem huius eſt, quia, vt dicebamus, ſupernaturale dicit exceſſum ſupra id quod eſt naturale. Deus autem qua actus eſt, non eſt ſupra alias actualitates, ſed qua actus purus eſt; & conſequenter in ratione ſuæ actualitatis, cum ſit ſupernaturalis, eſt ſupra omnem aliam actualitatem, & ſic de cęteris.

4 Obſeruandum Secundò, quòd exceſſus vnius prædicati in ordine ad alia à Deo, dupliciter contingere poteſt, Primò, quòd ſit ſupra hanc, vel illam entitatem, ſubſtantiam, actualitatem, &c. non autem ſuper omnes, V.G. natura humana eſt ſupra omnium animalium naturas, iuxta illud Pſalmi, *Gloria, & honore coronaſti eum Domine, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*, non tamen eſt ſupra omnes naturas. Angeli enim ſunt ſupra naturam hominis, iuxta illud eiuſdem, *Minuiſti eum paulominus ab Angelis*, & hoc modo, vnius naturæ ſupra aliam exceſſus, non facit veram ſupernaturalitatem, quia iuxta hunc dicendi modum, ſequeretur, quòd homo re vera eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, quia re vera eſt ſupra omnium animalium naturas, & ſimiliter Angelus eſſet re vera, ſubſtantia ſupernaturalis, quia eſt ſupra humanam naturam; & ſic omne naturale poſſet re vera dici ſupernaturale, quia quodcumquè naturale ſignatum, eſt ſupra aliquam aliam naturam. Secundò, quòd ſit ſupra quamcunquè ſubſtantiam creatam, vel creabilem, reſpectu quarum dicit ſubſtantia diuina exceſſum, & hoc modo verum eſt, quòd Deus dicitur ſubſtantia ſupernaturalis, propter exceſſum quem dicit ſupra omnes, & qualcunquè ſubſtantias ab ipſo diſtinctas.

Pſalm. 8.

5 Obſeruandum Tertiò, quòd cum Deus dicitur ſupernaturalis, hoc prædicatum, nempè, ſupernaturalis, non eſt vnum ex diuinis attributis ab alijs diſtinctum, ac ſpeciale, ſed eſt quoddam prædicatum omnia diuina prædicata tranſcendēs; Vnumquodquè enim diuinum prædicatum eſt ſupernaturale, non quidem quo ad rationem formalem, quam vnumquodquè explicat, pro vt eſt quid cum rebus creatis commune, ſed quo ad exceſſum, ſeù pręcellentiam, quam vnumquodquè Dei prædicatum dicit, ſupernaturalitatis voce explicatur. Itaquè Dei ſupernaturalitas conſiſtit in quocumquè Dei prædicato conſiderato ſecundùm modum quo eſt Dei prædicatum. Et hæc de Dei ſupernaturalitate.

6 Vnde Deus, vt Author naturæ, & vt Author gratiæ, in ſua entitate, eſt ſimpliciter ſupernaturalis, imo non eſſet author naturæ, vt ſupra diſput.15.cap.5.num.15. declarauimus, ſi eius entitas non eſſet ſupra totum naturæ ordinem, & conſequenter niſi eſſet ſubſtantia ſupernaturalis.

Sed obſerua, quòd ſunt quædam Dei prædicata, quæ immediatè ſupernaturalitatem explicant, eo quia ſunt omnino ſupra quamcumquè ſubſtantiæ creatæ exigentiam, & huiuſmodi ſunt, Sanctitas, videre Deum vt in ſe eſt, &c. & iſta ſunt communicabilia creaturis accidentaliter, non verò ſubſtantialiter. Poteſt enim aliqua creatura rationalis dici Sancta, videns Deum per gratiam, &c. ſupernaturalitas autem in Deo quatenus dicit alicuius prædicati modum proprium eſſendi, nullatenus eſt communicabilis creaturis. Deus igitur dicitur ſupernaturalis, ratione eius in quo creaturas excedit, & hoc cōtingit ratione formalitatis, & modi eſſendi illius, vel ſi nō ratione formalitatis ſignificatæ, ad minus ratione modi eſſendi illius. Vide infra à num.54. vſquè ad 57.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

In quo conſiſtat ſupernaturalitas accidentium.

7 QVo ad ſupernaturalitatem accidentium, in quo ſcilicet, conſiſtat ſupernaturalitas accidentalis, aliter quàm de Dei ſupernaturalitate theologizandum eſt, Vnde eſt obſeruandum, quòd cum accidens non ſit ens abſolutè, ſed cum conditione diminuente, quapropter à Phyloſopho, accidens non vocatur ens, ſed entis ens, & quia vnumquodquè eo modo quo dicitur ens, eodem quoquè modo dicitur eſſe; Hinc eſt, quòd accidens non eſt vt ſit, ſed vt inſit, ſeù inhæreat ſubiecto, nempè ſubſtantiæ. Accidens enim eſt propter ſubſtantiam.

8 Et inſuper, ſunt quædam accidentia, quæ non ſolùm ſubiecto inhærent, ſed vltra hoc, reſpiciût obiectum, vel terminum; Vnde fit quòd huiuſmodi accidentia non inſunt vt inſint, ſeù vt tantùm obiecto inhæreant, ſed etiam vt ſubiectum cui inhærent, ad aliud referant, V.G. Viſio ineſt, ſeù inhæret oculo, non tantummodo vt illi inhæreat, ſed inhæret ei, vt animal, per ipſum, colorem, ſeù lucidum percipiat, ſeù ad colorem tanquàm ad obiectum terminetur; & paternitas ineſt Petro, vt Petrum patrem conſtituens, ad filium referat. Accidens igitur ſupernaturale, qua accidēs eſt, non poteſt dici ſupernaturale vt quod, ſed vt quo, id eſt non datur, vt ſit id quod per ſe eſt tale, quia hoc accidentis rationi repugnat, ſed vt ſit id quo ſubſtantia naturalis attingit obiectum ſupernaturale, ſeù cum ſubſtantia ſupernaturali participat.

8 Et inſuper, quia ſupernaturale dicit exceſſum, non ſupra vnum ſic, & ſupra aliud non; conſequens eſt, quòd accidens ſupernaturale dicat exceſſum, non quidem ſupra omnia accidentia, ſed ſupra omnia ſubiecta, quia ſcilicet, eſt ſupra quamcunquè, cuiuſcumquè ſubſtantię, vel potentiæ creatæ, naturalem exigentiam.

9 Et tandem cum duplex ſit accidens ſupernaturale, Quoddam ſcilicet habitus, Quoddam verò operatio. Accidens quod eſt habitus, ſeù antecedit operationem, dicitur ſupernaturale eleuatiuè, quia ſcilicet, eleuat ſubſtantiam, vel potentiam naturalem, à ſtatu, & ordine naturali, ad ſtatum, & ordinem ſupernaturalem. Accidens ſupernaturale, quod eſt operatio non eleuat ſubiectum, ſeù principium, ſed per habitum ſupernaturalem ſupponit illud eleuatum; dicitur verò ſupernaturale, quia per illud attingitur Deus qui eſt obiectum ſupernaturale, vel cognoſcibiliter, vel appetibiliter. Idem dicendum eſt de operatione ſupernaturali, per quam attingitur aliquod ſupernaturale creatum. Accidens igitur ſupernaturale, ideo ſupernaturale dicitur, quia eleuat ad obiectum ſupernaturale ſubſtantiam, vel potentiam naturalem, vel quia attingit obiectum ſupernaturale.

10 Sed aduerte, quod cum dico viſionem claram Dei non eleuare potentiam, ſed illam ſupponere proportionatam, & eleuatam, volo dicere, quòd non eleuat eam à ſtatu naturali ad ſupernaturalem, ſed ſupponit, &c. Cęterum maximè eleuat, quatenus per ipſam, tanquàm per attingentiam ſimiles Deo ſumus.

CAPVT TERTIVM.

In quo conſiſteret ſupernaturalitas ſubſtantiæ creatæ ſi dabilis eſſet, & in quo ſubſtantiæ naturalis, & accidentium eius naturalitas.

11 QVO ad ſupernaturalitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ, ſi dabilis eſſet, eſt obſeruandum, quòd huiuſmodi ſubſtantia ſi poſſibilis eſſet, conſiſteret in hoc, vt ſit formalis participatio ſubſtantiæ diuinæ, ſecundùm quòd eſt ſupernaturalis; Et quia diximus, quòd Deus eſt ſubſtantia ſupernaturalis, non per hoc quòd ſubſtantia eſt, ſed per hoc quòd ſubſtantia independens, & per eſſentiam eſt, ideo ſubſtantia ſupernaturalis creata ſi poſſibilis eſset, conſiſteret in hoc, vt ſit participatio ſubſtantiæ diuinæ ſecundùm quòd independens, & per eſſentiam eſt, Aliàs inintelligibile eſſet, in quo prima, propria, ac formalis ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ ratio conſiſteret.

12 Obſeruandum Secundò, quòd quamuis communiter Theologi, naturale, per analogiam ad ſupernaturale explicent, tamen ſemel cognito ſupernaturali, ſtatim apparet, quòd ſicut ſupernaturale, dicitur per exceſſum ſupra naturale, ita naturale dicitur per defectum, & receſſum à ſupernaturali. Quo ſuppoſito, rectè, & clarè cognoſcitur, quid ſit ſubſtantia naturalis, & quid ſit accidens naturale. Vnde dico, quòd ſubſtantia naturalis, eſt participatio naturæ diuinę, ea ratione qua ſubſtantia eſt, non autem ea ratione qua ſupernaturalis eſt, & ens naturale dicitur participatio entitatis diuinæ, ea ratione qua ens eſt, non verò ea ratione qua ſupernaturalis eſt. Itaquè ſubſtan-

Digitized by Google

ſtantia naturalis, dicitur naturalis, per receſſum à ſupernaturalitate diuinæ ſubſtantiæ, quemadmodum ſubſtantia corporea, dicitur ſubſtantia, quia participat rationem ſubſtantiæ diuinę; dicitur autem corporea, per receſſum à ſpiritualitate. Doctrina eſt D. Auguſtini lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 1. circa medium, vbi hæc habet verba; *Ea uerò, quæ fecit, bona quidem eſſe quòd ab illo; uerumtamen mutabilia, quòd non de illo.* Ratio autem huius eſt, quia ſubſtantia per participationem, denominatur talis, pœnes acceſſum, vel receſſum ab eo quod eſt ſubſtantia per eſſentiam. Vnde quamuis iſta duo correlatiuè dicantur, videlicet ſupernaturale dicit exceſſum, ſupranaturale; & naturale dicit receſſum à ſupra naturali; nihilominus, quia ſupranaturale eſt prius, ac menſura eterogenea naturalitatis, & quod eſt tale per eſſentiam, eſt ratio eius, quod eſt tale per participationem; ideo magis propriè aliquod dicitur naturale, propter receſſum à ſupernaturali, quàm ſupernaturale propter exceſſum ſupra naturale.

D. Auguſt.

13 Ex quibus clarè quoquè conſpicitur, quid ſit natura, & quid accidens naturale, nempè quòd natura eſt primum principium motus, non quidem motus ad Deum vt eſt in ſe, ſed ad rem in proprio genere, & quod accidens naturale ideo dicitur naturale, quia ſubſtantiæ inhæret, diſponens illam ad eſſe, vel ad operationem in proprio genere, non autem ad Deum vt in ſe eſt. Hoc diligenter obſerua, ne etiam valdè obſcurum tibi ſit, in quo conſiſtat naturalitatis ratio cognoſcere.

CAPVT QVARTVM.

Determinatio veritatis.

14 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Eſt impoſſibilis creatura intellectualis, cui ſit connaturale lumen glorię, ſeù videre Deum vt in ſe eſt.

Probatur Primò. Eſt impoſſibilis ſubſtantia creata ſupernaturalis. Ergo eſt impoſſibilis ſubſtantia cui ſit connaturale lumen gloriæ, ſeù videre Deum. Conſequentia eſt euidens. Quia ſubſtantia cui eſſet connaturale gloriæ lumen, & viſio Dei, deberet eſſe ſupernaturalis. Nam cui eſt connaturale aliquod ſupernaturale, etiam ipſum debet eſſe ſupernaturale: ſed lumen gloriæ, & viſio clara Dei ſunt accidentia ſupernaruralia. Ergo. Probatur igitur antecedens. Omne ſupernaturale, vel eſt ſupernaturale per eſſentiam, vel per participationem: ſed nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe ſupernaturalis per eſſentiam, nequè per participationem. Ergo nulla ſubſtantia creata ſupernaturalis eſt poſſibilis. Maior patet. Probatur minor. Et quidem quòd non poſſit eſſe ſubſtantia ſupernaturalis per eſſentiam, ita certum eſt, ſicut euidens eſt, ens creatum non poſſe eſſe Deum. Quòd verò non poſſit eſſe ſubſtantia ſupernaturalis per participationem, probatur. Omne per participationem dicitur tale, per hoc quòd partem habet ab eo quod eſt per eſſentiam tale. Ergo ſupernaturalitas ſubſtantiæ creatæ erit per participationem à ſubſtantia Dei, ſecundùm quòd eſt ſupernaturalis. Diſcurſus eſt euidens; Tunc vltra; ſed Deus dicitur, & eſt ſubſtantia ſupernaturalis, non quia ſubſtantia eſt, ſed quia à ſe, & per eſſentiam ſuam, ſubſtantia eſt. Ergo ſubſtantia ſupernaturalis creata, eſſet ſupernaturalis per participationem, non quia participat rationem ſubſtantiæ, ſed quia participatiuè haberet rationem ſubſtantiæ, pro vt à ſe, & pro vt per eſſentiam ſuam: ſed manifeſtam contradictionem implicat, aliquam creaturam, per participationem, eſſe à ſe, & per eſſentiam ſuam. Ergo, &c.

15 Vis huius probationis explicatur. Vnumquodquè quod eſt tale per participationem, debet in ſe habere rationem illam, quam participat; ſicut quælibet ſubſtantia creata corporea, & inſenſata, rationem entis, & ſubſtantiæ, à Deo participat, eſtquè in ſe formaliter ens, & ſubſtantia, participatiuè tamen, quia verò non eſt in ſe intellectiua, rectè ſequitur, diuinam ſubſtantiam nō participare in ratione intellectiui; & è contra, quia non participat à Deo intellectiuitatem, non eſt intellectiua: Anima autem intellectiua, & Angelus, quia ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, & intellectiuæ, participant à Deo rationem intellectiui, & ſpiritualis; & è contra, quia participant rationem intellectiui, & ſpiritualis, in ſe ſunt formaliter ſubſtantiæ intellectiuæ, & ſpirituales; & ſic de ſingulis inductiuè diſcurrendo; Nec vir ſanæ mentis poterit hoc negare. Ergo ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis per participationem, deberet in ſe habere, licet participatiuè, illam rationem per quam Deus dicitur ſubſtantia ſupernaturalis: ſed Deus dicitur ſubſtantia ſupernaturalis, per id in quo excedit creaturam ſubſtantialem creatam, vel creabilem, nempè per hoc, quòd eſt ſubſtantia à ſe, & per eſſentiam ſuam. Ergo huiuſmodi creatura debet habere participatiuè in ſe, id in quo Deus excedit creaturam, id eſt eſſe ſubſtantiam à ſe, & per eſſentiam ſuam: Hoc autem ex ipſa terminorum cognitione, apertiſſimam inuoluit repugnantiam. Ergo.

Dicet

Digitized by Google

16 Dicet aliquis, quòd ſi ratio conuinceret, probaret quoquè, implicare dari accidens ſupernaturale, vel accidens ſupernaturale eſſe ens a ſe, & per eſſentiam ſuam participatiuè, quod eſt maius abſurdum.

17 Reſpondetur negando vtramquè ſequelæ partem. Non enim eſt neceſſe vt accidens ſupernaturale ſit ens à ſe, & per eſſentiam ſuam, ad hoc vt ſit ſupernaturale, ſed ſufficit vt eleuet ſubſtãtiam, vel potentiam naturalem ad attingendam ſubſtantiam ſupernaturalem, vel vt ſit ipſa ſubſtantiæ ſupernaturalis attingentia, &c.

18 Diſcrimen enim eſt non modicum, inter ſubſtantiam, & accidens. Quia ſubſtantia eſt per ſe, & datur, vt ipſa ſit: Accidens autem non eſt per ſe, ſed ponitur vt inhæreat, & conſequenter, ſupernaturalitas ſubſtantiæ eſt vt ſit per ſe, & vt quod, ſupernaturalitas verò accidentis eſt vt inhæreat, ſubiectum eleuando ab ordine, & ſtatu naturalitatis, ad ordinem, & ſtatũ ſupernaturalitatis, vel ordinando ad immediatè attingẽdum obiectum ſupernaturale, nempè Deũ, &c. Quapropter, accidẽs ſupernaturale, meritò dicitur eſſe id quo attingitur ens à ſe, ſeù per eſſentiam ſuam. Subſtantia verò ſupernaturalis creata ſi daretur, deberet in ſe eſſe ens à ſe, & per eſſentiam ſuam, propter rationem iam dictam.

19 Ex quo colligo, quòd natura diuina formaliter in ratione eſſentiali Deitatis, nõ eſt ſubſtantialiter participabilis, ſed accidentaliter, id eſt attingibiliter, per modum amicitię, per modum intuitionis, amoris, &c. Et ſenſus eſt, quòd natura diuina ſecũdùm rationem formalem naturæ diuinæ, à nulla creatura eſt participabilis ſecundùm rationem ſubſtantialem, ſed tantũmodo accidentaliter, id eſt per aliqua accidentia eleuãtia ad attingendam diuinam naturã, ſecundùm rationem formalem naturę. Per accidentia quidem, non qualiacũquè, quia non eſt dabilis potentia intellectiua, ſeù volitiua, quę ſit ſupernaturalis, ſed per accidentia, quę ſe habẽt vt habitus, vel actuale auxliũ pręcedẽs operationẽ, vel vt operatio, &c. Hoc ꝙ de nãa diuina diximꝰ, dicẽdũ eſt de quolibet Dei attributo, debitâ proportione ſeruata.

20 Quòd ſi quis cõtra hoc inſurgeret dicẽs. Anima intellectiua, & Angeli ſunt participationes naturæ diuinæ ſm̃ rationem ſubſtantialem. Anima enim, & Angelus, ſubſtãtialiter ſunt ſpirituales, & intellectiui.

21 Confirmatur ex illo Gen. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtrã. Ad imaginem quippè Dei factus eſt homo.* Geneſ. 1.

22 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Anima intellectiua, & Angeli, ſunt participationes naturæ diuinæ, Materialiter, concedo. Formaliter, nego antecedens.

23 Ad confirmationem ſimiliter reſpõdetur explicando antecedens. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Ad imaginem quippè Dei, &c.* Materialiter, concedo, & ſic debet Sacra Scriptura interpretari. Formaliter, nego.

24 Explicatur iſta reſponſio. Participatio naturæ diuinæ formaliter in ratione ſubſtantiali, dicit participationem intellectualitatis ſubſtantialis, in ea formalitate qua omnes creaturas excedit. Participatio verò naturæ diuinæ materialiter, eſt ſubſtantialitatem, ſeù intellectualitatem Dei participare, non in ea formalitate, qua omnes creaturas excedit. Vnde propterea, vt iam notauimus, aliqua ſubſtantia, vel intellectualitas ſubſtantialis, imo, & accidentalis, dicitur naturalis, quia deficit à formalitate ſubſtantialitatis, vel intellectualitatis Dei ea ratione qua creaturas excedit.

25 Clarioribus terminis explico hoc quod dico. Anima intellectiua V. G. dicitur participatio naturæ diuinæ, non ſecundùm proportionem, ſed ſecundùm proportionalitatem, (loquor de anima intellectiua vt eſt, non de anima intellectiua vt eleuabilis eſt), & ſenſus eſt, quòd ſicut Deus eſt intellectiuus ex ſua natura, & per eſſentiam ſuam, ita etiam anima eſt intellectiua, ſeu naturæ intellectiuæ per participationem; cum hoc tamen diſcrimine, quia Dei intellectiuitas immediatè ad ſe ipſam terminatur, intellectiuitas verò animæ noſtræ non terminatur ad cognoſcendum Deum immediatè, ſed aliã infra Deum,

26 Et Tandẽ magis clarè; Anima intellectiua, & Angeli ſũt participationes naturę diuinæ, cũ receſſu à ſupernaturalitate, cõcedo; cum acceſſu ad ſupernaturalitatem nego.

27 Pro exactiori autem huius doctrinæ intelligentia, eſt obſeruandum, quòd intellectualitas Dei dupliciter dicitur ſupernaturalis, quaſi ſubiectiuè, & quaſi obiectiuè. Dicitur ſupernaturalis ſubiectiuè, quatenꝰ eſt à ſe, & per ſuam eſſentiam talis, quatenus eſt ſui naturaliter cognoſcitiua, &c. Dicitur autem ſupernaturalis obiectiuè, quatenus ad ſe ipſum tanquàm ad aliquod ſupernaturale immediatè terminatur. Ratione primi, conſtituitur intrinſecè in ratione ſupernaturalitatis. Ratione, ſecundi conſtituitur quaſi extrinſecè, & ſupponitur (noſtro modo intelligendi loquor) ſupernaturalis. & ratio huius eſt euidens, quia ſi ideo intellectualitas Dei eſt ſupernaturalis, quia terminatur ad ſe ipſam quę eſt ſupernaturalis. Ergo noſtro modo intelligendi præſupponitur ſupernaturalis.

28 Probatur Secundò. Datur accidens ſupernaturale habituale. Ergo eſt impoſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata cui ſit connaturale tale accidens. Antecedens eſt apud omnes verum. Probatur autem conſequentia, primò. Quia accidẽs ſupernaturale habitua-

bituale, qua tale, eſſentialiter habet eleuare ſubiectum ad attingendum obiectum ſupernaturale: ſed ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis cui ſit connaturale lumen gloriæ, ſeu videre Deum, nō eleuaretur ſubiectum ad obiecti ſupernaturalis attingentiam, per tale accidens ſupernaturale. Quia in ſe eſſet ſupernaturalis. Nam ideo anima intellectiua, verbi gratia, ad attingēdum Deum amicabiliter, gratia indiget, quia anima eſt ordinis naturalis. Hoc enim eſt eſſe ordinis naturalis, non eſſe ex ſe eleuatum ad ordinem ſupernaturalem.

29 Probatur Secundò à paritate ſupernaturalitatis Dei. Deus enim qua ſupernaturalis eſt, ſuperat, & excedit omnem entitatem à ſe diſtinctam. Ergo ſimiliter accidens ſupernaturale, dicit exceſſum ſupra omne ſubiectum; aliàs, non eſſet ſupernaturale, niſi reſpectiuè, verbi gratia, lumē intellectuale Angelicum, quia eſt ſupra lumē humanum, diceretur ſupernaturale reſpectu hominis, non verò reſpectu Angeli; Qua propter eſt abſolutè naturale, & reſpectiuè ſupernaturale, & potius debet dici lumē Angelicum, & humanum, quàm ſupernaturale. Ergo ſi accidēs aliquod erit ſupra naturam Angelicam, non verò ſupra aliam naturam Angelo ſuperiorem, illud accidens dicendum eſt naturale illi ſubſtantiæ, & ſupra angelicum, non verò ſupra naturale.

30 Verùm hæc probatio immo, & tota ratio ab aduerſario labefactari poteſt, negādo quòd accidens ſupernaturale ex eo dicatur ſupernaturale, quia excedit cōnaturalitatem cuiuſcunquè ſubiecti creati, vel creabilis. Nam diceretur ſupernaturale per hoc, quòd de ſe eſt attingens Deum vt eſt in ſe; non autem ex eo quòd eſt ſupra cuiuſcunquè ſubiecti naturalem exigentiam.

31 Contra. Quia accidēs ſupernaturale, verum eſt, quòd deo dicitur ſupernaturale, quia reſpicit Deum vt eſt in ſe, tamen datur non vt ſit, ſed vt ordinet ſubſtantiam creatam ad Deum vt eſt in ſe. Ergo illam eleuādo, vt per huiuſmodi accidēs fiat particeps Deitatis. Probatur iſta conſequentia. Quia ſi tale accidens non eleuaret ſubſtantiam, ſed ſubſtātia ex ſui natura haberet attingere Deum vt eſt in ſe, vt ſit ſupernaturalis, participaret intellectiuitatem Dei, ea ratione qua intellectiuitas Dei, omnem creatam intellectiuitatem in infinitum excedit: quod eſt falſum, & in terminis implicat; probatur ſequela. Quia omnis ſupernaturalitas creata eſt talis, per participationem ſupernaturalitatis Dei, qui eſt ſupernaturalitas per eſſentiam; Quiquè ex hoc quòd ſupernaturalis dicitur, dicit prædicatum ſecundùm modum quo eſt in Deo, qui excedit omnem creaturam.

32 Probatur Tertiò principaliter concluſio hac ratione. Si eſſet poſſibilis aliqua ſubſtantia cui ſit connaturale videre Deum per eſſentiam, eidem ſubſtantiæ eſſet cōnaturalis gratia: ſed hoc implicat. Ergo. Sequelam concedit aduerſarius. Probatur autem minor. Quia de eſſentiali conce-

33 ptu gratiæ eſt eſſe indebitam, & gratuitam cuicunquè ſubiecto. Ergo implicat alicui ſubſtantiæ eſſe connaturalem gratiam. Probatur antecedens. Nam humilis gratiæ prædicator, ſic argumentatur. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia, iam non eſt gratia.*

34 Reſpondent; Apoſtolum loqui reſpectu hominum, & Angelorum, non autem reſpectu cuiuſcunquè creaturæ poſſibilis.

Contra hanc reſponſionem argumentor primò. Quia tunc Sacra Scriptura rationabiliter interpræctari poteſt de facto, non verò de poſſibili, quādo pro oppoſita parte alia extant eiuſdē Sacræ Scripturæ teſtimonia, communis Sanctorum Patrum ſentētia, aut Theologorum conſenſus: Sed gratiam poſſe eſſe debitā alicui creaturæ, nec Sacra Scriptura teſtatur, nec Sancti Patres docēt, nec Theologi conſentiunt. Ergo futilis, & inſulſa eſt explicatio prædicta.

35 Secundò. Quia Apoſtolus philoſophiæ, ac Theologiæ non ignarus, quippè qui fuit diuino munere, intellectus, & ſapientiæ ſpiritu inſignitus, non reſpectiuè, ſed abſolutè, tanquàm per euidentem conſequentiam, Ita concludit. *Si gratia eſt ex operibus. Ergo gratia, iam non eſt gratia.* Non enim dixit. Ergo, ſeu *alioquin gratia*, homini vel Angelo, *iam non eſt gratia*, homini, vel Angelo. Sed abſquè omni addito, *alioquin gratia, iam non eſt gratia.* Inſinuans per hunc argumentandi modum; eſſe de intrinſeco conceptu gratiæ vt ſit donum omnino gratuite datum, reſpectu cuiuſcunquè creaturæ, qua creatura eſt. Aliàs ineptus, & rudis eſſet, Apoſtoli argumentandi modus. Rom. 11.

36 Totum hoc Chryſoſtomus, & Auguſtinus diſerte confirmant, atquè declarant. Chryſoſt. Auguſt. Nam D. Chryſoſtomus ſuper idem caput explicans illa præcedentia verba, ſcilicet, *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*, hæc aurea verba profert. *Vide quomodo quæquè dictio, cuiquè ſuam ſeruat nobilitatem, nimirum, & Dei gratiam, & Saluatoris beneuolentiam, manifeſtans. Dicendo ſiquidem ſecundum electionem, illorum probationem, addendo verò, gratiæ, donum Dei exprimis.* D. Auguſtinus verò tom. 10. de Verbis Domini ſerm. 7. in fine, hæc dulcia verba promit. *Si enim de tuo opere præſumis. Ergo merces tibi redditur, non gratia condonatur. Si autem gratia eſt, gratis datur. Interrogo nunc, credis ò peccator Chriſto? dicis credo. Quid credis? gratis vniuerſa peccata per ipſum tibi poſſe remitti? habes quod credidiſti. O gratia gratis data.* Hæc ille. Cum ergo Apoſtolus, abſolutè concludit.

Alio-

Digitized by Google

Alioquin *gratia non eſſet gratia*. & nomine gratiæ intelligitur donum, ſeu gratis datū; idem eſt dicere *iam gratia non eſſet gratia*, ac ſi dixiſſet, iam donum non eſſet donum, & gratis datum, non eſſet gratis datum. quod tamen Apoſtolus iudicat inconueniens. Sicut inconueniens eſt, ponere rem, & euſdem funditus eſſentiam euertere.

37 Tertiò. Quia huiuſmodi explicatio multùm contra Verbi diuini veram Deitatem, conſubſtantialemquè cum Patre naturam, Arrianis præbet fundamentum: Nam hoc eſt impiiſſimum dogma Arrianorum; nempè, quòd Verbum diuinum eſt prima omnium creatura ordinis ſupernaturalis, naturaliter Deo grata, & dicitur filius Dei naturalis, quia naturaliter ei conuenit Regni cœleſtis hęreditas, & his ſimilia.

38 Dicet autem aliquis. Etiam gloria eſt accidens ſupernaturale, & maximum Dei donum, & nihilominus, eſt quid bonis operibus debitum. Iuxta illud. *De Reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex, non ſolùm autem mihi, ſed & ijs, qui diligūt aduentum eius.* 2. Tim. 4. Ergo non repugnat, gratiam eſſe vno modo donum, & altero debitum. Donum quidem, reſpectu ſubſtantiæ naturalis, debitum verò, reſpectu ſubſtantiæ ſupernaturalis.

39 Verùm, hoc, rationem non eneruat, ſed illam magis roborat, & extollit. Nam omne debitum accidentis, & doni ſupernaturalis, ſuper gratiam fundatum, eſt debitum gratiæ non naturæ; ac proinde rationem eſſentialem gratiæ, & doni non amittit; gloria enim, quæ ex iuſtitia, benè operanti debetur, eſt debita propter merita gratię, non propter operantis vires connaturales. præterquamquòd, gloria quæ propter merita gratiæ, vt præmium via executionis confertur: via tamen intentionis conſideratur, vt donum, & merita ipſa antecedit. Electio enim ad gloriam, non ſolùm fit independenter à præſcientia media, ſeù conditionata meritorum; cum ſcientia media ſit omnino impoſſibilis; ſed etiam independenter à præſcientia abſoluta meritorum, vt communiter Theologi docent: At verò ſi gratia eſſet debita alicui ſubſtantiæ ſupernaturali, fundamentum accidentis ſupernaturalis quale eſt gloria, non eſſet gratia, ſed ſubſtantia illa ſupernaturalis; ac per cōſequēs, gratia, nō eſſet gratia, quia in illo ſubiecto nullatenus poſſet eſſe donū ſupra eiuſdem eſſentiæ connaturalem exigentiā.

40 Vrgebit iterum aliquis. Gratia in Chriſto fuit vera gratia, iuxta illud Io: 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*: At gratia propter vnionem hypoſtaticam fuit Chriſto connaturalitatis titulo debita. Ergo eſto gratia eſſet alicui naturaliter debita, adhuc eſſentiam gratiæ retinebit. Ioann. 1.

41 Huic tamen, obiectio ip ſa, plena ſatisfactione reſpondet, in eo quòd obijciendo dicit, gratiam propter vnionē fuiſſe Chriſto connaturalitatis titulo debitam. Nam vnio hypoſtatica eſt maxima gratia, & conſequenter debitum gratiæ, non prouenit ex natura, ſed fundatur in gratia.

42 Probatur Secundò minor principalis argumenti. Gratia ſecundùm quòd eſt accidens, & Dei donum, eſt immediata participatio naturæ diuinæ. Nam per illam efficimur diuinæ naturæ conſortes, vt dicitur 2. Petri. c. 1. *Perquem*, inquit, *maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ*: Sed ſi gratia eſſet alicui ſubſtantiæ creatæ vel creabili, debita ſeu cōnaturalis, non eſſet immediata participatio diuinæ natura. Ergo implicat vt gratia ſit connaturalis alicui ſubſtantiæ creabili. Probatur minor. Quia ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis cui gratia eſſet connaturalis & debita, illa natura ſubſtantialis immediatè participaret naturam diuinam; & per ſe ipſam illius conſors eſſet. Ergo gratia conſequeretur vt eidem debita. Ergo gratia participaret diuinam naturam mediatè, mediantè ſcilicet, natura ſubſtantiali ſupernaturali. 2. Petri. c. 1.

43 Confirmatur. Quia ſi quis homo gratuitè reciperet à Deo, tantùm cognoſcendi lumen, ac ſpecies ſimiles illis, quas Angeli naturaliter habent, diceretur immediatè ſimilis Angelis, & vi tanti luminis, taliumquè ſpecierum, potius diceretur cum Angelis, quàm cum Deo, naturale habere conſortium, non obſtante, quòd à Deo immediatè totum haberet. Ergo ſi gratia eſſet connaturalis alicui creaturæ, homines, & Angeli in gratia conſtituti, non dicerentur facti immediatè, vt conſortes, & ſimiles Deo per gratiam niſi per analogiam ad creaturam, quæ eſt conſors per naturam. Nam quod eſt tale per gratiam, dicitur per analogiam ad illud quod eſt tale per naturam, ſicut filiatio per adoptionem, licet fiat immediatè ab adoptante, tamen fit per ſimilitudinem ad filiationem naturalem.

44 Reſpondebit aliquis; quòd duplex eſt participatio diuinæ naturæ. Subſtantialis vna, & accidentalis altera. Prima, non eſt per gratiam, benè tamen ſecunda. Prima enim eſt per ſubſtantiam ſupernaturalem; & cùm dicitur quòd creatura rationalis, ſit conſors diuinæ naturæ, explicari poteſt, de participatione accidentali, non autem ſubſtantiali. Exempli gratia. Anima intellectiua dupliciter, dici poteſt intellectiua; ſubſtantialiter, & accidentaliter. Primum habet ratione propriæ quidditatis, ſecundum ratione potentiæ intellectiuę, nempè intellectus, qui eſt accidens. Ita in propoſito poſſet quiſpiā dicere, ſi daretur ſubſtātia ſupernaturalis, dupliciter eſſet particeps naturæ diuinæ; Subſtantialiter, & accidentaliter;

Digitized by Google

Primum per propriam quidditatem ſeu ſubſtantiam haberet ; ſecundum per gratiam quæ eſt accidens ſupernaturale.

Sed hoc non poteſt ſtare . Primò quidem ; Quia quod eſt ſubſtantialiter Deiforme , non poteſt fieri Deiforme accidentaliter per gratiam : ſed creatura ſubſtantialis ſupernaturalis,eſſet ſubſtantialiter Deiformis. Ergo non poſſet fieri Deiformis accidentaliter per gratiam . Minor, & conſequentia patent. Probatur maior. Quia idem omnino eſt eſſe Deiforme accidentaliter per gratiam, ac eſſe Deiforme ex Dei dono.Nam gratia vt gratia,eſt eſſentialiter donum,vt iam probauimus . Sed implicat eſſe Deiforme per gratiam , & per naturam. Ergo.

45 Secundò . Quia ſi daretur aliqua creata ſubſtantia ſupernaturalis , illa abſquè dubio eſſet immediata participatio naturæ diuinæ, non verò gratia, ſicut probatum eſt : ſed hoc eſt abſurdum. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Quia illud eſt immediatè particeps naturæ diuinæ, ratione cuius aliquod fit illius naturæ conſors , & particeps : ſed gratia eſt huiuſmodi . Ergo.

46 Tertiò. Quia exemplum non eſt ad propoſitum, & ſecum diſparitatem ducit,Primò . Quia intellectualitas accidentalis , puta intellectus , cum ſit potentia vitalis animæ , non eſt communicabilis niſi ſubſtantiæ ſpirituali , quæ eſt ſubſtantialiter intellectiua . Quis enim dixerit diuinitus fieri poſſe,vt id quod non eſt ſubſtantialiter intellectiuum, fiat intellectiuum per ſolum intellectum? At verò participatio accidentalis naturæ diuinæ, quæ fit per gratiam , eſt communicabilis naturæ creatæ intellectuali,imo eſt id quo Deus ſupernaturaliter ſe communicat. Ergo.

47 Secundò.Quia aliud eſt aliquid poſſe dici intellectiuum ſubſtantialiter per ſuam propriam quidditatem , & accidentaliter per intellectum : & aliud dici intellectiuũ ſubſtantialiter per propriam ſubſtantiam , & per gratiam accidentaliter per intellectum.Primum eſt verum : ſecundum verò, eſt omnino falſum . Quia vtroquè modo diceretur intellectiuum naturaliter ; non enim poteſt eſſe , vt aliquod vno modo ſit intellectiuum ſubſtantialiter per naturam, & altero modo ſit intellectiuum accidentaliter per gratiam.Ita pariformiter in caſu noſtro , ſi eſſet aliqua creata ſubſtantia intellectualis ſupernaturalis, cui eſſet connaturalis gratia , vtroquè modo eſſet Deiformis per naturam. Subſtantialiter, & accidentaliter ; Ergo non per gratiam.

48 Si quis vim argumenti aliter tentabit effugere , dicens , quòd ſi daretur creatura ſupernaturalis , non eſſet particeps diuinæ naturæ accidentaliter per gratiam, ſed per ſuam ſubſtantiam dumtaxat . Non enim haberet in ſe gratiam tanquam accidens ſibi inhærens , vnde eadem creatura diceretur, ſeu nuncuparetur gratia ſubſiſtens .

49 Et hoc etiam de facili impugnatur . Primò, quia per poſitionem gratiæ ſubſiſtentis iam gratia non eſſet gratia . Funditus enim ratio gratiæ deſtruitur ; cum de habituali dono in ſubſtantiam tranſit , nam quod per ſuam ſubſtantiam eſt tale ; in terminis implicat,tale per gratiam nũcupari.

50 Secundò. Quia de creatura , tranſiret in naturam Dei . Probatur . Quia ſi Anima intellectiua , vel Angelus intelligeret per ſuam eſſentiam , ſeu intellectus non eſſet illi accidens ſed ſubſtantia , non eſſet Angelus, ſed Deus ; vt communior pars Philoſophorum,ac Theologorum optimè docet ; Ergo ſi gratia quæ eſt accidens animæ, eſſet ſubſiſtens, illa ſubſtantia quæ diceretur gratia ſubſiſtens,non eſſet creatura ſed Deus. Probatur conſequentia a pari , imo a fortiori ; Quia magis eſt ſupra rationem creaturæ eſſe gratiam ſubſiſtentem ; quàm animæ intellectiuæ & Angelo,intelligere per ſuam ſubſtantiam abſquè medio intellectu , ab ipſis realiter diſtincto , Ergo.

51 Tertiò.Quia ſi daretur gratia ſubſiſtens, illa creatura eſſet ſancta per naturam , & ſubſtantialiter : ſed hoc repugnat creaturæ. Ergo. Sequela patet.Minor verò probatur . Quia eſſe Sanctum per naturam , dicit conceptum ſanctitatis ſecundùm quòd eſt propria ſupernaturalitas ſanctitatis Dei : Ergo repugnat creaturæ.Conſequentia eſt euidens . Probatur autem antecedens. Quia , Sanctitas eſt aliquod ſupernaturale ; Sanctitas autem tanquàm in per ſe differentias,diuiditur in ſanctitatem ſubſtantialem,& per naturam,& in ſanctitatem accidentalem, & per gratiam. Ergo altera eſt propria Dei , & altera eſt communicabilis creaturæ, Sed Deo conuenit ſanctitas ſubſtantialis,& per naturam ſuam , & omnino repugnat ei ſanctitas accidentalis ; Ergo eſſe ſanctum per naturam dicit conceptum ſanctitatis ſecundùm quòd eſt propria ſupernaturalitas ſanctitatis Dei : & eſſe ſanctum per gratiam dicit ſanctitatis conceptum, ſecundùm quòd eſt communicabilis creaturæ,

52 Confirmatur.Quia Chriſto Domino ratione ſuæ Deitatis in Cantico Angelorum dicitur *Tu ſolus Sanctus* . Ergo cum duplex ſit ſanctitas ; ſubſtantialis & per naturam ; & ſanctitas accidentalis & per gratiam ; debet intelligi de ſanctitate prima , vel ſecunda . Non de ſecunda , quia repugnat Deo . Ergo de prima . Ergo prima repugnat creaturæ. Probatur iſta vltima conſequentia . Quod ſoli Deo conuenit , repugnat creaturæ. Ergo.

Pro

53 Pro huius tamen doctrinæ intelligentia eſt breuiter obſeruandum. Quòd ſupernaturalitas Dei dupliciter a nobis concipi poteſt. Primò pro vt dicit modum quo aliquod eſt in Deo; vel pro vt dicit aliquod prædicatum, ſeu alicuius prædicati formalitatem, veluti modificabilem per ſupernaturalitatem modaliter ſumptam. Hoc prædicatum, Sanctitas, eſt prædicatum ſupernaturale hoc ſecundo modo, non autem primo.

54 Obſeruandum Secundò, quòd quamuis omne prædicatum Dei, ſit in ſe ſimpliciter ſupernaturale, non tamen omne prædicatum Dei, dicit, ſeu explicat ſupernaturalitatem; Nam intellectiuitas Dei, eſt ſimpliciter ſupernaturalis, non tamen explicat ſupernaturalitatem ſub conceptu intellectualitatis: quod conſtat; quia Anima intellectiua, & Angelus ſunt ſubſtantiæ intellectiuæ, per participationem ab intellectualitate diuina, non autem ſunt ſupernaturales ſed naturales: aliquod autem Dei prædicatum non ſolùm in modo eſſendi, verùm etiam in ipſa formalitate quam explicat, dicit ſupernaturalitatem, vt puta ſanctitas, ſeu impeccabilitas; ſupernaturalitas Dei primo modo conſiderata, eſt omnino incommunicabilis creaturis, quemadmodum eſt impoſſibile, creaturam eſſe Deũ: ſupernaturalitas autem Dei ſecundo modo accepta, eſt communicabilis, & de facto creaturæ communicatur: exemplum primi, Ens per eſſentiam, cauſa prima, &c. exemplum ſecũdi. Sanctitas, impeccabilitas, &c. vt igitur ſupernaturalitas ſecundo modo, ſit incommunicabilis, oportet quòd habeat modum quo in Deo eſt; cuiuſmodi eſt impeccabilitas per naturam, &c.

55 Vbi aduerte, quòd ly per naturam, non ſemper dicit modum quo aliquod prædicatum eſt in Deo; ſicut eſſe intellectiuum per naturã, non dicit modum proprium quo intellectiuitas eſt in Deo; ſed tũc tantũmodo, quando formalitati explicanti ſupernaturalitatem iungitur, vt eſſe ſanctum per naturam, videre Deum intuitiuè per naturam, &c. vnde ſanctitas quamuis dicat ſupernaturalitatem, non tamen dicit ſupernaturalitatem Dei, quia ſupernaturalitas Dei dicit modum quo aliquod prędicatum competit Deo.

56 Ex quibus colligi poteſt hoc argumentum; Videlicet, Eſſe Sanctum, eſſe impeccabilem, videre Deum intuitiuè, explicant formalitatem ſupernaturalem. Ergo ſicut eſſe ſanctum, impeccabilem, & videre Deum per gratiam, eſt modus conueniens creaturæ, ita eſſe ſanctum per naturam, &c. eſt proprius modus ſupernaturalitatis Dei, in ratione ſancti.

57 Dices. Quare aliqua Dei prædicata, de ſuo formali ſignificant ſupernaturalitatem, & aliqua non, cum omnia ſint in re vna ſimplex entitas maximè ſupernaturalis?

58 Reſpondetur, Quòd tantummodo illa Dei prædicata de ſuo formali dicunt ſupernaturalitatem, quæ ſunt veluti relatiua, & habent pro obiecto Deum, vt eſt in ſe. & huiuſmodi ſunt impeccabilitas, quæ dicit indeficientiam à prima regula; viſio clara Dei, &c. quæ habent pro obiecto Deum: At verò illa prædicata, quæ non reſpiciunt Deum vt obiectum; neque dicũt formalitatem, & modum, ſicut eſt omnipotentia, de ſuo formali, non dicunt ſupernaturalitatem, ſicut ſunt intelligere, velle, eſſe, ens, ſubſtantia, &c.

59 Probatur Quartò, Quia implicat aliquem eſſe naturaliter Amicum, & ſeruum: Sed quęlibet creatura eſt naturaliter ſerua, & non poteſt non eſſe naturaliter ſerua Deo. Ergo implicat aliquam creaturam habere ſibi gratiam naturaliter competentem. Probatur conſequentia. Quia vnuſquiſque per gratiam ſanctificantem fit amicus Dei. Ergo habens gratiam naturaliter, naturaliter eſt amicus. Maior probatur. Quia ſic teſtatur veritas dicens. *Vos amici mei eritis ſi feceritis quæ præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, ſed Amicos.* Ioan. 15. Ergo Chriſtus Dominus contra diſtinguit Seruum ab Amico, non tanquàm duo ſimpliciter incompoſſibilia, ſicut rectitudo, & curuitas in linea; vel ſicut rationalitas, & irrationalitas; ſed in ratione connaturalitatis, id eſt, eſſe naturaliter Seruum, & naturaliter Amicum, ſunt duo ſimpliciter incompoſſibilia: Ita ſanè quòd ſeruus per naturam, poteſt per Domini ſui gratiam fieri amicus: Probatur autem minor. Quia creatura ſubiecta eſt Deo ratione creationis. Liberè enim eſt ex omni nihilo à Deo creata. Vnde in opere creationis attributum miſericordię maximè ſplendet, vt docet D.Tho: infra q.21. art.4. & omnia à Deo producta ſunt propter ipſius ſeruitutem, (D.Thom.) iuxta illud Prou. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* (Prou. 16.) Idem patet ex illo Lucæ.17. *Quidquid debuimus facere fecimus, ſerui inutiles ſumus.* (Luc. 17.) Et ad Galat.4. *Iam non eſt ſeruus, ſed filius.* (Galat.4.)

60 Nec valet cum Becano reſpondere, Quòd creatura illa eſſet ſerua ratione creationis; (Becanus.) eſſet verò Sancta, & Amica, ratione ſuæ ſubſtantiæ, & propriæ operationis.

61 Non inquam valet, Primò, Quia hic reſpondendi modus, modum argumentandi Sanctorum Patrum contra Arrium euertit. Nam D. Auguſtinus, contra Arrium arguens, (D.Auguſt.) & probare volens Chriſtum eſſe verum Deum, patri omnino conſubſtãtialem. Sic in homilia 6. contra Arrium argumentatur: *Si creatura eſt, vtiquè & Seruus.*

Nam

Digitized by Google

S.Baſilius Eunom. *Nam omne creatum, neceſſe eſt vt creatori deſeruiat.* Et S.Baſilius lib.4. contra Eunomium eodem modo ad idem probandum intentum ſic ait. *Si filius creatura Dei eſt; omnis verò creatura creatoris ſerua, Chriſtus Dei ſeruus eſt, & non filius.* Idem docet Diuus D. Aug. Auguſtinus lib. 12. de ciuit. c.4. vbi quamuis de Angelis, & hominibus ſermocinetur, cauſa tamen quam adducit, ad creaturas quoquè poſſibiles ſe extendit. ſic enim ait. *Quamobrē ſi cum quæritur, quare illi beati ſint, rectè reſpondetur; quia adhærent Deo; & cum quæritur, cur iſti ſint miſeri, rectè reſpondetur, quia non adhærent Deo: non eſt creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata ſit, niſi Deus. Itaquè quamuis non omnis beata poſſit eſſe creatura, ea tamen, quæ poteſt, non ex ſe ipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo à quo creata eſt, hoc enim adepto, beata eſt. Quo amiſſo, miſera eſt.* Hæc ille. Hoc idem dicit de mutabilitate, nempè quòd ſolus Deus eſt immutabilis his verbis. *Dicimus itaquè immutabile bonum non eſſe, niſi vnum verum Deum beatum; ea verò quæ fecit, bona, bona quidem eſſe, quòd ab illo, ver mtamen mutabilia, quòd non de illo, ſed de nihilo facta ſunt.* Hæc ille. Idem omninò ie e.t D.Pro-S.Proſper ſper in ſententijs ex D. Auguſtino decerptis ſententia 143. dicens. *Creaturæ rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata ſit, non niſi Deus eſt, quòd ei non ex ſe ipſa eſt, quia ex nihilo creata eſt, hoc enim adepto ſit beata, quo amiſſo miſera.*

62 Ex quibus Sanctorum verbis, conſtat nullam, & reprehenſione dignam, eſſe reſpōſionem Becani. Nā aliàs poſſent Augu- Becanus. ſtino, Baſilio, & alijs, Arriani reſpondere, quòd Chriſtus eſt verè, & propriè ſolùm creatura, dicentes, quòd ratione creationis eſſet ſeruus, ratione verò operis eſſet Amicus, Sanctus, & beatus. Dicunt enim Verbum Dei eſſe ſubſtantiam creatam ſupernaturalem, cæteris præſtantiorem, ex natura Deo gratam, Sanctam, & beatam. Et certè, ex Arriana hæreſi, iudico duxiſſe originem, hanc de ſupernaturali ſubſtantia creata ſententiam. Vnde Recupitus, & be-Recupit. nè, loco citato num.54. in fine his concludit verbis. *Subſtantia igitur ſupernaturalis creata, figmentum, & chimæra eſſe videtur Arrianorum.*

63 Probatur Quintò, & ſignanter quòd repugnat alicui intellectuali creaturæ eſſe connaturale lumen gloriæ, & probatur ratione D. Thomæ quam habet hic in re- D.Thom. ſponſione ad 3. Diſpoſitio ad aliquam formam non poteſt eſſe connaturalis, niſi habenti connaturaliter talem formam, ſicut diſpoſitio ad formam ignis, non poteſt eſſe connaturalis, niſi habenti formam ignis: ſed impoſſibile eſt, vt diuina eſsentia in ratione ſpeciei, ſeù formæ intelligibilis, alicui creato vel creabili intellectui naturaliter ſit vnita. Ergo.

64 Pater Gregorius de Valentiâ hic punctô Valentia. 3. ægre ferens hanc veram D. Thomæ rationem, ſic eam ſoluit. *Maior eſt vera de diſpoſitione phyſica, non autem de diſpoſitione intelligibili, id eſt cui eſt connaturalis diſpoſitio phyſica, eſt etiam connaturalis forma phyſica; Non autem cui connaturalis eſt diſpoſitio in eſſe intelligibili, cui iſmodi eſt lumen gloriæ.* Rationem D. Thomæ ſupradictam reijcit, quam nonnulli alij, ſed valdè pauci illam reſpuunt; & quare? *Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis, oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.* Rationem tamen D. Thomę doctiores Theologi defendunt. Ita communiter Thomiſtæ, & præſertim Salmanticenſes tract.2. diſp.3. dub.2. à n. Salmanti. 16. vſquè ad 18. incluſiuè, qui valdè Valentiam impugnant, & ſolidè eius obiectioni ſatisfaciunt. Nec mirum, quia doctrina D. Thomæ inter Diſcalceatorum Carmelitarum vbera, deuota obſeruantia delectabiliter commoratur.

65 Et contra Valentię reſponſionem ſic argumentor. Doctrina, ac reſponſio Valentiæ, & aliorum, eſt voluntaria, in nullo prorſus firmo fundamento firmata. Ergo. Probatur antecedens, quia vtrobiquè eſt eadem ratio. Ergo. Probatur antecedens, Primò, quia nulla diſparitas aſſignatur. Secundò, quia de ratione vltimæ diſpoſitionis, vt vltimæ, neceſsè eſt vt neceſſariò, & connaturaliter ſequatur forma, aliàs potentia non eſſet vltimatè diſpoſita: ſed lumen gloriæ eſt vltima diſpoſitio ad vnitionem diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis cum intellectu; & taliter vltima, vt poſito lumine gloriæ in intellectu, ſtatimatquè, abſquè aliquo temporis interuallo, vnio diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis conſequatur, niſi aliter factum fuerit diuino miraculo. Ergo cui connaturaliter conuenit lumen gloriæ, eodem prorſus titulo diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis conuenire debet. Ergo non ſolùm propoſitio D. Thomæ de diſpoſitione phyſica, verùm etiam de diſpoſitione intelligibili veritatem habet.

66 Reſpondent alij negando minorem, Ita colligitur ex Becano qui ſupra. Sed contra Becanus. hanc negationem militant ea quę diximus, probantes gratiam nō poſſe eſſe alicui cōnaturalem; & omnia alia in 4. capite inſtaurata. Contra eam tamen ſic inſtauro argumentum; Si eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis poſſet eſſe connaturalis alicui creaturæ intellectuali, ſequeretur quòd etiam perſona diuina poſſet eſſe connaturaliter perſonans, ſeu ſuppoſitans aliquam naturam creatam: hoc eſt impoſſibile. ergo: minor cùm conſequentia patent. Probo verò ſequelam. Quia vtrobique eſt eadem ratio. Ergo. Probo antecedens. Si ſuppoſitum diuinum eſt infinitum, eſſen-

Digitized by Google

eſſentia diuina eſt infinita, immo, ſuppoſitum in præciſa ratione ſuppoſiti, cum nullam dicat perfectionem, nullam dicit infinitatem, & ſi perfectionem exprimit, illa eſt perfectio relatiua, non autem abſoluta. Sed eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis, dicit perfectionem abſolutam, & infinitam. Suppoſitum diuinum poteſt vniri naturæ creatæ præbendo illi ſubſiſtentiam abſquè entitatiua informatione, per ſolam intrinſecam vnionem in ratione puri termini; & eſſentia diuina poteſt vniri intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis ipſum intelligibiliter terminando abſque in formatione in eſſe entitatiuo. Si igitur poteſt dari aliqua creatura cui connaturaliter conueniat diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, quare implicabit aliqua creatura ſupernaturalis ordinis, cui ſit connaturale ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina?

67 Si Reſpondeatur; Quòd eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis finitè tamen repræſentans, eſſe poteſt connaturalis intellectui creato, non autem infinitè repræſentans.

68 Contra. Quia ſuppoſitum diuinum, etiam finitè perſonaret, ac terminaret naturam creatam. Ergo ex hoc capite nulla diſparitas.

69 Si Reſpondeatur alia via. Videlicet, quòd eſſentia diuina ſi eſſet connaturalis alicui in ratione ſpeciei intelligibilis, non reſpiceret illum intellectum, tanquàm per ſe primò receptiuum, ſed tanquàm ſecundarium.

70 Contra. Quia ſi ſuppoſitum diuinum eſſet connaturale alicui naturæ creatæ, nequè etiam reſpiceret illam creatam naturam tanquàm ſecundarium terminabile.

71 Si tandem Reſpondeatur. Quòd perſona diuina eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ac per conſequens, perſona ſeu ſuppoſitum reſpicit immediate naturam, vnde ſi ſuppoſitum eſt connaturale naturę, ſi ſuppoſitum eſt diuinum, natura debet eſſe diuina.

72 Contra. Etiam ſpecies eſt terminus intelligentis in ratione intelligentis, & conſequenter, ſi ſpecies naturaliter alicui intelligenti debita eſt Deus, cognoſcens erit etiam Deus.

73 Probatur Sextò. Non poteſt dari aliqua creatura cui ſit connaturalis æternitas, vel ab æterno creari. Ergo nequè poteſt dari aliqua creatura cui ſit connaturale videre Deum. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Quia ſicut Deo competit eſſe æternum, ita etiam ei conuenit eſſe naturaliter inuiſibilem. Tandem probatur ratione D. Thomæ in articulo præcedenti poſita, & ſufficienter examinata. D.Thom.

CAPVT QVINTVM.

Obiectiones Aduerſæ, & illarum Solutiones.

74 Contra iſtam determinationem obijcies primò. Datur Accidens ſupernaturale. Ergo eſt dabilis ſubſtantia ſupernaturalis. Antecedens, nullus Catholicorum negat. Probatur autem conſequentia, primò. Quia accidentis eſſe eſt in eſſe; Ergo accidenti ſupernaturali debet correſpondere ſubiectum ſupernaturale illi proportionatum. Secundò. Accidenti naturali correſpondet ſubiectum naturale. Ergo accidenti ſupernaturali correſpondet ſubſtantia, ſeu ſubiectum ſupernaturale.

75 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius primam probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem ſimiliter, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Imo retorqueo argumentum. Datur accidens ſupernaturale. Ergo eſt impoſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis. Patet conſequentia ex ſupradictis. Secundò. Quia argumentum ſi quid probat, probat etiam, quod de facto datur ſubſtantia ſupernaturalis; Nec de facili diſparitas aſſignatur, quare ſcilicet admittitur ſubſtantiæ ſupernaturalis poſſibilitas, propterea quòd de facto datur accidens ſupernaturale; & de facto ſubſtantia illi proportionata non detur.

76 Ratio igitur negationis conſequentiæ, ac diſparitatis eſt, quia accidens naturale, ideo naturale dicitur, quia ita deficit ab attingentia obiecti ſupernaturalis, vt ſubſtantiam creatam ad perfectionem in proprio genere, & infra Deum vt in ſe eſt, ordinet; Quare debet eſſe commenſuratum ſubiecto, vt ſcilicet, ſit eiuſdem ordinis cum illo: At verò Accidens ſupernaturale, idcirco ſupernaturale dicitur, quia ineſt ſubſtantiæ, ſeu ſubiecto naturali, illud diſponendo, vel formaliter eleuando, ad attingendum Deum vt in ſe eſt.

77 Contra hoc, nonnulli ſic inſtant. Accidens ſupernaturale, naturaliter, ideſt, ex ſua natura eſt accidens. Ergo ex ſua natura ſubiectum cui inſit, expoſcit. Ergo accidens ſupernaturale debet reſpicere ſubſtantiam ſupernaturalem tanquàm ſubiectum ſibi ex ſua natura conueniens.

78 Confirmatur. Accidens indiuiduatur à ſubiecto, etiam ſi ſit ſupernaturale. Ergo tale numero accidens ſupernaturale, petit tale numero ſubiectum: Sed hoc non poteſt eſſe ſubſtantia, vel ſubiectum naturale.

Ergo

Digitized by Google

Ergo erit aliquod ſubiectum ſupernaturale. Probatur minoris ſubſumptio. Quia vnumquodquè accidens indiuiduatur à proprio ſuo ſubiecto: Sed ſubſtantia naturalis, non poteſt eſſe proprium ſubiectum accidentis ſupernaturalis. Ergo.

79 Reſpondetur, concedendo antecedens; & diſtinguendo primum conſequens. Ergo ex ſua natura expoſcit ſubiectum vt eleuabile per ipſum, concedo conſequentiam. Expoſcit ſubiectum eiuſdem ordinis cum illo, nego conſequentiam. Ergo,&c. nego vltimam conſequentiam.

80 Dices. Accidens ſupernaturale, vt concedimus, eſt ex natura ſua accidens. Ergo ex natura ſua debetur illi aliquod ſubiectum.

Reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo ex natura ſua debetur illi aliquod ſubiectum, cui inhæreat, tanquàm peripſum ad Deum vt eſt in ſe ordinabili, concedo conſequentiam. Cui inhæreat tanquàm ſubiecto ordinis ſupernaturalis, nego conſequentiam.

81 Pro cuius tamen intelligentia eſt obſeruandum, circa illam particulam in argumento poſitam,& a nobis conceſſam, nimirum, debetur. Quoniam aliud eſt dicere. Accidenti ſupernaturali ex natura ſua debetur ſubiectum. & aliud eſt dicere, è contra, videlicet; Subiecto naturali ex natura ſua debetur accidens ſupernaturale; Primum, in ſenſu iam explicato eſt omnino verum; Secundum verò, eſt prorſus à veritate alienum. & ratio eſt, quia accidenti, vt exiſtat, debetur ſubiectum; ſubiecto verò naturali, non debetur accidens ſupernaturale, quia ſupernaturale, gratis naturali confertur. Ergo verum eſt, quòd accidenti ſupernaturali debetur ſubiectum naturale. Subiecto verò, non eſt debitum accidens ſupernaturale. Hoc magis clarificatur in gratia iuſtificante; Gratiæ enim cùm ſit accidens, debetur eſſentia animæ intellectiuę, vel eſſentia Angeli cui inhæreat, quamquè ad Dei conſortium eleuet & ordinet; non tamen Animæ vel Angelo eſt debita gratia, quæ nullis meritis, ſed tantummodo à Deo miſericorditer illi collata. Accidens igitur ſupernaturale, non ſolùm non habet ſibi debitam aliquam ſubſtantiam vel ſubiectum ſupernaturale; verum etiam omnem ſubſtantiam ſupernaturalem cui inſit excludit, excludit etiam ſubiectum ſeu naturalem ſubſtantiam tanquàm illi connaturaliter commenſuratam, quaſi ſit eiuſdem ordinis cum illa. Includit autem ſubſtantiam naturalem, tanquàm ſubiectum quod eleuet, & ordinet, ad aliquod ſupernaturale.

82 Dices. Non omne accidens ſupernaturale eleuat ſubſtantiam, illam transferendo ab ordine naturali ad ordinem ſupernaturalem. Ergo doctrina de accidente ſupernaturali non eſt vniuerſaliter vera. Probatur antecedens; quia Viſio beatifica V.G. non eleuat intellectum ab ordine naturali ad ordinem ſupernaturalem. Nam viſio beatifica elicitur ab intellectu vt illuſtrato lumine gloriæ, & conſequenter vt iam ab ordine naturali ad ſupernaturalem ordinem eleuato.

83 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Non omne accidens ſupernaturale eleuat ſubſtantiam illam transferendo ab ordine naturali ad ordinem ſupernaturalem, nequè illam ordinat ad attingendum Deum vt eſt in ſe, nequè ſupponit ab alio accidenti ſupernaturali tranſlatam, nego antecedens. & illam ordinat ad attingendum Deum vt in ſe eſt, ſupponitquè ab alio accidenti translatam concedo antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam, Quoniam de accidenti ſupernaturali loquentes, diximus illius munus eſſe eleuare ſubſtantiam ab ordine naturali ad ſupernaturalem, vel illam ordinare ad attingendum Deum vt in ſe eſt.

84 Ratio autem quare aliquod accidens ſupernaturale eleuat ſubſtantiam, vel potentiam, ab ordine naturali ad ordinem ſupernaturalem, & aliquod ſupponit illam eleuatam, eſt, Quia quoddam eſt accidens habituale, vel actuale, ſe tenens ex parte principij operatiui: quoddam verò eſt actualis operatio. Primum eleuat: Secundum verò non eleuat ab ordine naturali, ad ſupranaturalem, ſed ſupponit eleuatam, ordinat tamen ad attingendum obiectum ſupernaturale: huiuſmodi eſt viſio beatifica, &c.

85 Ad Confirmationem Reſpondetur, concedendo antecedens, & conſequentiam; negando verò ſubſumptionem minoris. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Vnumquodquè accidens indiuiduatur à ſuo proprio ſubiecto eleuationis, concedo maiorem. à ſuo proprio ſubiecto proportionis, eiuſdem ſcilicet, ſupernaturalis ordinis, nego maiorem: Ad minorem: Sed ſubſtantia naturalis non poteſt eſſe proprium ſubiectum, proportionis, ideſt, ordinis, accidentis ſupernaturalis, concedo minorem: Sed ſubſtantia naturalis non poteſt eſſe proprium ſubiectum, eleuationis, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam. Itaquè accidens ſupernaturale, indiuiduatur à ſubiecto naturali: Nec aliud ſubiectum cognoſcit, quod ſit ei proprium. Alìàs lumen gloriæ in intellectu hominis, vel Angeli,& gratia ſanctificans homines, & Angelos, eſſet in illis tanquàm in ſubiecto innaturali. & ſic dabitur, quòd ſit inhærens vni ſubiecto,& quòd ab alio cui nõ inhæret, indiuiduetur; ꝙ eſt aperte falſum.

Obij-

86 Obijcies ſecundò, Si daretur aliqua creatura ſubſtantialis ſupernaturalis cui conueniat naturaliter videre Deũ, vt in ſe, illa nõ eſſet infinita, & cõſequẽter non eſſet Deus. Ergo non eſt impoſſibilis. Probatur conſequentia, Quia ideo repugnat creaturæ videre Deum naturaliter, quia hoc eſt ſupra naturam cuiuſcumquè creaturæ. Probatur igitur antecedens. Primò, quia cuicũquè eſt cõnaturale aliquod finitum, ex vi talis conuenientiæ non ſequitur eſſe aliquod infinitum: Sed viſio qua creatura ſupernaturalis videret Deum, eſſet creata, & finita, vt ſupponimus. Ergo ſi daretur aliqua creatura ſupernaturalis cui conueniret naturaliter videret Deum, non eſſet infinita. Secundò, quia ſi Deus naturaliter cognoſceret ſe ipſum cognitione finita, non eſſet in ſe infinitus, nequè Deus. Ergo ſi aliqua creatura ſupernaturalis daretur, quæ naturaliter videret Deum viſione creata, & finita, non eſſet infinita, & conſequenter nequè Deus.

87 Reſpõdetur primò, diſtinguendo antecedens. Si daretur aliqua creatura, &c. cui cõueniret naturaliter videre Deum, vt eſt in ſe, illa non eſſet infinita, Ratione formæ, ſeu viſionis finitæ, concedo antecedens, Ratione modi vidẽdi, nego antecedẽs. Ergo, &c. nego conſequentiã. Dicimus igitur in hac prima reſponſione, quòd ſi daretur aliqua creatura cui eſſet connaturale videre Deũ, eſſet finita & infinita, & propterea implicat. Eſſet quidẽ finita, propter formam ſeu viſionem finitam, eſſet etiam infinita, quia videret Deũ naturaliter, qui videndi modꝰ, cum ſit proprius Dei, infinitatem arguit.

88 Contra nequè etiam quoad modum videndi argueretur infinitas. Ergo nulla reſponſio. Probatur antecedens. Quia videre Deũ naturaliter viſione finita, nullo modo arguit infinitatem: ſed illa creatura ſupernaturalis videret Deũ viſione finita. Ergo nullo modo eſſet infinita. Probo maiorem. Quia videre naturaliter Deum viſione finita, non eſt proprium Dei. Ergo non arguit ex hac parte infinitatem.

89 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Videre Deũ naturaliter viſione finita, qua finita eſt, non arguit infinitatẽ, conc. maiorẽ. Qua naturaliter eſt videre Deum, nego maiorem. Tunc cõceſſa minori, ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

90 Explicatur iſta reſponſio. In hac propoſitione, nempè, creatura ſupernaturalis ſi daretur, videret Deum naturaliter viſione finita, duo inuoluũtur, quæ ad inuicem omnino repugnant. Vnum eſt videre Deum naturaliter, & hoc eſt propriũ Dei: Alterũ verò eſt videre Deũ viſione finita, & hoc repugnat Deo. Si igitur daretur aliqua creatura quæ naturaliter videret Deum, eſſet creatura, & nõ eſſet creatura. Eſſet quidem creatura, quia ſic ſupponitur. & etiam quia videret viſione finita. Non autem eſſet creatura, quia hoc quod eſt videre Deũ naturaliter, eſt ſupra rationem cuiuſcunquè creaturæ.

91 Ad probationem verò antecedentis, patet reſponſio per idem.

Ad ſecundam probationem ſimiliter reſpondetur diſting. anteced. Si Deus naturaliter cognoſceret ſe ipſum cognitione finita, non eſſet Deus, & eſſet Deus, concedo antecedens. Tantummodo non eſſet Deus, nego antecedens. Ergo, &c. nego cõſequentiam. Nam ſi Deus naturaliter cognoſceret ſe ipſum cognitione finita, eſſet Deus, & non eſſet Deus. Eſſet Deus. Quia ſic ſupponitur; eſſet Deus quia naturaliter cognoſceret ſe ipſum; Non eſſet tamen Deus, quia cognoſcere cognitione finita, omnino repugnat Deo.

92 Reſpondetur Secundò negando antec. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Cuicunquè eſt cõnaturale aliquod finitum naturale, ex vi talis conuenientię, nõ ſequitur eſſe infinitũ, conc. maiorem. Cuicunquè eſt connaturale aliquod finitum ſupernaturale, non ſequitur eſſe infinitum, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

93 Ratio autem huius eſt, Quia ſubſtantia cui eſſet connaturale aliquod finitum ſupernaturale, eſſet ſubſtãtia ſupernaturalis, quæ tamen ſubſtantia ſupernaturalis, ex ſpeciali ratione implicat creaturæ, ex eo qa illa ſubſtantia ſupernaturalis creata, vel diceretur talis per participationem à ſubſtantialitate ſupernaturali Dei, vel per receſsũ ab illa, vel eſſet ſubſtãtia ſupernaturalis per eſſentiã, non per receſſum, quia illa dicũtur talia per receſſum a Deo, quæ habent aliquod prædicatum, quod repugnat Deo, ſicut mutabilitas, materialitas, potentialitas, &c. Nõ per eſſentiam, quia eſſet Deus. Non per participationem, quia Dei ſubſtantia qua ſupernaturalis eſt, imparticipabilis eſt à creatura, vt probauimus.

94 Obijcies tertiò. Proprius modus cognoſcendi Deum qui conuenit tantùm Deo, eſt cognoſcere eum comprehenſiuè. Cognitio autem quidditatiua, non comprehenſiua, eſt infra comprehenſionem: Ergo ſi communicaretur creaturæ alicui, quæ naturaliter cognoſcat Deum intuitiuè, non haberet proprium modum cognoſcendi Deum, quo Deus ſe ipſum cognoſcit.

95 Reſpondetur diſtinguendo maiorẽ. Proprius modus cognoſcendi Deum qui cõuenit tantùm Deo, quo ad ęqualitatẽ virtutis cognoſcentis cũ cognito, concedo maiorẽ. Quo ad modum tendendi ſeu quò ad cõnexionẽ, inter cognoſcentẽ, & cognitũ, nego maiorem: Ad minorẽ. Cognitio, &c. diſtinguo

guo minorem. Cognitio quidditatiua, & intuitiua Dei, nō verò cōprehenſiua Dei (loquendo de cōnaturali cognitione intuitiua Dei) eſt infra cōprehenſiuā, & infra modū tēdendi, quo ad cōnexionē cognoſcētis cū cognito, nego minorē. Quo ad ęqualitatem virtutis cognoſcitiuæ cu obiecto cognito, concedo minorē. ergo, &c. negatur cōſeq.

96 Hoc eſt propriū eorū quę contradictionē implicāt, quòd ex vna parte ſint, & ex altera non ſint. Ex vna parte ſint inferiora, & ex altera æqualia. Et ita eſt in caſu noſtro. Cognitio intuitiua Dei non comprehenſiua, eſt inferior cognitione comprehenſiua; eo quia ad cognoſcendum Deum comprehenſiuè requiritur virtus infinita, ſeu lumē infinitum; Ad cognoſcendū verò Deum tātùm intuitiuè, requiritur, & ſufficit virtus finita, ſeu lumen finitum: ex altero verò capite cognoſcere Deū intuitiuè naturaliter, quia dicit naturalem cōnexionem inter cognōſcentem, & cognitum, eſt proprius modus Dei ſicuti eſt cognoſcere Deu cōprehēſiuè quo ad ęqualitatē virtutis cognoſcitiuę

97 Explicatur amplius hæc doctrina, Ad cognoſcendū Deum cōprehenſiuè formaliter loquendo, nō explicatur cōnaturalis cōnexio inter naturā cognoſcentē, & Deum cognitū, ſed tantūmodo de formali, deſideratur virtus infinita in cognoſcendo. vnde ſi quis dixerit, poſſe dari lumē gloriæ creatū, & accidentale in eſſe entitatiuo, tamē infinitum in eſſe virtutis confortatiuè, diceret duo contradictoria ſimul, vnum eſt, ꝙ Deus cognoſceretur cōprehenſiuè à creatura, & ſic creatura æquaretur Deo in virtute cognoſcendi, & cōſequenter creatura ex hoc capite eſſet Deus. Ex altero verò capite, nō eſſet Deus, quia accidens, & ens creatu, nō eſt Deus. Ita ſimiliter dicimus in caſu argumenti, ꝙ cognoſcere Deum tantùm intuitiuè, non verò cōprehenſiuè, eſt infra Deu; cognoſcere verò Deum intuitiuè naturaliter, eſt proprius modus Dei videntis ſe ipſum in ratione cōnexionis requiſitæ inter rem cognoſcentem, & obiectū cognitum, & ex hoc capite creatura quæ cognoſceret Deum intuitiuè naturaliter eſſet Deus, non verò creatura. Hoc eodem prorſus modo reſpondendū eſt ad omnia conſimilia argumenta, nempè, quòd ſi daretur aliqua creatura, quę videret Deum naturaliter, illū videret dependenter, per lumen creatū, &c.

98 Pro cuius tamē maiori intelligētia eſt obſeruandū, quod pluries diximus, ꝙ non omnis proprius modus vnius prædicati diuini eſt proprius modus alterius; Sed quidam eſt tranſcendens, quidā verò eſt proprius alicuius, nempè huius, & non alterius, ſecūdū debitam explicationē. Trāſcendens ille dicitur, qui omnibus Dei prędicatis intrinſecè imbibitur, v.g. hoc ꝙ dico, modo diuino, modo perfecto; & ſunt iſti modi trāſcendētes omnia pdicata diuina; Nempè intelligere modo diuino, velle modo diuino, eſſe modo diuino, &c. Modus verò proprius dicitur ille, per quem formaliter, & à creaturis per illum diſtinguitur; & hic etiam eſt duplex. Quidā per quem diſtinguitur à creatura in cōmuni; Quidam verò per quem diſtinguitur ab hac, & non ab illa. Exēplum primi. Eſſe ens per eſſentiam, eſſe primam cauſam, eſſe Authorem naturæ, &c. Exemplum ſecundi. Vt eſſe Sanctum per naturā, exigere durationē ab æterno, cognoſcere ſeipſum intuitiuè naturaliter, ly ꝑ naturā, eſt proprius modus Dei in ratione Sancti, videntis ſeipſum, atque ab æterno exiſtentis. Nam licet eſſe Sanctum, &c. non tamē hoc eſt per naturā, ſed per gratiam, quæ eſt accidens. Vnde S. Greg. hom. 14. in Euang. Ioan. 10, *Ecce. n.*, inquit, *is qui non ex accidenti dono, ſed eſſentialiter bonus eſt. Ego ſum paſtor bonus*, vbi non de bonitate trāſcendentali, ꝙ bonitas entis eſt. Sed de bonitate quę eſt obiectum amicitiæ, iuxta illud. *Ego diligentes me diligo.* Ratione cuius ſancti ſumus. Et ſimiliter, cognoſcere Deum comprehenſiuè, eſt modus diuinæ cognitionis, quo ad æqualitatem virtutis cognoſcitiuæ. S. Greg. Io. 10.

99 Dices. Eſſe ſubſtantiale, diſtinguit modum eſſendi Dei à modo eſſendi accidentis. Ergo eſſe ſubſtantiale; eſt proprius modus eſſendi Dei; ſicut eſſe Sāctum per naturā. Ergo vel eſſe ſubſtantiale dicit modum infinitæ perfectionis, vel eſſe Sanctum, & cognoſcitiuum Dei per naturam, non eſt modus infinitam inuoluens perfectionem.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Eſſe ſubſtantiale diſtinguit modum eſſendi Dei vt analogicè cum ſubſtantia creata conuenientis, cōcedo antecedēs. Vt Dei eſt, nego antecedēs. Ergo, &c. nego vtramq; conſeq.

100 Pro huius intelligentia eſt obſeruandū, quòd quamuis inter res creatas ſit formalis & optimus modus cōſtituendi diſcrimē, inter duas ſubſtātias, per additionē gradus ad gradū, puta arbor diſtinguitur à quacūquē alia creatura tantū modo corporea, eo quia viuens eſt. Brutum ab arbore, quia ſentiēs, & homo à bruto, quia intelligens; Eo quia arbor, & inanimata, in ratione ſubſtantiæ, & corporis, non diſcriminātur. Arbor, Brutum, & homo, in ratione viuentis, ſimiliter conueniunt, & ſic de ſingulis diſcurrendo: non tamen ille eſt modus diſtinguendi, ſeu ſeiungendi ſubſtantiam Dei à creaturis ſubſtantialibus, ſubſtantia enim Dei diſtinguitur à ſubſtātia creata, quia illa indepēdens, per eſſentiam ſuam, increata, infinita, &c. & iſta dependens, per participationem, finitam, creatam, &c. Deus eſt viuens per eſſētiam ſuam, & viuentia creata per participationem. Deus eſt cognoſcitiuus intelligendo: Brutum verò eſt cognoſcitiuum, ſed deficienter ab intellectualitate. Deus eſt intel-

Digitized by Google

intelligens per eſſentiam, Anima intellectiua, & Angelus, per participationem, non ſolùm accidentalem per intellectiuam potentiam, ſed etiam ſubſtantialem: reſpectu verò claræ viſionis Dei, Deus clarè cognoſcit ſe ipſum per naturam, Anima verò, & Angelus, per gratiam. Reſpectu adæquatæ cognitionis Dei, Deus adæquatè ſe ipſum cognoſcit, Anima verò intellectiua & Angelus, neque per naturam, neque per gratiam, Deum adæquatè cognoſcere poſſunt. Quòd autem Deus diuidatur ab accidentib⁹, quia ſubſtantia eſt, non explicatur proprius modus Dei, quia eſſe ſubſtātiam, eſt qd cōmune Analogū, Deo & ſubſtantijs creatis.

101 Obijcies quartò. Non implicat ſubſtantia creata ſupernaturalis. Ergo neque intellectus ſupernaturalis. Ergo non implicat creatura cui ſit connaturale lumen gloriæ, ſimul cum viſione beatifica. Vltima conſequentia patet, ex prima, Prima ex antecedenti. Nam intellectus eſt eiuſdem ordinis cum eſſentia à qua dimanat, Probatur igitur antecedens. Primò, Quia de facto datur modus ſubſtantialis ſupernaturalis, vt patet in vnione hypoſtatica. Ergo poteſt dari aliqua ſubſtantia creata ſupernaturalis.

Secundò ſupernaturalitas non arguit infinitatem, eo quia datur accidens, quòd verè eſt ſupernaturale, & nō eſt ſimpliciter infinitū. Ergo ſubſtantia illa ſupernaturalis creata non eſſet ſimpliciter infinita.

102 Tertiò præſtantior eſt ordo ſupernaturalis, quàm ordo naturalis: ſed in ordine naturali eſt poſſibilis, immo neceſſaria ſubſtantia naturalis. Ergo etiam in ordine ſupernaturali eſt poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis. Antecedens vox ipſa ſupernaturalitatis oſtendit. Probatur autem conſequentia. Quia non minus eſt potens Deus vt author gratiæ, quàm Deus vt author naturę: ſed vt author naturæ producit accidentia, & ſubſtantias ordinis naturalis. Ergo etiam vt author gratiæ poteſt producere accidentia ſupernaturalis, nec non ſubſtantias ſupernaturales.

103 Quartò. Quando partes ſunt poſſibiles, etiam totum eſt poſſibile: ſed partes ſubſtantię ſupernaturalis creatę ſūt poſſibiles, puta ratio ſubſtātiæ creatæ, & ratio ſupernaturalitatis. Ergo etiā eſt poſſibile hoc totum, nēpè ſubſtantia creata ſupernaturalis.

104 Quintò. In Deo eſſe naturale, & ſupernaturale ſunt vnum, & idem; & non eſt magis de eſſentia Dei Bonitas, Sapientia, quàm Gratia, Lumen glorię, Charitas, &c. ſed eſſe naturaliter ſapientem, communicabile eſt ſubſtantiæ creatę, vt patet de Angelis, quibus ſcientiæ conueniunt naturaliter. Ergo etiam lumen gloriæ, & viſio beatifica poſſunt communicari naturaliter alicui ſubſtantiæ creatæ.

105 Sextò. Eſſe ens, eſſe ſubſtantiam, naturaliter conuenit Deo, & hoc non obſtante naturaliter communicatur creaturę abſquè eo quòd ſequatur aliqua infinitas. Ergo licet Deus habeat lumen gloriæ, & videre ſe ipſum connaturaliter, poterit tamen hęc connaturalitas, licet participatiuè, communicari creaturis.

Reſpondetur ad argumentum negando antecedens. Ad cuius primam probationem, Reſpondent quidam Theologi concedēdo antecedens, & negando conſequentiam, diſcrimiņiſquè rationem aſſignant. Quia modus ſubſtantialis, per hoc quòd conſideratur vt modus naturæ humanę, vt ſuppoſitatæ à perſona diuina, poteſt per ordinem ad aliquod extrinſecum ſpecificari; & conſequēter dici ſupernaturale per ordinem ad perſonam diuinam: At verò ſubſtantia cōpleta, & vt res, nō eſt ſupernaturalis per ordinem ad aliquod extrinſecum, ſed neceſſariò deberet eſſe in ſe ſupernaturalis, vt res, & vt quid cōpletū; ꝙ nō niſi Deo sm rationem numericā cōuenire poteſt. Ita Suarez 3.p.q.2.ar.8.diſp.8.ſec.2. *Vaſquez*, 3.p.to.1.diſp.16.c.10. Gabrera 3.p.q.2.ar.4. diſp. 8.nu.27. & tom.3.q.64.ar.1.diſp, 2.§.5.nu.54. Salmanticenſes Tract.2. de Viſione Dei diſp.2.§.5.nu.25. Conzalez hîc ar.4.diſp.26.nu.17. Veruntamen Caietanus 3.p.q.2.ar.6. Antonius Perez certam.4. Scholaſticorum nu.74. Aluarez 3.p.q.2.art.7.diſp.23. Nauarrete hîc controu.35. concl.2.§. Confirmatur. 2. Io: de S. Thoma. 1. phyſ.q.6.ar.3. cęteriquè probatiores Thomiſtę negant hunc modum ſubſtantialem ſupernaturalem creatum, imò in nulla vnione ſubſtantiali, modum ſubſtantialem, quo mediate, partes formaliter vniantur admittunt. Quorum ſententiam libenter amplector, illam tamen in præſenti nō diſcutio, ſed ſuppono ex phyſicis agitatam, ſupra dicto igitur modo dicēdi tāꝗ minus probabili, & ad ſolutionē argumēti nō neceſſariò reiecto.

Suarez. Vaſquez. Gabrera. Salmanr. Conzal. Caietan. Ant. Per. Aluarez. Nauarret. Io: de S. Thoma.

106 Ad primā ꝓbationē nego antecedēs. Suppoſita tn̄ illorū Doctorū opinione rectè ꝑ pręcedentē reſpōſionē ſoluitur argumētū.

Ad ſecundā reſpondetur diſtinguēdo antecedens. Supernaturalitas accidētalis, non arguit infinitatē, cōcedo antecedēs. Supernaturalitas ſubſtantialis non arguit infinitatem, nego antecedēs. Ergo, &c. nego cōſequentiā. Diſparitatis ratio patet ex dictis.

107 Reſpondetur ſecundò, negando antecedens; nā ſupernaturalitas ſēper arguit infinitatē ſimpliciter, ſiue ſit accidentalis, ſiue ſubſtantialis, differēter tamē, quia ſupernaturalitas accidentalis, includit, & dicit infinitatē volitiuam, & obiectiuā: Subſtantialis verò, dicit infinitatem entitatiuā in propria entitate, qua ſupernaturalis nūcupatur. De primo cōſtat, quia omne accidens ſupernaturale, vel diſponit ad Deū, vel eſt in ſe; vel immediatè ipsū attingit. De ſecūdò autē, patex ex dictis.

Digitized by Google

108 Ad tertiã reſpõdetur concedendo maiorem, minorem,& negando conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo maiorem, minorem,& nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia argumentum peccat per fallaciam, quæ eſt ſecundùm non cauſam vt cauſam. Non enim eo quia Deus eſt Author naturæ, ideo habet poſſe producere ſubſtantiam in ordine naturæ; ſed quia ſubſtantiæ naturalis non eſt implicantia vt poſſit eſſe, & perconſequens poteſt illam Deus producere; Deus enim poteſt producere omne quod contradictionem non inuoluit. Vnde quod produci à Deo nequit, ex defectu potentiæ non eſt, ſed ex implicantia rei.

109 Dicet aute aliquis. Præſtantior eſt ordo ſupernaturalis, quã naturalis, vt conſtat, & conceſſum eſt: Sed in ordine naturali datur ſubſtantia naturalis. Ergo in ordine ſupernaturali, eſt dabilis ſubſtantia ſupernaturalis. Probatur conſequentia, alias ordo ſupernaturalis conſiſteret, in accidentium ſupernaturalium aggregatione; vel explicandum reſtat, in quo ſupernaturalis ordo conſiſtat.

110 Reſpondetur concedẽdo maiorẽ, minorem,& negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego antecedens;& in quo ſupernaturalis ordo conſiſtat, hoc modo breuiter explicatur.

111 In vtroq; ordine Deus ſubſtantiã reſpicit naturalem, differenter tamen, quia in ordine naturali reſpicit ſubſtantiam naturalem, vt intra naturæ terminos obſtrictam: In ordine verò ſupernaturali, reſpicit ſubſtantiam naturalem, eleuando, ordinando, ſeu tranſmittendo illam ad attingendum Deum vt in ſe eſt. Vnde D.Thom. infra quæſt. 23. art. 1. in corp. prædeſtinationem, quæ maximè ad ordinem ſupernaturalem pertinet, per hæc verba deficit. *Ratio prædictæ tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædeſtinatio nominatur*. Et Sanctus Auguſtinus lib. 6. de dono perſeu. cap. 14. ait quod *prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumquè liberantur*. Et præcæteris Apoſtolus Paulus. Ad Rom. 8. *Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos iuſtificauit, & quos iuſtificauit, hos & glorificauit*. Vbi totum ordinem ſupernaturalem eleganter explicat, per ſubſtantiam naturalem vt eleuatam, & tranſmiſſam ad finem ſupernaturalem per accidentia ſupernaturalia, ab ipſa ſubſtantia ſupernaturali, nempe à Deo vt Authore gratiæ,& gloriæ.

D.Thom.

Auguſt.

Rom. 8.

112 Ad quartã reſpondetur, diſtinguendo maiorem. Quando partes, vt partes, & compartes ſunt poſſibiles, etiam totum eſt poſſibile, concedo maiorem. Quando partes vt partes, non tamen ad inuicem compartes, ſunt poſſibiles, etiam totum eſt poſſibile, nego maiorem: ſimiliter diſtinguenda eſt minor,& negãda eſt conſequentia. Quamuis igitur ſubſtantia creata ſit poſſibilis, & ſupernaturalitas creata,& etiam ſubſtantia ſupernaturalis ſit poſſibilis, non tamen ſequitur, ergo ſubſtantia ſupernaturalis creata eſt poſſibilis, quia ſupernaturalitas creata, eſt poſſibilis in accidentibus, ſupernaturalitas verò ſubſtantialis, tantummodo reperitur in Deo. Vnde licet omnia ſupradicta ſint poſſibilia, nempè, ſubſtantialitas ſupernaturalis, ſupernaturalitas creata,& ſubſtantia creata, non tamen ad inuicem ſunt compoſſibilia, eodem enim argumento poſſet probari, duas animas ad inuicem vnibiles eſſe, verbi gratia, animam Franciſci, & animam Petri; hoc modo arguendo, anima Franciſci eſt poſſibilis, anima Petri eſt poſſibilis, ſed quando partes ſunt poſſibiles, etiam totum eſt poſſibile. Ergo totum aliquod reſultans ex anima Petri,& ex anima Franciſci, eſt poſſibile. Et ſimiliter anima Petri,& corpus Franciſci ſunt partes, & ſunt poſſibiles; ſed quando partes ſunt poſſibiles, totum etiam eſt poſſibile. Ergo eſt poſſibile aliquod totum reſultans ex anima Petri, & corpore Franciſci, quod eſt omnino falſum. Quia vna anima non poteſt corpus non ſuum informare.

113 Ad quintã dico, in Deo non dari aliquod eſſe, vel prædicatum naturale ſimpliciter, ſed omne prædicatum Dei, vt Dei eſt, ſimpliciter ſupernaturale eſt. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quoniam eſſe naturaliter ſapientem, non conſtituit prædicatum Dei, vt Dei, ſed eſſe ſapientem ſubſtantialiter,& per eſſentiam ſuam, eſt proprium Dei prędicatum,& hoc nulli creaturæ conuenire poteſt. Nam ſapientia ſoli Deo eſt ſubſtantia, cæteris autem à Deo diſtinctis, eſt accidens.

114 Ad ſextã per idem reſponſio patet, cõcedendo enim antecedens, negatur conſequentia; Quoniam eſſe ens naturaliter, ſubſtantiam naturaliter, & intellectiuum naturaliter, &c. non ſunt modi conſtituentes eſſe, ſeu entitatem Dei, ſubſtantialitatem ac intellectualitatem Dei, tanquam propria ipſius prædicata, ſed eſſe à ſe vel per eſſentiam ſuam, ſunt propriè modi conſtituentes eſſe Dei, ſecundùm quòd eſt proprium Dei prædicatum, ſicut eſſe naturaliter cognoſcitiuum Dei, vt eſt in ſe, eſt proprium prædicatum Dei, quantùm ad connexionem intellectus intelligentis cum obiecto infinito.

115 Obijcies quintò. Nõ implicat intellectus ſupernaturalis. Ergo non implicat intellectus qui poſſit proprijs viribus peruenire ad claram,& intuitiuam Dei cognitionem. Probatur antecedens. Poteſt dari intelle-

ctus

Digitized by Google

ctus ſupernaturalis abſquè eo quòd ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis. Ergo. Probatur antecedens. Quia de facto datur intellectio ſupernaturalis non obſtante quòd intellectus entitatiuè non ſit ſupernaturalis. Ergo poteſt dari intellectus entitatiuè ſupernaturalis, non obſtante quòd animal, vel Angelus, non ſit entitatiuè ſupernaturalis. Probatur conſequentia. Quia intellectus in tali caſu eſſet ſolius Dei inſtrumentum, cum non habeat ſubſtantiam ſibi proportionatam cui inhæreat.

116 Reſpōdetur negãdo antecedēs. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quia intellectus debet procedere ab eſſentia animæ tanquàm à ſuo proprio, & connaturali principio, cum ſit eius potentia: intellectio autem ſupernaturalis poteſt produci ab intellectu, vt eleuato per accidens ſupernaturale.

117 Contra. Intellectio ſupernaturalis poteſt procedere ab intellectu vt eleuato per lumen ſupernaturale. Ergo etiam intellectus ſupernaturalis poteſt procedere ab anima vt eleuata per gratiam.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia intellectio neceſſariò debet procedere ab intellectu, medio lumine, cum procedat à potentia potente, quæ non eſt potens, niſi per lumen, & per conſequens viſio ſupernaturalis non poteſt ab intellectu procedere, niſi mediante lumine ſupernaturali: At verò potentia procedit ab anima naturali ſequela, (licet etiam vt eleuabili, ſeu vt ab habente capacitatem, vt per gratiam eleuari poſſit) non tamen procedit ab anima vt ab habente gratiam, & conſequenter, antecedenter ad animæ eleuationem per gratiam, potentia ab anima intelligitur naturaliter emanare.

118 Obijcies Sextò. Dato quocumquè intellectu creato, poteſt Deus alium perfectiorē producere, & illo dato, poteſt alium perfectiorem, & illo dato alium, & alium in infinitum perfectiorem. Ergo poterit producere aliquem intellectum, qui ſit tantæ perfectionis tantiquè luminis, vt æquipolleat virtuti luminis gloriæ. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia, quia lumen gloriæ de facto Beatorum intellectibus infuſum, eſt finitum. Ergo ſi poteſt Deus in infinitum lumen intellectui creato connaturale augere, poterit etiam aliquis intellectus creatus, ſeu creabilis, ad perfectionem luminis gloriæ peruenire.

119 Confirmatur. Deus clarè viſus cōtinetur intra latitudinem obiecti intellectus creati. Ergo poterit Deus aliquem intellectum ita eleuatum producere, qui poſſit eumdem Deum naturaliter intueri. Probatur conſequentia, quia Deus eatenus intellectum creatum in ratione obiecti excedit, quatenus intellectus creatus caret viribus ſufficientibus. Ergo ſi vires connaturales in infinitum poſſunt augeri poterit intellectus ad claram Dei viſionem naturaliter peruenire. Patet conſequentia. Quia non obſtat diſtantia in ratione obiecti, ſed ſola virium deficientia. Ergo ſi vires poſſunt in infinitum augeri, & Deus clarè viſus intra latitudinem obiecti intellectus creati continetur, non eſt cur negari poſſit intellectus creatus, qui naturaliter poſſit videre Deum.

120 Si quid probaret argumentum, probaret etiā, quòd poſſet dari aliquis intellectus humanus, qui ſit Angelo ſupremo ex ſua natura perfectior; ſed hoc eſt falſum. Ergo. Minor cum conſequentia patent. Quia hoc intelligimus nomine Angeli, creaturam ſcilicet, intellectualem, completam in ſpecie, homine perfectiorem. Probatur verò ſequela, ex eodem argumentandi modo. Angelus eſt finitus, & dato quocunquè intellectu humano poteſt Deus alium intellectum humanum perfectiorem producere, & ſic in infinitum. Ergo poterit ad perfectionem Angeli ſupremi venire, illamque excedere, & eodem argumentandi modo, poſſet probari dari aliquem Aſinum homine perfectiorem, nam dato quocunquè Aſino, poteſt Deus alium perfectiorem producere, & ſic in infinitum, ſed perfectio hominis eſt finita. Ergo poterit dari aliquis Aſinus, qui hunc, vel illum hominem productum naturaliter excedat.

121 Reſpōdebit arguēs diſparē eſſe rationē, quia homo, & Angelus, ſunt diuerſæ rationis, & ſimiliter homo, & Aſinus, ſunt diuerſæ ſpeciei, & propterea quantumcumquè homo, ſeu intellectus humanus, in ſua naturali perfectione augeatur, ſemper erit infra humanum ordinem, & idem dicendum eſt in alio caſu de Aſino in infinitum perfecto, & tali vel tali homine determinato.

122 Bona quidem reſponſio, ſed hic reſpondendi modus, arguentis contra nos propoſitam obiectionem ſoluit.

Reſpondetur igitur ad argumentum, diſtinguendo antecedens. Dato quocunquè intellectu creato, poteſt Deus alium, &c. intra ordinem naturalem, concedo antecedens. Ordinem naturalem excedentem, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Creſceret enim lumen illud intra ordinem naturalem; quod quidem nunquàm poſſet ad æqualitatem luminis gloriæ peruenire, cum ſit ordinis ſupernaturalis, & diuini.

123 Ad Cōfirmationē reſpōdetur diſtinguendo antecedens. Deus clarè viſus continetur

Digitized by Google

intra latitudinem obiecti intellectus creati, ſecundùm quòd eſt potentia ſupernaturalis, concedo antecedens. Secundùm quòd eſt potentia naturalis, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem ex dictis reſponſio patet.

124 Inſtabis. Supremũ infimi attingit infimũ ſupremi, vt docet D. Dionyſius c.4. cæl. hic. Ergo poterit dari aliquod lumen naturale, quod eſt inferioris ordinis in ordine ad lumen gloriæ, ita perfectum, vt attingat ad minus infimum lumen gloriæ.

125 Reſpondetur explicando antecedens. Supremum infimi attingit infimum ſupremi, deficienter, concedo antecedens. Æquiualenter, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Senſus eſt, quòd poſt ſupremum infimi, ſtatim atquè fit acceſſus ad infimum ſupremi, quod ſi, apud nonnullos ſenſus ſit, quòd ſupremum infimi verè attingit infimum ſupremi æquipollenter, intelligendum eſt in ſenſu permiſſiuo, non autem in ſenſu proprio, & neceſſariò.

DISPVTATIO XLVIII.

VTRVM DE FIDE CERTVM SIT, DE FACTO INTELLEctibus Beatorum ad videndum Deum infundi gloriæ lumen.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Hæreticorum opinio refertur.

1 IN hac re non defuerunt Hæretici qui aſſeruerint intellectum creatum non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, ſed ſufficere lumen tantummodo naturale. Ita Begardi, & Beguinæ, de quibus fit mentio in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. celebrato Anno 1311. Eſtquè quintus error ſupradictorum hæreticorum à Concilio numeratus, atquè damnatus.

Begardi, & Begui. C. Vienn. Clem. V.

2 Hoc idem Eunomius multo ante docuerat, qui vt refert Theodoretus lib.4. hæreticarum fabularum, auſus eſt dicere, *nihil ſe ex rebus diuinis ignorare, ſed ipſam etiam diuinam ſubſtantiam exactè noſſe, eamdemquè de Deo ſe habere cognitionem, quam de ſe ipſo habet ipſe Deus.* Detecta eſt autem huius hominis impudentiſſima hæreſis, tempore Conſtantij Imperatoris, circa Annum Domini 360. idemquè ſequaces eius, & quidam Alij Phyloſophi apud Nazianzenum Orat.42. tenuerunt.

Eunom. Theod.

Conſtant. Imperat.

Veritas autem catholica docet, quòd de fide certum eſt dari de facto lumen gloriæ intellectibus Beatorum ad videndum Deum.

* * *

CAPVT SECVNDVM.

Concluſio catholica ponitur, & roboratur.

3 DIco igitur breuiter. De fide certum eſt de facto dari lumen gloriæ, nec non eſſe neceſſarium vt eleuet intellectum ad videndum Deum.

Probatur. Quia in Concilio Viennenſi omnes Begardorum, & Beguinarum damnantur errores, inter quos quintus in ordine his verbis tanquàm anathematizatus adducitur. *Quodquè anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.*

4 Et in Clementinarum libro à Clemente V. Summo Pontifice compoſito, ſub cuius Pontificatu Concilium Viennenſe eſt celebratum cap. de hæreticis, Ad noſtrum, Idem Begardorum, & Beguinarum error refertur, & damnatur his verbis. [Cum ex debito commiſſi nobis officij, huiuſmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores (ne propagentur vlterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) extirpare ab Eccleſia Catholica neceſſariò habeamus. Clem. V.

Nos

Digitized by Google

Nos Sacro approbante Concilio, ſectam ipſam, cum præmiſſis erroribus damnamus, & reprobamus omnino, inhibentes diſtinctius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet, vel defendat: eos autem qui ſecus egerint, animaduerſione canonica decernimus, puniendos. Porro Diœceſani, & illarum partium Inquiſitores hæreticæ prauitatis, in illos quos culpabiles repererint (niſi abiuratis ſponte prædictis erroribus pœnituerint, & ſatisfactionem exhibuerint competentem) debitam exerceant vltionem.]

5 Hoc idem authoritatibus Sacræ Scripturæ probatur, & præſertim ex illo Pſ. 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Et ex illo Apoc. 21. *Ciuitas illa non eget Sole, & Luna, ſed claritas Dei illuminabit illam.* Pſal 35. Apoc. 21.

6 Et quamuis hæc Sacræ Scripturæ teſtimonia, aliàs patiantur interpretationes, tamen ſtante Eccleſiæ determinatione de luminis gloriæ neceſſitate ad videndum Deum, ſunt irrefragabilia. Eo, vel maximè, quia ſic ea D. Thomas interpretatur. Nam lib. 3. cont. gent. cap. 53. circa finem teſtimonium ex Pſal. 35. de lumine gloriæ interpretatur ſic dicens, *Hoc autem eſt lumen de quo in Pſalmo dicitur, in lumine tuo videbimus lumen, ſcilicet diuinæ ſubſtantiæ,* & idem in hoc articulo in argumento Sed contra, obſeruat. De ſecundo autem teſtimonio in hoc artic. circa finem, ſic ait. *Et iſtud eſt lumen, de quo dicitur Apoc. 21. claritas Dei illuminabit eam, ſcilicet Societatem Beatorum Deum videntium.* D. Thom. Pſal. 35. Apoc. 21.

DISPVTATIO XLIX.

QVID VIENNENSE PER LVMEN gloriæ intelligat.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 ANte huius diſputationis determinationem præmittendum eſt, quòd nominibus non ad libitum vtendum eſt, ſed vt plures vtuntur. Voces enim inſtitutæ ſunt ad exprimendos animi conceptus. Vnde ſi in vocum prolatione inter diſcurrentes, ſeù conuerſantes, ac diſputantes, non eſt in ſignificatione communio, nihil determinatè noſcitur, magna confuſio gignitur, & audiens loquentem non percipit, atquè Eccleſiæ determinationes, quod peius eſt, poſſent inanibus ſenſibus explicari. Nomine igitur luminis gloriæ a Doctoribus aliquod intellectuale lumen ſupernaturalis ordinis intelligitur, quo intellectus vt Deum in ſuo decore, ac maieſtatis claritate poſſit conſpicere, eleuatur. Hoc tamen non obſtante.

2 Quidam dicunt non eſſe contra concilium aſſerere nomine luminis gloriæ, intelligi ipſam viſionem. Ita Vaſquez diſputat. 41. cap. 2. num. 16. & quidam Scotiſtæ, præſertim Vulpes tom. 9. diſp. 23. art. 6. num. 8. Vaſquez. Vulpes.

3 Quidam dicunt, nequè eſſe contra concilium, aſſeuerare quòd nomine luminis gloriæ intelligitur lumen obiectiuum, & increatum, nempè Deus. Ita idem Vulpes, ibidem num. 9. & aliqui apud Suarez 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 14. num. 5. Vulpes. Suarez.

4 Quidam verò dicunt, Concilium determinare ad videndum Deum requiri lumen gloriæ, quod eſt habitus intellectui inhærens, ita Capreolus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. artic. 3. ad argumenta Aureoli 5. loco. Caietanus hic ad 4. Scoti. Capreol.

5 Quidam nomine luminis gloriæ intelligunt, habitum gratiæ, aut charitatis. Ita refert Gabr. in 1. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 3. dub. 2. Verumtamen, quia in hoc duo concurrunt, Doctorum grauiorum ſententiæ; & Concilij Viennenſis vera locutio, ac determinatio, vbi prius propria, & firma S. Cōcilij determinatio ſaluanda eſt, deinde affectus reconciliandi Doctores; non autem, vt Doctores in ſua grauitate conquieſcant; ſermo Sacri Concilij diuinitus inſpirati, pueriliter, metaphoricè, ac impropriè interpretatus vileſcat. Vnde pro determinatione veritatis. Gabriel.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

6 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Prima opinio videtur eſſe contra Viennenſe Concilium.

Probatur. Quia Concilium damnat aſſerentes quòd *anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum*: Vbi duo neceſſariò conſideranda ſunt, nempè viſio Dei, & eleuatio per lumen gloriæ ad videndum Deum. Ergo prima opinio eſt contra concilium. Antecedens ex verbis ipſis eſt manifeſtum. Probatur autem conſequentia, Quia ſi nomine luminis gloriæ intelligitur viſio, faceret iſtum ſenſum: Ad vidẽdum Deum, ſeu ad viſionem Dei, requiritur viſio Dei. Et ſic non eſſent duo, ſed vnum. Prætérquamquòd, eſſet ridicula concilij locutio, & indecens, & viris doctrinæ, & eloquentiæ præditis qui ibi aderant prorſus indigna.

7 Si dicatur, quòd *Concilium tantùm damnat aſſerentes, poſſe creatum intellectum ex naturalibus Deum videre: atquè etiam determinatur in concilio lumen gloriæ eſſe neceſſarium, vt eo eleuetur intellectus creatus ad videndum Deum. At actualis viſio, rectè appellari poteſt, tale lumen, cum per eam intellectus conſtituatur videns Deum, eo vel maximè, quòd concilium expreſsè non aſſerit lumen eſſe neceſſarium, tanquàm quidpiam à viſione diſtinctum.* Ita Vulpes num. 8. Vulpes.

8 Contra primò. Quia concilium damnat totum quod hæretici præcitati in quinto aſſerebant errore: Sed in quinto errore negabant iſtam propoſitionem, nempe, *Anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum*. Ergo damnat totum quod in hac propoſitione continetur: Sed in hac propoſitione ſunt duo principaliter intenta, nempè, videre Deum, & non indigere lumine gloriæ animam eleuante, ad hoc quod eſt videre Deum. Ergo concilium determinat quòd videre Deum eſt ſupernaturale, & quòd ad hoc ſupernaturale, anima cuius vires naturales ſunt, indiget aliquo eleuante, quod lumen gloriæ nuncupatur.

Begardi. Beguinæ. 9 Secundò. Quia Begardi, & Beguinæ illius temporis hæretici, nomen luminis gloriæ, quod ad videndum Deum neceſſarium eſſe negabant; vel ipſi fuerunt dicti nominis primi impoſitores, ad ſignificandam viſionem claram Dei tanquàm aliquod ſupernaturale, vel ab alijs impoſitum acceperunt; vel quia Theologi eiuſdem temporis nomen luminis gloriæ ad viſionem ſupernaturalem exprimendam vſurpabãt.

10 Si primum. Contra. Primò, quia hoc gratis aſſeritur, & nullibi in dictis hæreticorum neque catholicorum inuenitur. Secundò. Quia Sacro concilio, optimè notum erat, quod hoc nomen Luminis gloriæ, in ore Scholaſticorum Catholicorum verſabatur, & ab ipſis de eiuſdem luminis gloriæ neceſſitate in dies controuertebatur. & conſequenter, ſi tantummodo hæretici, per tale nomen viſionem ſupernaturalem intelligebant; declarare ac explicare tenebatur, quòd in ſua determinatione intendit decernere viſionem ſupernaturalem eſſe, & illam eſſe neceſſariam; non autem lumen gloriæ à viſione diſtinctum, & à Theologis diſputatum includere; nè ſub damnatione dogmatum, quæ docebant hæretici, Intelligantur etiam damnatæ probabiles opiniones quas tunc temporis diſputabant catholici.

11 Si dicatur Secundum. Contra. Quia nullus, hoc nomen, nempè, lumen gloriæ, impoſuit ad ſignificandam viſionem beatificam. vt patet omnibus inductiuè.

12 Si dicatur Tertium. Hoc eſt omnino falſum. Quoniam Theologi quorum temporibus illis, doctrina, fulgebat, erant D. Thomas, Albertus Magnus, Petrus de Tarantaſia, Scotus & alij; omnes enim iſti ante Concilium Viennenſe fuerunt: Sed omnes iſti, nomine luminis gloriæ intelligunt aliquod ab ipſa viſione diſtinctum. Ergo dicere tertium, eſt omnino falſum. Maior patet. Probatur autem minor. Quia nullus extat in contrarium locus; quòd ſi aliud contenditur, afferatur codicis teſtimonium. D.Thom. Albertus Magnus. Tarantas. Scotus.

13 Nec valet nonnullorum Scotiſtarum crepitatio, nempè quòd Scotus ipſam viſionem vocauerit lumen gloriæ. Sic enim in 3. diſt. 14. quæſt. 2. §. *Itaquè*. ait. *Itaquè poteſt dici, quòd intellectus animæ chriſti, poteſt paſſiuè recipere viſionem verbi, & immediatè; & hoc ita, quòd non perficiatur prius aliquo lumine tanquàm forma abſoluta, alia à viſione. Tùm quia ipſa viſio eſt lumen perfectum*, &c. Scotus.

14 Hoc enim de facili conuincitur. Quia quamuis viſio ſit aliquod lumen perfectum ſecundùm communem rationem luminis, iuxta quam dicitur ad epheſios 5. *omne quod manifeſtatur lumen eſt*, tamen non eſt lumen eleuans, quod nomine luminis gloriæ intelligatur. Quia Scotus ſcitè dixit Viſionem eſſe *lumen*, nunquàm tamen eam lumen gloriæ nuncupauit. Immo quoties lumen gloriæ nominauit, intellexit habitum ſupernaturalem ab ipſa viſione diſtinctum. Sic locutus eſt in p. diſt. 17. quæſt. 3. in fine. Vbi ſic ait. *Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu*. Et in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. *Reſpondeo* Epheſ. 5. Scotus.

arguens

arguens contra rationem D.Thom. ſic ait. *Si hoc eſt verum, tunc nec cum lumine gloriæ, vel quocunquè habitu, eſſet poſſibile creaturæ videre Deum*. & eadem quæſt. §. *Reſpondeo ergo*. prope medium. ſic ait. *Si autem ponatur propter hæc tria, formas ſupernaturales præcedentes operationem, ponerentur tres formæ ſupernaturales. Vna correſpõdens obiecto ſcilicet, ſpecies intelligibilis in memoria. Secunda ex parte intellectus quæ dicitur lumen gloriæ. Tertia ex parte voluntatis, quæ dicitur charitas*. & ibidẽ poſt pauca ſic ait. *Lumen autem gloriæ ad viſionem non videtur mihi neceſſe poni*. Vbi Scotus abſolutè lumen gloriæ contradiſtinguit a viſione. Ergo Scotus per lumen gloriæ non intellexit viſionem. & ſic ſemper inuenies.

15 Si dicatur, quòd Concilium accepit nomen luminis in quadam minus rigoroſa, minuſquè propria acceptione, Scholaſtici autem magis propriè locuti ſunt.

Quid? minus propriè concilium, Scholaſtici magis propriè locuti ſunt? nonne ex omni chriſtianorum parte, illic Scholaſtici Philoſophi, ac Theologi aderant pręſtantiores? numquid verbis metaphoricis, ac minus proprijs fidei decreta promuntur?

16 Vt igitur quid in hac re ſentio apertius dicam. Puto quòd hæretici illius temporis, Begardi ſcilicet, & Beguinæ aſſerentes *quòd homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundùm omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata*. Vt in quarto ipſorum refertur errore. & *quòd qualibet intellectualis creatura in ſe ipſa naturaliter eſt beata*, vt in prima parte quinti erroris concilium enarrat: & cum audiſſent inter catholicos ſcholaſticos de luminis gloriæ neceſſitate controuerſiam, vt iuxta ipſorum dicta loquerêtur conſequenter, illorum doctorum amplexi ſunt opinionem, qui dicebant lumen gloriç eleuans intellectum ad videndum Deum non eſſe neceſſarium. Quam doctrinam concilium diuino lumine inſtructum, hæreticam declarauit; & meritò, quia quamuis eam tunc temporis, nonnulli ſuſtinebant catholici, tamen ſoli hæretici pertinaciter crepitant, & eccleſiæ numini contradicunt. Eſt igitur hæretica condemnata ſententia, non ſecundùm quòd catholici, ſed ſecundùm quòd eam hæretici contumaciter defendebant.

Begar. & Beguinç.

Dico Secundò. Contra definitionem concilij videtur eſſe, aſſerere, quòd nomine luminis gloriæ, intelligatur lumen increatum obiectiuũ, ſeu Deus præſens in ratione obiecti.

Probatur primò. Quia Sacrum Concilium nomine luminis gloriæ intelligit, quod in illo tempore communiter intelligebant Theo-
17 logi, aliàs in æquiuoco eccleſia laborabat; eo quia eccleſia nomine luminis gloriæ intelligebat obiectum, & Theologi habitum eleuantem potentiam ad obiectum, quod abſquè omni fundamento aſſeritur.

18 Secundò. Quia hæretici non negabant lumen obiectiuum, immo hoc aſſerebant habere proprijs naturæ viribus, abſquè lumine ſupernaturali prębente illis virtutem ad videndum Deum.

19 Quòd ſi dicas. Supradictos hæreticos aſſeruiſſe per ſua naturalia poſſe ad Dei præſentiam obiectiuam attingere; & concilium determinat; quòd Deus ſua gratia ſit intellectui creato præſens; non autem damnat, quòd intellectus creatus non indiget lumine gloriæ, præbente ei virtutem ad intelligendum; quoniam ſi Deus ſua voluntate vniretur intellectui in ratione obiecti intelligibilis, per ſuum naturale lumen ab eodem intellectu, videretur.

20 Contra. Quia concilium, hoc dictum damnat; Anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum: quod eſt dictu, anima non indiget lumine gloriæ eleuante ad obiectum beatificum: Ergo obiectum beatificum non eſt illud lumen gloriæ, de quo concilium loquitur. Probatur conſequentia, Quia lumen eleuans animam ad obiectum, non eſt obiectum. Aliàs ſenſus concilij abſquè rigore, ac proprietate verborum eſſet, immo ridiculus. Quia hunc ſenſum faceret. Anima indiget libera obiecti beatifici repræſentatione ad videndum obiectum beatificum, ſed hoc non eſt intellectum eleuare iuxta ſacri concilij intentionem.

21 Probatur tertiò. Quia Concilium illud nomine luminis gloriæ intelligit, quod eo tempore communiter concedebatur, quodquè per illud nomen, communiter intelligebant catholici: Sed eo tempore nomine luminis gloriæ, Theologi communiter intelligebant aliquod ſupernaturale, prębens ad Deum videndum intellectui virtutem; quemadmodum charitas tribuit virtutem Deum beatificè diligendi. Ergo. Maior eſt certa. Probatur minor, atquè ad eius probationem Scoti accipio teſtimonium; ex 1. diſt. 17. quæſt. 3. in fine. ſic dicentis. *Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu*. Scotus.

22 Nec valet cum quibuſdam Scotiſtis dicere, quòd Scotus ipſe, alibi, obiectum beatificũ lumẽ gloriæ nũcupauerit. Per hoc quod in 3.d.14.q.2.ad 3.prinç quęſt. ſic loquẽs. *Ad tertium dico, quòd lumen requiritur; Sed non aliud lumen ab ipſo obiecto, quando obiectum ſupplet ſufficienter vicem luminis*. His adde, quòd etiam D.Thom. in hoc art. obiectum intelligibile, ſeu ipſumet Deũ lumen vocat.

Non inquam valet. Primò. Quia Scotus dum ait quòd *quando obiectum ſupplet ſufficienter vicem luminis, lumen non requiritur*, loquitur de lumine requiſito propter defectum obiecti v.g. ſi obiectũ eſt in ſe valde obſcurum; requiritur maius lumen ad illud intuendum, quàm ſi obiectum, in ſe ſit valde luci-

Digitized by Google

lucidum. Sic inſinuat loco citato; & expreſſius ſe declarat in 4. diſt.49. quæſt.11. §. *Reſpondeo ergo* circa finem. vbi ſic ait. *Quanto enim obiectum eſt magis in ſe lux, tanto minus propter ipſum requiritur de lumine*. Lumen autem gloriæ communiter à Theologis nominatum, non requiritur propter obiectum, ſed propter defectum potentiæ in ordine ad multùm excedens obiectum.

Secũdò. Quia Scotus vocans obiectũ lumẽ, dicit quidem eſſe lumen; ſed lumen nõ diſtinctum ab obiecto; quando verò lumen gloriæ nominat, ſemper accipit lumen vt ab obiecto diſtinctum; Vnde quamuis dixerit obiectum eſſe lumen, numquam tamen illud ſub titulo luminis gloriæ nominauit.

23 Dico tertiò. Viennenſe, Nomine luminis gloriæ non intellexit, gratiã aut charitatẽ. Probatur primò. Quia loquitur de lumine eleuante ad videndum non ad amicabile diuinæ naturæ conſortium; ſeu ad diligendum: ſed charitas eleuat ad diligendum ſuper omnia Deum. & gratia, vt reddat hominem Deo gratum, & amicum. Ergo loquitur de lumine eleuante virtutem cognoſcitiuam; quod non eſt gratia ſanctificans, neque charitas.

24 Probatur ſecundò. ratione omnium potiſſima, ſicut ex ſupradictis; Quia concilium vtitur nomine luminis gloriæ, ſecundùm quòd cæteri doctores illius temporis vtebantur: Sed omnes nomine luminis gloriæ accipiebant aliquid eleuans intellectum ad Deum clarè videndum; à gratia, charitate, viſione, obiectoq; diſtinctũ. Ergo.

25 Dico quartò. Sacrum Concilium nomine luminis gloriæ intelligit aliquod ſupernaturale intellectui inhærens, intellectioni præuium, præbens intellectui virtutem ad videndum Deum. quod quidem iudicauit ordinariè eſſe habitum, niſi aliter per potentiam Dei, aliquando contingat.

26 Hoc dictum, quoad omnes ſui partes, ex aliorum impugnatione remanet explicatum; Quò verò ad vltimam particulam, ex alterius quæſiti reſolutione dependet. vtrum ſcilicet, poſſit intellectus eleuari ad videndum Deum per aliquod auxilium ſupernaturale præueniens, quod non ſit habitus, ſed actuale quid. Nam ſi pars ſuſtinetur negatiua; eſt reſolutè dicendum, quòd lumen gloriæ beatis infuſum eſt habitus, idque de fide tenendum. Si autem pars defendatur affirmatiua. Dico, quòd reſpectu viſionis beatificæ æternaliter permanentis de fide certum eſt lumen gloriæ eſſe habitum, niſi aliter diuino miraculo, contigiſſe ſit reuelatum. Nam habitus eſt connaturalis diſpoſitio, atque connaturale principium, operationis de ſe multùm permanentis, non verò actuale auxilium, quòd de ſe in breui conſiſtit tranſitu. Reſpectu verò viſionis alicui conceſſæ per modum tranſeuntis, non eſt materia ad fidem pertinens; ſed vtraque pars Theologorum diſputationi relinquitur.

Quod hæc explicatio ſit tutior, ac verior omnes Theologi etiam aduerſarij affirmant.

DISPVTATIO L.

QVID DE LVMINE GLORIÆ ſenſerit Durandus.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Opinionum relatio, & veritatis reſolutio.

Vaſquez. Faſolus. Ledeſma. Durand.

1 Vaſquez diſp.41. cap.2. Faſolus in huius articuli commentario num.2. Ledeſma de diuina perfectione quæſt.8. art. 8. & alij putant Durandum negaſſe dari de facto lumen gloriæ, & à ſententia Scoti diſcrepaſſe. Et ſubiungunt quòd Durandus docet viſionem Dei effici ab intellectu noſtro, imo ab eo naturali virtute procedere ablato ſolùm gratia Dei impedimento. Ita verbaliter Vaſquez qui ſupra num.15. §. docet enim.

2 Recup. autẽ l.6.q.15.num.1. ait Durandum admittere lumen gloriæ. Recupit.

Sed pro determinatione veritatis, Dico primò. Durandus ſuſtinet viſionem claram Dei effici à ſolo Deo.

Probatur. Quia in 3. diſt.14. quæſt.2. ſic ait. *Lumen naturale intellectus, & lumen gloriæ non ſe habent equè immediatè ad viſionem beatam, quia quamuis vtrumque ſe habeat paſſiuè ad viſionẽ beatã, tamẽ, &c.* Et d.31.q.4.n.11. propè finem ſic ait, *quia vt dictum fuit prius, viſio beata cũ ſit actus præciſè ſupernaturalis, conſur-*

Digitized by Google

conſurgit totaliter ex cauſa ſupernaturali, & ideo totaliter, & præciſe eſt ab eſſentia diuina effectiuè, & obiectiuè, nullo alio concurrente, & in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 28. idem omnino docet vt patebit per verba inferiùs alleganda. Quòd ſi aliquando aliter dicere videatur, non eſt locutus ex propria ſententia, ſed iuxta opinionem aliorum.

Durand. Scotus.

3 Dico Secundò. In nullo differt opinio Durandi ab opinione Scoti, quo ad luminis gloriæ negationem. Nam Scotus euidenter ſuſtinet, quòd ſuppoſita Dei viſione intra intellectum in ratione obiecti, intellectus poteſt abſquè omni præuio ſupernaturali lumine Deum videre; vt patet in 4. diſt. 49. quæſt. 11. Hoc idem omnino Durandus docet in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 24. ſic enim ait. *Ad videndum Deum clarè, & manifeſtè ſufficit quòd diuina eſſentia immediatè repræſentetur intellectui creato, quod vtiquè non poteſt fieri ſecundum ordinem naturæ, quam experimur, &c.* Ecce igitur quomodo ſupponit diuinæ eſſentiæ intra intellectum repræſentationem.

Durand.

4 Dico Tertiò. Durandus in 3. diſtinct. 14. quæſt. 2. expreſsè conceſſit luminis gloriæ exiſtentiam.

Hoc dictum eſt euidens. Quia ibi quærit *Vtrum anima Chriſti perfectius videat eſſentiam diuinam quàm quæcumquè alia creatura.* Et reſpondens affirmatiuè quæſito, totam concluſionis baſim fundat in hoc, quia in anima Chriſti fuit maius lumen gloriæ, quàm in quacumquè alia creatura. Etenim num. 6. hæc verba profert, *Quantum ad ſecundum ſciendum eſt quòd cum viſio beata dependeat ex duobus, ſcilicet ex potentia intellectiua, & ex lumine gloriæ, &c.* Et paulo poſt ſic ait, *Anima Chriſti cum excedat in lumine gloriæ, non eſt mirum ſi excedit in claritate viſionis eſſentiæ diuinę.* Et ibidem propè finem, *& ſic,* inquit, *propter exceſſum luminis gloriæ, & puritatem in lumine naturali, facile eſt videre quomodo anima Chriſti excedat omnem animam in videndo Deum.* Et idem omninò per totam dictam diſputationem confiteri videtur.

Durand.

5 Dico Quartò. Durandus re vera, & ex propria ſententia loquens, negauit neceſſitatem, imo, & actualem luminis glorię exiſtentiam.

Probatur. Quia in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 24. ſic ait, *Ad videndum Deum clarè, & manifeſtè, non requiritur ſpecies repræſentans diuinam eſſentiam, nec aliquod lumen creatum eleuans intellectum, vt dicit tàm ſecunda opinio, quàm prima.*

6 Deinde probatur, quòd luminis gloriæ actualem exiſtentiam negauerit, quia ibidem num. 20. ex profeſſo impugnat ſecundum dicendi modum, eorum qui dicunt ad videndum Deum requiri *medium eleuans, & confortans, quod eſt lumen gloriæ,* & concludit, quòd neque requiritur lumen gloriæ ad efficiendam, neque ad recipiendam viſionem, & hoc à numero 21. vſquè ad 24.

7 Quòd verò nõ loquatur de poſſibili tantùm, ſed etiam de facto, probatur, quia in num. 23. poſt reſponſionem ad 2. argumẽtum. hæc verba promit; *Et quidquid ſit de facto, an tale lumen gloriæ ſit in intellectu beato, tamen de poſſibili, &c.*

8 Et eadem diſt. quæſt. 6. vbi in num. 5. probans omnem viſionem Dei intuitiuam eiuſdem eſſe ſpeciei, ſic ait, *ſi non omnis viſio Dei intuitiua eſſet eiuſdem ſpeciei, hoc eſſet, vel ex parte ſubiecti, vel ex parte obiecti, vel ex parte habitus, ſcilicet luminis gloriæ* (Nota) *ſecundum ponentes ipſum.* Vbi implicitè ſe excludit à numero aſſerentium dari lumen gloriæ; Et eo magis hoc vrget, quia hoc dixit, poſtquàm de luminis gloriæ neceſſitate, & exiſtentia ex propria ſententia in eadem diſtinctione quæſt. 2. determinauit.

9 Et quia in 3. diſt. 14. quæſt. 1. citata expreſsè luminis glorię exiſtentiam admittit, quòd idem obſeruat diſt. 31. quæſt. 3. & 4. dicendum eſt, quòd ibi locutus eſt non ſecundùm propriam ſententiam, ſed aliorum doctrinam amplexus eſt, vel quòd in 4. loco citato, ſententiam mutauit in peius.

10 Obſerua, quòd quamuis ex propria ſententia doceat viſionem claram Dei à Deo ſolo produci, tamen & in 3. diſt. 14. quæſt. 1. & in 4. diſt. 49. quæſt. 2. etiam inclinat ad illam opinionem, quę docet intellectum actiuè ad viſionem ſe habere, & quatenus iuxta illam viam aliqua correctione digna docet, non immeritò communiter à Doctoribus impugnatur.

Digitized by Google

DISPVTATIO LI.

QVID DE LVMINIS GLORIÆ NECESSITATE, eiuſque actuali exiſtentia Vaſquez ſenſerit.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 VIdit Vaſquez quid Durandus de lumine gloriæ ſenſerit, & nos in præcedenti diſputatione vidimus, obſeruemus modo, quid ipſe Vaſquez de lumine gloriæ ſentiat.

Vaſquez. Vaſquez hic diſp. 41. cap. 2. vbi probat *virtute naturali intellectus Deum non poſſe videri, contra Durandum, num. 8.* referens Durandi doctrinam, qua docet poſſe Deum ab intellectu noſtro videri ſecundùm ordinem diuinæ gratię, ſic ait, *quæ doctrina cum primo aſpectu catholica appareat, longequè ab hæreſi Anomæorum abſit, eam tamen ſic explicat Durandus, vt ab erroris nota non ſit omninò libera: ait enim ordinem gratiæ conſiſtere non in eo, vt intellectus lumine gloriæ, aut ſpecie, aut qualitate aliqua roboretur, ſed in ſola extrinſeca obiecti manifeſtatione, & remotione impedimenti, vnde prouenit defectus.*

2 Et num. 9. de ſententia Durandi hæc verba promit. *Hæc ſententia Durandi erroris nota non caret. In primis enim damnata videtur in Clementina, &c.*

3 Et diſp. 42. cap. 1. ſic ait, *Indubitatum ſcholaſticis eſt, lumen gloriæ, quòd ad intuendum Deum ex parte intellectus neceſſariò requiritur, eſſe habitum quemdam, & qualitatem, ab ipſa viſione diuerſam.* Et ibidem §. *porro*, ait, *falſam eſſe ſententiam, quæ aſſerit non dari intellectui noſtro ad videndum Deum habitum luminis, cum communi ſcholaſticorum ſententiæ ex falſo etiam fundamento aduerſetur. An verò ſit contra diffinitionem Concilij Viennenſis ſequenti capite dicemus.* Ecce quàm acriter, & meritò contra Durandum vrget, & quanto zelo Sacri Concilij Viennenſis determinationem firmam manere deſiderat.

4 Verumtamen diſp. 43. vbi quærit *quem habeat effectum in mentibus Beatorum lumen gloriæ*, poſtquam in 1. & 2. capite opiniones

Riccard. Capreol. Riccardi, Capreoli, & Thomiſtarum retulit, in fronte 3. capitis, hæc verba profert. *Oſtenditur contra Capreolum, habitum luminis gloriæ ſuperfluum eſſe, ſi eſſentia diuina ſuppleat vices ſpeciei.*

5 Et principium capitis per hæc verba exorditur. *Hæc ſententia duo docet, quæ inter ſe minimè cohærent: tum eſſentiam diuinam ſecundum ſe ſupplere omnem locum ſpeciei, tum etiam dari habitum luminis gloriæ, vt efficacem reddat intellectum: alterum enim horum ſuperfluum eſſe videtur. Aut enim eſſentia diuina eſt principium proprium, & proximum efficiens viſionem, aut ipſa non producit ſicut propria cauſa cum intellectu viſionem, &c.*

6 Et cap. 4. in principio ſic ait. *Cæterum ſi dicamus produci viſionem ab eſſentia diuina, non ſolum ſicut ab vniuerſali rerum omnium cauſa, ſed etiam vt à proprio principio, adhuc facile oſtendi poteſt, aut ipſam eſſentiam diuinam non ſubrogari in locum ſpeciei, aut habitum luminis gloriæ ſuperuacaneum eſſe. Si enim eſſentia diuina ſupplet locum ſpeciei, non videtur quem habeat effectum lumen gloriæ in intellectu Beati.* Et cap. 5. num. 15. ſic ait. *Tandem in hoc cap. contra Capreolum adhuc oſtendamus, neceſſarium non eſſe lumen gloriæ, ſi eſſentia diuina eſt loco ſpeciei.* Et eiuſdem diſputationis, & capitis ad id probandum, ferè totum conſumpſit opus.

7 Itaquè Vaſqueſij opinio eſt, ſub diſtinctione conſiſtens, videlicet, de facto datur lumen gloriæ, ipſumquè eſt neceſſarium ad videndum Deum, ſi diuina eſſentia non vnitur intellectui ad modum ſpeciei intelligibilis: ſi verò diuina eſſentia vnitur intellectui ad modum ſpeciei intelligibilis, lumen gloriæ non eſt neceſſarium ad videndum Deum, nec de facto datur, & tali vnione ſuppoſita, eſt omnino ſuperuacaneum.

8 Tandem licet Vaſqueſij opinio ſit, ſuperfluere lumen gloriæ, ſi diuina eſſentia intellectui beatifico in ratione ſpeciei intelligibilis vniretur, non propterea dicen-

dum

Digitized by Google

dum eſt, eius opinionem eſſe contra Viennenſis Concilij de lumine gloriæ determinationem. Quia quamuis prima facie ſic appareat, per hoc quòd ipſe conditionatè, & cum diſtinctione lumen gloriæ neceſſarium eſſe affirmat, videlicet ſi diuina eſſentia non vnitur vt ſpecies, & Concilium non ſub conditione, aut diſtinctione luminis gloriæ exiſtentiam, ac neceſſitatem determinauit, ſed abſolutè, & abſquè vllo addito, decreuit animam indigere lumine gloriæ, ipſam eleuante ad videndum Deum, nihilominus quia Vaſquez quando expoſitione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis, intellectui Deum videnti vnitæ, dicit ſuperfluum eſſe lumen gloriæ,

9 nomine ſpeciei intelligibilis, non intelligit aliquod principium coefficiens viſionem efficientia propria obiecti in ratione obiecti, ſed principium efficiens ex parte potentiæ ſe tenens, efficiens, inquam, non vitaliter, ſed ſupernaturaliter. Eo quia viſio clara Dei eſt ſimpliciter ſupernaturalis, & conſequenter, potentia intellectiua debet eſſe ſupernaturalis, quòd ſi non erit ſupernaturalis, debet ab alio principio ſupernaturali iuuari, quod ponitur ad ſupplendum naturalis virtutis intellectiuæ defectum (Ad mentem Vaſquez loquor) ac proinde ſi diuina eſſentia vniretur intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, iuxta explicationem Vaſquez, & non poneretur lumen gloriæ, diuina eſſentia non poneretur in ratione ſpeciei, ad repræſentandum ſe ipſam, vt forma intelligibilis in actu primo, intrinſecè intellectum determinans, & vt comprincipians viſionem, efficientia ſpeciali, ex parte obiecti, non ex defectu obiecti exigita, ſicut noſtra affirmat opinio; ſed poneretur ad ſupplendum potentiæ defectum, & conſequenter loco luminis; quando autem Sacrum Viennenſe Concilium abſolutè, & abſquè addito affirmat, ac decernit animam indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, non negat aliam propoſitionem, videlicet, anima indiget lumine gloriæ, vel aliquo gerente vicem eius. Quibus poſitis,

Dico primò; Vaſquez concedit luminis gloriæ neceſſitatem, & actualem eius exiſtentiam. Ita à num. 1. vſque ad 3.

Dico ſecundò. Vaſquez in diſp. 43. cap. 3. dicens contra Riccardum, & Capreolum *habitum luminis gloriæ ſuperfluum eſſe, ſi eſſentia diuina ſuppleat vices ſpeciei*, contra Concilium Viennenſe loqui videtur. Vaſquez.

10 Probatur primò, quia apud Riccardum, & Capreolum, ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, non verò ex parte potentiæ, & dependentia viſionis ab eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis, eſt tanquàm à principio effectiuo ſe tenente ex parte obiecti, non verò tanquàm à principio ſupplente potentiæ defectum. Ergo ſi hoc, & non alio modo eſſentia diuina iungitur intellectui, nec aliter ſuppletur intellectus creati debilitas, eſt loqui contra Concilium. Probatur illa conſequentia, quia iuxta hunc dicendi modum, lumen gloriæ funditus tollitur. Nam luminis gloriæ nomine, præſertim iuxta Capreoli opinionē, S. Conciliū intelligit aliquod ſe tenens ex parte potentiæ, ex parte cuius eſt indigentia, & non intelligit diuinam eſſentiam, nec in ratione ſpeciei intelligibilis, nequè in ratione obiecti cogniti. Etenim quamuis diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, & in ratione obiecti cogniti, ſit infinitum, & increatum lumen, nihilominus Viennenſe ad cognoſcendum, & ad habendum in ſe ab intellectu creato hoc ineffabile Deitatis lumen, decernit eſſe neceſſarium lumen gloriæ eleuans intellectum. Quare, &c. Riccard. Capreol. Viēnenſe

11 Supponendum neceſſariò eſt, quòd tempore Concilij Viennenſis, Sapientiſſimis Doctoribus, qui ibi aderant, doctrina D. Thomæ, non erat abſcondita, quaſi parua lucerna poſita ſub modio; ſed omnibus manifeſta, tanquam ſuper Eccleſiæ candelabrum lucens omnibus ibi præſentibus, & quòd tunc temporis, per totum chriſtianū orbem, omnes inſignes Theologi erant in ea diligentiſſimè verſati. D. Thomas autem expreſsè pluries docuerat, diuinam eſſentiam vniri beatorum intellectibus in ratione ſpeciei intelligibilis, vt patet ex ijs quæ ſupra, articulo ſecundo diximus; & hæc ſententia fuit inter Theologos ſemper cōmuniſſima. Et hoc non obſtante, lumen gloriæ à ſpecie diſtinctum, eſſe neceſſarium optimè probat; aſſerere autem nomine luminis gloriæ intellexiſſe ſpeciem impreſſam, ſolus Vaſquez irrationabiliter affirmat. Hoc poſito, D.Thom. Vaſquez.

12 Probatur ſecundò, Quia Concilium abſolutè determinat, lumen gloriæ eſſe neceſſarium. Ergo omnibus Catholicis Doctoribus cuiuſcunquè fuerint opinionis, luminis gloriæ exiſtentia, ac neceſſitas, credenda, ac defendenda proponitur. Tunc ſic. ſed erat, & eſt, communiſſima Theologorum ſententia, quòd lumen gloriæ non eſt ſpecies diuinæ eſſentiæ; ita etiam Scotus, pluries; nam vt vidimus articulo ſecūdo, ſpecies impreſſa in eius ſententia, ſe tenet ex parte obiecti; ergo ſiue diuina eſſentia vniatur in ratione ſpeciei intelligibilis propriè, ſiue ad modum ſpeciei intelligibilis, omnes tenentur credere, ac defendere luminis gloriæ neceſſariam exiſtentiam. Probo conſequentiam. Quia quando Concilium determinauit animam indigere lumine gloriæ, ipſam eleuante ad videndum Deum, has opiniones, vtrum ſcilicet, diuina eſſentia vniatur in ratione ſpeciei impreſſæ beatorum intellectibus, & quo- Scotus.

modo

modo Theologorum diſputationi reliquit, quibus tamen in ſua probabilitate à concilio relictis, lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad videndum Deum abſolutè decreuit. Ergo aſſerere lumen gloriæ eſſe ſuperfluū, ſi ſemel diuinam eſſentiam vniri intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis, iuxta mentem Capreoli, concedamus. videtur eſſe contra concilium.

13 Confirmatur. Quia iuxta opinionem Vaſquez, probabile eſſet non ſolùm non eſſe neceſſarium, ſed etiam de facto, non dari lumen gloriæ: hoc eſt contra concilium. Ergo. Minor eſt euidens. Probatur verò ſequela. Quia ad minus probabilis eſt ſententia dicentium diuinam eſſentiam vniri in ratione ſpeciei intelligibilis, vel ad modum ſpeciei intelligibilis videntibus illam. Ergo ſi ſuperfluit lumen poſita diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, probabiliter ſuſtineri poteſt, non dari lumen gloriæ.

Vaſquez. 14 Si dicatur pro Vaſquez, Non eſſe probabilem illam ſententiam pro minoris probatione adductam, ſed eſſe valdè ſingularem, & falſam. Ita deducitur ex Vaſquez.

Contra hanc reſponſionem primò, aliud non oppono, niſi quia libri antiquiorum, recentiorumque Theologorum, etiam ex doctiſſimis Theologis Societatis extant, ipſi perhibeant teſtimonium, qui omnes vna voce Vaſqueſij opinioni tanquàm valde ſingulari aduci ſuntur.

Vaſquez. Scotus. 15 Vbi non prætermittendum eſt, quòd Vaſquez cap. 6. num. 26. ſuæ immaginationi cupiens colligare Scotum; ſic ait: *Scotus, nuſquàm ait, eſſentiam diuinam eſſe loco ſpeciei, tanquàm principium viſionis; imo verò in 4. diſt. 49. quæſt. 11. dicit, lumen gloriæ ſine ſpecie ad eliciendam viſionem ſufficere, quia obiectum præſens eſt; non tamen ait, ipſum obiectum ſupplere locum ſpeciei.* Hæc ille, lege Scotum. Hæc enim ſunt verba Scoti. *Si autem obiectum in ſe præſens ſufficit ad actionem viſionis cauſandæ, quantùm ad illud quòd requiritur, ex parte obiecti, tunc non requiritur ſpecies.* Hæc ſunt verba Scoti. Vbi non dicit lumen gloriæ ſine ſpecie ſufficere, imo expreſsè ait. quòd *ſpecies correſpondet obiecto, lumen intellectui, & charitas voluntati.* per hæc verba immediatè antecedentia. *Si tamen aliquid ſupernaturale ponitur in beato prius operationibus; hoc non erit propter receptionem, ſed propter actionem, vt eliciatur operatio in beato, qua attingit Deum.* & paucis interiectis ſic ſequitur. *quòd ſi ſit aliqua forma ſupernaturalis, & ſpiritualis in anima beati, prior operationibus, ſequitur quòd illa requiritur propter operationem eliciendam. & tunc vlterius, aut requiritur propter obiectum, aut propter potentiam, & cum duplex potentia concurrat, in operatione in beato, ſcilicet, intellectus, & voluntas, propter vtramque poteſt talis forma poni, ſi autem ponatur, propter hæc tria, formas ſupernaturales præcedente operationem, ponerentur tres formæ ſupernaturales præcedentes. Vna correſpondens obiecto ſcilicet ſpecies intelligibilis in memoria. Secunda ex parte intellectus, quæ dicitur lumen gloriæ. Tertia ex parte voluntatis, quæ dicitur charitas. Si autem obiectum, &c.* Hæc Scotus. Dicat ergo Vaſquez, vbi Scotus in præcitatis verbis ait, lumen gloriæ ſufficere ſine ſpecie? imo perſpicuè affirmat, ſi obiectum in ſe præſens ſufficit ad actionem viſionis cauſandæ, quantùm ad illud quod requiritur ex parte obiecti, non requiritur ſpecies. Vbi vltra cauſalitatem intellectus, & luminis (ſi tamen lumen admittit) Ad hominem contra Vaſquez loquor) aſſignat cauſalitatem ex parte obiecti in ratione obiecti, vt patet per illa verba, *quantùm ad illud quod requiritur ex parte obiecti.* Et ſi non ait; quod obiectum ſupplet locum ſpeciei, prudenter egit. Eo quia obiectum propriè nō ſupplet locum ſpeciei, ſed è contra, ſpecies ſupplet locum obiecti. Quare ad mentem Scoti, falſum omnino eſt, quòd lumen, & intellectus, ſufficienter & adæquatè, viſionem efficiunt: Quòd ſi Scotus ne dum eſſentiam diuinam ſpeciem eſſe, ſed etiam per modum ſpeciei ſe habere negauit, tamen actionem obiecti vltra actionem intellect⁹, & luminis requiri omnino contendit.

16 Secundò. Quia ad mentem Scoti, minus neceſſariò ponitur lumen gloriæ quàm ſpecies: vt dicit ibidem. Ergo malè pro ſe Scotum affert.

Ex quo colligo, quòd ex verbis Scoti habetur hoc, nimirum, ſi obiectum in ſe præſens ſufficit cauſare viſionem, quantùm ad illud quod requiritur ex parte obiecti, ſpecies non requiritur vt agat loco obiecti; ſed obiectum immediatè per ſe ipſum agit, quod loco ſui, ſpecies ipſa faciebat. Hoc in loco verba Scoti, clara ſunt, nec aliter abſquè textus deſtructione interprætari poſſunt.

17 Sententia Scoti eſt iſta, nempè quòd lumen gloriæ non requiritur ex defectu obiecti tanquàm cooperatiuum ad viſibilitatem Dei. Ita in 3. diſt. 14. quæſt. 2. §. itaquè, vbi ſic ait, *in intellectione naturali lumen præcedens viſionem requiritur propter imperfectionem obiecti, quod vel non eſt de ſe actu intelligibile, vel ſi actu eſt intelligibile, non eſt per ſe ſufficiens ad mouendum intellectum ad actum ſecundum. Neutrum iſtorum eſt in propoſito, quia eſſentia diuina eſt lux ſummè ex ſe, & de ſe intelligibilis, & de ſe perfectiſſimè motiua intellectus. Ergo nullum lumen requiritur cooperatiuum ſibi.* Scotus.

18 Quando autem Scotus lumen gloriæ admittit, non propterea ſpecialem obiecti viſi in ratione viſi, vnionem cum intellectu, & cauſalitatem viſionis excludit. Itaquè quam-

quamuis ad mentem Scoti, poſita Dei præſentia obiectiua in intellectu creato, ſuperfluat lumen gloriæ tanquam cooperatiuum ad ſui intelligibilitatem; non tamen ſuperfluit lumen gloriæ tanquam comprincipiū ad intenſiorem, vel ſummam viſionem creaturæ poſſibilem producendam, vt apertè docet in 3. diſt. 13. quæſt. 1. ad 4. quæſt. & diſt. 14. quæſt. 2. citata. Quare immeritò Vaſquez pro ſua ſententia Scotum aſſerit. Quamuis Scotus aliundè lumen gloriæ ad videndum Deum neget, (ſi tamen negat) nam contendit, & benè, neceſſariam eſſe ſpecialem obiecti beatifici cum intellectu creato vnionem, vt docet in 4. diſtinct. 49. quæſt. 11. & vltra hanc vnionem, dicit non requiri lumen gloriæ ad producendam viſionem abſolutè, requiri tamen ad producendam intenſiorem, & ſummam, de qua re latius diſp. ſequenti. Vaſquez.

19 Probatur tertiò. Quia hæc opinio Vaſquez occaſionem præbet errandi, ac immediatè ſuſtinendi contra concilij determinationem. Ergo. Probo antecedens. Quia ſemel admiſſo hoc Vaſquez axiomate tanquàm catholico, nimirum, ſi diuina eſſentia intellectui creato, per modum ſpeciei intelligibilis vnitur, eo modo quo à Capreolo ſuſtinetur, ſuperfluit lumen gloriæ, poterit aliquis tenens diuinam eſſentiam beatorum intellectibus vniri in ratione ſpeciei intelligibilis, vt maior pars Theologorum affirmat, luminis gloriæ neceſſitatem, immo actualem eius exiſtentiam, aperto marte negare. Sed neſcio, ſi ab inquiſitione Sancti officij, eiuſquè ergaſtulis, veniet Vaſquez ad liberandum eum.

20 Confirmatur. Quia iuxta hanc phanaticam opinionem, ſequeretur, quòd omnibus Theologis, firmiter defendentibus diuinam eſſentiam de facto vniri intellectui beati per modum ſpeciei intelligibilis, liberum eſſet, affirmare de facto lumen gloriæ non dari: hoc non eſt dicendum. Ergo. Sequela eſt euidens.

21 Dico tandem in ſententia Vaſquez vltra luminis gloriæ infuſionem in intellectu, Deus non coniungitur loco ſpeciei intelligibilis, ſed generali quadam ratione, & tanquam cauſa prima ad viſionem concurrit, & Deum vniri intellectui Beati eſt cum illo cooperari. Ita affirmat diſputatione 43. cap. 6. num. 26. & cap. 7. num. 33.

DISPVTATIO LII.

QVID DE LVMINE GLORIÆ SENSERIT SCOTVS.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones circa mentem Scoti recenſentur.

1 Scotiſtæ valdè laborant, multumquè torquentur, ad ſaluandum de luminis gloriæ exiſtentia, eiuſquè neceſſitate ſubtiliſſimi Scoti doctrinam, ob diuerſa eius in diuerſis locis dicta, quorum quædam videntur concilij Viennenſis, atquè Clementinæ determinationi aduerſari. Quare vt tantum Doctorem ab hæreſis macula, in ſuis opinionibus liberent, in varias ſententias ſunt diuiſi.

2 Quidam enim dicunt, Scotum abſolutè, & ſimpliciter habitus luminis gloriæ exiſtentiam, atque neceſſitatem admiſiſſe. Ita Vulpes tom. 1. diſputatione 23. artic. 7. num. 12. Vulpes.

3 Quidam exiſtimant, Scotum dixiſſe, lumen gloriæ non eſſe neceſſarium, affirmaſſe tamen de facto dari. Ita Petrus Tataretus, in 3. diſt. 31. quæſt. 1.

Alij dicunt negaſſe tantum de poſſibili, ita Rada tertia par. controuerſ. 9. art. 1. & Bargius in 1. diſtinct. 3. quæſt. 3. littera L. Franciſcus de Pitigianis Arretinus ſuper. 3. lib. ſent. diſt. 14. quæſt. 1. art. 5. in principio, ſic dicens, *Nunquàm Scotus negauit factum ſed abſolutam neceſſitatem.* Tataret. Rada. Bargius. Aretinus.

4 Alij dicunt, Scotum varium, ſeù problematicum in hac controuerſia fuiſſe. Nam aliquando lumen gloriæ de facto negauit, aliquando de facto conceſſit. Tunc negauit, quando ſuſtinuit intellectum merè paſſiuè ad viſionem concurrere; tunc affirmauit,

Digitized by Google

uit, quando ſuſtinuit intellectum creatum ad eamdem actiuè ſe habere. Dicunt enim, Scotum illius controuerſiæ, nimirum, Vtrum intellectus concurrat actiuè ad viſionem, vtramquè contradictionis partem problematicè tenuiſſe; Ita Fauentinus in 3. diſt. 14. quæſt. 1. diſp. 32. cap. 2. num. 11.

Fauētinus

Alij dicunt quòd Scotus de habitu luminis gloriæ nihil pronunciat. Ita Vaſquez diſp. 43. cap. 1. num. 1.

Vaſquez.

Alij tandem dicunt Scotum lumen gloriæ etiam de facto ad videndum Deum, ex propria ſententia loquens omnino negaſſe.

CAPVT SECVNDVM.

Quæſiti reſolutio.

5 PRO determinatione ergo præſentis quæſiti, ex ijs, quæ ex doctrina Scoti, pro captu meo capere potui, per ſubſequentes concluſiones eius intentum manifeſtum erit. Vnde

Dico primò. Suppoſito quòd intellectus creatus tantummodo paſſiuè ſe habeat ad viſionem, Scotus luminis gloriæ neceſſitatem, ac eius exiſtentiam, omninò negauit.

Scotus.

6 In hoc dicto omnes Scotiſtæ conueniūt, & probatur. Quia Scotus in 3. diſt. 14. q. 1. art. 2. vbi hoc quæſitum format. *Vtrum poſſibile fuerit intellectum animæ Chriſti videre omnia in Verbo, quæ Verbum videt*, & duos format articulos. Primus eſt. *An poſſit perfici viſione perfectiſſima Verbi*. Secundus eſt. *An primò, & immediatè abſquè alia forma prius perficiente*: Secundi autem articuli terminans quæſtionem, ſic ait. *Quantùm ad ſecundum articulum, poteſt dici, quòd in quantùm intellectus habet rationem receptiui reſpectu viſionis, nō eſt aliqua forma neceſſariò prius recepta, ad hoc ut uiſio recipiatur in intellectu, quia per illam formam non aliter eſſet obiectum præſens, quàm poſſet eſſe ſine ea.*

7 Item, in eadem quæſtione, & articulo, §. itaquè, hæc habet verba; *Itaquè poteſt dici, quòd intellectus animæ Chriſti poteſt paſſiuè recipere uiſionem uerbi, primò, & immediatè; & hoc, ita quòd non perficiatur prius aliquo lumine tanquàm forma abſoluta alia à uiſione.*

8 Et ibidem circa medium eiuſdem §. ſic ait; *Similiter ad recipiendam ipſam uiſionem non requiritur habitus aliquis prior ipſi uiſione.* Et paucis interiectis ſic ait; *Sed ſi aliquis actus eſſet ex natura ſua ita permanens in actu, ſicut ponitur habitus, reſpectu illius non oporteret ponere habitum; quia actus talis haberet perfectionem actus primi, & ſecundi*; Sed viſio beata ex natura ſua eſt forma ita permanes in intellectu, ſicut habitus qui ponitur prior.

9 Idem docet in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. *ex hoc ſequitur*, cuius iſta ſunt verba. *Ex hoc ſequitur Corollarium, quòd nihil erit ſupernaturale prius operationibus, ſi tamen aliquid ſupernaturale ponitur in Beato prius operationibus, hoc non erit propter receptionem, ſed propter actionem, &c.* hoc idem pluries in Scoti doctrina inuenies manifeſtè.

10 Dico ſecundò. Suppoſito quòd intellectus actiuè concurrat ad viſionem, Scotus ſuſtinet lumen gloriæ de potentia Dei ordinata, eſſe neceſſarium ad viſionem ſummam, vel ad maiorem eius intenſionem.

Probatur. Quia Scotus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. hoc quæſitum mouet, *Vtrum ſine tali habitu uel lumine* (gloriæ ſcilicet) *poſſit intellectus creatus non tantùm paſſiuè ſe habere ad talem uiſionem, ſed etiam actiuè, ad eliciendam tantam uiſionem, & hoc æquè perfectam, ſicut cum lumine*, & reſpondet ſic. *Poteſt dici ſicut ad quartam quæſtionem diſtinctionis præcedentis dictum eſt*: Ad quartam autem quæſtionem diſtinctionis præcedentis, ſic cum diſtinctione reſpondet. *Si ponitur neceſſaria connexio cauſarum ſecundarum, ut quòd aliqua cauſa principalis non poſſit cauſare determinatum effectum, ſine cauſa ſecunda determinata; dicendum eſt, quòd non poteſt. Si ponatur quòd Deus poſſit ſupplere cauſalitatem cuiuſcumquè cauſæ ſecundæ, dicendum eſt, quòd Deus poſſet ſupplere actionem ſummæ gratiæ, ut uoluntas ſine illa poſſet ſecundùm cauſalitatem ſuam agere ad ſummam fruitionem, Deo ſupplente actionem gratiæ.* Scotus.

11 Dico tertiò. Suppoſito etiam quòd intellectus creatus actiuè concurrat ad viſionem, ſi loquamur de concurſu actiuo, non quidem ad viſionem intenſiorem, nequè ſummam, ſed ad viſionem Dei, ſimpliciter, & abſolutè, numquàm Scotus intellectum creatum lumine gloriæ indigere ex propria ſententia affirmauit, imo expreſsè negauit. Scotus.

Scio hoc dictum nonnullis diſplicere Scotiſtis, veritas tamen omnibus debet eſſe chariſſima; à quocunque enim dicatur, etiam ſi à Diabolo, à Spiritu ſancto eſt.

12 Probatur. Quia Scotus in 2. iam, dicto præcedenti citato, reſpondens quæſito ibidem poſito *Vtrum*, ſcilicet, *intellectus creatus ſine tali habitu, uel lumine poſſit elicere tantam uiſionem, quantam cum lumine*, & pro illius reſolutione, ad ea quæ ad quartam quæſtionem dixerat, ſe remittit; & hoc ideo; quia intellectus creatus poteſt actiuè ſe habere reſpectu viſionis verbi, ſicut, & actiuè ſe habet reſpectu intellectionis naturalis, in quantùm ſcilicet, eadem potentia beatificatur, quæ eſt principium intellectionis naturalis, & ita in quantùm habens eamdem rationem operandi circa vtrumquè Scotus.

què obiectum, *tunc*, inquit, *poteſt dici ſicut ad 4. quæſtionem*. Vbi in tantum ait dici poſſe *ſicut ad 4. quæſtionem*, in quantùm intellectus creatus habet eamdem rationem operãdi circa vtrumquè obiectum. Hoc vnum modo videamus, quid in 4. quæſt. dicat. Ibi autem hæc verba profert. *Vtrum tamen voluntas iſta, ſine gratia poſſit tantum agere quantùm eſt ex parte ſui ad ſummã fruitionem, quantùm cum gratia. Suppoſito enim quòd obiectum fruibile ſit præſens intellectui, & voluntas ſine omni habitu, præſente tali obiecto, poſſit actum fruendi elicere, ita quòd gratia non requiratur* (Nota) *niſi ad aliquam perfectionem fruitionis eliciendæ, ſicut aliqua cauſa partialis, dans aliquam perfectionem effectui, non tamen dans voluntati aliquam cauſalitatem propriam ſibi; imò voluntas cauſalitatem ſuam quantùm ad potentiam propinquam, ſiuè remotam, habet ex ſe*. Hæc Scotus.

13 Vbi hanc doctrinam docet, quòd ſcilicet, præſente obiecto fruibili intellectui, voluntas ſine omni habitu actum fruendi poteſt elicere, & quòd gratia non requiritur ad eliciendam fruitionem, ſed ad eliciendam perfectiorem fruitionem. Ita quòd quantùm ad hoc, quòd eſt poſſe elicere fruitionem abſolutè, præſente obiecto fruibili, voluntas habet eamdem rationem operandi, circa obiectum fruibile; & ſic non eſt illi neceſſaria gratia, ſeù charitas ad elicitionem fruitionis præſente obiecto fruibili. Ergo ſimiliter intellectus creatus ſtante Dei præſentia obiectiua, nullo alio lumine indiget ad producendam viſionem Dei vt eſt in ſe, ſed intellectus ex ſe poteſt elicere viſionem. Ad videndum autem intenſius, vel in ſummo (per ly *in ſummo* intelligit Scotus ſummitatem infra ſummitatem Dei, & poſſibilem creaturæ) æget lumine gloriæ ad mentem Scoti.

14 Hoc idem docet in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. *reſpondeo ergo*, vbi ſic probat, quòd anima non eſt ſufficienter actiua ex puris naturalibus ad conſequendum actum viſionis, *quia natura humana non habet Deum in ſe ex ſe ſibi præſentem obiectiuè*, quaſi diceret, nihil aliud ad viſionem Dei cauſandam naturæ humanæ deeſt, niſi actualis obiectiua ipſius præſentia, qua tamen poſita, per ſua naturalia viſionem producere poteſt. Vnde meritò Subtiliſſimus Scotus his verbis ſecũdam cõcluſionem ſtabiliuit.

15 *Secundò dico, quòd Anima humana, non eſt ſufficienter actiua, ex puris naturalibus ad conſequendum actum viſionis*. dixit *ad conſequendum* non autem ad producendum: quoniam quo ad primum, non ſufficit naturæ humanæ, efficacitatem habere producendi viſionem; ſed etiam requiritur conſecutio Dei in ratione obiecti præſentis, quæ non eſt poſſibilis, niſi ex mera voluntate diuina, quo ad ſecundùm verò, ſufficit, in ſe habere ſufficientem virtutem eliciendi viſionem, præſente obiecto, quæ eſt virtus naturalis intellectus ad mentem Scoti. Vbi Scotus loco adducto, abſolutè negat lumen gloriæ, quia non loquitur de perfectiori, vel ſumma viſione, ſed de viſione abſolutè, vt patet ex eiuſdem modo loquendi; vnde paucis interiectis hæc verba profert. *Ex hoc ſequitur corrolarium, quòd in beato nihil erit ſupernaturale prius operationibus, ſi tamen aliquid ſupernaturale ponitur in beato prius operationibus. Hoc non erit propter receptionem, ſed propter actionem, vt eliciatur operatio in beato, qua attingit Deum*; hoc autem non intelligit de elicitione abſolutè, ſed ad maiorem intenſionem, vt ibidem circa finem ſe declarat, dicens. *Teneo ergo, quòd ſaltem neceſſe eſt ponere charitatem propter operationem eliciendam, & per conſequens aliquam operationem, poteſt voluntas cum charitate elicere, quam non poteſt* (Nota) *ita intensè ſine charitate elicere*. Hæc ille. vbi ait. neceſſarium eſſe *charitatem propter operationem eliciendam*, non quidem abſolutè, ſed cum maiori intenſione; & hoc propter ſcripturam, & fidem.

16 Vulpes diſp. 23. art. 7. num. 15. contendit, Scotum lumen gloriæ de facto poſuiſſe, pro habitu creato inhærente intellectui, neceſſarium regulariter, ac de communi lege ad videndum Deum; & hoc propter duo. vt, ſcilicet, præſentia Dei obiectiua illi fiat debita, & in eius poteſtate conſtituta. Atquè etiam, vt Deum intenſius, ac perfectius videat. Idquè dicit colligi ex Scoto in 3. loco cit. Vulpes.

17 Quo ad primum eſt contra Scotum, & aſſumptum non probat ex Scoto. Probo primam partem; quia præſentia Dei, dupliciter poteſt eſſe intellectui creato debita ratione luminis gloriæ, Meritoriè. ſ. & diſpoſitiuè; Quia, ſcilicet, ratione luminis gloriæ homo, meretur Dei præſentiam; vel quia per lumen gloriæ, intellectus eſt vltimatè diſpoſitus ad vnionem diuinæ præſentiæ: Materiæ enim vltimatè diſpoſitæ, debetur forma. Primum eſt falſum. Quia lumen gloriæ non eſt ratio merendi. Secundum eſt contra Scotum, quia per Scotum, intellectus eſt ſummè diſpoſitus ad receptionem viſionis, & obiectiuæ præſentiæ. Ergo. Nõ enim dici poteſt, quòd huiuſmodi præſentia, ſit intellectui debita; ex eo quia per lumen, ſufficiens principium conſtituitur viſionis. Quia nequè habenti fidei vel charitatis habitum, eſt ad credendum, vel ad amandum, debita Dei coefficientia.

18 Nequè fideliter refert Scotum; nam dicit, Scotum probare, non poſſe voluntatem ſummè frui ſine sũma gratia ſecũdùm

potẽtiam ordinatam, propter hoc generale principium, *quia ordinatum eſt, aliquam cauſam primam in ordine ſuo, quæ nata eſt habere; aliquam cauſam ſecundã, non poſſe ſimul in effectum illarum cauſarum, ſine tali actione cauſæ ſecundæ*. vbi dereliquit, vnam particulam poſt ly, *in effectum*, ſic enim Scotus ait. *non poſſe ſimul in effectum ſummũ illarũ cauſarum*. ita quòd ad mentem Scoti, loco citato; generale principium, eſt illud. Ordinatum eſt, quòd cauſa prima in ordine ſuo, quæ nata eſt habere aliquam cauſam ſecundam, non poteſt ſimul in effectum ſummum illarum cauſarum, ſine tali actione cauſæ ſecundæ. non verò in Scoto reperies, quòd cauſa prima coexigat lumen gloriæ, vt cauſam ſecundam, ad producendam viſionem abſolutè, ſed intenſiorem dumtaxat, & ſummam.

Vulpes. 19 Quãtùm verò ad illud quod Vulpes ſubdit, nempè, vt præſentia Dei ſit in intellectus poteſtate conſtituta. Vel per hoc intelligit, quòd lumen gloriæ neceſſarium eſt, vt ſit in libera hominis poteſtate elicere viſionem; vel vt abſolutè eliciat, vel vt intenſius eliciat viſionem. Si hoc vltimum, ita res in via Scoti ſe habet; ſed a tertio membro à Vulpes poſito, non diſtinguitur. Si ſecũdũ, eſt falſum ad mentem Scoti, vt probauimus.

Scotus. 20 Si primum; tenetur Scotiſta oſtendere in via Scoti, quòd Scotus abſolutè, & reſolutè dicat, viſionem claram Dei eſſe in poteſtate videntis. Immo ex modo loquendi Scoti, videtur oppoſitum apud ipſum eſſe ſentiẽdum. Etenim in 2. d. 3. quæſt. 9. in fine ſuſtinens Angelos per ſpeciem creatam poſſe, imo de facto cognoſcere Deum clarè, abſtractiuè tamen, & ad rationes principales in oppoſitum reſpondens, ſic ait. *Dico, quòd propter iſtam intimitatem, poſſet cauſare immediatè illum actum, quem cauſat ſpecies, nõ tamẽ iſte actus eſſet in poteſtate Angeli, ſicut nec ipſa cauſa cauſ\[ationis\] ipſi\[u\]m, & ſi quandoquè ceſſaret ab actu, non poſſet iſtum actum iterum habere, niſi ab eſſentia illa cauſante illum actum, quòd non eſſet in poteſtate ipſius Angeli. Vt igitur iſte actus non neceſſariò perpetuus, ſit in poteſtate operantis, ponitur ſpecies, per quam poſſit perpetuò diſtinctè cognoſcere Deum*: ſed quamuis per Scotum actus beatificus fruitionis, ſeù amoris Dei ſit in poteſtate fruentis, tamen vt docet in 3. loco citato, & in 4. diſ. 49. q. 6. & alibi, quo ad actum viſionis Dei, in eodem Scoto reperies, non in videntis poteſtate, ſed in eiuſdẽ Dei volũtaria obiectiua præſentia cõſiſtere, vt docet in 4. d. 49. q. 11. & in quæſt. quodlib. quæſt. 14. & 15.

Dico quartò. Nunquàm Scotus, & nullibi abſolutè, & ex propria ſententia affirmauit lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad videndum Deum, ſed cum addito, & ex ſuppoſitione, ſuppoſito ſcilicet, quòd actiuè ſe habeat ad viſionem, & hoc nõ ad abſolutè vidẽdũ, ſed ad viſionem intenſiorem, vel ſummam.

Hoc non aliter probatur, niſi quia de oppoſito huius, nullus extat in doctrina Scoti locus; quòd ſi quis extiterit, proferatur.

21 Dicet autẽ aliquis, hoc expreſsè docuiſſe Scotum in 1. d. 17. q. 2. in fine, vbi ſic ait. Scotus. *Nullus negat communiter, in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu*:

Reſpondetur concedendo quòd nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ, omnes enim Theologi tunc temporis, communiter concedebant dari lumen gloriæ, immo aſſerebant eſſe intellectui neceſſarium ad videndum Deum: Scotus autem, hanc Theologorum communem aſſertionem, non abſolutè admittit, ſed ad videndũ Deum perfectè, & in ſummo, vt cõſtat ex ijs quæ in 3. & in 4. docet; quod ex eiuſdem verbis ibidem manifeſtum eſt. Sic enim ait. & *Si arguitur, quòd ſine habitu informante poteſt eſſe viſio perfecta. Ergo, & fruitio perfectiſſima. Reſpondeo: Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu; & iſte ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis.* Vbi communem omnium confeſſionem, ſuo applicat inſtituto, nempe, quòd in gloria, lumen gloriæ ponitur, vt correſpondens charitati; & ſicut charitas ponitur propter intenſiorem actum, nõ propter actum abſolutè eliciendum: Ita lumen gloriæ. & hoc nõ abſolutè affirmat, ſed ſi dicatur ſecũdũm viã, quam dixerat diſt. 3. eiuſdem primi libri ſent. q. 6. & 7. *quòd ſcilicet, obiectum ſiue in ſe, ſiue in ſpecie, eſt ſicut cauſa partialis concurrens cum intellectu ad cauſandam intellectionem*. quòd autem hoc non abſolutè affirmet, patet, euidentiſſimè, quia poſtquàm Scotus in 1. d. 3. q. 6. & 7. per longum, intellectum, & obiectum, ſiue in ſe, ſiue in ſpecie actiuè ad intellectionem cõcurrere determinauerat, in quæſt. 9. eiuſdem diſtinctionis, probans intellectum eſſe cognitionis cauſam principaliorem. Sic incidenter ait. Scotus. *Tamen aliquod obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuæ, puta obiectum beatificum, vt clarè viſum, poſſet poni habere totam cauſalitatem, reſpectu viſionis, aut principaliorem, quàm pars intellectiua; & hoc propter excellentiam talis obiecti, & propter defectum partis intellectiuæ*; quod quidem ibi, ſuſpenſum relinquit, & promittit huius determinationem non in eodem primo, ſed in 4. ſic enim ſubdit. *ſed de hoc in 4. libro.*

22 In quarto autem libro affirmat quidem voluntatem actiuè concurrere, & dari charitatẽ, & in tantùm eam ponit, in quantùm, *ſecundum ſcripturam, & fidem habemus ponere charitatem*. Vnde concludit beatum actiuè cõcurrere ad fruitionem. Vtrum autem intellectus actiuè ad viſionem ſe habeat, an tantùm paſſiuè, non determinat; & ſi determinat, ad oppoſitum inclinat, nempè, quòd paſſiuè; & non actiuè ſe habeat; quod legenti conſtat.

Immo

Digitized by Google

23 Immo eadem diſt. 49. quæſt. 11. §. *Reſpondeo ergo* . abſolutè negat luminis gloriæ neceſſitatem, nō ſolùm, ſi paſſiuè, ſed etiam ſi actiuè ſe habeat ad viſionem. Quòd ex eo manifeſtum eſt, Quia poſtquam ſtatuit hác, concluſionem, videlicet, *Anima humana non eſt ſufficienter actiua , ex puris naturalibus ad conſequendum actum viſionis* . eamquè probauit ; Sic immediatè ſubdit. *Ex quo hoc ſequitur corrolarium , quòd in beato nihil erit ſupernaturale prius operationibus ; ſi tamen aliquid ſupernaturale , hoc erit non propter receptionem, ſed propter actionem ;* & hoc non obſtante , paulo inferius concludit : dari charitatem in voluntate , quia *ſecundum ſcripturam , & fidem habemus ponere charitatem* . poſt charitatis autem conceſſionem , quam ideo concedit, quia eum fides, & Sacra Scriptura cogit , alias fortè non conceſſiſſet ; ſic de lumine gloriæ fatur. *Lumen autem gloriæ ad viſionem , non videtur mihi neceſſe poni* . Vbi negat luminis gloriæ neceſſitatem non ſolùm ſi intellectus paſſiuè, ſed etiam ſi actiuè ad viſionem ſe haberet ; vt optimè quatùm ad hoc Vulpes. diſp. 23. art. 7. adnotauit . Vel dicendum eſt, quòd lumen gloriæ in 1. diſt. 17. cum communi admiſit, in 4. verò diſt. 49. quæſt. 11. citata, ex propria ſententia negauit, modo tamen in ſequenti dicto declarando, Vulpes.

24 Dico quintò. Scotus ex propria ſententia loquens, abſolutè , & ſimpliciter negauit luminis gloriæ neceſſitatem.

Probatur . Quia in 4. diſt. 49. citata abſolutè per verba relata, dixit ; minus neceſſarium eſſe ponere lumen, quàm ſpeciem, & quòd nō videtur ſibi neceſſe poni lumen gloriæ.

25 Quòd ſi dicas , eſt eadem ratio ponendi lumen gloriæ; & ponendi charitatem, & è contrario , auferendi lumen gloriæ, & abſtulendi charitatem . Vtrobiquè enim eſt par ratio : ſed Scotus ponit de facto charitatem, neceſſariò requiſitam in voluntate beati. Ergo ponit etiam de facto neceſſariò lumen gloriæ in intellectu.

26 Reſpondetur concedendo maiorem; & diſtinguendo minorem. Scotus ponit de facto charitatem neceſſariò requiſitam in voluntate beati, fide, ac Sacra Scriptura conſtrictus , concedo minorem . Vt actiuè ſe habeat ad fruitionem ; & adhuc diſtinguo minorem . Vt actiuè ſe habeat ad intenſiorem, vel ſummam fruitionem, concedo minorem. Vt actiuè ſe habeat ad fruitionem abſolutè, nego minorem . Ergo, &c. nego conſequentiam . & ratio negationis eſt , quia tempore quo Scotus de lumine gloriæ tractabat, erat quidem de fide determinatum, charitatem eſſe neceſſariam . atquè in patria manere, de luminis autem gloriæ neceſſitate, non dum ſpecialis eccleſiæ determinatio manauerat. Scotus enim floruit ante concilium; nam concilium Viennenſe Viennen. fuit celebratum Anno 1311. & Scotus florebat 1300. vnde ſi Scotus vix iſſet vſquè ad concilij promulgationem, eadem fide, qua aſſerebat dari charitatis habitum; confeſſus fuiſſet dandum quoquè eſſe habitum luminis gloriæ; & non dixiſſet , lumen gloriæ non videri non neceſſarium. Scotus.

27 Ex hoc igitur quò vtrobiquè eſt eadem ratio ; Scotus dicens charitatem eſſe neceſſariam ad actum meritorium, & ad fruitionem intenſiorem, vel ſummam , non autem ad fruitionem abſolutè eliciendam ; ita etiam lumen gloriæ , eſſe neceſſarium ad maiorem, ſeu perfectiorem viſionem producendam , non autem ad producendam viſionem præcisè, aſſerere tenebatur; quare autem affirmauit neceſſariam charitatem ; negauerit autem abſolutè, & ſimpliciter luminis gloriæ neceſſitatem ; non eſt meum contra Scotum argumenta diſſoluere.

28 Ex determinatione autem concilij pro lumine gloriæ; magis ac magis, charitatis, ac gratiæ neceſſitas exaltatur. Ita vt verum ſit charitatem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad fruitionem , atquè ad diligendum ſuper omnia Deum . Nam ſicut eſt neceſſarium lumen gloriæ ad videndum Deum , ita eſt neceſſaria charitas ad eum diligēdum, eiuſdemquè fruitionem eliciendam : ſed lumen gloriæ eſt neceſſarium vt eleuet animam ad videndum Deum abſquè omni addito. Ergo charitas ſeu gratia eſt neceſſaria vt eleuet voluntatē ad eliciēdam fruitionem abſquè omni addito, ſcilicet, intenſiorem, vel ſummam , Maior patet , & minorem verba Concilij condemnantis Begardorum , & Beguinarum errorem, manifeſtè declarant. Damnat enim Concilium aſſerentes , *animam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum* .

29 Vbi aduerte quòd Concilium nō decernit lumen gloriç eſſe neceſſarium ad videndum Deum, in tanta vel tali viſionis intenſione , ſed eſſe neceſſarium ad videndum Deum, tanta ac tali viſione, quanta, & qualis ſufficit ad beatitudinem : ſed quçcunquè viſio clara Dei vt eſt in ſe, ſufficit ad beatitudinem. Ergo ad quamcunquè claram Dei viſionem eliciendā, requiritur lumē gloriç : ſed Scotus in 4. d. 49. q. 11. tenet quòd ſuppoſita Dei pręſentia obiectiua, homo abſq; lumine gloriæ poteſt elicere viſionem, & quòd ſtante eiuſdem obiecti præſentia in intellectu, poteſt voluntas ex ſuis naturalibus elicere fruitionem; vt expreſſit in 3. diſt. 13. quæſt. 1. ad 4. quæſtionem. Ergo, &c. Scotus.

30 Dicet aliquis . Scoti opinio quam in 4. d. 49. q. 11. expreſſit, nēpè, quum hæc verba determinatè ac reſolutè propoſuit. *Lumē autē gloriç ad viſionē non videtur mihi neceſſe poni;* eſt ne, ad mentē concilij? Non eſt meū hoc determinare . Hoc vnum autem ſcio, quòd concilium, hanc propoſitionem, ſcilicet ;

Digitized by Google

Anima non indiget lumine gloriæ ad videndum Deum. Hæreticam eſſe decernit. Scotus verò, hanc propoſitionem, nempè, lumen gloriæ ad viſionem non eſt neceſſarium, tanquàm veram defendit.

31 Petet autem aliquis. In quo differat ſententia Scoti, à ſententia Durandi. Vaſquez loco citato dicit, Durandum aſſeruiſſe intellectum creatum habere virtutem ſufficientem actiuè concurrendi ad videndum Deum, ſi Deus obiectiua præſentia illi vniretur; Scotum verò aſſeruiſſe intellectum creatum paſſiuè ad viſionem concurrere, viſionem autem à ſolo Deo eſſe cauſatam: Verumtamen Vaſquez, minus fideliter refert vtrumquè. Nam etiam

Scotus.
Durand.
Vaſquez.

32 Scotus ſuſtinet, quòd ſtante Dei præſentia obiectiua in intellectu, intellectus poteſt naturaliter viſionem producere, vt patet ex dictis. Et Durandus etiam ſuſtinet intellectionem, ſeu viſionem claram Dei, à ſolo Deo cauſari, intellectu merè paſſiuè concurrente, vt patet in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. ad 1. Itaquè melius dicunt alij, Scotum ſcilicet, & Durandum, quantùm ad hoc, idem omninò ſentire. Nam quicquid dicat Scotus, in 3. & alibi, ſub conditione, & Durandus etiam in 3. loco citato, ex propria, vel aliorum ſententia: Scotus in 4. libro citato, ait ſic, *lumen gloriæ ad viſionem, non videtur mihi neceſſe poni*, Durandus autem in 4. & eadem diſtinctione quæſt. 2. num 24. ſic ait. *Non requiritur aliquod lumen creatum eleuans intellectum.*

Scotus.
Durand.

Scotus.

33 Dico tandem. Scotus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 11. ſic dicens, *Lumen autem gloriæ ad viſionem, non videtur mihi neceſſe poni*, non ſolùm loquitur de potentia abſoluta, ſed etiam de potentia ordinaria, & de facto.

Probatur, quia loco citato §. *ex hoc ſequitur*, ſic ait. *Ex hoc ſequitur Corrolarium, quòd in Beato nihil erit ſupernaturale prius operationibus*. Ergo loquitur de potentia ordinaria, & de facto. Probatur iſta conſequentia ex tenore verborum Scoti. Suppoſito enim quod docuerat, ac tanquàm verum præmiſerat, dicit ſequi, *quòd in Beato nihil erit ſupernaturale prius operationibus*; Non enim dicit poterit non eſſe, *ſed nihil erit*, qui loquendi modus, factum, & potentiam ordinariam indicat, non autem potentiam abſolutam, ſeù ſolummodo poſſibilitatem, denotat.

34 Deinde, quia poſtquàm Scotus dixit, quòd *ſecundùm ſcripturam, & fidem habemus ponere charitatem, ſaltem neceſsè eſt eam ponere in Beato propter operationem eliciendam*, non loquitur de neceſſitate ſimpliciter, & in ordine ad potentiam Dei abſolutam, quia apertiſſimè in 3. diſt. 13. citata oppoſitum tenet; ſed de facto, & in ordine ad potentiam Dei ordinariam: & immediatè poſt, hæc verba ſubiungit, *Lumen autem gloriæ ad viſionem non videtur mihi neceſſe poni*, Ergo docet, quòd non neceſsè eſt ponere lumen gloriæ, pro vt ly, *non neceſſe*, opponitur ei quod de charitate dixerat, nimirum, *neceſſe eſt eam ponere*. Ergo loquitur in ordine ad neceſſitatem de potentia ordinaria, & de facto, & nō ſolùm de neceſſitate in ordine ad potentiam Dei abſolutam.

Scotus.

35 Confirmatur. Quia ſi Scotus ſic dicens, *Lumen autem gloriæ ad viſionem non videtur mihi neceſsè poni*, ſi ſolū neceſſitatem per potentiam Dei abſolutam intelligeret, nihil ad propoſitum diceret. Ergo. Probo ſequelam. Quia ibi, vt legenti patet, confert charitatem, & lumen gloriæ ad inuicem: de charitate loquens, ait quòd *neceſſe eſt eam ponere*: de lumine autem gloriæ dicit, quòd non neceſſe eſt illud poni.

Scotus.

36 Quidam reſolutè dicunt, ſententiam Scoti, Durandi, & Vaſquez, eſſe contra Concilium Viennenſe: Ego autem hoc affirmare non audeo; pono tamen ſupradictorum Doctorum verba, vt vnuſquiſquè ad inuenire poſſit, apertum manifeſtumquè diſcrimen.

Digitized by Google

Axioma à Viennẽſi, & Clemente quinto dãmnatum, quod aſſerebant.	(BEGARDI,) ET (BEGVINÆ.)	Anima non indiget lumine gloriç, ipſam eleuante ad videndum Deum.

SCOTVS.	Lumen autem gloriæ ad viſionem, non videtur mihi neceſſe poni.
DVRANDVS.	Ad videndum Deum, non requiritur aliquod lumen creatum, eleuans intellectum.
VASQVEZ.	Habitum luminis gloriç ſuperfluum eſſe, ſi diuina eſſentia ſuppleat vices ſpeciei.

DISPVTATIO LIII.

QVID DICENDVM, SI SVPRADICTORVM Doctorum ſententia, eſſet hæretica.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

Scotus.

Viennen. Clem. V.

1 SI in hoc, Scotus errauit, non propterea in Hæreticorum Catalogo aggregandus eſt; Tum quia Scotus fuit ante Concilium Viennenſe, cum Concilium Viennenſe ſub Anno 1311. ſub Clemente V. fuerit celebratum, Subtiliſſimus autem Scotus floruit circa Annum Domini 1300. Tum etiam quia, tanquàm de fide catholica optimè meritus, vbiquè locorum, Sacræ Scripturæ, ac fidei, humiliter ſe ſupponit, quapropter in 4. diſtinct. 49. quæſt. 11. de charitate loquens, ſic ait; *Sed quia ſecundùm ſcripturam, & fidem, habemus ponere charitatem, ſaltem neceſſe eſt eam ponere in Beato propter operationem eliciendam*, Et idem proculdubio feciſſet, ſi tempore ſuo Viennenſis decretum ab Eccleſia manaſſet, nempè, quòd lumen gloriæ ſit neceſſarium ad videndum Deum. Nec quia hæretica eſt ſententia, ideo hæreticus author ſine pertinacia, nuncupandus eſt. *Errare* enim *potero*, dixit Auguſtinus, *hæreticus non ero*.

Caiet.

2 Caietanus ingeniorum flos, vir admirandus, atquè catholicæ fidei acerrimus defenſor; quòdam a D. Th. doctrina recedẽs, dixit, nõ eſſe iure diuino neceſſariũ, vt q. lęthalis criminis cõſcius eſt, ſe, per confeſſionem ad Euchariſtiæ ſumptionem, teneatur præparare: non tamen in hæreticorum numero aſcribendus eſt (quemadmodum quidam, vt aduerſus pium catholicumquè Doctorem, impium demonſtrarent affectum, auſu temerario fecerunt.) Præcitatam enim non tenuiſſet doctrinam, ſed procul dubio damnaſſet, ſi Sacri Concilij Tridentini determinationem diuinitus inſtructam, cognouiſſet; ab omnibus enim Theologis eius perſona ab hæreſis macula excuſatur; Eo quia floruit ante Tridentinum. Ita ſimiliter Scotus, vir doctrina, & pietate prædítus, qui ob ſui ingenij acu-

men,

men, ſubtiliſſimus, eſt cognomine dictus, errare potuit, hæreticum autem nefas eſt appellare. Quapropter ſi errauit, Doctor (Scotus.) excuſandus eſt, ſententia damnanda, floruit enim ante Viennenſe.

Durand. 3 Quid de Durando? Nam Durandus floruit poſt Concilium Viennenſe, quia Concilium (Viennen.) Viennenſe vt diximus, celebratum fuit ſub Clemente V. Anno 1311. Durandus autem, floruit Anno 1318. ſub Ioanne (Ioan.22.) XXII. & hoc verorum Summorum Pontificum ſeriem ſectando; quoniam ſecundùm eos qui nõ ſolùm veros, ſed etiam pſeudo pontifices, vel fabuloſos calculant, deberet dici ſub Ioanne XXIII. propter Ioannem (Leo.4. Bened.3. Ioan.8.) Octauum, quem Leoni IV. & cui Benedictum Tertium referunt ſucceſſiſſe, non tamen ſic fuit verus euentus, ſed fabula eſt; eò quia hunc Ioannem, fœminam quamdam fuiſſe dicunt. Hoc autem falſum omnino eſt, hæreticorumquè figmentum quare. (Bellarm.) videantur Bellarminus to.1.lib.3. cap.24. & Sapientiſſimus Magiſter meus Grauina (Grauina.) to.3.lib.4. c.1. Ergo excuſari non poteſt.

Durand. 4 Dicendum tamen eſt, Durandum omnino ab hæretica prauitate excuſandum eſſe, eò quia ſiquando errauit, nihil vmquàm pertinaciter ſuſtinuit, ſed humiliter Sanctæ Matris Eccleſiæ determinationi omnia ſubmiſit, vt eius propria verba teſtantur; nam in præfatione ſuper quatuor libros ſententiarum ſic loquitur. Et *quoniam interpretatio dubiorum ad Sanctam Eccleſiam Romanam, & Catholicam pertinet, omnia opera mea eius correctioni totaliter ſuppono*; & in fine eiuſdem operis quatuor librorum ſententiarum, hæc verba profert. *Si autem in hoc opere aliquid dignè laudabiliterquè ſcriptum ſit, illi ſoli ſit laus, & gloria, per quem mundo, data eſt gratia, & Veritas patefacta. Si verò aliquid minus dignè laudabiliterquè ſcriptum ſit, mea aſcribatur imperitiæ, & non malitiæ, quia ſtudium meum ſemper fuit inquirere veritatem, ſed quia homo ſum parui ingenij, & exigui temporis, non dubito, imò veriſſime præſumo, quòd in dictis meis, multa potuerunt inueniri, quæ meliori iudicio poterunt corrigi, & melius emendari, quod opto, & oro fieri, &c.*

5 Et Cardinalis Baronius tomo 11. in Anno 1035. loquens de Durando ſic ait. Baronius. *Diſertiſſimus, atquè ſanctiſſimus Durandus, Leodienſis Epiſcopus, qui licet, humili loco natus, tum litteris, tum moribus, nobilem ſuo tempore illuſtrauit Eccleſiam.*

6 Ad rationem igitur in cõtrarium, Dico, Durandum antequàm Viennenſis concilij impreſſio ad eius manus perueniſſet, typis opera ſua mandaſſe; & poſtquàm vidit (ſi vidit) morte præuentus, non ſuperfuit ei tempus, ſua opera corrigendi.

7 Vaſquez autem (ſi errauit) quia ſua Vaſquez. tempeſtate, concilij Viennenſis à Theologis facta fuerat magna diſcuſſio, erronei, ac temeritatis nota, vix poterit excuſari. Nam Concilium hoc hæreticorum dogma, abſolutè condemnat, *Anima non indiget lumine gloriæ ad videndum Deum.* Ipſe verò aſſeuerãter dicit, ſuperfluere lumen glorię, ſi diuina eſſentia intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis ſit vnita. Quaſi licitum ſit, tuta fide, ſuſtinentibus diuinam eſſentiam, de facto vniri per modum ſpeciei intelligibilis, abſolutè, & ſimpliciter dari habitum luminis gloriæ omnino negare.

DISPVTATIO LIV.

VTRVM LVMEN GLORIÆ REQVIRATVR TANQVAM diſpoſitio neceſſaria, vt intellectus creatus diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis ſuſcipiat.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 TRia ſunt munera, quæ lumini gloriæ principaliter attribuuntur, diſponere ſcilicet, intellectum, ad præparandum eum, vt diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis ſuſcipiat; Vt illum fortificet, ſeù virtutem prębeat ei ad producendam viſionem; Et vt eumdem ad eiuſdem viſionis receptionem diſponat. In hac diſputatione

de

Digitized by Google

de neceſſitate primi muneris diſputamus.

2 Omnes tituli termini, noti ſunt. Nam nomine luminis gloriæ intelligimus quoddam intellectuale lumen intellectui inhærens, per quod Deum in ſua gloria, ac maieſtate, valeat intueri, prout explicauimus ſupra. Nomine autem diſpoſitionis, vt ſupra declarauimus, intelligitur præparatio quædam patientis, vt patiatur, vel agentis vt agat, de qua re vide D. Thomam infra, quæſt. 23. art. 2. ad 3. Vnde tunc aliquod dicitur benè, & vltimatè diſpoſitum, quando eſt ita ad aliquam formam, vel actionem ſuſcipiendam, vel producendam benè paratum, vt ex vi talis præparationis illico formæ introductio, vel operationis productio, aut receptio conſequatur. Senſus ergo quæſiti eſt. Vtrum lumen gloriæ ſit intellectui neceſſarium ad præparandum eum, vt diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis illi vniatur.

D. Thom.

3 Negatiuè reſpondent Scotus in 3. citat. & in 4. diſt. 49. q. 11. ſed non explicitè, Palatius in 4. diſt. 49. diſp. 1. in fine, Baſſolus ibidem p. p. diſt. quæſt. 1. art. 1. ad 1. Vaſquez diſp. 43. cap. 3. & 4. Idem ſentire videtur Suarez 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 15. n. 21. qui concedens lumen gloriæ præcedere vnionem eſſentiæ diuinæ in intellectu, tamen non putat neceſſariam luminis gloriæ præſentiam ad præparandum intellectum, vt in ſe diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis ſuſcipiat; Valentia hic diſp. 1. puncto 3. num. 21. Becanus p. p. tract. 1. cap. 9. Faſolus hic dub. 3. num. 14.

Scotus. Palatius. Baſſolus. Vaſquez. Suarez. Valentia. Becanus. Faſolus.

4 Partem verò affirmatiuam defendunt D. Thomas locis infra citandis, Capreolus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 1. concl. 2. & art. 3. ad 1. Scoti, contra ſecundam concluſionem, Ferrarienſis 3. cont. gent. cap. 52. & 53. Caietanus hic, Bañes dub. 2. Zumel, lib. 1. quæſt. 1. concl. 5. & ad 5. & diſp. 2. notabili 3. Nazarius hic controu. 1. concl. 1. Nauarrete contr. 38. §. 2. Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 4. Conzalez hic, diſp. 27. ſect. 2. concl. 3. num. 25. Petrus de Ledeſma de diuina perfect. quæſt. 8. art. 8. concl. 3. Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. num. 55, 56, & 57. Trigoſius 1. p. quæſt. 7. artic. 1. dub. 4. §. *pro reſolutione*, & concl. 2. Salmanticenſes tract. 2. de viſione Dei diſp. 4. §. 2. num. 25. Ioannes de Sancto Thoma diſp. 14. Palumbus in doctrina, & Scholaſtico examine ad art. 5. concl. 4. Recupitus lib. 6. quæſt. 16. num. 6. Herice tractat. 4. diſputatione 48. capit. 2. Omneſquè veri Thomiſtæ.

D. Thom. Capreol. Ferrarien. Caietan. Bañes. Zumel. Nazarius. Nauarret. Sotus. Conzal. Ledeſma. Salas. Trigoſius. Salmanti. Io. de S. Thoma. Palumb. Recupit. Herice.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

5 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Lumen gloriæ requiritur vt diſponat intellectum ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis.

Hoc dictum probatur primò authoritatibus D. Thomæ. Nam de verit. quæſt. 8. art. 3. in corp. hæc verba profert. *Oportet etiam in intellectu eſſe aliquam diſpoſitionem per quam efficiatur perfectibile tali forma, quæ eſt eſſentia diuina, quod eſt aliquod intelligibile lumen.* D. Thom.

6 Et 3. cont. gent. cap. 53. rat. 2. *Ad hoc igitur*, inquit, *quòd eſſentia diuina fiat intelligibilis ſpecies alicuius intellectus creati (quod requiritur ad hoc, quòd diuina ſubſtantia videatur) neceſſe eſt quòd intellectus creatus aliqua diſpoſitione ſublimiori ad hoc eleuetur.*

7 Et opuſc. 105. ſic ait, *Ad hoc igitur quòd ipſe Deus per eſſentiam cognoſcatur, oportet quòd ipſe Deus fiat forma intellectus ipſum cognoſcentis, & coniungatur ei, non ad vnam naturam conſtituendam, ſed ſicut ſpecies intelligibilis intelligenti, Ipſe enim ſicut eſt ſuum eſſe, ita eſt ſua veritas, quæ eſt forma intellectus; neceſſe eſt autem, quòd omne quod conſequitur aliquam formam, conſequatur diſpoſitionem aliquam ad formam illam: intellectus autem noſter non eſt ex ipſa ſua natura in vltima diſpoſitione exiſtens reſpectu formæ illius, quæ eſt veritas, quia ſic, à principio ipſam aſſequeretur. Oportet igitur, quòd cum eam conſequitur, per aliquam diſpoſitionem de nouo additam eleuetur, quam dicimus gloriæ lumen.*

Idem docet in hoc art. in corp. cuius verba legantur in textu.

8 Hæc D. Thomæ teſtimonia adeò clarè noſtrum manifeſtant intentum, vt meritò D. Thom.
Nazarius hic controuerſ. 1. ad argumenta contra 1. concl. §. *Reſpondetur mirandum*, ſic ait; *mirandum eſſe, Virum excellentis ingenij, in verbis planiſſimis, Diui Thomæ locis ab eo allegatis, illius meridiana luce clariorem ſenſum non vidiſſe, aut viſum, nedum diſſimulaſſe, ſed in oppoſitum adhibita violentia retorquere voluiſſe.* Et immeritò Faſolus pro Nazarius.
Suarez defenſione, in Nazarium his verbis inuexerit. *Quidquid Nazarius hic controu. 1. ad 1. dicere audeat contra Patrem Suarez, illum Sancti Thomæ meridiana luce clariorem ſenſum, non vidiſſe. Vtinam illi videre, ac diſcere contingat, quæ Suarez perſpicaciſſimus* Faſolus.

Theo-

Theologiæ Magiſter, & vidit, & docuit.

9 Immeritò, inquam, Faſolus iam dictis abundauit verbis. Etenim D. Thomæ mentem eſſe iuxta ea, quæ Nazarius cum omnibus Thomiſtis dixit; Et Patrem Suarez ſenſum D. Thomæ re vera non attigiſſe, ſed potius violenter torſiſſe, & ſi non nobis, ſeu Doctoribus noſtris, credat vel ſuis, ſeu ſuæ familiæ coetaneis magiſtris. Quandoquidem Pater Palumbus in doctrina, & ſcholaſtico examine ad art. 5. concl. 3. de hac re loquens, hæc verba profert; *Quo ad vnionem res mihi manifeſta eſt, cum Capreolo, Soto, Ferrarienſi, & alijs ex Sancto Thoma hic, & lib. 3. cont. gent. cap. 53. & alibi.* Et Pater Recupitus lib. 6. quæſt. 16. num. 5. de hac diſputatione loquens, ac de opinione noſtra, ſic ait, *contraria ſententia* (id eſt noſtræ concluſionis opinio) *eſt expreſſè D. Thomæ.*

Faſolus. D.Thom. Nazarius. Suarez. Palumb. Capreol. Sotus. Ferrar. Recupit.

10 Quantùm verò ad illa verba Faſoli, ſcilicet. *Vtinam illi videre, ac diſcere contingat, quæ Suarez perſpicaciſſimus Theologiæ Magiſter, & vidit, & docuit.* Patrem Franciſcum Suarez celebrem fuiſſe Theologum, ac præſtantiſſimum inter Doctores Societatis Magiſtrum, non ambigo, & Nazarium Suareſij opera vidiſſe eiuſdem libri teſtantur. Verumtamen, nequè Nazario, nequè alicui Dominicanæ Familiæ opus eſt opera Suarez addiſcere. Habent enim ſuum Magiſtrum Sanctum Thomam, cuius opera diſcant, de omnibus rebus ſemper catholicè ſentientem cuius *ſtylus breuis, grata facundia, celſa, clara, firma ſententia, rigat totam Sanctam Eccleſiam.* Rationibus igitur non iurgijs diſputemus, nè quemadmodum D. Auguſtinus tom. 2. ep. 112. c. 10. ait. *Nedum quærimus veſtigare, &c. pacem ſanctificationemquè perdamus, ſine qua nemo poterit videre Deum, quod ipſe auertat à cordibus noſtris, vt ea ſuæ contemplationi munda reddat, atquè cuſtodiat.*

Faſolus. Suarez. Nazarius. D.Aug.

11 Probatur Secundò ratione. Quia lumen gloriæ ita fortificat intellectum, reddens illum ex parte ſua potentem, vt viſionem actiuè elicere poſſit, & illum ſic optimè præparat, vt ex vi talis præparationis, exigat diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis vnionem. Ergo diſponit intellectum non ſolùm ad efficiendam viſionem, verùm etiam ad ſupradictam diuinæ eſſentiæ vnionem. Probo conſequentiam. Quia ſuppoſito antecedenti, nil lumini gloriæ deeſt, vt ad prædictam vnionem ſit verè, & propriè intellectus diſpoſitio.

12 Hæc ratio militat etiam contrà illos Scotiſtas, qui lumen gloriæ in via Scoti requiri contendunt, vt viſio intenſior producatur, & vt intellectui ſit debita Dei obiectiua præſentia. Sic enim argumentor. Ex hoc quòd intellectus habet in ſe lumen gloriæ tanquàm ſufficiens ex parte potentiæ viſionis intenſioris comprincipium, non ſequitur quòd ſit ei debita, Dei obiectiua præſentia, niſi ſimul lumen gloriæ conſideretur, veluti intellectum vltimatè præparans ad habendum obiectum beatificum, ex debito ſibi vnitum; ex debito non quidem meriti, quia hoc eſt ratione charitatis, ſed ex debito præparationis, quemadmodum materiæ vltimatè diſpoſitæ, eſt debita formæ introductio. In nullo enim alio rectè fundari poteſt, quod ratione luminis gloriæ intellectui creato ſit debita Dei præſentia obiectiua.

13 Per hanc eamdem rationem clariùs intelligitur, quod ſupra in articuli commentario num. 9. diximus, nempè quòd intellectus diſponitur per lumen gloriæ tanquàm per vltimam diſpoſitionem ad ſuſcipiendam veluti ſibi debitam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, ſed etiam ad hoc vt diuina eſſentia intellectui potenti elicere viſionem, vniatur.

14 Probatur tertiò ratione D. Thomæ ſic. Omne quod eleuatur ad aliquid quod excedit ſuam naturam, oportet, quòd diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam: ſed quando intellectus creatus habet eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis ſibi vnitam, eleuatur ad formam intelligibilem maximè ſupernaturalem. Ergo oportet quòd diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturã. Huiuſmodi eſt lumen gloriæ. Ergo. De huius rationis efficacia nonnulla diximus ſupra diſputatione 47. cap. 4. num. 64. vſque 73.

15 Et inſuper, eſt recolendũ quod alibi obſeruauimus, nempè quòd naturale ad ſupernaturale poteſt dupliciter comparari. Primò, ita vt ad ſupernaturale attingendũ, tantummodo obedientialiter, ſeù eleuabiliter perueniat. Secundò, vt ad aliud attingendum quaſi connaturaliter, ſeu proportionatè peruenire contingat. Pono vtriuſquè membri exemplum V. G. anima intellectiua comparatur ad ſanctificantem gratiam, non quaſi in ſe ſit ſubiectum ordinis ſupernaturalis quod connaturaliter, ac proportionatè ad illam perueniat, ſed quaſi ſubiectum purè obedientiale, & eleuabile; Et ſimiliter natura humana Chriſti Domini eleuatur ad Verbi diuini perſonalitatem, concurrens obedientialiter, & eleuabiliter dumtaxat, & nullo modo connaturaliter. Exemplum ſecundi, vt homo per merita perueniens ad gloriam, ſeu coronam, reſpicit gloriam, ſeù coronam, non tanquam ſubiectum merè obedientiale, ſed veluti habens cum gloria proportionem; taliter, quòd de iuſtitia ei gloria confertur. Item intellectus videns Deum per lumen gloriæ, in qua viſione vera gloria conſiſtit, non merè obedientialiter videt, ſed tanquã potentia proportionata, & eiuſdem ordinis

nis

nis cum viſione. Quando igitur intellectus creatus eleuatur ad eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis, quia eleuatur vt potentia vitalis, neceſſe eſt vt non ſolùm obedientialiter concurrat, ſed vltra hoc, vt virtus ei ſuperaddatur, ratione cuius ad ordinem ſupernaturalem transferatur, ita quòd ratione illius virtutis ſupernaturalis quam lumen gloriæ vocamus, diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis quaſi titulo connaturalitatis ei debeatur.

In huius diſputationis reſolutione, ſupponimus, quòd diuina eſſentia habeat rationem ſpeciei intelligibilis, & quòd diuinam eſſētiā intellectui in ratione ſpeciei vniri, nō ſit tantùmodo, cū intellectu cooperari; nam hoc modo ſufficeret diſpoſitio effectiua; ſupponimus igitur diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis vniri in ratione formæ intelligibilis, ac præbentis eſſe, modo, ſupra articul. 2. diſputatione 23. explicato.

D.Thom. 16 Hanc autem eſſe Angelici Præceptoris mentem ex duplici capite manifeſtari poteſt. primò, exemplo quod adducit de aere, translato ad recipiendam formam ignis; *ſicut*, inquit, *ſi aer debeat accipere formam ignis, oportet, quòd diſponatur aliqua diſpoſitione ad talem formam*. Quod quidem intelligendum eſt, ſi aer per virtutem agentis naturalis, & conſequenter connaturaliter, & proportionatè formam ignis contingat accipere; quoniam diuinitus fieri poteſt, vt aer à forma aeris, ſtatim ad formam ignis tranſeat. Secundò ex ſubiecta materia; quia ſermo eſt de intellectu, quatenus in ratione potentiæ vitalis poteſt habere diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis ſibi vnitam: Potentia autem vitalis, non poteſt in ſe habere ſpeciem vnitam, niſi connaturaliter connaturalitate, inquam, vel abſolutè, quomodo reſpicit ſpecies naturaliter acquiſibiles, vel connaturalitate luminis ſuperadditi.

17 Fundatur autem totum hoc, ſuper illud axioma; Actus actiuorum recipiuntur in patiente benè diſpoſito; quod non ſolùm de actibus, qui ſunt operationes, ſed de omni forma ampliari debet; iuxta quam acceptionem, etiam illa particula, recipere, extendenda eſt, quoniam accipi debet, pro, in ſe habere, ſiuè ſubiectiuè, ſiue terminabiliter;

Vaſquez. 18 Vaſquez loco citato, conatur vim rationis D. Thomæ eneruare. Nam & dupliciter eam putat aufugere. Primò quidem, concedendo maiorem propoſitionem de forma ſupernaturali inhærente, non autem de forma ſupernaturali ſubſiſtente, ſicuti eſt eſſentia diuina. Secundò, concedit eam de forma naturali, & ſubſtantiali; non autem, de forma ſupernaturali, qualis eſt eſſentia diuina.

19 Attamen vtraquè reſponſio. Duplici confutatione ſimul impugnatur. Primò quidem à fortiori; quia forma naturalis eſt magis proportionata materiæ, ſubiecto, ſeu potentiæ, cui vnitur, quam forma ſupernaturalis. Ergo ſi eſt vera propoſitio D. Thomæ de forma naturali, verior eſt de forma ſupernaturali. Conſequentia patet. Antecedens etiam patet. & probatur; Quia, vbi eſt maior connexio, ibi eſt maior diſpoſitio: Sed maior connexio eſt inter formam naturalem, & ſuum ſubiectum, quàm inter formam ſupernaturalem, & potentiam naturalem. Ergo.

20 Secundò. Quia quòd intellectus creatus lumine gloriæ non indigeat, ad hoc vt diuina eſſentia in ratione formæ intelligibilis ei vniatur; vel prouenit, quia lumen naturale eſt ſufficiens, ac vltima diſpoſitio ad habendam diuinam eſſentiam in ratione formæ intelligibilis; Vel quia nulla requiritur diſpoſitio; Vel quia ipſa diuina eſſentia eſt diſpoſitio. Primum eſt omnino falſum; quia ſi lumen naturale eſſet ſufficiens, ac vltima diſpoſitio ad habendam diuinam eſſentiam, ſequeretur quòd quælibet creatura rationalis à primo inſtanti ſuæ creationis haberet diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis ſibi vnitam; & conſequenter videret Deum, eſſetquè beata: Hoc autem eſt manifeſtè falſum, & hæreticum. Ergo. Probo ſequelam; Quia poſita vltima diſpoſitione in aliqua potentia; vel ſubiecto, non poteſt naturaliter non aduenire forma.

21 Si dicas; lumen naturale non eſſe vltimam diſpoſitionem, ſed ſufficientem.

Contra. Quia lumen naturale non eſt ſufficiens ad producendum effectum ſupernaturalem. Ergo nequè etiam eſt diſpoſitio ſufficiens. Patet conſequentia; Quia in tantùm lumen naturale eſſet diſpoſitio ſufficiens, in quantùm per aduerſarios ex diuina eſſentia in ratione ſpeciei, & intellectu, fit vnum completum principium effectiuum intellectionis. Ergo ſi lumen naturale non eſt ſufficiens principium effectiuum viſionis, quantùm eſt ex parte intellectus, nequè etiam eſt ſufficiens diſpoſitio. Antecedens probabitur infra.

22 Si ſecundùm, eſt voluntariè dictum, & ex præcedenti confutatione impugnatum. Si tertium, eſt omnino falſum; Quia forma omnium formarum præſtantiſſima, non eſt diſpoſitio.

23 Faſolus hic, dub. 3. n. 15. tenens contra noſtram concluſionem, conatur D. Th. ad ſuam trahere, & authoritatibus, eiuſdemq; Faſolus.

 ratio-

rationibus, reſpondet, Diuum Thomam intelligendum eſſe de diſpoſitione effectiua, non autem materiali, & veluti receptiua.

24 Sed contra hanc explicationem; ipſa exclamant verba Diui Thomæ ſupra allata, & præſertim, ea quæ 3. contra gent. cap. 53. profert. *Nihil*, inquit, *eſt ſuſceptiuum formæ ſublimioris, niſi per aliquam diſpoſitionem ad illius capacitatem eleuetur: proprius enim actus in propria potentia fit: eſſentia autem diuina eſt forma altior omni intellectu. Ad hoc igitur quòd eſſentia diuina fiat intelligibilis ſpecies alicuius intellectus creati, neceſſe eſt, quòd aliqua diſpoſitione ſublimiori, ad hoc eleuetur*. Hæc ille. Vbi Diuus Thomas loquitur de intellectu creato, vt ſuſceptiuo, non vt effectiuo. Quomodo ergo a Faſolo explicatur de diſpoſitione effectiua, non ſuſceptiua?

D. Thom.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & ſolutiones.

25 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Lumen gloriæ eſt aliqua forma excedens naturam intellectus creati: ſed intellectus non indiget aliqua diſpoſitione ſupernaturali ad recipiendum lumen gloriæ. Ergo falſa eſt propoſitio Diui Thomæ in maiori propoſitione aſſumpta.

26 Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem. Lumen gloriæ eſt aliqua forma diſpoſitiua, concedo maiorem. Eſt aliqua forma per modum termini, & principaliter intenta, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia. & ratio negationis eſt; quia Diuus Thomas loquitur de forma vltima, & principali, non autem de forma quæ eſt diſpoſitio. Videantur pro hac reſponſione Caietanus hic, & Ferrarienſis tertio cont. gent. cap. 53.

Caiet. Ferrar.

27 Reſpondeo tamen ſecundò, iuxta doctrinam in corpore diſputationis poſitam, diſtinguendo maiorem. Lumen gloriæ eſt aliqua forma excedens, & connaturaliter ſeu proportionatè acquiſibilis, ſeù vnibilis, nego maiorem. Eſt aliqua forma excedens, & non niſi obedientialiter tantùm ab intellectu creato acquiſibilis, concedo maiorem. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia. & diſparitas patet ex ſupradictis.

28 Obijcies ſecundò, Gratia ſanctificans, eſt perfectiſſima forma ſupernaturalis, & veluti per ſe ſpiritualis regenerationis terminus: ſed ad receptionem ſanctificantis gratiæ, non eſt neceſſaria aliqua diſpoſitio in eſſentia animæ. Ergo neque etiam ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, conſtituenda eſt aliqua diſpoſitio ſupernaturalis in intellectu.

29 Reſpondent quidam dicentes, quòd ipſimet habitus ſupernaturales concomitantes gratiam, diſponunt animam in ordine ad gratiam recipiendam, ex eo quòd, licet, in genere cauſæ efficientis ſint poſteriores gratia, in genere tamen cauſæ materialis, ſunt priores, & ita ad illam diſponere poſſunt: non ſecus, ac calor vt octo concomitans formam ignis, eſt poſterior illa in genere cauſæ efficientis, & prior in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ.

30 Alij autem dicunt, quòd eadem gratia conſideratur vt forma, & vt diſpoſitio ad ſe ipſam.

31 Bonæ quidem doctrinæ, ac reſponſiones; illas tamen ad argumenti ſolutionem, non iudico neceſſarias. Quoniam argumentum ex ſupradictis de facili ſoluitur, imò remanet manifeſtè ſolutum. Vnde.

32 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Gratia ſanctificans eſt perfectiſſima forma ſupernaturalis, & veluti obedientialiter receptibilis, & connaturaliter omnino animæ indebita, concedo maiorem. Eſt perfectiſſima forma ſupernaturalis, & connaturaliter receptibilis, ſeu debita, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Gratia enim non ineſt animæ tanquàm ſubiecto ſibi connaturali, debito, vel proportionato, ſed ineſt ſubiecto vt eleuans illud ad diuinæ naturæ conſortium, & conſequenter anima reſpectu ſanctificantis gratiæ, tanquàm ſubiectum merè obedientiale ſe habet.

33 Obijcies tertiò. Humanitas Chriſti Domini eſt ad hypoſtaticam diuini Verbi vnionem eleuata, quæ eſt quid præſtantiſſimum, & vnio omnium vnionum perfectiſſima: ſed vt humanitas Chriſti Domini Verbo diuino hypoſtaticè vniretur, non oportuit diſponi aliqua diſpoſitione ſupernaturali. Ergo intellectus creatus vt diuinam ſuſcipiat eſſentiam, neque etiam indiget aliqua diſpoſitione ſupernaturali.

34 Reſpondent communiter Thomiſtæ, concedendo maiorem, minorem, & negando conſequentiam. & rationem diſparitatis aſſignant. Quia humanitas Chriſti Domini à Verbo Diuino accipit ſubſi-

ſubſiſtentiam,& exiſtentiam ; & quia ante ſubſiſtentiam , & exiſtentiam ſubſtantialem humanitatis Chriſti , non debet præſupponi aliqua accidentalis diſpoſitio, cum ſanctiſſima illa humanitas fuerit diuinitus in inſtanti formata ; & ſimiliter anima in eodem inſtanti creata , & corpori infuſa : at verò eſſentia diuina ſupponit intellectum exiſtentem ad minus in eſſe rei , & conſequenter capacem diſpoſitionis neceſſariæ ad diuinæ eſſentiæ ſuſceptionem.Quare, &c.

Doctrina optima eſt, & rectè ſoluit argumentum, ſed neque eſt ad argumenti ſolutionem neceſſaria . Vnde ad argumentum in forma,

35 Reſpondetur , diſtinguendo maiorem. Humanitas Chriſti Domini eſt eleuata ad hypoſtaticam vnionem Diuini Verbi, tanquàm ſibi obedientialiter tantùm conuenientem , concedo maiorem. Tanquàm ſibi connaturaliter , ſeu proportionatè conuenientem,nego maiorem . Tunc conceſſa minori,negatur conſequentia . Omnia ex dictis elucidata manent.

36 Sed eſt inſuper obſeruandum ; quòd aliter humanitas reſpicit perſonam Verbi , & quæcunquè ſubſtantialis natura ſuppoſitum ; & aliter intellectus creatus eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis ; Quia eadem humanitas , eademquè natura ſubſtantialis , eſt perfecta in eſſe naturæ , tam reſpectu perſonæ creatæ , & naturalis , quàm reſpectu perſonæ increatæ , & ſupernaturalis : at verò idem intellectus in ſe , & ex natura ſua , non eſt expeditus , & perfectus , niſi vt poſſit ſuſcipere ſpeciem , ſeu formam intelligibilem ordinis naturalis , non autem vt poſſit ſuſcipere ſpeciem increatam , & ſupernaturalem ; eo quia , quemadmodum ad ſuſcipiendam formam naturalem , requiritur lumen naturale ; ita ad ſuſcipiendam ſpeciem ſupernaturalem , requiritur lumen ſupernaturale : Ratio igitur diſparitatis eſt ; quia humanitas reſpicit perſonam propriam connaturaliter ; diuinam obedientialiter duntaxat : ſemper tamen ſubſiſtentia eſt terminus naturæ , vt natura eſt ; & conſequenter , ſupponit naturam ſufficienter conſtitutam in eſſe naturæ : intellectus autem reſpicit ſpeciem non obedientialiter , ſed connaturaliter , connaturaliter , inquam, ſiue connaturalitate ex principijs naturæ proueniente , ſiue connaturalitate ex luminis ſupernaturalis ratione.

37 Obijcies quartò . Vt aliqua potentia poſſit ſuſcipere propriam ſpeciem alicuius obiecti , ſufficit vt in ſe habeat virtutem attingendi , ſeu cognoſcendi obiectum , ſecundùm rationem generalem , & communem illius : ſed intellectus creatus abſquè lumine gloriæ poteſt cognoſcere Deum ſecundùm rationem communem cognoſcibilis . Ergo intellectus creatus non indiget lumine gloriæ ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis . Maior probatur . Quia ideo viſus ſpeciem ſoni ſuſcipere nequit ; quia non habet virtutem auditiuam in communi , & aliàs , viſus ,ideo poteſt per ſe cuiuſcunquè viſibilis , abſque aliqua alia diſpoſitione ſpeciem ſuſcipere , quia in ſe habet rationem communem , ac generalem videndi , & per illam poteſt tendere ad quodcumquè obiectum ſecundùm communem rationem viſibilis ; & non quia habet virtutem completam videndi quodcumquè viſibile , ſecundùm rationem ſpecificam ; hoc enim complementum ex aduentu ſpeciei cauſatur . Minor etiam eſt clara . Quia Deus cum contineatur intra latitudinem potentiæ intellectiuæ creatæ , poteſt cognoſci ſecundùm rationem communem intelligibilis .

38 Reſpondetur , negando maiorem ; Ad cuius probationem, concedo primam partem antecedentis,& nego ſecundam ; Ideo enim viſus, poteſt cuiuſcuquè viſibilis ſpeciem ſuſcipere,quia habet ſufficientem virtutem videndi omne viſibile , ita quòd ſi ſupponamus, carere tali ſufficienti virtute, non poterit illorum viſibilium , proprias ſuſcipere ſpecies , quòd ſi potentia viſiua ſufficientis virtutis eſſet , non tamen perfectè , ſed imperfectè ad aliquod obiectum videndum,v.g. Solem ; ſuſcipiet , quidem propriam illius obiecti ſpeciem, verùm illa ſpecies , non repræſentabit claritatem Solis, ſicut repræſentaret , ſi potentia viſiua eſſet virtutis perfectioris; non propter ſpeciei diminutam repræſentationem,ſed propter defectum viſiuæ virtutis.

39 Obijcies quintò . Deus poteſt introducere formam in materia ſine omni præuia diſpoſitione. Ergo poterit vniri intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis , abſquè eo , quòd luminis gloriæ diſpoſitio præcedat.

40 Reſpondetur primò , quòd probat id fieri poſſe de potentia abſoluta , non verò de potentia ordinaria , de qua præſens loquitur diſputatio . & quoniam nos ſuſtinemus etiam de potentia Dei abſoluta fieri non poſſe , vt eſſentia diuina vniatur in ratione formæ intelligibilis abſquè præuia luminis gloriæ infuſione, ideò,

41 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo antecedens. Deus poteſt introducere formam obedientialiter introducendam , ſine omni præuia diſpoſitione, concedo antecedens. Deus poteſt introducere formã, ex debito,

Digitized by Google

proportionatè, & connaturaliter introducendam, ſine omni præuia diſpoſitione, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam; quoniam diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis non poteſt ab intellectu ſuſcipi, niſi connaturaliter, connaturalitate conuenıente intellectui ratione luminis gloriæ, ratione cuius eſt etiam intellectui creato debita.

42 Reſpondetur tertiò, diſtinguendo antecedens. Deus poteſt introducere formam in materia ſufficienter conſtituta in ratione ſuſceptiui, concedo antecedens. Non ſufficienter conſtituta in ratione ſuſceptiui, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam. In caſu enim noſtro, ſicut lumen gloriæ conſtituit intellectum in ratione potentiæ vitalis, vitalitate ſupernaturali, ita etiam conſtituit illum ſufficienter ſuſceptiuum diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis; Nam ſpecies intelligibilis vnitur intellectui, tanquàm potentiæ vitali ſibi proportionatæ.

43 Reſponſio hæc fundatur in doctrina Diui Thomæ de veritate quæſt.8.art.3. in corpore. vbi ſic ait. *Ad hoc quòd Deus per eſſentiam videatur, oportet, quòd eſſentia diuina vniatur intellectui, quodammodo vt forma intelligibilis: perfectibile autem non vnitur formæ niſi poſtquàm eſt in ipſo diſpoſitio, quæ facit perfectibile receptiuum talis formæ; quia proprius actus fit in propria potentia; ſicut corpus non vnitur animæ vt formæ, niſi poſtquàm fuerit organizatum, & diſpoſitum. Vnde oportet etiam in intellectu eſſe aliquam diſpoſitionem per quam efficiatur perfectibile tali forma.* Hæc ille. D.Thom.

DISPVTATIO LV.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT NECESSARIA intellectus diſpoſitio, ad recipiendam viſionem.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Scotus. 1 NEgatiuè reſpondent quidam Theologi, inter quos eſt Scotus, qui ad receptionem viſionis, omnino negat luminis gloriæ exiſtentiam, ita docet in 4.diſt. 49.quæſt.11.dicens, quòd *in beato nihil eſt ſupernaturale prius operatione*, & quòd *nihil requiritur propter receptionem beatitudinis*; & quòd *ponentes voluntatem merè paſſiuam reſpectu fruitionis, tollunt charitatem*, & rationem huius aſſignat; *quia ex parte voluntatis non requiritur aliqua forma ad recipiendum fruitionem; quia ipſa ſecundum ſe, eſt ſummè diſpoſita, ad recipiendum eam.* Hoc idem infinities docet, ac repetit; & hoc eodem modo ab omnibus Scotiſtis, cæteriſquè doctoribus allegatur.

Scotus. 2 Verumtamen in Scoto hæc alia inuenio verba; non ſatis præcedentibus cohærentia, nam in 3.diſt.13.quæſt.1. ad 4. quæſt.§. *Si autem ſecundum*; hæc habet, verſus finem, verba. *Similiter ordinatum eſt, vt nulla voluntas ſummè perficiatur, actu ſecundo ſummo* (Nota) *etiam vt recipiens, niſi habeat ſummum actum primum*, & diſt.14. quæſt.4. §.*hìc ſupponendum eſt*, hæc habet verba. *Sed quantùm ad receptionem de qua eſt quæſtio modo propoſita, non videtur ſimpliciter neceſſarium concedere, .A. prius perficere intellectum, quàm viſionem, ſed ſi intellectus poteſt recipere duas perfectiones ordinatas, ſcilicet .A. vt actum primum, & viſionem vt actum ſecundum, congruum eſt, ut illis perfectionibus ordinatè perficiatur, ſed utraquè abſolutè poſſet in eſſe ſine alia.* Hæc ille.

3 In quibus verbis, Scotus primò dicit, *ordinatum eſſe, quòd nulla voluntas ſummè perficiatur actu ſecundo ſummo, etiam ut recipiens*: hoc autem contradicit ei, quod dicit in 4. loco citato; dum negat charitatem à voluntate, ſi merè paſſiuè ad fruitionem Scotus.

con-

Digitized by Google

concurrit; quia *eſt ſummè diſpoſita ad recipiendam eam*. Sic enim argumentor. Quod eſt ſummè diſpoſitum, nulla lege ordinatum eſt, vt diſponatur per aliquid aliud ad recipiendum illud, reſpectu cuius eſt ſummè diſpoſitum: ſed per Scotum, voluntas eſt *ſummè diſpoſita ad fruitionem recipiendam*. Ergo nulla lege ordinatum eſt, vt ad recipiendam ſummam fruitionem, habeat ſummum actum primum.

4 Deinde, affirmat *congruum eſſe, vt intellectus prius recipiat*, *A*. nempè *lumen tanquam ſui perfectiuum, quàm uiſionem recipiat*: ſed hoc contrariatur ei, quod dicit, nempè, *lumen gloriæ non requiri*, & *nihil prius operatione propria in intellectu beati, quod ſit ſupernaturale*. Ergo ſibimet aduerſatur. Vbi igitur, hanc congruentiam fundat? Non quidem in neceſſitate, vt patet per principia, & poſitiones Scoti. Non in decore, aut pulchritudine; quia hoc refutatur à Scoto, in 4. loco citato ſic dicente. *Non enim poteſt poni aliqua forma in beato, ſolum ad decorem, & pulchritudinem, & quæ non ordinetur ad actionem*. Ergo Scotus, quantùm ad hoc, non ſatis ſibi conſtat. Scotiſtæ illum defendere, ac explicare tenentur.

Scotus.

5 Pro hac eadem ſententia cõmuniter adducitur Capreolus, in 4. dist. 49. quæſt. 4. Verùm vt tanti viri mentem percipiamus, eius fideliter verba referamus. Nam loco citato ad 2. argumentum Durandi, contra ſecundam concluſionem, & in tomo meo Venetijs edito. Anno 1589. fol. 420. hæc habet verba. *Ad ſecũdum dicitur primò, quòd lumen gloriæ non requiritur ad ſuſcipiendum* (Nota) *actum beatificæ viſionis immediatè, vt ſæpe dictum eſt, ſed ad ſuſcipiendum actum primum elicitiuum illius actus ſecundi, ſcilicet, diuinam eſſentiam, vt patet in probatione ſecundæ concluſionis*. Hæc ille. Vbi Capreolus manifeſtè ſe declarat, dicens, *quòd lumen gloriæ non requiritur ad recipiendum actum beatificæ viſionis immediatè*, ſed non propterea docet, non requiri ad recipiendam viſionem mediatè; & ſenſus eius eſt, quòd lumen gloriæ, primò, & principaliter, requiritur ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam, deinde ad efficiendam viſionem, & tandem ad recipiendam; & iuxta ſupradictum loquendi modum, explicandus eſt, quotieſcunquè negat lumen gloriæ requiri ad recipiendum actum ſecundum. Videatur ibidem ad primum Scoti contra ſecundam concluſionem, fol. 415. vbi hæc habet verba. *Dicitur primò, quòd lumen gloriæ neceſſarium eſt, ad hoc quòd intellectus creatus videat Deum per eſſentiam, & tale lumen diſtinctum ab actu uiſionis, requiritur propter duo. Primò ad recipiendum, non quidem ipſam uiſionem, quæ eſt actus ſecundus, ſed ad recipiendum diuinam eſſentiam per modum formæ intellectualis in intellectu poſſibili, quaſi diſpoſitio prima ad actum primum. Secundò ad eliciendum actum uiſionis*. & paulò poſt ſic ait. *Argumenta contra primum membrum huius diuiſionis, non militant, cum non uadant ad mentem Sancti Thomæ. Non enim ponit quòd lumen gloriæ ſit proxima diſpoſitio neceſſaria ad ſuſcipiendum actum ſecundum, qui eſt uiſio*. Hæc ille. & paucis interiectis hæc habet verba, *Et ſimiliter intellectus poſſibilis maximè ordinatur ad ſuſcipiendum actum ſecundum, imò prius ordinatur ad ſuſcipiendum actum primum, qui eſt ſpecies intelligibilis*. Hæc ille. In quibus verbis, quamuis primò aſpectu, Capreolus videatur negare lumen gloriæ eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad recipiendam viſionem, re tamen attentius conſiderata, non negat, ſed id quòd negat eſt; non eſſe proximam, & immediatam, ſeù per ſe primò, diſpoſitionem ad recipiendam viſionem.

Capreol.

6 Citatur etiam Durandus, in 4. diſt. 49. quæſt. 2. vbi tamen negat luminis gloriæ neceſſitatem abſolutè; Verumtamen in 3. diſt. 14. quæſt. 1. vbi lumen gloriæ admittit, ait, requiri in intellectu, vt rationem recipiendi viſionem.

Durand.

7 Adducitur pro hac eadem opinione Ferrarienſis in 3. contra gent. cap. 54. ad 1. Scoti, per hoc quòd ait, non requiri lumen gloriæ ad hoc vt intellectus ſit viſionis ſuſceptiuus, ſed benè ad hoc, vt ſit ſuſceptiuus eſſentiæ diuinæ per modum formæ intelligibilis. Verùm Ferrarienſis explicandus eſt, ſicut Capreolus, nempè; quòd lumen gloriæ primò, & per ſe, non eſt diſpoſitio intellectus ad recipiendam viſionem, tamen ſecundariò, & mediatè, eſt etiam neceſſaria diſpoſitio ad eamdem recipiendam; & quòd hæc ſit Ferrarienſis intentio, ex eiuſdem verbis, ad ſecundum Durandi ibidem manifeſtè colligitur, ſic enim ait. *Licet in anima ſit capacitas recipiendi diuinam viſionem, in quantum eſt natura intellectualis, non eſt tamen capacitas receptiua illius ab agente naturali dumtaxat, ſed eſt receptiua illius, concurrente diuina natura unitè ſeipſam intellectui, ut formam intelligibilem, & eleuante intellectum, ut poſſit illam uiſionem elicere, & ſic magis dicitur potentia paſſiua obedientialis, quàm naturalis*. Hæc ille.

Ferrarien.

Capreol.

8 Ex quibus verbis apertè docet, animam, non recipere viſionem, niſi præſuppoſita vnione diuinæ eſſentiæ intellectui, in ratione formæ intelligibilis, ac præſuppoſito lumine gloriæ vt ipſam eleuante ad eliciẽdam viſionem: ſed non vnitur diuina eſsẽtia intellectui, niſi medio lumine gloriæ. Ergo quando negat lumen gloriæ requiri ad receptionem viſionis, loquitur immediatè, & per ſe primò, non omninò, & præſuppoſitiuè.

9 Suſtinent autem partem negantem,

Moli-

Digitized by Google

Molina. Vaſquez. Suarez. Becanus. Faſolus.

Molina hìc diſputat. 1. concl. 3. ratione 1. Vaſquez, diſp. 43. cap. 2. Suarez 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 15. num. 22. Becanus 1. p. tract. 1. cap. 9. quæſt. 3. concluſ. 2. Faſolus hic dubitatione 4. num. 16.

Riccard⁹. Paludan⁹. Marſilius. Maior. Caietan. Cõzalez. Ledeſma. Palumb. Recupit. Salmantì. Valentia.

10 Partem autem affirmatiuam ſuſtinent communiter Thomiſtæ, & alij; Ita Riccardus in 4. diſt. 49. art. 3. quæſt. 1. qui tamen videtur vtramquè contradictionis partem, tanquàm probabilem ſuſtinere. Paludanus ibidem, quæſt. 1. art. 3. concluſ. 1. Marſilius in 3. quæſt. 10. art. 2. concl. 2. ad 1. & concluſ. 6. ad 2. Maior in 4. diſt. citata, quæſt. 4. §. *contra tertiam*. Caietanus hic, Conzalez hic, diſput. 27. ſect. 2. concl. 4. Ledeſma, de diuina perfectione quæſt. 8. art. 8. concl. 4. Palumbus, in doctrina, & ſcholaſtico examine de lumine gloriæ, ad art. 5. concluſ. 4. Recupitus lib. 6. quæſt. 16. concl. 3. Collegium Salmanticenſe tract. 2. de viſione Dei diſput. 4. dubitatione 3. §. 2. num. 36. Valentia in præſenti, diſput. 1. puncto 3. Cippullus 3. p. quæſt. 13. artic. 2. dub. 3. §. 3. num. 15.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

PRO determinatione autem veritatis.

11 Dico primò. Si per impoſſibile viſio beatifica eſſet à ſolo Deo producta, & intellectus ad illam tantùm paſſiuè ſe haberet, & per eamdem non intelligeret, lumen gloriæ non eſſet neceſſarium propter receptionem viſionis.

Probatur. Quia lumen gloriæ in tantùm eſt neceſſarium, ex Viennenſi, in quantùm habet eleuare intellectum ad intelligendum. Ergo ſi intellectus ſic merè paſſiuè ſe haberet ad viſionem, vt per ipſam non intelligat, lumen gloriæ non eſt neceſſarium tanquàm diſpoſitio intellectus ad recipiendam viſionem.

12 Dico ſecundò. Si intellectio poſſet à Deo produci in intellectu in ratione qualitatis, non autem in ratione intellectionis, non requiritur lumen gloriæ, vt diſpoſitio ad recipiendam viſionem.

13 Probatur eodem prorſus modo, quo præcedens dictum, probauimus; Quia eatenus lumen gloriæ prærequiritur in intellectu ad recipiendam viſionem, quatenus per illam intellectus intelligit: ſed ſi viſio produceretur in ratione qualitatis, non verò in ratione viſionis, intellectus per ipſam non intelligeret. Ergo.

14 Probatur ſecundò; Quia ſecundùm illos Doctores qui defendunt fieri poſſe viſionem in ratione qualitatis, & in lapide collocari, in tali caſu apud omnium ſententiam, non prærequiritur aliqua diſpoſitio. Ergo, &c.

15 Dico tertiò. Si viſio Dei à ſolo Deo cauſaretur in intellectu, & intellectus per illam intelligeret, Deumquè videret, ad eius receptionem prærequiritur lumen gloriæ. Scotus. Hoc dictum immediatè, eſt contra Scotum vt ex ſupradictis patet.

16 Probatur autem hoc modo. Ex Viēnenſi tanquàm certum dogma fidei habemus, quòd intellectus creatus *indiget lumine gloriæ ipſum eleuante ad videndum Deum*: vbi Sacrum Concilium non ait, ad producendam viſionem, lumen gloriæ eſſe neceſſarium, ſed ad videndum Deum. Ergo ſi per ſolam viſionis beatificæ receptionem intellectus creatus videt Deum, indiget lumine gloriæ, ad recipiendum eam.

17 Hæc ratio conuincit eos, qui contendũt viſionem formaliter in receptione conſiſtere, etiam ſi intellectus viſionem producat. Dicunt enim quòd intellectus producens ſimul, ac recipiens viſionem, non intelligit quia producit, ſed quia recipit. & hæc eſt opinio Scoti, & Scotiſtarum: Scotus. quòd ſi admittatur; euidenter ſequitur, quòd lumen gloriæ eſt neceſſarium ad recipiendam viſionem, eo quia eſt neceſſarium ad videndum Deum. Intelligere enim formaliter loquendo, eſt viſionem recipere, non viſionem producere: ſed Sacrum Concilium abſolutè determinat lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad videndũ Deum. Ergo ea ratione qua intellectus paſſiuè ſe haberet ad viſionem, lumen gloriæ eſſet quoquè neceſſarium.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta in contrarium diluũtur.

18 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Si intellectio produceretur à ſolo Deo, intellectu merè paſſiuè ſe habente, nullo præuio lumine gloriæ, intellectus per illam intelligeret. Ergo non requiritur lumen gloriæ propter viſionis receptionem. Conſequentia patet; Probatur antecedens. Intellectus dicitur intrinſecè intelligens. Ergo per intellectionem ſibi intrinſecè inhærentem. Patet conſequentia. Quia vnumquodquè dicitur intrinſecè tale, per formam ſibi intrinſecam.

Reſpon-

Digitized by Google

19 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Intellectus dicitur intrinſecè intelligens, per modum actiui, concedo antecedens. Per modum paſſiui, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Vnumquòdquè dicitur intrinſecè tale, per formam ſibi intrinſecam, per modum paſſiui, concedo antecedens. Vnumquodquè dicitur intrinſecè tale, per modum actiui, per formam ſibi intrinſecam, nego antecedens. Quare, &c.

20 Explicatur iſta reſponſio. Non dico quòd intellectio non ſit intellectui inhærens. Eſt enim actio immanens, & conſequenter intellectui à quo procedit, inhærere debet. Id quod dico eſt, quòd eſſe intelligentem includit vtrumquè, nempè intellectionem à ſe vitaliter procedentem, ſibiquè manentem; quatenus intellectio vitaliter ab intelligente procedit, intellect⁹ per eam denominatur per modum actiui; quatenus intellectui inhæret, intellectus per eam denominatur per modum paſſiui. Dixi quòd eſſe intelligentem includit vtrũquè, intellectionem ſcilicet à ſe procedentem, & eamdem vt ſibi inhærentem. Primum quidem de formali; Secũdũ de materiali dicit. & hoc eſt quod D. Thomas de verit. quæſt. 8. art. 6. in corpore docet, vbi ſic ait; *Non oportet quòd intelligendo intelligens, ſit vt agens, intellectum vt paſſum ſed intelligens, & intellectum, prout ex eis eſt effectum vnum quid, quod eſt intellectus in actu, ſunt vnum principium vnius actus, qui eſt intelligere.* Apertè enim docet, quòd eſſe intelligentem vtrumque dicit, vt conſtat ex ijs quæ paulo ante dicit; *Actio*, inquit, *appetitus & ſenſus, & intellectus, non eſt ſicut actio progrediens in materiam exteriorem, ſed ſicut actio conſiſtens in ipſo agente vt perfectio eius.*

D.Thom.

21 Hinc eſt, quòd aliter per intellectionem intellectus denominatur intelligens; & aliter potentia actiua per actionem tranſeuntem denominatur agens. Eo quia intelligens, per intellectionem denominatur per modum actiui, & paſſiui ſimul; Per modum actiui, quatenus ab intellectu intellectio procedit; Per modum paſſiui, quatenus in intellectu recipitur. Primum conuenit ei de formali; ſecundum de materiali: At verò potentia per actionem tranſeuntem, denominatur per modum actiui duntaxat (loquor ſuppoſito quòd actio tranſiens ſit ſubiectiuè in paſſo)

22 Obijcies ſecundò. Suſceptiuum quod ordinatur ad multas formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectiſſimam: ſed intellectus ordinatur ad multas intellectiones. Ergo maximè ad maximam, nempè, ad viſionem Dei, quæ eſt omnium præſtantiſſima. Ergo ſi eſt immediatè ſuſceptiuus alicuius illarum, magis erit immediatè ſuſceptiuus viſionis.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Suſceptiuum quod ordinatur ad multas formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectiſſimam, media diſpoſitione, concedo maiorem. Non media diſpoſitione omninò neceſſaria, nego maiorem. Tunc conceſſa minori. Similiter diſtinguendum eſt conſequens, ex quo patet reſponſio ad ſecundum conſequens. Nam intellectus creatus non recipit aliquam intellectionem naturalem, ſine lumine naturali, & per conſequens, nequè recipiet intellectionem ſupernaturalem, abſquè lumine præuio ſupernaturali.

23 Obijcies tertiò. Intellectus de ſe eſt proportionatus ad recipiendum lumen glorię. Ergo de ſe eſt proportionatus ad recipiendam gloriam. Patet conſequentia à paritate.

24 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt manifeſta. Quia lumen gloriæ eſt diſpoſitio eleuans intellectum à ſtatus naturalis miſeria, ad ſtatum omnium bonorum perfectum, & maximè ſupernaturalem: at verò viſio beatifica eſt actus ſupernaturalis exigens proportionatum, atquè commenſuratum principium actiuũ, & paſſiuum.

25 Obijcies quartò. Habitus non eſt diſpoſitio ad recipiendum actum: ſed lumen gloriæ eſt habitus. Ergo non eſt diſpoſitio ad recipiendum actum. Probatur maior. Quia habitus acquiritur per actus. Iuxta illud, *ex frequentatis actibus fit habitus.*

26 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Habitus naturalis, non eſt diſpoſitio ad acquirendum actum, concedo maiorem. Habitus ſupernaturalis, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

27 Ratio autem diſparitatis eſt; Quia per lumen naturale poſſumus aliquem actum alicuius facultatis acquirere, & per conſequens, habitus naturalis non ponitur in potentia, vt neceſſaria diſpoſitio ad acquirendum actum naturalem; quamuis habitus naturalis, etiam ſit diſpoſitio ad actum m̃ naturalem perfectiorem, & promptius producendum: At verò habitus ſupernaturalis eſt neceſſaria diſpoſitio ad actum ſupernaturalem producendum, & recipiendum; eò quia potentia ſecundum lumen naturale, eſt improportionata reſpectu actus ſupernaturalis.

Obijcies vltimò. Si lumen gloriæ eſſet neceſſarium ad receptionem viſionis beatificę, ſequeretur, quòd intellectus producens viſionem, illamquè immanenter recipiens, ageret in lumen gloriæ: ſed hoc eſt impoſſibile.

Digitized by Google

ſibile. Ergo. Maior patet. Quia lumen gloriæ cum ſit in intellectu, reciperet etiam viſionem. Ergo intellectus ageret in lumen.

Confirmatur. Si lumen gloriæ diſponeret intellectum ad recipiendam viſionem, reciperet etiam viſionem: ſed hoc eſt falſum. Ergo. Probo ſequelam; Quia ideo lumen gloriæ efficit viſionem; quia eleuat intellectum ad illam efficiendam. Ergo ſimiliter, quia diſponit intellectum ad receptionem, recipit viſionem. Probatur minor; quia ſi lumen gloriæ reciperet viſionem, intelligeret, quòd eſt falſum.

Reſpondetur negando maiorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Si intellectus, &c. reciperet etiam viſionem, vt eleuans potentiam, concedo antecedens. vt potentia intellectiua, nego antecedens. Et per idem patet ad confirmationem, nempè, ſi lumen gloriæ reciperet viſionem, tanquàm potentia intellectiua, vtiquè intelligeret; Verùm quia recipit vt eleuans potentiam intelligentem, ideo non ſequitur quòd intelligeret.

DISPVTATIO LVI.

VTRVM INTELLECTVS CREATVS MERè PASSIVè concurrat ad viſionem.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 Affirmatiuè reſpondent omnes aſſerentes intellectum merè paſſiuè ad omnem intellectionem ſe habere. Ita Aureolus in 1. diſt. 35. quæſt. 1. propoſit. 3. & 4. Vbi docet quòd non oportet ponere differentiam inter actum intelligendi, & ſpeciem intelligibilem, & quòd intelligere nullo modo ſit agere per ſpeciem intelligibilem. Godofredus in quodlib. 4. Vbi ait, quòd intelligere non eſt niſi recipere ſpeciem intelligibilem. Ioannes de Ianduno in 2. lib. de anima quæſt. 16. & lib. 3. quæſt. 17. 23, & 24. Paulus Venetus in ſumma de anima, cap. 10. & Ægidius tract. de cognit. Ang. quæſt. 1. *(marg.: Aureolus; Godofr. Iandunus; Venetus. Ægidius.)*

2 Item, quidam ſuſtinentes intellectionem ordinis naturalis effectiuè ab intellectu manare, de viſione clara Dei loquentes, parti fauent affirmatiuæ. Ita Marſilius, in 3. diſt. 10. art. 2. Gabriel in 3. diſt. 7. quæſt. vnica, Ocham, in 1. diſt. 1. quæſt. 2. Baſſolus, Petrus de Aliac. Et Durandus in 3. diſt. 31. quæſt. 4. num. 11. propè finem, vbi hæc habet verba. *Sic dicendum eſt, quòd non poteſt eſſe vnus actus beatus conſurgens ex prædictis duobus, quia vt dictum fuit prius, Viſio Beata cum ſit actus præciſè ſupernaturalis, conſurgit totaliter ex cauſa ſupernaturali, & ideo totaliter, & præciſè eſt ab eſſentia diuina effectiuè, & obiectiuè, nullo alio concurrente.* Hæc ille. Et in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 28. ſic ait. *Poteſt dici aliter, & melius ac ſecurius, ſecundùm opinionem illorum qui dicunt, quòd intelligere eſt quædam forma recepta in intellectu, quæ nata eſt recipere magis, & minus. Poſito enim quòd non ſit differentia ex parte intellectus recipientis, nec ex parte obiecti repræſentati, nihilominus tamen, Deus poteſt perfectiorem actum intelligendi influere vni, quàm alteri, & homini, quàm Angelo, & ſic poterit bonus homo eſſe beatior altero, & æquè beatus cum Angelo, vel Beatior ipſo, ſecundùm diuerſitatem perfectionis actus intelligendi impreſſi huic, vel illi.* *(marg.: Marſilius. Gabriel. Baſſolus. Aliac. Durand.)*

3 Nonnulli Scotiſtæ referunt Scotum affirmatiuæ aduerſari ſententiæ; Verùtamen quamuis Scotus pluries, ac rectè aſſeruerit, & probauerit, intellectum creatum actiuè ad cognitionem concurrere; nihilominus quando de viſione beata loquitur, rem ſub dubio relinquit, & aliquando opinioni affirmanti intellectum merè paſſiuè concurrere *(marg.: Scotus.)*

rere fauet, & aliquando neganti ſuffragari videtur. Semper tamen cum conditione, & nunquam abſolutè videtur eſſe locutus. Etenim in 1. diſt. 3. poſtquàm per quæſtiones 6. 7. & 8. per extenſum, ſatiſquè prolixè probauerat, intellectum, & ſpeciem obiecti, vel ipſum obiectum, ſimul actiuè concurrere ad intellectionem, & magis principaliter intellectum quàm obiectum, vel eius ſpeciem, quod præſtat quæſt. 9. Eadem q. rat. 2. poſtquàm probauit, intellectum eſſe principaliorem notitiæ cauſam, ad notitiam quæ viſio Dei dicitur perueniens, hæc habet verba. *Principalem autem actionem intellectus ſequitur actio ſpeciei, quæ nata eſt eſſe ſemper vniformis, ex parte ſpeciei:*
4 *Tamen aliquod obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuæ, puta obiectum beatificum vt clarè viſum, poteſt ponì habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis, aut principaliorem quàm pars intellectiua, & hoc propter excellentiam talis obiecti, & propter defectum partis intellectiuæ. Sed de hoc in 4. libro.* In 4. autem libro diſt. 49. quæſt. 2. ad ſecundam confirmationem 4. argumenti in fine hæc habet verba. *Eſt ergo alia reſponſio, quòd Beatus eſt cauſa actiua reſpectu beatitudinis ſuæ, quantùm ad illud abſolutum quod eſt in beatitudine, & hoc ſi voluntas ſit cauſa actiua ſuæ volitionis beatificæ. De quo inferius diſt. præſenti quæſt. 11.* Hæc ille. Vbi de actu volitionis beatificæ loquens, conditionatè, dicit voluntatem eſſe cauſam efficientem ſuæ Beatitudinis, ſi tamen reſpectu ſuæ volitionis ſit cauſa actiua. Et hoc non de-
5 terminat, ſed determinationem ad quæſt. 11. eiuſdem diſtinctionis diſcutiendum remittit. In quæſt. tandem 11. §. *Reſpondeo ergo ad quæſtionem*, non multùm ante finem hæc habet verba. *Si etiam voluntas ſit merè potentia paſſiua reſpectu fruitionis, tunc ex parte voluntatis non requiritur charitas. Vnde ponentes voluntatem merè paſſiuam reſpectu fruitionis, tollunt charitatem. Quia ex parte voluntatis non requiritur aliqua forma ad recipiendum fruitionem. Quia ipſa ſecundùm ſe eſt ſummè diſpoſita ad recipiendum eam. Sed quia ſecundùm ſcripturam, & fidem habemus ponere charitatem, ſaltem neceſſè eſt eam ponere in Beato propter operationem eliciendam.* Itaquè iam determinauit reſpectu actus volitionis controuerſiam, nempè quòd voluntas creata reſpectu volitionis beatificæ concurrit actiuè, propter Scripturam, & fidem, ponentem in voluntate charitatem. De intellectu autem reſpectu viſionis, nihil omninò determinatè prompſit.
6 Dicet aliquis. Eodem prorſus modo theologizandum eſt de intellectu reſpectu viſionis beatificæ, ac de voluntate reſpectu beatifici amoris. Ergo Scotus determinans, quòd voluntas beati reſpectu volitionis beatificæ actiuè concurrit, determinauit quoquè intellectum actiuè ad viſionem beatificam ſe habere.

Scotus.

7 Argumentum eſt ab optima paritate, & conuincens; ſed vnum obeſt, quòd Subtiliſſimus Scotus ait quidem voluntatem actiuè ad actum fruitionis concurrere, vt patet, in 4. diſt. 49. quæſt. 11. recitata, non tamen apertum de intellectu reſpectu viſionis in tota ſua doctrina teſtimonium affert. Nam vbiquè conditionaliter loquitur, nempè ſi concurrit actiuè.
8 Et eadem diſt. 49. quæſt. 11. cuidam reſpondens argumento hæc verba profert. *Ad aliud, ſecundùm illam opinionem* (Nota) *quæ ponit intellectum eſſe cauſam actiuam, dico quòd modo habet potentiam remotam; tunc autem propinquam. Vnde ſicut intellectus eſt hic, & ibi, & eadem natura; Ita poſſe videre eſt hic, & ibi eadem potentia; ſed modò eſt remota, tunc erit propinqua: ſi autem eſt potentia paſſiua, & receptiua, tunc non requiritur lumen gloriæ.* Ecce quomodo hanc controuerſiam, nequè ibi determinauit, ſed ſemper cum conditione, ſi, & ſi, locutus eſt.
9 Tandem in quæſtionibus quodlibetalibus quæſt. 14. de 2. artic. §. *hinc intelligendum eſt*. Littera, Cc. hæc habet verba. *Hinc videtur ſequi, quòd eſſentia non eſt repræſentatiua ſui Michaeli, prius natura, quàm viſio eius cauſetur in Michaele.* Et quæſt. 15. de 2. artic. littera, X, Ad ſecundum, hæc habet verba. *Eſſentia diuina non eſt in memoria creata Beati aliquo ordine prius, quàm in intelligentia. Quia non cauſatur aliqua forma in intellectu Beato repræſentans illam eſſentiam, ſed primum quod cauſatur in intellectu beato, eſt ipſa viſio.* Et ibidem. *Vel*, inquit, *aliter diceretur quòd illa viſio immediatè cauſatur à voluntate diuina, ſicut dictum eſt in q. proximè præcedente: Et conſimiliter viſio lapidis: & per conſequens, neutra gignitur à memoria, non ſolùm ipſius videntis, ſed nec ab alia memoria.* Et poſt pauca cuidã reſpõdens inſtantiæ, idē repetit dicēs. *Vel poteſt dici, quòd vtraquè viſio immediatè cauſatur à voluntate diuina.* Hæc ille.
10 In quibus Scoti verbis, duo attentè obſeruanda ſunt. Vnum eſt, quòd Scotus loquens de cauſa effectiua viſionis beatificæ, nec verbum de efficientia intellectus habet. Debebat autem declarare, ac de effectiuo concurſu intellectus facere mentionem, quia Scotus non ſemel, atquè iterum docuerat, non ſolùm obiectum, intellectionem cauſare, ſed obiectũ cum intellectu ad illam effectiuè cõcurrere, & magis principaliter intellectũ, quàm obiectum, vt dictũ eſt. Secundum eſt, modus loquendi eiuſdem. Nam dixit, viſionem à Dei voluntate cauſari, & quòd viſio Michaelis cauſatur in Michaele. & quòd, *neutra gignitur à memoria videntis.* Qui loquendi modus, concur-

ſum intellectus ad viſionem, non actiuum; ſed paſsiuum eſſe demonſtrat. Quapropter exiſtimo quòd Scotus in diuerſis occaſionibus, diuerſa ſuſtinuit, nimirum intellectum creatum ad viſionem beatificam merè paſſiuè ſe habere, vt patet ex iam relatis locis, & quandoquè actiuè; ita manifeſtè in 1. diſt. 17. quæſt. 2. in calce; Vbi occaſione

Scotus.

11 cuiuſdam argumenti de viſione beatifica loquens, ſic ait. *Tamen ſecundum illam viam quam dixi diſt. 3. octus primi, quòd obiectum, ſiuè in ſe, ſiue in ſpecie, eſt ſicut cauſa partialis, concurrens cum intellectu ad cauſandam intellectionem, non facit aliquam difficultatem. Quia obiectum in ſe præſens, quomodo erit in Patria, ſufficit abſquè omni informatione, vel ex ſe ſolo, cum intellectu.* Hæc ille. In locis prius adductis ait, viſionem à Dei voluntate in intellectu cauſari; In loco iam relato, ait ab vtroquè produci. Ergo in diuerſis occaſionibus diuerſa tenet, & nunquàm abſolutè, ac determinatè locutus eſt.

12 Communiſſima tamen Theologorum ſententia eſt, intellectum creatum ad viſionem beatam actiuè ſe habere. Ita D. Thomas 3. cont. gent. cap. 53, & 54. hic, & ar. ſequenti, & p. 2. quæſt. 3. art. 2, & de verit. quæſt. 8. articul. 1. & 7. & alibi pluries. D. Bonauentura in 3. diſtinct. 14. quæſt. 1. Capreolus in 1. diſt. 35. quæſt. 1. Vbi ex profeſſo probat a I omnem intellectionem, intellectum creatum actiuè concurrere. Et in 4. diſt. 49. quæſt. 4. Ferrarienſis in 3. cont. gent. loco cit. Caietanus p. 2. quæſt. 3. ar. 1. & Aluarez ibid. diſp. 18. Medina ibidem, & Martinez eodem loco dub. 4. Bañes hic dub. 1. Nauarrete controu. 37. Conzalez hic, diſputat. 27. ſect. 5. Falolus hic dubit. 6. nu. 24. Recupitus de verit. q. 6. Salmanticenſes tract. 2. de viſione Dei diſp. 2. dub. 3. num. 82. & tandem abſquè prolixa Doctorum relatione, præter pro aduerſa parte citatos, Omnes Theologi.

D. Thom. D. Bonau. Capreol. Caietan. Aluarez. Medina. Martinez. Nauarret. Cõzalez. Falolus. Recup. Salman.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis aperitur.

13 PRo determinatione ergo veritatis. Dico Primò. Intellectus non ſe habet merè paſſiuè reſpectu intellectionis naturalis. Hoc dictum patet ex phyſicis, magis patebit infra.

Et breuiter probatur; & ſuppono quòd intelligere eſt actio immanens, & non tranſiens. Tunc ſic. Si intellectus ad intellectionem merè paſſiuè ſe habet. Ergo eius intelligere eſt ab obiecto, vel eius ſpecie; aut eſt ipſa ſpeciei receptio. Non primum; quia tunc intellectio eſſet actio tranſiens. Non enim recipitur in obiecto. Non ſecundum, vt aliàs probauimus. Ergo.

Dico Secundò. Intellectus creatus non concurrit merè paſſiuè ad actum ſupernaturalem fidei, nec voluntas ad actum ſupernaturalem ex charitate procedentem, ſed etiam actiuè.

14 Hoc dictum eſt de fide certum. Habetur enim expreſſum, ac determinatum in Sacro Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. *de neceſſitate præparationis ad iuſtificationem in adultis, & vnde ſit.* Hæc autem ſunt Sacri Concilij verba. *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis per Chriſtum Ieſum præueniente gratia, ſumendum eſſe. Hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atquè adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe, ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponuntur. Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, nequè homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens: quippè qui illam, & abijcere poteſt.* Et ibidem Canone 4. hæc habentur verba. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; nequè poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merequè paſſiuè ſe habere, anathema ſit.*

Concilii Trident.

15 Quæ verba, nedum amoris, & contritionis actus erga Deum, qui ad voluntatem pertinent, includunt; verùm etiam actum fidei, qui eſt ab intellectu cum pia affectione voluntatis. Nam liberum hominis arbitrium, non ſolùm per actum charitatis amando, ſed etiam per actum fidei credendo, ad iuſtificationis gratiam ſe diſponit. Vnde Apoſtolus ad Rom. 5. dicit. *Iuſtificari hominem per fidem* quod non ita intelligendum eſt, quaſi fides ſola, ſine charitate iuſtificet hominem; ſed quia fides eſt omnis iuſtificationis, humanæquè ſalutis radix initium, ſeu fundamentum, ſine quo impoſſibile eſt placere Deo.

16 Et idem Concilium eadem ſeſſ. 6. cap. 6. ſic ait. *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt.* Et cap. 7. propè finem ſic ait. *Et in Chriſto Ieſu, nequè circumciſionem aliquid valere nequè præputium, ſed fidem quæ per charitatem operatur.* Et capitul. 10. hæc verba profert. *In ipſa iuſtitia per Chri-*

Trident.

Chriſti gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus creſcunt, atquè magis iuſtificantur. Vbi cum audis, fidem operantem, ſeù cooperantem eſſe, intellectum per fidem operari intellige.

Dico Tertiò. Viſio beatifica eſt effectiuè ab intellectu.

17 Probatur primò. Actus fidei eſt effectiuè ab intellectu. Ergo etiam actus viſionis beatificæ. Antecedens eſt de fide, vt in locis præadductis exprimitur. Probatur autem conſequentia. Quia ſicut ſe habet intellectus reſpectu actus credendi, ita ſe habet reſpectu actus Deum videndi.

Si dicatur diſparem eſſe de actu credendi, videndiquè rationem; Etenim actus credendi habet rationem medij; viſio autem clara Dei præmium eſt, & finis.

18 Contra. Quia quamuis inter finem, & medium, ſeu inter meritum, & præmium, multa diſcrimina reperiantur; tamen quantùm ad hoc, quòd eſt actiuè, vel paſſiuè ad actum, qui eſt quid medium, & ad actum qui eſt finis, & præmium, ſe habere, pari formiter currunt. Nam tam actus qui eſt medium, quàm actus qui eſt finis, merenti, ac præmiato conferuntur, vt actiuè exerceantur iuxta ipſorum exigentiam, & capacitatem: ſed potentiæ vitalis exigentia eſt, vt ad quamlibet actionem vitalem effectiuè ſe habeat. Ergo intellectus, tam reſpectu actus credendi, quàm reſpectu actus Deum videndi, actiuè concurrit. Maior patet. Quia quando de facto eſt ſermo, illud in actu contingere arbitrari debemus, quod rerum naturalis exigentia requirit, niſi oppoſitum diuino miraculo factum eſſe credamus. Minor eſt certa, eiuſquè certitudo abbundantius hic, & diſputatione ſequenti apparebit.

19 Probatur ſecundò. Quia voluntas Beati actiuè concurrit ad beatifici amoris actum. Ergo etiam intellectus creatus actiuè concurrit ad actum beatificæ cognitionis. Antecedens ſupponitur certum. Probatur autem conſequentia, ab omnimoda paritate. Nam ſi viſio beatifica eſt actus ſupernaturalis; fruitio quoquè ſeu dilectio beatifica eſt ſupernaturalis. Si certum eſt, quòd ad amandum Deum, ipſoque beatè fruendum, ineſt charitas voluntati; Eſt quoque certum, quòd ad videndum Deum eſt neceſſarium lumen gloriæ intellectum ad viſionem eleuans. Et ſi charitas voluntati inhærens, eſt habitus ſupernaturalis; adhuc lumen gloriæ ſecundùm communiſſimam Theologorum explicationem, Sanctorumquè loquendi modum, eſt habitus ſupernaturalis inhærens intellectui. Ergo ſicut actus amoris beatifici eſt effectiuè a voluntate, ita etiam actus viſionis claræ Dei eſt effectiuè ab intellectu.

20 Probatur tertiò argumento vniuerſaliſſimo. Viſio beatifica eſt actio vitalis intellectus. Ergo eſt effectiuè ab intellectu. Antecedens patet, ab aduerſarijs conceditur, & probatur. Quia propria operatio potentiæ vitalis eſt vitalis: ſed viſio clara Dei eſt propria operatio potentiæ vitalis. Ergo eſt vitalis.

21 Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 8. ad rationem primam pro illa opinione, iudicat hoc argumentum eſſe conuincens, hæc enim ſunt ibi ipſius verba. *Dico quòd concludit pro me, quia cognitio cum ſit operatio vitalis, non eſt à non viuo ſicut à totali cauſa; poteſt tamen non viuum eſſe cauſa partialis alicuius viui, vel effectus vitalis, ſicut Sol non viuus, eſt cauſa partialis cum patre ad generandum filium viuum, & multo magis in propoſito eſt poſſibile, quia hic cauſa principalior eſt viua.* Hæc ille. Vbi quamuis de cognitione extra beatificam, ratiocinetur, tamen de omni intellectione optimè currit argumentum; eo quia Scotus docet intellectum actiuè ad intellectionem ſe habere, nec poteſt non actiuè concurrere, vt argumentum, cui per ſupradicta verba reſpondet, exponit; Et hoc benè nota contra eumdem Scotum, quando videtur ad oppoſitam ſententiam inclinare, reſpectu cognitionis intuitiuæ Dei; Et quando reſolutè, & abſolutè affirmat, fieri poſſe vt intellectus creatus ad intuitiuam cognitionem Dei poſſit merè paſſiuè ſe habere. Scotus.

22 Si dicatur, quòd viſio clara Dei eſt operatio vitalis paſſiuè reſpectu intellectus, non actiuè. Ita quòd intellectus dicitur viuere per viſionem eam recipiendo, non agendo. Quare negatur quòd viſio beatifica ſit actio vitalis, quaſi actiuè ab intellectu dimanans.

23 Contra. Quia dicere hoc, eſt vitæ rationem ignorare. Etenim non poteſt inter vitaliter operari, & non vitaliter operari, aliud magis proprium aſſignari diſcrimen, niſi quia, quod vitaliter operatur, neceſſariò actiuè concurrit ad operationem vitalem; Quod verò non vitaliter operatur, non eſt neceſsè quòd actiuè concurrat, ſed ſufficit immo neceſſe eſt, vt tantùm ab alio moueatur.

24 Non dico, quòd non viuum, ad omne opus neceſſariò paſſiuè ſe habeat. Quoniam hoc eſt omnino falſum. Quandoquidem, ignis viuus non eſt, & tamen per calorem ad calefactionem actiuè concurrit, & ſic de vnoquoquè compoſito eſt diſcurrendum, quod mediante ſua forma reſpectu propriæ operationis actiuitatem habet. Dico tamen, quòd viuum vt viuum, ex ſpeciali ratione viui, non poteſt ad aliquam operationem vitaliter concurrere, & tantùm paſſiuè ſe habere, ſed omnino neceſſarium eſt, vt quando ad aliquam operationē cōcurrit vt viuum, concurſum præbeat actiuum.

Digitized by Google

Ad differentiam non viui, quod reſpectu operationis ſibi formaliter immanentis, non cōcurrit actiuè, ſed receptiuè tantùm; vt patet de motu corporis mortui. Et ſi ignis, & quodcumq; aliud non viuum, reſpectu propriæ operationis actiuè ſe habent, conſiderare oportet, quòd tales operationes ſunt tranſeuntes, non immanentes, ad minus ratione termini, ſeu effectus producti. Nam etiam ſi actio tranſiens ſit ſubiectiuè in agente, terminus debet eſſe aliquid extra, productum, vel acquiſitum. Vitaliter igitur concurrere, eſt actiuè ſe ad operationem habere, non vitaliter autem, eſt paſſiuè ad operationem ſibi immanentem ſe habere, quòd ſi non vitaliter concurrere ſit agere, hoc erit reſpectu operationis tranſeuntis, & non vitalis.

25 His poſitis, ſic reſponſio confutatur. Paſſiuè tantùm ad actionem vitalem concurrere, non eſt vitaliter concurrere. Ergo nulla reſponſio. Patet antecedens. Quia in tantùm aliquis motus dicitur vitalis, in quantùm vita ad illum, vt principium effectiuum concurrit, & in tantùm non eſt vitalis, in quantùm vita illum non reſpicit effectiuè. Pono exemplum. Sit aliquis homo ſua manu alicuius dormientis pedem, vel manum mouens, nullatenus concurrente vita dormientis, quis dicet illius pedis vel manus motum, eſſe vitalem? Si verò ad eumdem eiuſdem pedis motum, hominis moti vita concurreret, quis non dicet motum illum eſſe vitalem? & hoc non propter concurſum ſuſceptiuum, ſed effectiuum. quare, &c.

26 Sed contra hoc obijcies. Datur aliqua potentia vitalis, quæ ad operationem vitalem merè paſſiuè concurrit. Ergo nullum eſt Thomiſtarum fundamentum. Conſequentia eſt euidens. Probatur autem antecedens. Quia potentia loco motiua eſt potentia vitalis. Eſt enim vna ex quinquè potentijs animæ: ſed potētia loco motiua, paſſiuè, & nullatenus actiuè ſe habet ad motum. Ergo ſtat vt potentia ſit vitalis, & quòd ad operationem merè paſſiuè concurrat. Minor eſt expreſſa ſententia D.

D.Thom. Thomæ 2. cont. gent. cap.82. Et infra, in hac p. p. quæſt.75. art. 3. ad 3.

27 Reſpondetur primò, ſecundùm nonnullos, negando potentiam locomotiuam eſſe merè paſſiuam; Eſt enim aliquid realiter à potentia apprehenſiua, & appetitiua diſtinctum. Quòd cum ſit potentia vitalis, actiuè concurrit ad motum. Ita Ruuius 3. de Anima cap.13. quæſt.2. num.63.

Ruuius. Sed quidquid ſit de hac ſententia; Dicendum eſt cum doctrina Capreoli in 2. diſtinct.1. quæſt.2. ad argumenta Aureoli contra

Capreol. primam concl. in reſp. ad primū. 12, & 15.

Caetan. Caietani, 3. lib. de anima cap.6. Ferrarienſis

Ferrarien. 2. contra gentes cap.82. Banes p. p. quæſt.

Bañes. 78. artic. 1. dub. 2. & verè ad mentem D. Thomæ, quòd potentia locomotiua non eſt aliud, niſi appetitus vt imperans, & executioni mandans motum; & hoc modo ſumpta, non eſt merè paſſiua, ſed actiua

28 dumtaxat. Reſpectu ſcilicet motus, actiua; Reſpectu verò operationis actiua, & paſſiua, ſeu receptiua. Verumtamen præter appetitum, requiritur corporis diſpoſitio, quę vocatur virtus paſſiua, ſeu receptiua motus, & eſt neruorum habilitas, ac promptitudo corporis ad moueri: Implicat autem potentiam aliquam vitalem ad operationem vitalem merè paſſiuè concurrere, & propterea actio vitalis qua potentia appetitiua per imperium largo modo ſumptum, motum cauſat, eſt ab appetitu, & in eodem appetitu recipitur, & dicitur actio immanens formaliter; Tranſiens verò productiuè, ratione effectus quem producit. Tranſiens, inquam, à potentia, nō à ſuppoſito. Quia ſcilicet, per ipſam producitur terminus inhærens alteri ſubiecto partiali, nempè corpori: Non autem implicat ad motum localem vitalem, corpus viuum anima ſenſitiua informatum, merè paſſiuè concurrere; quod in tantùm potentia locomotiua dicitur, in quantùm dicit bonam corporis, aptamquè neruorum diſpoſitionem ad moueri. Motus enim localis ab animali cauſatus, dum de vno loco ad alium progreditur, cauſatur quidem ab animali per potentiam locomotiuam eiuſdem, nempè per efficax imperium appetitus, non tamen in potentia locomotiua effectiuè accepta, ſed in corpore ſubiectatur. Vide Ferrarienſem, vbi ſupra, non minus Ferrarien. verè, quàm eleganter de hac re loquentem.

CAPVT TERTIVM.

Qua cenſura, oppoſita ſententia digna ſit.

29 HAnc noſtram concluſionem Theologi communiter amplectuntur, quare ad illam probandam, non oportet amplius immorari. Videndum tamen eſt, qua cenſura digna eſſet ſententia, quæ affirmaret intellectum Beati ad viſionem claram Dei paſſiuè dumtaxat ſe habere.

30 Vulpes diſp.23. tom.1. art.6. num.8. ait, quòd affirmare creatum intellectum merè Vulpes. paſſiuè ſe habere ad viſionem beatam, per quam formaliter eleuetur ad Deum videndum, nullo alio lumine habituali, vel actuali ſu-

li ſuperaddito à viſione ipſa diſtincto, nec eſſe errorem inde, nec determinationi Viennenſis Concilij diſſentire: ſed huius Vulpis doctrina, ex ijs quæ infra dicemus, ſtrictius examinabitur.

31 Alij verò oppoſitam ſententiam, contra fidem, & Erroneam vocant. Ita Magiſter Medina p.2.quæſt.3. art.2. Alij illam tanquàm falſam, temerariam, & errori proximam, non tamen tanquàm hæreticam, vel manifeſtè erroneam recenſent. Ita Aluarez ibidem, diſp.18; Et Alij illam tanquàm temerariam damnant. Ita Martinez. *Medina. Aluarez. Martinez*

32 Mihi tamen dicendum videtur, quòd vix ab errore manifeſto in fide ſaluari poteſt; & quòd ad minus eſt errori proxima, & temeraria. Temeraria quidem, quia communi Theologorum ſententiæ irrationabiliter ſe opponit. Errori verò proxima, ſi non eſt in fide error manifeſtus. Quia in Concilio Viennenſi determinatur, animam ad videndum Deum vt eſt in ſe, neceſſariò lumine gloriæ eleuari; quæ eleuatio non fit vt intellectus merè paſſiuè concurrat, ſed vt etiam actiuè. Tum etiam, quia ſicut intellectus dicitur per fidem credere, & voluntas per charitatem amare, ita quoquè intellectus dicitur per lumen gloriæ Deum videre: ſed de fide certum eſt intellectum actiuè concurrere dum per fidem credit, & voluntatem, dum per charitatem ſuper omnia Deum amat. Ergo de fide quoquè, vel fidei proximum eſt, dicere intellectum actiuè concurrere, dum Deum per lumen gloriæ videt. *Viennen.*

33 Si reſpondeatur, negando conſequentiam, rationem diſparitatis aſſignando. Quia quando aliquid eſt de fide, illud quod pariformiter ſe habet, non ſequitur eſſe etiam expreſsè de fide, ſed quod re ipſa ita ſit. Etenim de fide certum eſt, quòd anima intellectiua ſit ſpiritualis, & eſt eadem, imo validior ratio de Angelo, quā de anima; & nihilominus, nō eſt ita de fide expreſſum, ac determinatum, quòd Angelus ſit ſpiritualis, non obſtante quòd Angelus ſit ſpiritualior anima, & ratio huius eſt, quia ad hoc vt aliquod ſit de fide certum, omninò neceſsè eſt, quòd ſit ab Eccleſiæ authoritate definitum, ſeu in Sacra Scriptura expreſſum: Determinauit Eccleſia animam intellectiuam eſſe ſpiritualem, non autem expreſsè definiuit Angelos eſſe ſolummodo immateriales, ſeu ſpirituales. Ita à pari, decreuit Eccleſia intellectum, & voluntatem per fidem, & charitatem ad ſuos actus actiuè concurrere; non autem expreſsè determinauit, intellectum ad actum viſionis Dei actiuè ſe habere.

34 Hæc reſponſio non parum oppoſitam ſententiam ab aperta hæreſi excuſat, ſed non in totum ab errore elongat. Nam Sacrum Concilium Tridentinum in tantùm expreſsè determinauit intellectum per fidem ad actum credendi, & voluntatem per charitatem ad actum amandi, effectiuè concurrere, in quantùm Lutherus cum ſequacibus, expreſsè intellectum merè paſſiuè concurrere, eſſequè veluti quoddam inanime Dei inſtrumentum aſſerebat; non autem decreuit verbaliter expreſsè, intellectum beati ad viſionem actiuè ſe habere, quia hoc ſuppoſuit in Concilio Viennenſi determinatum. Et inſuper vt aliquid ſit errori proximum, ſufficit vt ſit omnino ſimile ei, quod eſt hæreticum. Ergo cum ſit æqua vtrobiquè ratio, de voluntate ſcilicet, per charitatem reſpectu beatifici amoris, ac de intellectu reſpectu viſionis, ſequitur, quòd ſi dicere voluntatem Beati merè paſſiuè ad beatificum amorem ſe habere eſt hæreticum; dicere intellectum Beati merè paſſiuè concurrere ad viſionem beatificam, eſt errori proximum. Hoc enim eſt eſſe errori proximum, eſſe proximum, ſeù ſimile hęreſi. Vnde ad Angelos deſcendendo, dicendum eſt, quòd quamuis aſſerere Angelos eſſe corporeos, non ſit hæræſis manifeſta, eſt tamen hæreſi, vel errori proximum. *Triden. Lutherus.*

35 Tandem, Quia argumentum non eſt qualitercumquè à pari, ſed à tali paritate, ex vtraquè parte in fide fundata, hoc modo videlicet. De fide certum eſt, quòd intellectus creatus per fidem credens, actiuè ad actum credendi concurrit, de fide certum eſt, quòd voluntas Beati per charitatem actum amoris beatifici efficienter elicit. Ergo de fide certum eſt, quòd intellectus per lumen gloriæ effectiuè concurrit ad viſionem. Probatur iſta conſequentia. Quia id quod facit charitas in voluntate reſpectu beatifici amoris, facit lumen gloriæ in intellectu reſpectu beatificę viſionis: ſed ex hoc quòd ponitur charitas in voluntate, ex fidei determinatione, voluntas effectiuè concurrit. Ergo ex hoc, quòd in intellectu eſt lumen gloriæ, ex eiuſdem fidei determinatione, intellectus efficienter elicit viſionem. Ergo, &c.

Secundò contra Vulpes quia ex Scoto in 1. diſt.17. quæſt.2. in fine. *Habitus luminis gloriæ ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis.* Et in 4.diſt.49.quæſt.11. ſic ait. *Sed quia ſecundùm ſcripturam, & fidem habemus ponere charitatem, ſaltem neceſſe eſt eam ponere in Beato propter operationem eliciendam*: ſed etiam ſecundùm fidem neceſſe eſt ponere lumen gloriæ in intellectu. Ergo propter operationem eliciendam. *Vulpes. Scotus.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Aduerſariorum argumenta diſſoluuntur.

36 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò, Authoritate Sacræ Scripturæ, & præſertim ex illo Pſalmi 83. *Gratiam,& gloriam dabit Dominus*. ſed viſio beatifica eſt ipſa gloria,& gratia conſumata. Ergo datur à Domino. Ergo non efficitur à Beato. Pſalm. 83.

37 Reſpondetur concedendo maiorem, minorem,& primam conſequentiam. Diſtinguendo verò vltimum conſequens. Ergo non efficitur à Beato, Authoritatiuè, tanquàm à Domino gratiæ, & gloriæ, concedo conſequentiam. Ergo non efficitur à Beato, Elicitiuè, tanquàm à conſequente gloriam, nego conſequentiam.

38 Explicatur iſta reſponſio. Authoritas Sacræ Scripturæ pro aduerſa parte adducta, ſi benè, & attentè conſideretur, præbet argumento reſponſionem. Dicit enim quòd *gratiam,& gloriam dabit Dominus*, id eſt, gratia,& gloria procedet ab eo qui gratiam, & gloriam habet conferendi dominium: Nullus autem præter Deum, hoc dominio potitur,& propterea dicit *gratiam, & gloriam dabit Dominus*: effectiuè autem ad gloriam conſumatam,ſeu ad viſionem concurrere, efficientia elicitiua, non eſt eſſe gratiæ,& gloriæ Dominum, ſed eſt gratiam,& gloriam à Domino ſuſcipere. Quia videlicet, Deus qui eſt gloriæ Dominus, nobis liberè gratiam ſanctificantem conferens, & habitum luminis gloriæ intellectui infundens, animam præparat, ac ſpeciali eiuſdem Dei concurſu in ratione ſpeciei ſe intellectui vnit, atquè etiam effectiuè duplici efficientia, nempè in ratione primæ cauſæ; & obiectiuè concurrit, vt intellectus creatus ex ſua parte effectiuè ſe habeat, ſeù gloriam eliciat: & hoc modo ad gloriam effectiuè concurrere, authoritati Sacræ Scripturæ iam allatæ, nõ repugnat; ſed potius Beati explicat efficientiam, & benignam commendat Dei conferentis largitatem. Quemadmodum præbere aliquid alicui ad manducandum, vel bibendum ſeù qualitercumque guſtandum, non eſt manducantem, bibentem, ſeù guſtantem merè paſſiuè ad comeſtionem, potum, & guſtum ſe habere, ſed actiuè; Videntes autem Deum, eoquè fruentes,ſuper menſam Domini, menſam, inquam, cœleſtis Patriæ, edunt, & bibunt, iuxta illud Prouerb.9. *Comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis*. Quem locum Diuus Thomas lib.3. cont. gent. cap.51. in fine,breuibus, diſertiſquè verbis alias etiam adductis, ſic exponit. *Super menſam ergo Dei manducant, & bibunt, qui eadem felicitate fruuntur, qua Deus felix eſt, videntes eum illo modo,quo ipſe videt ſe ipſum*. Ad hoc idem facit illud Pſalm.33. *Guſtate,& videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*. Prouer.9. D.Thom. Pſalm.33.

39 Obijcies ſecundò. Præmium eſt à ſolo præmiante: ſed viſio beatifica eſt maximum creaturæ rationalis præmium. Ergo eſt à ſolo Deo effectiuè, qui tanquàm iuſtus, ac ſupremus omnium iudex vnicuiquè reddit ſecundùm opera ſua. Minor eſt apud omnes catholicos certa. Probatur autem maior. Quia meritum eſt à ſolo merente. Ergo Præmium eſt à ſolo præmiante.

40 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Præmium eſt à ſolo præmiante, Authoritatiuè, id eſt tanquàm ab habente dominiũ præmium conferendi, concedo maiorem. Elicitiuè, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens: Ad probationem verò maioris, reſpondetur diſtinguendo antecedens. Meritum eſt à ſolo merente tanquàm à ſuppoſito, ſeu natura cui conuenit mereri, concedo antecedens. Tanquàm à virtute merendi, nego antecedens. Seù ſub alijs terminis, diſtinguo antecedens. Meritum eſt à ſolo merente vt quod, concedo. Meritum eſt à ſolo merente vt quo, nego antecedens. Ergo,&c. nego conſequentiam.

41 Pro huius reſponſionis intelligentia eſt breuiter obſeruandum, quòd differentia inter præmium,& meritum, non conſiſtit in hoc, vt meritum à merente effectiuè procedat; præmium verò à præmiante; quoniam vtrumquè ab vtroquè effectiuè procedit. Præmium à Deo præmiante, & ab homine præmiato: & meritum, a Deo,& ab homine merente. Meritum, inquam, eſt à Deo, tanquàm a conferente merendi virtutem. Eo quia vitæ æternæ meritum eſt mediante gratia,& donis ſupernaturalibus. Vnde Apoſtolus ad Rom.8. omnibus intonat dicens. *Non ſunt condignæ paſſiones huius ſeculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*. & 1.Cor.15. *Gratia Dei ſum id quod ſum*. & hoc eſt, quod Chryſoſtomus Deũ alloquens ait. *Merita tua in me coronas*. Eſt etiam ab homine tanquàm a merente, & eliciente vt quod, iuxta illud 2.ad Timot.2. *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*. & 2.ad Timot.4. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus*. Præmium autem dupliciter conſiderari poteſt. Quo ad rem oblatam; & quo ad rei oblatæ acquiſitionem, ſeù Obiectiuè,& Formaliter. Rom. 8. 1.Cor.15. Chryſoſt. 2.ad Ti.2. 2.ad Ti.4.

Et

Ioan.14.

Et quidem primo modo, vitæ æternæ præmium eſt ipſe Deus, qui a nullo eſt effectiuè, ſed tantùm à ſe ipſo manifeſtatiuè per ſe ipſum. Iuxta illud Io: 14. *Manifeſtabo ei me ipſum*: Quantùm verò ad præmium formale, quod in Dei viſione conſiſtit, eſt effectiuè ab ipſo Deo, tanquàm à primo largitore, & effectiuè ab homine præmiato, tanquàm ab eliciente viſionem, ſeù conſequente præmium. Hoc currit in noſtra ſententia, in qua dicimus beatitudinem in operatione conſiſtere, non autem in aliqua habituali forma. Vnde ſi hominis præmium conſiſteret in ſanctificantis gratiæ receptione, aut in luminis gloriæ, vel charitatis infuſione, abſquè dubio præmium eſſet effectiuè à ſolo Deo præmiante.

Aluarez.

42 Aluarez vir ſanctitate, ac doctrina præditus, huius rei adducit exemplum hoc modo. *Si Rex, ſtrenuo militi det in præmium gubernationem alicuius Prouinciæ, in quo caſu gubernatio ipſa, quæ datur in præmium, procedit effectiuè à perſona merente: Poteſtate tamen accepta à Rege præmiante, & ita contingit in præſenti.*

43 Sed exemplum de inuitatis, vt ſuper Regis menſam ob ipſorum excelſa merita comedant, & bibant, authoritate D. Thomæ firmatum, non eſt minus accommodatum. Etenim cum Rege comedere, & bibere, ex eiuſdem Regis generoſa voluntate, & comedentium, & bibentium meritis apud Regem prouenit; ſed non propterea cum Rege bibere, & comedere, non ſunt comedentium, ac bibentium actiones vitales. Deus itaquè tanquàm Summi præmij, ſummus largitor, eſt cauſa prima, in ſuæ felicitatis menſa ſe ipſum Beatis oſtendens, tamen, Beati ſuper menſam Domini diuina eſſentia fruentes, huiuſmodi felicitatem per actionem, nempè per viſionem, vel amorem ab ipſis procedentem conſequuntur.

44 Obijcies tertiò. Viſio beatifica eſt omnibus modis, ac ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo eſt à ſolo Deo. Probatur conſequentia. Quia intellectus eſt ſimpliciter naturalis. Ergo non eſt effectiuè ab intellectu, ſed à ſolo Deo. Antecedens eſt certum, & magis patebit infra.

45 Hoc argumentum omnes Chriſti fideles ſoluere tenentur. Etenim actus fidei ſupernaturalis, eſt ſimpliciter ſupernaturalis; Similiter actus amoris Dei in via, & in Patria, ſunt actus ſimpliciter ſupernaturales. Ergo nullo modo ſunt effectiuè ab intellectu, & voluntate: hoc autem eſt à veritate alienum. Ergo.

46 Reſpondetur igitur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens, quo ad ſecundam partem. Intellectus eſt naturalis entitatiuè, concedo antecedens. Eſt naturalis quo ad virtutem agendi, quam habet à lumine gloriæ, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Intellectus enim effectiuè concurrit ad viſionem beatificam, non qua entitas præcisè naturalis eſt, ſed qua, mediante lumine gloriæ ſibi inhærente, cauſa ſupernaturalis eſt.

47 Obijcies Quartò. Lumen gloriæ eſt à ſolo Deo effectiuè, ita quòd intellectus reſpectu illius merè paſſiuè concurrit. Ergo etiam viſio beatifica eſt à ſolo Deo effectiuè. Antecedens patet. Quia lumen gloriæ infunditur à Deo immediatè intellectui receptiuè, & nullatenus actiuè concurrenti. Probatur autem conſequentia. Quia viſio beatifica eſt perfectior lumine gloriæ. Ergo ſi lumen gloriæ talem, ac tantam habet dignitatem, vt à ſolo Deo efficiatur, multò magis viſio beatifica debet à ſolo Deo manare.

48 Reſpondetur concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego ſuppoſitum conſequentis. Et ratio negationis eſt, quia eſſe immediatè à ſolo Deo, non conuenit lumini gloriæ propter ipſius dignitatem, ſupra beatificam viſionem, ſed quia habitus ſupernaturalis datur vt eleuans proportionanſq; potentiam ad actū: & propterea habitus eſt à ſolo Deo: At verò vitalis operatio quantùmcunquè ſit ſupernaturalis, debet eſſe à Deo, tanquàm à prima omnium cauſa, & à potentia vitali, vt à principio intrinſeco vitali.

49 Quòd autem viſio beatifica, eo quia lumine gloriæ nobilior, non proinde debeat immediatè à ſolo Deo produci, patet. Quia vt rectè Thomiſtæ aduertunt, & præſertim Aluarez, 1.2.quæſt.3.articul.2. Aluarez. diſp.18.num.11. Eſt manifeſta inſtantia. Etenim actus charitatis, & actus contritionis, ſunt ſimpliciter perfectiores, quàm habitus temperantiæ per ſe infuſus; Et tamen habitus infuſus temperantiæ, producitur effectiuè à ſolo Deo: Actus verò charitatis, & contritionis, non ſunt à ſolo Deo effectiuè, ſed ſimul etiam ab homine virtute habitus, vel actualis præuij auxilij ſupernaturalis producuntur.

49 Solet etiam in contrarium argumentum de anima intellectiua proponi. Quia anima intellectiua per hoc quòd eſt inter omnes formas naturales omnium perfectiſſima, à ſolo Deo producitur: ſed viſio beatifica inter omnes formas naturales eſt omnium perfectiſſima. Ergo à ſolo Deo debet produci.

50 Reſpondetur enim diſparem eſſe rationem. Eo quia quòd anima intellectiua à ſolo Deo producatur, non eſt quia inter omnes formas naturales eſt maximè præſtans, ſed quia eſt forma ſpiritualis ſubſtantialis,

ialis, & per conſequens improducibilis à quacunquè cauſa creata. Huiuſmodi enim ſubſtantiarum genus, per creationem dumtaxat, in eſſe produci poteſt: Viſio autem beatifica non eſt forma ſubſtantialis ſpiritualis, operationis ſpiritualis principium, ſed eſt ipſa operatio, ſeù actio vitalis, quæ neceſſariò petit à principio vitali procedere.

DISPVTATIO LVII.

VTRVM PER POTENTIAM DEI ABSOLVTAM; viſio beatifica à ſolo Deo, intellectu Beati merè ſe habente, produci poſſit.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Vtriuſquè partis opiniones referuntur.

1 QVamuis Scotus de facto loquendo, modo vnam, modo alteram contradictionis partem in hac re ſequi viſus ſit, tamen de poſſibili reſolutè reſpondet, quòd intellectus creatus poteſt ad viſionem claram Dei merè paſſiuè concurrere. Ita in 3. diſt. 14. quæſt. 4. affirmans quòd intellectus animæ Chriſti poteſt tantùm paſſiuè ad claram, & intuitiuam Verbi viſionem ſe habere. Idem tenent Andreas Vega, lib. 6. in Conc. Trid. cap. 8. Soncinnas, 9. met. quæſt. 20. ad 4. & quæſt. 21. Valentia, tom. 1. quæſt. 12. punct. 3. Salas, tom. 1. in p. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſput. 2. ſect. 4. num. 24. Ægidius Luſitanus, tom. 2. in p. 2. l. 10. q. 11. art. 4. §. 2. Recupitus lib. 6. q. 9. Et pro hac eadem opinione refertur Magiſter Victoria.

Scotus. Vega. Sonc. Valentia. Salas. Ægidius. Recup. Victoria.

2 Partem verò negatiuam, tenent Thomiſtæ cum Diuo Thoma, qui tamen inter ipſos diuerſimodè opinantur. Quidam enim viſionem, & quamcumquè intellectionem, in duas formalitates diſtinguentes, nempè viſionem, ſeù intellectionem in ratione viſionis, ſeù intellectionis; & in ratione qualitatis. Primò modo negant à ſolo Deo poſſe produci viſionem, ſeu intellectionem intellectu merè paſſiuè ſe habente: Secundo autem modo, affirmant. Pro hac opinione refertur Capreolus in 2. diſtinct. 4. quæſt. 1. art. 2. Eam tamen tenent Sotus in 4. d. ſt. 49. quæſt. 1. art. 4. Aluarez, p. 2. quæſt. 3. art. 2. diſp. 19. concl. 4.

Capreol. Sotus. Aluarez.

3 Quidam autem nullo modo viſionem à ſolo Deo poſſe produci, intellectu merè paſſiuè ſe habente affirmant, atquè etiam dicunt intellectionem, ſeù viſionem in ratione qualitatis ſumptam, extra intellectum produci, eſſe impoſſibile. Ita Bañes hic concl. 3. Medina p. 2. quæſt. 3. articul. 2. Vaſquez, in hac prima p. diſp. 40. num. 3. & 4. Suarez de attributis negatiuis cap. 10. num. 7. Et in metaph. diſp. 48. ſect. 2. nu. 9. Ruuius lib. 3. de anima tract. de intellectu poſſibili quæſt. 4. & cap. 4. & 5. Conzalez hic, diſp. 17. ſect. 4. num. 45. qui ait *hanc ſententiã eſſe D. Thomæ omnium què diſcipulorum eius*. Martinez, p. 2. quæſt. 3. cit. Molina hic diſp. 1. Aliqui tamen vt refert Aluarez loco cit. huius ſententiæ defenſores, hanc opinionem ad actiones vitales, quæ dicunt neceſſarium ordinem ad obiectum extrinſecum reſtringunt, quod *aſſerunt propter nutritionem, quæ ſecundum illos poteſt à ſolo Deo produci effectiuè, vt ſi per ſe ipſum addat alicui maiorem quantitatem.*

Bañes. Medina. Vaſquez. Suarez. Ruuius. Gõzalez. Martinez. Molina. Aluarez.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Veritas ponitur, & probatur.

PRo determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Contradictionem implicat viſionem beatificam, & quamcunquè actionem vitalem à ſolo Deo produci, intellectu merè paſſiuè ſe habente, vel extra intellectum, etiam in ratione qualitatis.

4 Hoc dictum probatur. Si intellectio à ſolo Deo produceretur, intellectu merè paſſiuè ſe habẽte, intellectus per illam intellectionem non poſſet intelligere: ſed hoc implicat. Ergo & illud vnde ſequitur. Probo ſequelam. Quia ſi intellectio eſſet à ſolo Deo intellectui infuſa, intellectus non vitaliter, ſed veluti mortuus ad illam concurreret. Ergo per illam non poſſet intelligere. Patet conſequentia. Quia intellectus dum intelligit, vitaliter concurrit. Probatur antecedens. Nam non haberet aliquam attentionem, neque conatum circa obiectum, neque etiam ſe moueret ad propriam ſui operationem, ſed ab aliquo principio extrinſeco moueretur, quod eſt contra rationem, ſeù eſſentialem viuentium operandi modũ. Viuentia enim ita & taliter ab aliquo principio intrinſeco mouentur, quòd ſi tantum modo ad ipſorum motũ ab extrinſeco principio mouerentur, vitaliter non concurrerent. Quandoquidem, hic operandi modus conuenit etiam non viuentibus. Sicut in arreptitijs patet, quando Dæmones omnem hominis vexati ſenſum abſorbent, os, & labia aperiunt, illius linguam mouent, ſonumquè articulatum formant; tunc enim homo vexatus, ad illam operationem, quia nullo ſuo conatu, nullaquè attentione, ſed ſolummodo paſſiuè ſe habet, vitaliter nõ concurrit. Minor etiam patet. Quia ideo ponitur intellectio in intellectu, vt per illam conſtituatur intelligens.

Huic argumẽto, quod re vera ſolui nõ poteſt, multipliciter aduerſarij reſpondere ſolent.

5 Primò quidem, diſtinguẽdo maiorem. Si intellectio in ratione qualitatis à ſolo Deo produceretur, intellectu merè paſſiuè ſe habente, intellectus per illam intellectionẽ non poſſet intelligere, cõcedunt maiorem. Si intellectio in ratione intellectionis, à ſolo Deo produceretur, &c. negant maiorem. Dicunt enim, quòd Deus poteſt producere intellectionem intellectu merè paſſiuè ſe habente, non quidem in ratione intellectionis, ſed in ratione qualitatis. Vnde dicunt, quòd ſi Deus intellectionem in ratione intellectionis in intellectu produceret; quia neceſſariò intellectus ad illam deberet actiuè concurrere, intelligeret, & non intelligeret. Ita Aluarez, & Quidam Alij. Aluarez

6 Sed contra hunc dicendi modum, ſic argumentor. Quando dicitur, quòd Deus intellectionem in ratione qualitatis, nõ verò in ratione intellectionis producere poteſt; Vel eſt ſẽſus, quòd illa entitas ſit à ſolo Deo producta, ſecundùm quòd qualitas eſt, ſecundùm quòd verò intellectio eſt, à Deo producta non ſit. Vel quòd illa entitas, ſeù qualitas licet ſit qualitas ſimul, & intellectio, præbet tamen effectum in ratione qualitatis, nõ autem in ratione intellectionis: Modus ille loquendi in vtroquè ſenſu contradictionem implicat. Ergo. Maior eſt certa. Probo minorem, & primò, quo ad primum membrum. Nihil poteſt produci ſecundùm rationem genericam, quin etiam producatur ſecundùm rationem ſpecificam, & numericam. Ergo implicat intellectionẽ produci ſecundùm rationem qualitatis, nõ verò ſecundùm rationem intellectionis, & talis intellectionis. Probatur conſequentia, quia intellectio in ratione qualitatis eſt intellectio ſecundùm rationem genericã ſui prædicamenti, & intellectio in ratione intellectionis, & talis intellectionis, eſt qualitas ſecũdùm rationem ſpecificam, & numericam qualitatis. Probatur antecedens. Quia nihil eſt ſub determinato genere, quod nõ ſit ſub determinata ſpecie ſubalterna, & atoma.

7 Confirmatur. Quia ratio qualitatis, & intellectionis in intellectione ſũt vna ſimplex entitas, & qualitas. Ergo ſi eſt producta ratio qualitatis intellectionis, eſt etiam producta ratio intellectionis, & talis intellectionis.

8 Si contra hoc inſtetur. Quia huius apertam habemus inſtantiam in diuinis. Nam entitas Dei in ratione eſſentię, non eſt producta, in ratione verò Filij, & Spiritus Sancti, eſt res producta. Secundò quia quamuis natura diuina ſit eadem cum perſona Verbi, tamen terminat naturam humanam Chriſti Domini in ratione perſonæ, non autem in ratione naturæ. Ergo ſtat vt viſio ſit producta ſecundùm rationem qualitatis, non verò ſecundùm rationem intellectionis.

9 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt triplex. Primò quidem, quia ratio eſſentiæ diuinæ, & perſonæ diuinæ, non ſe habent vt ratio generica, & ratio ſpecifica. Dicuntur enim ad conuertentiam, & ſunt vnum, & idem realiter cum omnimoda indiuiſione eſſentiæ. Ratio autem qualitatis, & intellectionis, verè ſe habent vt ratio generica, & ſpecifica. Nam ratio qualitatis vt ſic, eſt communicabilis multis ſpecie

cie diſtinctis, vt cum ſui diuiſione plurificetur in eis.

10 Secundò. Quia entitatem diuinam ſecundùm aliquam rationem eſſe improductam, & ſecundùm aliam eſſe productam, ex eiuſdem Dei ſpeciali ratione procedit; Quia nimirum, ratione fœcunditatis, petit proceſſionem; Ratione infinitatis, poſtulat vnitatem, & identitatem; Ratione eſſentiæ, & primæ perſonæ, nempè Patris, improducibilitatem, & ratione perſonarum Filij, & Spiritusſancti, producibilitatem; Quæ in rebus creatis (in quibus ſi vna ratio eſt producta, eſt etiam dependens à Deo) non poſſunt inueniri. Non enim poſſunt identificari eſſe dependens, & non eſſe productum.

11 Et tandem eſt aperta diſparitas. Quia in diuinis, quando dicitur quòd entitas Dei ſecundùm vnam rationem eſt producta, ſecundù naliam improducta; non eſt ſenſus, quòd ſecundùm vnam rationem ſit, & ſecundùm aliam non ſit. Sicut ſupponimus primum dicẽdi modũ aſſerere entitatẽ intellectionis, in ratione qualitatis, eſſe productum, non verè in ratione intellectionis.

12 Si autem ſecundo modo loquamur, ſic argumenter contra. Contradictionem implicat, vt aliqua forma in ſubiecto capaci exiſtat, & illud non denominet tale, maximè quando ſubiectum eſt talis denominationis capax: Sicut impoſſibile eſt, quòd albedo parieti inhæreat, & denominet illum qualem, non autem album: ſed intellectio eſt forma ex ſua natura denominans intellectum intelligentem, & aliàs intellectus eſt huius denominationis capax. Immo hæc eſt eius propria perfectio. Ergo impoſſibile eſt, vt intellectio ſit in intellectu, & illum denominet qualem, non verò intelligentem. Ergo impoſſibile eſt, vt vniatur intellectui in ratione qualitatis, non autem in ratione intellectionis.

13 Confirmatur. Quia ſi intellectio ineſſet intellectui intellectu merè paſſiuè ſe habente, & non poſſet intellectui in ratione intellectionis vniri; Vel hoc eſſet, quia intellectioni deeſt ratio intellectionis formaliter; quia ſcilicet, ratio intellectionis formaliter acceptæ exigit vt ſit intellectus actio, ideſt, vt ſit ab intellectu. Vel quia licet intellectio haberet in ſe, totum quod ad rationem intellectionis pertinet, nihilominus deeſt intellectui, id quod eſſentialiter ratio intelligentis poſtulat, quod eſt agere, ſeu elicere intellectionem. Si primum. Ergo entitas intellectionis eſt formaliter qualitas, non verò formaliter intellectio; quod eſt ad primum membrum, ſeu primum dicendi modum iam reprobatum recurrere. Si ſecundum.

14 Contra. Quia in tantùm intellectus dicitur intelligens agendo, in quantùm intelligere eſt agere, & intellectio eſt intellectus actio; actio inquam, de prædicamento qualitatis. Ergo ſi intellectio eſſet à ſolo Deo producta, intellectu merè paſſiuè ſe habente, careret eo, quod ad rationem formalem intellectionis pertinet, & conſequenter, ſecundùm quòd à ſolo Deo producta eſſet, non eſſet formaliter intellectio, quod eſt contra modum dicendi quem reprobamus.

15 Dicet aliquis. Intellectio Dei vt eſt in Patre, eſt dictio, pro vt in Filio, non eſt dictio: & in creatis, calor pro ut eſt in ſtomaco, eſt digeſtiuus, & concoctiuus; extra ſtomacum non item. Ergo ſimiliter poterit dari intellectio, quæ ſecundùm quòd procedit ab intellectu, habeat rationem formalem intellectionis, ſecundùm quòd verò à ſolo Deo produceretur, rationem dumtaxat qualitatis.

16 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et pro nunc ratio diſparitatis eſt. Quia non eſt de ratione intellectionis diuinæ, vt diuina, eſſe principium, vel actionem productiuam perſonæ. Nam tres ſunt perſonæ diuinæ, quarum vna tantùm per intellectionem eſt alterius perſonæ productiua, nempè Pater. Diuinæ igitur cognitioni formaliter acceptæ, conuenit eſſe aliquod ſubſiſtens, habens vim intelligendi, eſſeque omnis cogniſcibilis attingentiam: quòd verò ſit dictio, ſeu Filij productio, conuenit ei ſolùm prout eſt in Patre. Item non eſt de ratione caloris animalis præciſè, vt ſit ſibi concoctiuus, ac digeſtiuus, ſed calefacere, concoquere autem, ſeu digerere, conuenit ei, prout connotat ſtomacum: at verò de ratione intellectionis creatæ eſt, vt ſit qualitas, & actio vitalis, cum ſit propria viuentium grammaticalis operatio; & conſequenter nequit in ratione qualitatis produci, & non in ratione intellectionis.

17 Ex dictis ſequi videtur quòd intellectus dicatur formaliter intelligens ex hoc, quòd recipit intellectionem; & non ex hoc, quòd intellectionem efficit, quod eſt contra doctrinam D. Thomæ;

18 Reſpondetur quòd argumentum eſt ad hominem, & ad impoſſibile ducens, & ſenſus eſt, quòd intellectus ex eo quòd in ſe intellectionem formaliter ſumptam habet, diceretur intelligens, & ex eo quòd merè paſſiuè ad intellectionem concurreret, nõ haberet in ſe intellectionem in ratione intellectionis formaliter acceptæ; eo quia de ratione intellectionis formaliter acceptæ eſt ab intellectu intra eumdem intellectum procedere, & conſequenter non diceretur intelligens.

Vbi

Digitized by Google

19 Vbi aduerte, quòd non ſic intellectio dicitur in intellectu recipi, quaſi intellectus ab effectione, ſeù concurſu actiuo intellectionis ceſſet, & maneat intellectio vt recepta dumtaxat. Hoc enim eſt omninò falſum. Etenim recipi intellectionis, non eſt abſquè ipſius fieri, ſed ſemper fit, dum manet, & ſe habet ſicut creatio, & conſeruatio creaturæ reſpectu Dei. Dico melius. Intellectio quantùm ad hoc, per multùm explicat Verbi diuini productionem. Verbum enim diuinum dicitur à Patre Æterno in æternitate æternaliterquè productum, non taliter, quòd à productione aliquando ceſſaſſet. Semper enim Pater Æternus produxit Filium, ſemper Filius fuit a Patre perfectè productus. Semper Pater producit Filium, & Filius ſemper à Patre producitur.

20 Reſpondent alij ſecundò ad argumentum, & præſertim Recupitus lib. 6. quæſt. 9. num. 5. *Concurſum potentiæ uitalis eſſe de eſſentia actus, ut uitalis; ipſum tamen uitalitatem non eſſe de eſſentia actus. Sicut enim per ordinem ad efficiens, idem numero actus, poteſt eſſe liber, & non liber, ita dici poſſet etiam per ordinem ad efficiens, eumdem actum poſſe eſſe uitalem, & non uitalem. Vitalem ſi ſit per concurſum effectiuum potentiæ uitalis, Non uitalem, ſi careat tali concurſu.* Hæc ille. Recupit.

21 Contra hunc dicendi modum ſic inſurgo. Implicat actum viuentis vt viuens eſt, non eſſe vitalem: ſed intellectio vt intellectio, eſt actus viuentis vt viuens eſt. Ergo implicat actum qui eſt intellectio non eſſe vitalem. Maior eſt euidens. Quia operatio, ſeù actus viuentis vt viuens eſt, diſtinguit viuens in actu ſecundo, à non viuente in actu ſecundo. Ergo eſt in ſe vitalis. Probatur autem minor. Quia intelligens, vt intelligens, eſt viuēs. ſed intellectio eſt actus intelligentis vt intelligens eſt. Ergo eſt actus viuentis vt viuens eſt.

Recupit. 22 Reſpondebit aliquis cum Recupito loco citato. Quòd diſtinguenda eſt actio vitalis ab actu vitali. Actio vitalis eſt intellefactio, & hæc non poteſt eadem numero quæ eſt ab intellectu, eſſe à ſolo Deo. Cum ſit eſſentialiter actio intellectus: intellectio verò eſt actus vitalis, qui idem poteſt eſſe à ſolo Deo per aliam actionem non vitalem, & poteſt non eſſe vitalis ſecundùm quòd à Deo produceretur.

23 Contra hanc reſponſionem argumentor primò. Intellectio, & actio vitalis, non ſunt duo, ſed vnum, & idem. Intellectio enim eſt ipſa operatio intellectus, vt ex ſupradictis apertiſſimè conſtat. Quandoquidem, intellectio eſt terminus intrinſecus intellectus; Obiectum autem eſt terminus extrinſecus. Terminus inquam, intrinſecus, non per accidens, ſeù ſecundariò intentus, ſicuti eſt verbum, ſed primò, & per ſe, vt ſupra diffusè declarauimus.

24 Secundò. Quia admiſſa diſtinctione de actione intellectus, & actu intellectus, in vanum Recupitus laborauit, vocabulum nouum inueniens, ad ſignificandam actionem intellectus, dicens illud eſſe hoc, nempè intelletactio. Quia magis propriè, & multò melius intellectus actio per hanc vocem, nimirum intellectio, quàm per hanc, id eſt, intellefactio explicatur. Nam hæc vox, intellectio, idem ſonat ac intellectus actio, Intellefactio autem, non eſt congrua, ſed valdè rudis, & groſſa, nec intelligenter inuenta. Nam vt optimè docet D. Thomas de verit. quæſt. 5. art. 1. in corp. & alibi, differunt agibilia à factibilibus, quia factibilia dicuntur illa, quæ procedunt ab agente in extraneam materiam, & horum recta ratio eſt ars: ſed agibilia dicuntur actiones, quæ non progrediuntur extra agentem. Vbi apertè aſſeritur quòd factio, eſt de rebus extra operantem; actiò verò, de rebus intra operantem; & conſequenter intellectionis productio, minus rectè per factionem, ſeù per intellefactionem, explicatur: veritas tamen eſt, quòd intellectio ſignificat intellectus actionem, quæ eſt operatio intellectus grammaticalis, ſecundùm quòd operatio eſt obiecti attingentia; non verò ſecundùm quòd dicit effectus productionem, niſi permiſſiuè, & ratione talis intellectionis, vt ſupradiximus. D.Thom.

25 Tertiò. Quia iterum hac ficta intellectione, quæ ſcilicet, dicatur actus vitalis, non autem actio vitalis admiſſa, adhuc iiſdem viribus recurrit argumentum. Nam intellectus habens hunc actum viuit. Eſt enim inintelligibile, quòd intellectus intelligendo non viuat in actu ſecundo. Ergo vitaliter concurrit ad hunc actum, & conſequenter actiuè concurrere debet. Ergo falſum omnino eſt, quòd iſte actus poſſit eſſe per actionem non vitalem; vel concedere tenetur, quòd intellectus habens intellectionem, debet etiam actiuè concurrere, & non merè paſſiuè ſe habere.

26 Quartò. Intellectio creata eſt participatio intellectionis increatæ; ſed intellectio increata, eſt formaliſſimè, & eſſentialiter viuens. Ergo intellectio creata, ſecundùm quòd intellectio eſt, eſt actus vitalis, etiam prout efficitur à Deo, tanquam à principio extrinſeco. Producitur enim à Deo, ſecundùm quòd eſt participatio intellectionis, ſeu vitalitatis diuinæ. Ergo falſum omnino eſt, quòd pro vt producitur à ſolo Deo, non eſt vitalis. Admiſſo igitur quòd procederet à ſolo Deo, eſſet neceſſariò actus vitalis. Ergo ſi intellectus per illum in actu ſecundo viueret, effectiuè ad illum concurreret.

Digitized by Google

Vbi aduerte, quòd non negamus aliquod vitale à ſolo Deo produci, nam Anima intellectiua, & Angelus ſunt ſubſtantiæ vitales, & a ſolo Deo producuntur. id quod dicimus eſt, quòd actus vitalis non poteſt à ſolo Deo produci, ita vt per illum intellectus in actu ſecundo viuat, & quòd ipſa vitalitas ſimpliciter, ſit de eſſentia actus vitalis. Vnde non poteſt à ſolo Deo produci, quin ſit in ſe vitalis, & quin intellectus ad illum actiuè concurrat.

27 Quintò, & probatur quòd vitalitas ſit de eſſentia actus vitalis puta intellectionis. Nam vita per operationes explicatur, vt patet per philoſophum .2. lib. de Anima, qui diſtinguit viuere, per quatuor; nempè, *alimento vti, ſentire, moueri ſecundùm locum, & intelligere*. & lib. 9. ethicorum dicitur; quòd *viuere eſt ſentire, & intelligere*. quemadmodum D. Thom. infra, quæſt. 18. art. 2. ad 1. exponit; habere ſcilicet naturam ad ſentiendum, vel intelligendum. Si igitur ipſa vita ſubſtantialis, non habet per quid melius, quàm per ſentire, & intelligere explicetur, quomodo immaginari poteſt, quòd detur intellectio, quæ intellectum conſtituat intelligentem, & non ſit vitalis. Dicere igitur quòd intellectio non eſt vitalis; eſt dicere quòd intellectio non eſt intellectio.

Ariſtot. 2. lib. de anima.

9. ethic.

D. Thom.

Ioan. 14.

28 Idem tandem ex illo Io: 14. confirmatur. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum*. Si igitur Deus ſe ſolo beatam produceret viſionem, in tali caſu, viſio Dei non eſſet vitalis, & tunc falſa eſſet ſupradicta Chriſti Domini propoſitio. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*. Ex quo colligi poteſt an ſolidè Recupitus num. 5. dixerit. quòd *ſi quis dixerit eamdem intellectionem, ſi producatur à principio intrinſeco, eſſe vitalem: ſi à ſolo Deo, non vitalem; difficilè conuinci poſſet*.

Recup.

29 Reſpondent etiam alij. *Dato quòd vitalitas ſit de intrinſeca ratione actuum vitæ intellectiuæ, & ſenſitiuæ, optimè ſaluatur, per ſolam connaturalem exigentiam concurſus potentiæ vitalis, etiam ſi per potentiam diuinam carere poſſit tali concurſu*: Ita Recupitus loco citato num. 5. & fortaſſe Scotus in hoc ſenſu partem defendit affirmatiuam. Nam in 4. diſt. 48. quæſt. 1. §. *hic dicitur*; circa finem explicans illam Chriſti propoſitionem. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*: ſic ait. *Secundùm philoſophum actus intellectus eſt vita. Ergo actus intellectus æternus, eſt vita æterna; ſi actu, actu, ſi aptitudine, aptitudine*. Idem confirmat diſtin. 49. quæſt. 4. §. *Ad rationes principales*.

Recup.

Sotus.

30 Contra hunc dicendi modum argumentor primò. Implicat accidēs eſſe cum actuali inhærentia, & ſubiecto non inhærere, & è contra, Implicat vt de facto inhęreat ſine actuali inhærentia, & non habeat actualem inhærentiam. Ergo implicat quòd intellectio ſit vitalis actualiter, & actualiter ab intellectu non procedat. Antecedens eſt de ſe clarum. Probo autem conſequentiam. Quia ſicut accidenti actualiter inhærenti, conuenit actualis inhærentia, ſic intellectioni actualiter intellectum intelligentem denominanti, conuenit actualis ab eodem intellectu proceſſio. Nam ſi intellectio eſt vitalis, & actualiter ponitur in intellectu, ita vt illum actualiter intelligentem conſtituat, non poteſt intellectus vitaliter non concurrere: ſed vitaliter concurrere, non eſt merè paſſiuè ſe habere. Ergo &c. & hęc eſt inter intellectionem, & accidentis inhęrentiam, vera paritas; non illa quam Recupitus n. 5. fingit, & non probat, dicens *quòd potimè ſaluatur, &c. ſicut ratio accidētis ſaluatur p ſolā cōnaturalē exigētiā eſſēdi in alio. Sed ſi ita dicatur poterit ſtare ratio vitalitatis ſine actuali influxu efficientis: ſicut ſtat ratio accidentis, ſine actuali influxu ſubiecti. Ergo non eſt ratio cur dicatur actum vitalem de potentia abſoluta non poſſe fieri à ſolo Deo ſine concurſu potentiæ vitalis: ſicut accidens fieri, & conſeruari poteſt à ſolo Deo ſine concurſu ſubiecti*. Hæc ille. quæ paritas ſicut priuata, ac ſola voluntate proponitur, ita etiam ſola negatione reijcitur; nec diſparitas petenda eſt, vbi nulla paritas aſſignatur.

31 Secundò. Intellectio per aduerſarios, non eſt niſi id quo cognoſcitur, ſeu vitaliter percipitur obiectum: ſed impoſſibile eſt intellectum, aliquod obiectum cognoſcere abſquè eiuſdem intellectus attentione, & conatu. Ergo impoſſibile eſt, quòd actio vitalis non ſit effectiuè à principio intrinſeco vitali. Patet conſequentia. Quia intellectus attentio, & conatus, non eſt intellectum pati, ſed agere.

32 Tertiò. Sola connaturalis principij vitalis exigentia, abſquè actuali dependentia ſenſationis, ſcilicet, vel intellectionis, quæ ſunt actus vitales, non ſaluatur inter modum operandi viuentium, & non viuentium differentia. Nam viuentia non agunt vt viuentia, ſi de facto ad aliquam operationem ab alio, & non à ſe mouentur; Quia ſi alicuius animalis pes, vel manus, ab aliquo principio extrinſeco moueatur, ipſo animali paſsiuè dumtaxat concurrente, clarum eſt, quòd animal ad illum motum, tanquàm mortuum concurreret. Eodem enim modo moueretur, ac ſi mortuum eſſet. Ergo illa motio non eſt vitalis, ſi autem moueret ſe, illa motio eſſet vitalis. Ergo non ſaluatur differentia.

33 Quamuis Scotus partem ſuſtineat affirmatiuam, tamen vi rationis ex vitalitate deſumptæ conuincitur, & fatetur intellectum actiuè concurrere ad intellectionem. Nam in primo diſt. 3. quæſt. 8. reſpondens argumento ſecundo pro prima opinione,

quod

quod eſt tale. *effectus non excedit cauſam in perfectione: Melius eſt autem omne viuum non viuente, ſecundùm Auguſtinum, de ciuit. Dei. Ergo operatio vitalis non poteſt eſſe, niſi à principio agendi vitali, vel viuo: iſtæ operationes cognoſcendi, ſunt operationes vitales. Ergo ſunt ab ipſa anima ſicut à ratione gignendi.* Sic reſpondet. *Ad rationem primam pro illa opinione, dico, quòd concludit pro me; quia cognitio cum ſit operatio vitalis, non eſt à non viuo, ſicut à totali cauſa, poteſt tamen non viuum, eſſe cauſa partialis alicuius viui, vel effectus vitalis; ſicut ſol non viuus, eſt cauſa partialis cum Patre ad generandum filium viuum, & multò magis in propoſito eſt poſſibile; quia hic cauſa principalior eſt viua.* Hæc eadem verba diſputatione præcedenti num. 21. ſunt iterum recitata.

34 Deniquè reſpondent alij, quòd actus vitales vitæ intellectiuæ, & ſenſitiuæ, ſunt operationes vitalium potentiarum, grammaticales, non reales; & ſic poſſunt ſolum Deum tanquàm principium reſpicere. Ita idem Recupitus num. 9.

35 Contra hunc dicendi modum ſic argumentor. Quia intellectio creata, verbi gratia, quæ dicitur actio grammaticalis, eſt realiter diſtincta à natura ſubſtantiali, & à potentia intellectiua, dupliciter poteſt dici grammaticalis. Primò, per negationem proceſsionis ab alio; ſecundò, per negationem productionis vlterioris termini. Si intelligatur hoc ſecundo modo; veritatem habet, modo tamen ſupra explicato; ſi autem primo, falſum aſſumit, & efficaciter ex ſupradictis impugnatur. Non enim ſaluaretur ratio operationis vitalis, nec vitaliter operantis; vt probauimus.

36 Probatur ſecundò principaliter noſtrum dictum. Impoſsibile eſt intelligi motum ſeu mutationem aliquam, abſquè termino à quo, & ad quem: ſed intellectio eſt veluti quædam mutatio intellectus ad obiectum. Ergo implicat intellectionem non reſpicere intellectum, vt terminum à quo, & obiectum, vt terminum ad quem; ſed intellectum eſſe terminum à quo intellectionis, eſt intellectionem effectiuè procedere ab intellectu. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Aduerſariorum argumenta, & ſolutiones.

37 Contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Si intellectio eſſet à ſolo Deo producta, intellectus per illam ſibi inhærentem, eſſet formaliter intelligens, & viuens. Ergo non implicat, vt intellectio à ſolo Deo producatur. Conſequentia eſt euidens ex prædictis. Probatur autem antecedens. Quia hic eſt intellectionis proprius effectus, intellectum intelligentem conſtituere. Alias explicandum eſſet, ſi intellectio eſſet à ſolo Deo producta, quomodo per illam denominaretur intellectus.

38 Reſpondetur primò, negando antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Hic eſt proprius intellectionis effectus, &c. intellectionis poſsibilis, & veræ, concedo antecedens. Intellectionis impoſsibilis, & chimericæ, nego antecedens. Etenim ſi intellectio eſſet à ſolo Deo, ita vt merè paſsiuè concurrat intellectus non denominaret intellectum intelligentem; quoniam intellectus vitaliter non concurreret.

39 Quòd ſi per impoſsibile daretur intellectio à ſolo Deo producta, denominaret intellectum, non quidem intelligentem, ſed alia denominatione, puta intellectionatum, vt ita loquar. Reciperet enim illam per modum cuiuſdam formę, & reſpectu illius, ſicut quodcunquè ſubiectum in ordine ad formam quam recipit, ſe haberet. Quemadmodum enim per albedinem corpus denominatur album, ſeu dealbatum; ita intellectus per intellectionem impoſsibilem, id eſt, à ſolo Deo procedentem, non denominaretur intelligens, ſed intellectionatus.

40 Pro cuius tamen intelligentia eſt obſeruandum, quòd cum intellectus dicitur intelligens, quamuis non dicatur agens reſpectu intellecti; dicitur autem agens reſpectu intellectionis. Ita docet D. Thomas de veritate quæſt. 8. art. 7. cuius verba ſupra diſp. 55. num. 20. retulimus. Itaquè, idem eſt, intellectum dici intelligentem, ac agentem, ſeu producentem intellectionem. D.Thom.

41 Si quis verò percunctetur. An per ſolam intellectionis efficientiam, intellectus vocetur intelligens: an per efficientiam, & receptionem ſimul.

Reſpondetur breuiter, intellectum creatum dici, ac denominari intelligentem de formali, per hoc quòd efficit intellectionem; de materiali verò, per hoc quòd intellectionem recipit. vt dictum eſt diſputat. 55. num. 20.

42 Obijcies ſecundò. Intellectus non concurrit actiuè ad intellectionem vt vitaliter concurrat. Ergo poteſt à ſolo Deo produci ipſo merè paſſiuè ſe habente. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Quia poteſt intellectus viuere recipiendo, & non agendo. Ergo non eſt neceſsè vt concurrat

actiuè

Digitized by Google

actiuè ad intellectionem, ad hoc vt vitaliter concurrat, ſeu vt per illam viuat. Probatur antecedens. Quia intellectus per lumen gloriæ viuit, merè paſſiuè concurrendo: non enim intellectus producit, nec producere poteſt lumen gloriæ.

43 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, concedo antecedens. & nego conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt; quia vita ſupernaturalis intellectus in actu primo, cum non ſit illi identificata, neceſsè eſt, vt recipiatur à lumine quo eleuatur, confortatur, & roboratur, vt in vitam in actu ſecundo prodire poſſit: vita autem ſupernaturalis in actu ſecundo, cum ſit ab intellectu ſufficienter in actu primo conſtituto, conſiſtit in productione intellectionis ſibi inhærentis; non enim poteſt eſſe vita æterna, niſi cognoſcendo, id eſt vitaliter concurrendo. Vnde dicitur Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te.*

Io. 17.

44 Vbi eſt aduertendum, quòd Aliud eſt dicere, quòd intellectus lumen gloriæ vitaliter recipit: & Aliud quòd intellectus lumen gloriæ recipit, vt per illud vita ſupernaturali in actu primo viuat. Primum non eſt admittendum, niſi in hoc ſenſu, intellectus lumen gloriæ vitaliter, id eſt tanquàm ſubiectum viuum vita naturali, & capax vitæ ſupernaturalis, recipit. quod tantùm probat argumentum; ſecundum autem eſt verum. Ex quo patet diſcrimen inter modum quo intellectus concurrit ad lumen gloriæ, & modum quo concurrit ad viſionem; Quia ad lumen tantùm ſubiectiuè, & vt in actu primo vita ſupernaturali viuat: Ad viſionem verò, concurrit, vt formaliter viuus, & vt vitaliter ſe habens. Sed ex Recupito

45 Obijcies tertiò. *Saluatur connexio vitalis cum ſuo principio vitali, ſine vllo actiuo concurſu intellectus. Ergo non implicat viſionem beatam à ſolo Deo produci. Probatur antecedens. Saluatur connexio cum intellectione qua intellectio eſt, & qua vitalis eſt. Ergo omnimodo ſaluatur. Probatur antecedens, & primò, quòd ſaluetur connexio cum intellectu, qua intellectio eſt; ſic probatur. Nam intellectio vt ſic, eſt actualis ratio, qua intellectus percipit obiectum: ſed ad hoc ſatis eſt, ſi recipiatur in intellectu. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Quia ſicut motus receptus in mobili tribuit illi effectum formalem, vt eſt actualis acquiſitio ſpatij, etiam ſine vllo concurſu effectiuo mobilis: ita intellectio recepta in intellectu, poteſt illi tribuere effectum formalem, vt eſt actualis perceptio obiecti ſine vllo concurſu effectiuo intellectus;* quòd verò ſaluetur connexio cum intellectione qua vitalis eſt: probat ex ijs quæ dicta ſunt reſpondendo ad rationem principalem pro noſtra concluſione: quæ iam refutata ſunt.

46 Confirmatur primò. *Sicut per durationem quæ in Vita Bonauenturæ eſt modus diſtinctus à re durante, verè, & intrinſecè duraret ſubiectum, etiam ſi produceretur à ſolo Deo in ſubiecto: ita per intellectionem receptam in intellectu, intelligeret intellectus, etiam ſi produceretur à ſolo Deo.* D. Bonau.

Confirmatur ſecundò. *Quia intellectio vt ſic, non eſt actio realis, ſed tantùm grammaticalis intellectus. Ergo intellectio vt ſic, non reſpicit eſſentialiter intellectum vt principium effectiuum reale, ſed tantum vt grammaticale.*

47 Confirmatur tertiò. *Quia intellectio præciſè vt talis eſt, comparatur ad intellectum vt quo, eſt enim id quo intellectus attingit obiectum; ad efficiens, comparatur vt quod. Eſt enim, id quod producitur media actione prædicamentali. Ergo non repugnat ſimul comparari ad intellectum tantùm vt quo; & ad aliud principium efficiens, puta Deum comparari vt quo.* Hæc Recupitus loco citato.

48 Sed Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, nego antecedens, quo ad vtramquè partem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Intellectio vt ſic, eſt actualis ratio, qua intellectus vt attendens, & conatum faciens, percipit obiectum, concedo maiorem. Non vt attendens, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia: Ad probationem autem minoris, nego paritatem. Etenim motus receptus in mobili, tribuit illi effectum formalem, puta actualem acquiſitionem ſpatij, ſecundùm paſſiuam denominationem. Facit enim mobile locatum in tali ſpatio: at verò, intellectio ponitur in intellectu; vt denominet illum ſecundùm actiuam denominationem. Intellectus enim per intellectionem denominatur intelligens, non intellectionatus, ſeu intellectiatus; quam denominationem cauſaret, ſi per impoſſibile daretur intellectio in intellectu ſine cócurſu effectiuo intellectus, ſicut calefactio recipitur in ligno, vt ſit id quo lignum percipit calorem, ratione cuius calefactionis, lignum non dicitur calefaciens, ſed calefactum.

49 Ad primam confirmationem reſpondetur, negando paritatem. Nam duratio denominat ſubiectum exiſtens, ſeu perſiſtens in ſuo eſſe, non autem operans: at verò, intellectio denominat intellectum operantem; non quidem paſſiuè, ſicut ſubiectum ſe habet reſpectu formæ, ſed actiuè. Dicitur enim intelligens, quę denominatio non eſt patientis, ſed agentis.

50 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Intellectio vt ſic, non eſt operatio realis intellectus, ratione termini producti, concedo antecedens. Ratione proceſſionis eiuſdẽ intellectionis ab intellectu, nego antecedens. Nam intellectio creata, licet non ſit eſſentialiter

alterius

alterius termini productio ; cum ipſa ſit eiuſdem intellectus, terminus intrinſecus per ſe primò intentus; qua ratione operatio grammaticalis nuncupatur, verumtamen, quia intellectio, intellectum actiuè denominat, nempè intelligentem, quantùm ad hoc, eſt verè ac realiter, operatio ab intellectu procedens.

51 Ad tertiam confirmationem reſpondetur, negando antecedens, quo ad ſecundam partem, iuxta modum quo ab arguente ponitur. Concedimus vtiquè, intellectionem comparari ad intellectum, vt quo vitaliter percipit obiectum, & vt quod ab efficiente producitur; hoc autem non eſt tantùm Deus, ſed etiam idem intellectus; negamus tamen, media alia actione produci, ſed ipſam eſſe actionem ab intellectu procedentem, non ad alterius termini productionem, ſed propter obiecti perceptionem, aſſerimus.

52 Obijcies quartò. Intellectio creata diſtinguitur realiter ab eius intellectu. Ergo poteſt per Dei potentiam abſolutam ab eodem intellectu ſeparari, ab illoquè ſeparatim exiſtere. Antecedens patet; Probatur autem conſequentia. Quia quæ realiter ſunt diſtincta, dummodo propriam habeât exiſtentiam, poſſunt diuino miraculo ſeparari: ſed intellectio creata, & intellectus, realiter diſtinguuntur, quantùm ad eſſentiam, & quantùm ad exiſtentiam. Ergo, &c.

53 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Quæ ſunt realiter diſtincta, dummodo propriam habeant exiſtentiam, & vnum non ſe habeat eſſentialiter, vt actio vitalis, alterum verò, vt principium vitale, concedo maiorem. Si verò, vnum ſe habebit vt actio vitalis, & alterum vt principium vitale, nego maiorem. Eſſet enim, & non eſſet actio vitalis, ſi ſeparatim à ſuo principio vitali exiſteret, vt ex ſupradictis conſtat.

54 Dicet aliquis. Poteſt Deus ſeparare accidens à ſubiecto, ne inhærendo exiſtat. Ergo ſimiliter poterit ſeparare intellectionem creatam vt exiſtat in alieno ſubiecto, vel abſquè omni inhærentia.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, Quia accidens non eſt eſſentialiter actio vitalis, nec eſt eſſentialiter actu inhærens: at verò intellectio eſt eſſentialiter actio vitalis.

55 Dicet aliquis. Sicut calefactio eſt à potentia calefactiua, ita intellectio à potentia intellectiua, & è contra; ſed Deus ſe ſolo ſine calore poteſt calefactionem producere. Ergo etiam ſe ſolo, poteſt intellectionem ſine intellectu cauſare.

56 Reſpondetur negando maiorem. Nam calefactio eſt caloris productio: Deus autem licet non habeat calorem formaliter, habet tamen virtutem producẽdi calorem; quare per calefactionem a ſe ipſo ſolo productam calefacere poteſt, non tamen habet virtutem ſe ſolo producendi intellectionem, ſicut non habet virtutem intelligendi intellectione creata: Quia ad hoc requiritur principium intrinſecum ac vitale intellectionis. Sicut enim per productionem calefactionis dicitur calefacere, ita etiam per intellectionis productionem, dicitur intelligens: & hoc magis patet ſi ad communem loquendi modum attendamus. Dicitur enim Deus media caloris calefactione, calefacere; non tamen dicitur Deus, media intellectione alicuius intellectus creati intelligere; & ratio eſt, quia intellectio, & quælibet vitalis actio, eſſentialiter principium intrinſecum vitale petit, vt dicatur eius principium intelligere, &c.

57 Obijcies quintò. Quidquid poteſt Deus med ante cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolo; ſed Deus poteſt pducere intellectionẽ mediâte intellectu creato tanquam cauſa ſecunda effectiua. Ergo poteſt illam ſe ſolo producere. Maior eſt ad. ò certa, vt Diuus Thomas infra quæ. 105. art. 2. in corp. dicat *erroneum eſſe dicere Deum non poſſe facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus qui fiunt per quamcunquè cauſam creatam.* D Thom.

58 Reſpondetur diſtinguendo maiorem, Quidquid Deus poteſt facere mediante cauſa ſecunda effectiua, poteſt ſe ſolo, ſi illud non ſit actio vitalis, concedo maiorem. Si ſit actio vitalis, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Nec D. Thomas à Recupito Recupit. adductus loco citato de actione vitali diſcurrit. Nam ibi quærit, *Vtrum poſſit Deus immediatè mouere aliquod corpus.*

59 Obijcies ſextò. Poteſt Deus producere potentiam intellectiuam extra animam, quæ eſt proprium eius ſubiectum. Ergo ſimiliter producere poteſt viſionem extra intellectum, & illam in ratione qualitatis in lapide collocare.

Reſpondetur, tranſeat antecedens, non enim eſt hic, illud diſputandi locus, & negando conſequentiam; & diſparitatis ratio eſt; quia potentia intellectiua ab eſſentia animæ tanquàm paſſio dimanat, non tanquàm vitalis actio; quæ eſſentialiter ab intelligente effectiuè dependet.

60 Obijcies ſeptimò. Non implicat humanitatem exiſtere, & non per exiſtentiam ab ipſa forma productam; immo de facto iuxta D. Thomæ, ac Thomiſtarum ſententiam, in incarnationis myſterio contingit. Ergo neque etiam implicat, vt intellectus creatus videat Deum, & non per viſionem à ſe productam.

Re-

Digitized by Google

61 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. & negationis ratio eſt; quia licet de ratione exiſtentiæ ſit eſſe actum eſſentiæ, & vltimam illius actualitatem, ſeù terminum; tamen quòd à forma procedat, eſt de modo connaturaliter ſibi conuenienti, non autem eſſentialiter: at verò de ratione eſſentiali intellectionis, cum ſit actio vitalis, eſt vt à principio intrinſeco vitali procedat, vt plures diximus.

D.Thom. 62 Obijcies octauò, Authoritate D. Thomæ de verit. quæſt. 10. art. 11. in corp. vbi hæc habet verba. *Reſpondeo dicendum, quòd aliqua actio poteſt alicui conuenire dupliciter. Vno modo ſic, quòd illius actionis principium ſit in operante, ſicut in omnibus naturalibus operantibus videmus. Alio modo ſic, quòd principium operationis illius, vel motus, ſit à principio extrinſeco, ſicut eſt in motibus violentis; & ſicut eſt in operibus miraculoſis, quæ non fiunt niſi virtute diuina. Menti igitur noſtræ in ſtatu viæ, non poteſt conuenire viſio Dei per eſſentiam ſecundùm primum modum;* concludit verò poſſe iuxta ſecundùm modum. Ergo poteſt viſio beatifica à Deo tanquàm à ſolo principio extrinſeco produci.

63 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quoniam verborum D. Thomæ ſenſus eſt, non quem arguens intendit, ſed iſte, videlicet, quòd principium quo videtur Deus per lumen gloriæ, per modum habitus, vt in patria, vel per modum actus, vt in via, non eſt à natura, ſeù naturaliter acquiſitum, ſed à Deo infuſum.

DISPVTATIO LVIII.

VTRVM CAPREOLVS AFFIRMAVERIT INTELLEctionem à ſolo Deo poſſe produci.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo parte affirmatiua ſunt ferè omnes Doctores; verumtamen Vtrum determinatè Capreolus affirmatiuam ſuſtinuerit partem, ex eius verbis percipiendum eſt. Vnde

Dico breuiter. Capreolus nunquàm determinatè affirmauit à ſolo Deo poſſe produci intellectionem, nec in ratione qualitatis, nec in ratione intellectionis, imo abſolutè negauit.

Io. de Ripa. Probatur, Quia in 1. diſt. 35. quæſt. 1. ad primum eorum quæ Ioannes de Ripa primo loco contra concluſionem obijcit, Et in tomo meo fol. 461. hæc habet verba *Dico ergo quòd intelligere in Deo eſt actio intellectus diuini, nec ſequitur, ſi in Deo intelligere ſit actio, non differens, nec producta ab intellectu, quòd ita ſit in nobis. Quia intellectus, & intelligere non dicuntur vniuocè de Deo & creatura. Dico tamen quòd intelligere, vt intelligere eſt, non habet de ſua ratione quòd ſit productum ab intellectu, nec habet, quòd ſit idem cum intellectu, ſed abſtrahit ab vtroquè, illo modo quo analogum abſtrahere poteſt à ſuis inferioribus: tamen ſicut dicit Sanctus Thomas p. p. quæſt. 29. art. 4. aliquid eſt de ratione inferioris, quod non eſt de ratione ſuperioris, vt rationalitas eſt de ratione hominis, non autem animalis in communi: ita in propoſito, de ratione intelligere creati eſt, quòd ſit quid procedens ab intellectu facto in actu, licet non ſit de ratione actus intelligendi in communi conſiderati.* Ergo. D.Thom.

2 Obijciet aliquis pluribus Capreoli authoritatibus, quæ omnes adducuntur, & ſucceſſiuè declarantur; Etenim in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 2. ad 4. in principio, & in tomo meo fol. 163. ſic ait. *Ad quartum dicit Gregorius, quòd Deus poſſet ſeparare intellectionem ab intellectu, ita tamen ſeparata, non eſſet intellectio. Hæc ille. Huic ſolutioni concordat*

Sanctus

Digitized by Google

Sanctus Thomas in quodam quodlibeto, vbi quærit vtrum Deus poſſet facere albedinem ſine quantitate. Ibi enim ponit, quòd tales qualitates ſpirituales Deus poſſet ſeparare à ſubiecto, & facere ſubſiſtere, ſicut corporales. Ego tamen dico quòd qualitas illa ſic ſeparata adhuc eſſet intellectio, & cognitio. Quia licet tunc nullus intelligeret per eam in actu, tamen illa apta nata eſſet, ſi inhæreret intellectui, dare ſibi eſſe actu intelligens, ſicut albedo ſeparata nihil albaret in actu ſed in potentia. Hæc ille. Vbi ait intellectionem eſſe intellectionem etiam ſi diuinitus eſſet ſeparata.

3 Id verò aduertendum eſt, quòd interpretari debet de intellectione ſecundùm inadæquatum conceptum intellectionis, non autem ſecundùm conceptum adæquatum illius. Aliàs enim ſibi apertiſſimè contradiceret ibidem ad argumentum Adæ, ibi namque ait, *quòd nullus intellectus intelligere poteſt per intellectionem ſibi inhærentem, niſi etiam intellectus coefficiat eam*; quando autem dixit quòd illa nata eſſet, ſi inhæreret intellectui, dare ſibi eſſe actu intelligens. Sẽſus eſt, ꝙ apta nata eſſet, ſi inhæreret intellectui dare illi eſſe actu intelligens, ſi inhæreret intellectui, & ab illo profflueret, non autem ſi inhæreret tantummodo.

4 Pro cuius intelligentia eſt breuiter obſeruandum, quòd intellectio creata, vt intellectio eſt, dicit qualitatem procedentem ab intellectu, & attingentem obiectum, eidemquè inhærentem. Quando Capreolus admittit poſſe intellectionem in ratione intellectionis ab intellectu diuinitus ſeparari, locutus eſt de intellectione, ſecundùm quòd conuenit ei inhærere, & obiectum attingere; non verò ſecundùm quòd conuenit ei ab intellectu procedere. Non enim repugnat intellectionem ea ratione qua inhæret, ab intellectu ſeparari, quod quidem conuenit illi materialiter in ratione intellectionis vt intellectio eſt, formaliter verò, quatenus actio immanentis eſt. Verumtamen, quia intellectio vt inhærens, intrinſecè alium conceptum includit, puta vitaliter ab intellectu procedere, ratione cuius eſt inſeparabilis; ideo abſolutè loquendo, non poteſt à Deo ſeparari, & ſi per impoſſibile ſeparari poſſet, intellectus per illam intelligere non valeret.

5 Et in 1. diſtin. 35. quæſt. 1. artic. 2. ad 4. Durandi pag. 460. ſic ait *Ad 4 dico quòd intelligere poſſet per Dei potentiam ſeparari, tamen nihil tunc intelligeret per illud intelligere, & loquor de intelligere pro vt dicit actum intelligendi, non pro vt dicit eſſe illius formæ cum relatione ad intellectum.*

6 Et in 2. diſt. 3. quæſt. 2. pag. 168. ad primum Adæ ſic ait. *Licet Deus ſe ſolo poſſet creare illam entitatem quæ dicitur intellectio, & ſeparare à quocunquè ſubiecto, vel infundere cuilibet intellectui, & facere illi inhærere, tamen nullus intellectus intelligeret per eam, niſi eam coefficeret. Nam cognitio eſt actio immanens; nihil autem agit per aliquam actionem à ſe diſtinctam, niſi illa actio ſit ab eo vt patet 3. phyſic. & 11. methaph.* Hæc ille.

7 Reſpondetur itaquè, quòd verba Capreoli intelligenter conſiderari debent, & fideliter interpretari; Nam primo loco loquitur contra Durandum, non diſtinguentem potentiam intellectiuam ab intellectione, tanquàm duas entitates realiter diſtinctas, ſed aſſerentem actum intelligendi addere ad potentiam tantummodo reſpectum ad obiectum, non verò aliquid abſolutum, vt patet ex argumento Durandi, cui per verba iam recitata reſpondet; quorum ſenſus eſt, quòd intelligere ex eo capite quo dicit aliquid abſolutum, poſſet vtiquè diuinitus ab intellectu ſeparari, & nihil poſſet per illud denominari intelligens; ex alio autem capite; eo quia vltra illud eſſe abſolutum, dicit etiam ordinem ad intellectum, redditur inſeparabilis omnino.

8 Secũdus verò locus intelligitur de intellectione data hypoteſi impoſſibili, videlicet quòd poſſit intellectio à ſolo Deo produci. Ibi enim huic argumento occurrit. *Si omne intelligere eſt actio elicita ab intellectu, tunc ſolus Deus non poſſet ſine intellectu creato creare viſionem Dei, quod non videtur dicendum*, & per ſupradicta verba reſpondet. Quorum verborum ſenſus eſt, dato quòd Deus ſe ſolo poſſit entitatem viſionis creare, non tamen poteſt fieri à Deo, vt intellectio, ſeu intelligere ſecundùm quòd intellectum intelligentem conſtituit, non ſit agere, quia hoc eſt intellectum intelligere, intellectionem in ſe immanenter agere, vt pluries expreſsè docet Capreolus in 1. diſtinct. 35. quæſt. 1. ad 6. Goffredi pag. 460. & 461.

Et per idem ad cætera loca reſpondetur; loquitur enim ad argumenti debilitatem oſtendendam, & ex ſuppoſitione, non autem ex propria ſententia, & abſolutè.

Digitized by Google

DISPVTATIO LIX.

VTRVM PER DEI POTENTIAM ABSOLVTAM intellectus creatus poſſit videre, ſeù intelligere Deum per intellectionem increatam Dei.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Hæreticorum, atquè Catholicorum opiniones referuntur.

1 HÆretici, qui vnionem diuinæ, & humanæ naturæ in Incarnationis myſterio, factam fuiſſe, eo modo quo anima vnitur corpori noſtro, dixerunt: poſuerunt diuinitatem fuiſſe corporis animam, ſeù vitam. Ita Eunomius, & ſequaces eius. Et alij hæretici, qui negantes verbum diuinum fuiſſe vnitum tanquàm animam viuificantem corpus, poſuerunt tamen vniri tanquàm animam rationalem, ſicut Apollinaris, eiusquè ſectatores; aſſeruerunt de facto Chriſtum Dominum viſione increata omnia vidiſſe. Verumtamen iſti, quia ſolam diuinitatem tanquàm animam vnitam fuiſſe dicunt, animam verò rationalem, vnitam fuiſſe omnino negabant; dixerunt quidem, Chriſtum Dominum viſione increata Deũ vidiſſe, nunquàm tamen dixerunt, intellectum creatum intellectione increata intellexiſſe Deum. Etenim ſicut in Chriſto animam rationalem fuiſſe negabant, ita eius quoquè intellectum non admittebant.

Eunom.

Apollin.

2 Quidam autem alij Hæretici dixerunt, in Chriſto eſſe vnam dumtaxat voluntatem, & vnam operationem puta diuinam. Hi fuerunt Sergius, Paulus, Pyrrhus, Petrus, Cyrus, ac Theodorus, Patriarchæ, ſeù Archiepiſcopi Cõſtantinopolitani, Macharius Archiepiſcopus, ſeù Patriarcha Antiochenæ Ciuitatis, qui inter alios tam admirabili obſtinatione, in Chriſto non duas voluntates, aut duas operationes confiteri voluit, ſed vnam dumtaxat, puta diuinam, coram Conſtantino Magno Imperatore, & Legatis miſſis ab Agathone Papa phanaticè defendebat, *rogatus ſi confiteretur apertè duas naturales voluntates, & duas operationes in Domino noſtro Ieſu Chriſto, reſpondit. Non dico duas voluntates, aut duas operationes in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed vnam voluntatem, & Dei virilem operationem; non tamen duas confiteor* (Nota) *etiam ſi membratim incidar, & mittar in mare*, & hi vocati ſunt *Monothelitæ*, ſic dicti, ab vna tantùm voluntate, quam Chriſto tribuebant, vt rectè obſeruat Alphonſus de Caſtro, aduerſus hæreſes lib. 4. verbo *Chriſtus* hæreſi 6. Pater Vaſquez, 3. p. diſp. 73. num. 1. ſupradictis hæreticis, alium addit, nomine *Lypum*, dicens fuiſſe ſupradicti Pauli Patriarchæ Conſtantinopolitani ſequacem, ſeù diſcipulum, ſed in hoc deceptus eſt, quia à nomine libri ad nomen tranſiuit Authoris. Etenim *Lypus*, quem fuiſſe hominem dicit, liber, non autem homo fuit, vt rectè aduertit Lorca, diſp. 69.

Sergius. Paulus. Pyrrhus. Petrus. Cyrus. Theodor. Machar.

Conſtant. Agatho.

Alphonſ. Vaſquez. Lorca.

3 Vtrum autem ſupradicti hæretici opinati fuerint in anima Chriſti Domini, nullatenus creatam voluntatem, creatamquè eiuſdem operationem fuiſſe; an vero ſolummodo negaſſe creatam animæ Chriſti voluntatem, tanquàm principium volitiuum nihil omnino exercuiſſe; variant Doctores. Mihi tamen magis placet ſi dicamus, ſupradictos hæreticos creatam voluntatem eiuſquè operationem potuiſſe quidem in anima Chriſti, materialiter, ſeù entitatiuè; non verò formaliter, ſeù in ratione principij volitiui. Videatur D. Thomas 3. p. quæſt. 9. a t. 1.

D. Thom.

4 Sed in caſu noſtro Ioannes de Ripa, vt refert Capreolus in 3. diſt. 14. quæſt. 1. art. 1. expliciè affirmat intellectum creatum per increatam viſionem poſſe videre Deũ, & intellectum humanitatis Chriſti, per huiuſmodi viſionem increatam de facto videre, & Hugo de Sancto Victore tom. 3. tract. de ſapientia animæ Chriſti, ſic ait. *Quid eſt cognitio Dei? nũquid accidẽs eſt? Ergo amor Dei accidẽs eſt? Et beatitudo accidẽs eſt? Et in accidentibus beatitudo noſtra? Ipſe eſt ſapientia qua cognoſcimus, ipſe amor quo diligimus.* Et in tract. de ſacram. par. 1. cap. 6. ſic ait. *Indubitanter dicendum eſt, quòd alia ſapientia quàm*

Io. de Ripa. Capreol.

Hugo de S. Victor.

Digitized by Google

Arimin.

quàm diuina non fuit in Chriſto. Hanc eandem ſententiam Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 7. quæſt. 2. ſuo tempore Pariſijs ſuſtentatam fuiſſe teſtatur.

D.Thom. Capreol. Caiet. Medina. Suarez. Vaſquez. Aluarez. Martin. Curiel. Ægidius. Recupit. D.Bonau. Scotus. Ocham.

5 Sentẽtia autem negatiua eſt inter Theologos communiſſima. Ita D. Thomas hic, 1. 2. quæſt. 3. art. 1. & 3. p. quæſt. 9. art. 1. Capreolus in 2. diſt. 3. quæſt. 1. ad 10. contra primam. & in 3. diſt. 14. quæſt. 1. ar. 1. Caietanus infra, quæſt. 26. art. 3. & 3. p. quæſt. 9. art. 1. Medina, 1. 2. quæſt. 3. ar. 1. & 3. p. citata, Suarez, tom. 1. in quæſt. 1. diſp. 24. ſect. 2. Vaſquez, 1. 2. diſp. 7. cap. 7. Aluarez 1. 2. quæſt. 3. art. 1. diſp. 15. & 3. p. citata, Martinez, 1. 2. eadem quæſt. dub. 4. Curiel ibidem tract. de eſſentia beatitudinis quæſt. 4. §. 8. in reſponſione ſecunda. Ægidius Luſitanus tom. 1. p. 2. quæſt. 3. lib. 4. quæſt. 1. art. 2. §. 2. Recupitus, lib. 6. quæſt. 24. cap. 2. Idem etiam ex profeſſo docet, D. Bonauentura in 3. diſt. 14. quæſt. 1. Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. Ocham in 1. diſt. 1. quæſt. 2.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

6 PRO determinatione veritatis, Dico primò. Nullus intellectus creatus de facto per intellectionem increatam, Deum videt, & oppoſitum aſſerere, eſt erroneum, temerarium, imo hæreticum.

Probatur primò. Quia ſic communiter Theologi. Sic Sancti Patres docent, vt videri poteſt apud Martinez, & alios, vnanimiter confitentur.

1.Io.3. Ioan. 14.

Probatur ſecundò. Quia in ſacris litteris non obſcurè aſſeritur Beatos per viſionem creatam, videre Deum. Ergo viſio beatifica non eſt Deus. Deus enim non eſt viſio producta, ſeu creata. Antecedens probatur primò ex illo 1. Ioannis 3. vbi dicitur, *Cum apparuerit ſimiles ei erimus & videbimus eum ſicuti eſt*, & Ioannis 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*: videre autem in creatura intellectuali, eſt producere viſionem.

Recup. Scotus. Ocham.

7 Recupitus lib. 5. quæſt. 24. cap. 1. num. 3. ait, quòd hæc ratio *non eſt efficax. Nam quòd viſio importet influxum potentiæ vitalis, non eſt certum. Cum id negent Scotus, Ocham, & Alij, poſſet autem dici vita methaphoricè, etiam ſi non importet influxum uitalem animæ.*

Scotus.

8 Sed re vera ratio eſt efficax; Quod ita probo. Quamuis enim Scotus, & alij, libenter admitterent viſionem non importare actiuum influxum intellectus, concederent tamen iuxta Recupiti opinionem, vi argumenti cõuicti. Hoc enim modo argumẽtor. Ita ſe habet intellectus ad intellectionem ſupernaturalem, ſicut voluntas ad ſupernaturalem volitionem: ſed voluntas ad volitionem ſupernaturalem concurrit actiuè ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. Ergo etiam intellectus actiuè concurrit ad intellectionem ſupernaturalem. Ergo ſi quando Deũ ſupernaturaliter diligimus, actiuè concurrimus, etiam quando videmus Deum. Ergo quando dicitur in Scriptura videbimus eũ, debet intelligi de actiuo influxu. Trident.

9 Dicat Recupitus hæc ratio eſt efficax nec ne? ſi affirmat. Ergo intentum. Si negat, memorem ſui eſſe oportet. Hęc enim probatio eſt, quam ipſe quæſt. 6. num. 7. ad efficaciter probandum, quòd intellectus creatus ad viſionem beatificam actiuè concurrit, contra Scotum, & alios. Recup.

10 Secundò ex verbis Pauli 1. ad Corin. 13. *Charitas nunquàm excidit*. Ergo habitus charitatis manet in patria. Ergo Beati amant Deum amore creato. Ergo ſimiliter vident Deum viſione creata. 1.Cor.13.

11 Recupitus vbi ſupra, ait, quòd *hæc probatio neque eſt efficax. Nam*, inquit, *eſt valde controuerſum, an amor beatificus, ſit eiuſdem ſpeciei cum amore viæ, & ſic poſſet dici, ab eo habitu elici actum amoris non beatifici. & ideo non eſt otioſum.* Recup.

12 Sed immeritò hanc rationem tanquàm inſufficientem, & inefficacem reijcit. Nam dato quòd ſit valdè controuerſum, an amor beatificus ſit eiuſdem ſpeciei cum amore viæ, imo per me ſpecie differunt, vt ſupra diſp. 3. cap. 6. nu. 34. dixi. non eſt autem ita controuerſum, vtrum actus amoris beatifici ſit aliquid creatum, per charitatis habitum productum, imo eſt apud omnes concorditer affirmatum. Et inſuper non eſt ita controuerſum, vtrum ſit idem habitus charitatis viæ, & patriæ, quia quamuis actus ſint ſecundùm ſpeciem diſtincti ad inuicem comparati, poſſunt tamen ab vno, & eodem habitu elici.

13 Tertiò. Ex Concilio Viennenſi, & in Clementina ad noſtrum de hęreticis decretum eſt, hęreticum eſſe aſſerere quòd homo *non indigeat lumine glorię ad uidendum Deum*: Fruſtra autem requiretur lumen, ſi viſione increata videret. Viennen.

14 Recupitus qui ſupra, inquit, quòd *hæc probatio non conuincit. Tum quia eodem modo dicere poſſent aduerſarij, eleuari lumine creato ad viſionem increatam. Tum quia ſicut dicitur à nobis tale lumen eſſe diſpoſitionem ad viſionem, cum eſſentia increata per modum ſpeciei impreſſæ; ita dicent aduerſarij eſſe diſpoſitionem ad unionem cum eadem per modum ſpeciei expreſſæ.* Recup.

15 Irrationabiliter quoquè hanc probationem repellit. Primò, quia lumen gloriæ requiritur ad eleuandam animam vt videat Deum, non ſecus, ac charitas requiritur ad amandum Deum. Ergo ſicut voluntas per

Digitized by Google

charitatem amans Deum, dicitur actiuè ad actum amoris concurrere, ita etiam intellectus indigens lumine gloriæ ad videndum Deum, dicitur actiuè concurrere ad viſionem. Recup. Vnde non rectè Recupitus ait, quòd poſſent dicere aduerſarij, eleuari lumine creato ad viſionem increatam, ſicut nequè dicere poſſunt eleuari voluntatem per charitatem ad amandum Deum amore increato. Nequè rationabiliter dicere poſſent aduerſarij, quod in ſecunda inſtantia affertur à Recupito, quia lumen requiritur vt diſpoſitio ad ſuſcipiendam diuinam eſsẽtiam in ratione ſpeciei impreſſæ, vt per illam poſſit efficere viſionem. Nequè diuina eſſentia habet propriè rationem ſpeciei expreſſæ, cum de illius ratione ſit exprimi, ſeù produci. Et deniquè, quia Concilium clarè dicit, lumen gloriæ eſſe neceſſarium vt eleuet intellectum ad videndum Deum. Ergo licet ſit etiam neceſſarium ad vnionem cum diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, neceſſitas tamen magis principaliter intenta, eſt propter viſionem Dei.

16 Quartò ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Trident. can. 4. vbi anathemate damnatur, qui dixerit hominem cum iuſtificatur, nihil prorſus operari, ſed ſe habere merè paſſiuè tanquàm inanime inſtrumentum. Ergo multò magis concurrit actiuè cum beatificatur, ſeù dum Deum videt.

17 Recupitus qui ſupra, hanc probationem inefficacem cenſet. *Tum quia eſt diſpar ratio. Nam cooperatio ad gratiam eſt neceſſaria ad meritum in viatore; quæ ratio ceſſat in gloria habente rationem termini. Tum quia ex hoc potius infertur oppoſitum. Nam ſicut voluntas licet cooperetur gratiæ, non tamen operatur ipſam gratiam; ita idem dicent Aduerſarij de intellectu reſpectu gloriæ.*

18 Legitur in vita Sanctiſſimi Patris mei S. Dominicus. Dominici, quòd *in euertendis hæreticis Albigenſibus ſeptem conſumpſit annos*, & quidam huius temporis moderni Theologi ferè totum conſumunt oleum, & opus, & ſi non ad communiſſimæ opinionis impugnationem, ad minus ad illius fundamenta non firmanda, ſed infirmanda laborant.

19 Hæc igitur probatio etiam irrationabiliter confutatur. Primò, quia ſui immemor, ſe ipſum impugnat, ſupra quæſt. 6. citata, vbi ad probandam hanc propoſitionem, nempè *intellectus actiuè concurrit ad viſionem beatificam*, hanc rationem adducit, *Ita ſe habet intellectus ad intellectionem ſupernaturalem, ſicut voluntas ad volitionem ſupernaturalem: ſed voluntas ad volitionem ſupernaturalem concurrit actiuè ex Tridentino. Ergo*, &c. Itaquè fundatur argumentum in propoſitione fidei, & in optima paritate. Quomodo igitur ait, quòd eſt diſpar ratio, ſi apud ipſum, argumentum iam propoſitum eſt demonſtratio.

20 Nequè inſtantiæ, quas adducit aliquid valent. Non enim verum eſt, quòd ideo præcisè voluntas cooperatur ad gratiam, quia illa cooperatio ad viatoris meritum eſt neceſſaria; Sacrum enim Concilium ibi declarat neceſſitatem præparationis in adultis, & vnde ſit; & ait quòd iuſtificationis exordium in adultis, ſumendum eſt à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia; ſed non ita vt voluntas in aſſenſu nihil omnino agat. Vult itaquè Concilium iſta duo ſaluare, vt ipſum cap. 5. legenti patebit, & quòd gratia Dei præuenit, & quòd non obſtante gratiæ præuentione, voluntas non ſolùm agit, ſed liberè agit: Ergo ſi ſtante motione efficaci præuenientis gratiæ, voluntas creata efficaciter præmota agit, & liberè agit, à fortiori intellectus, virtute luminis gloriæ motus, ad ſuam viſionem actiuè concurrit.

21 Nequè etiam congrua eſt inſtantia ſecunda. Nam gratia cui voluntas cooperatur, ſe habet vt principium, voluntatem ad operationem gratiæ eleuans: Quapropter non dicitur operari, ſeù producere ipſam gratiam: at verò intellectus per lumen gloriæ eleuatur, non quidem ad producendum lumen gloriæ, ſed ad effectiuè concurrendum ad ipſam gloriam, quæ non conſiſtit in aliqua ratione principij, ſed in operatione quæ eſt ipſa viſio beatifica.

22 Probatur deinde ex eodem Cõcilio Tridentino. Quia ſeſſ. 6. cap. 7. & 10. determinat quòd non ſunt homines iuſti per iuſtitiam quæ eſt in Chriſto, ſed per iuſtitiam homini inhærentem. Ergo ſimiliter Beati non intelligunt Deum per viſionem quæ eſt in Deo, ſed per viſionem in ipſis exiſtentem, diſtinctam omnino à viſione quæ eſt ipſe Deus. Etenim in omni ſimili occaſione Eccleſia determinat iuxta noſtræ cõcluſionis intentum, nempè quòd Deum diligimus dilectione, & charitate creata, & quòd Sancti, & iuſti ſumus ſanctitate, & iuſtitia creata, &c. Ergo. Trident.

23 Idem colligitur ex Concilio Florentino in decreto de purgatorio, de vnione Armænorum, vbi ſic dicitur. *Illorum animas qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum, trinum, & vnum ſicuti eſt: pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius*: ſed ſi viderent Deum viſione increata, non eſſet verum quod Concilium ait, nempè intueri clarè ipſum Deum, pro meritorum diuerſitate, ita vt alius alio perfectius videat. Ergo. Probatur minor, quia ſi duo intellectus creati viderent Deum per viſionem increatam, æqualiter ambo viderent: viderent enim æquali viſione. Florent.

Si pro

Digitized by Google

Io. de Ripa.

24 Si pro ſupradicto Ripa dicatur, quòd ſicut omnes Beati Deum per eandem ſpeciem infinitam, & increatam puta diuinam eſſentiam, vident finitè pro diuerſitate luminis gloriæ magis, minuſquè perfectè intellectui creato vnitum, ita viſio increata intellectui creato pro diuerſitate meritorum vniretur.

25 Contra, Quia eſſentia diuina finitè ſe ipſam nobis repræſentat, propter finitam ſubiecti capacitatem; eſt enim in ratione ſpeciei ſimpliciter infinita, quia ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, non ex parte potentiæ, & conſequenter poteſt per extrinſecam ſui denominationem iuxta intellectus creati capacitatem adaptari: At verò cognitio ſe tenet ex parte potentiæ, & conſequenter ſi intellectio eſt infinita, infinitè potentia concurrit. Nam potentia ex parte ſua attingit obiectum per cognitionem. Ergo per infinitam cognitionem infinitè debet obiectum attingere. Et iuxta potentię conatum eſt magis, minuſquè intenſa cognitio, ita & taliter, quòd ſi ſpecies eſſet eiuſdem perfectionis in duobus intellectibus, quorum vnus, maiori conatu, quàm alter, ad cognoſcendum ſe applicet, qui maiori conatu ſe applicat, magis intenſam cognitionem eliciet, dummodo ſpeciei repræſentationem non excedat, & retorquetur argumentum, ſicut ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, ita cognitio ex parte potentiæ: ſed ſpecies repræſentatiua Dei, pro vt ſe tenet ex parte Dei, eſt adæquata Deo, & Deum non excedit, nec ab eo exceditur. Ergo cognitio qua intellectus creatus cognoſcit Deum, intellectus creati conatum non excedit.

26 Confirmatur primò. Cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundùm modum eſſẽtialem naturæ cognoſcentis: ſed modus eſſentialis intellectus creati eſt finitè cognoſcere. Ergo repugnat ei infinita cognitio.

27 Confirmatur ſecundò. Quia infinitè repræſentare (formaliter loquor) non eſt repræſentare obiectum infinitum dũtaxat, vt patet in diuina eſſentia, quæ intellectui creato ſe ipſam, quæ eſt infinita, repræſentat: ſed cognoſcere infinitè infinitum, formaliſſimè, eſt cognoſcere per infinitam cognitionem, vt clarè conſtat; quia intellectus creatus videns Deum per diuinam eſſentiam tanquàm per ſpeciem, non cognoſcit eum comprehenſiuè, quia non cognoſcit infinitè & omnibus modis; ideo autem non cognoſcit infinitè, & omnibus modis, quia eius cognitio deberet eſſe infinita, eſt autem finita. Quare, &c.

Concilii Epheſin. Cęleſtin. Papa.

28 Vlterius idem probatur, quia in Concilio Epheſino ſub Cœleſtino Primo Papa celebrato cap. 13. determinatur, quòd ex vnione naturæ diuinæ, & humanæ, in vnitate perſonæ, eſt vnus Chriſtus, & Filius, *non euacuata, vel ſublata diuerſitate naturarum.*

29 Et in 6. Synodo Generali Conſtantinopolitana, actione 4. ſic dicitur, *Duas Chriſti naturas prædicamus, diuinam ſcilicet, & humanam, ex quibus, & in quibus etiam poſt admirabilem vnionem ſubſiſtit, & vnamquamquè eius naturam, proprietatem naturalem habere confitemur, & habere diuinam, omnia quæ diuina ſunt; & humanam, omnia quæ humana ſunt, abſquè vllo peccato, & vtraſquè vnius eiuſdemquè Dei Verbi increati, id eſt humanitati inconfusè, inſeparabiliter, immutabiliter eſſe cognoſcimus, ſola intelligentia, quæ vnita ſunt diſcernentes, propter confuſionis dumtaxat errorem. Cum duas autem naturas; duaſquè naturales voluntates, & duas naturales operationes, confitemur in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto, non contrarias eas, nec aduerſas ad alterutrum dicimus, ſed dicimus vnum eumdemquè Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut naturas, ita & naturales in ſe voluntates, & operationes habere, diuinam ſcilicet, & humanam. Diuinam quidem voluntatem, & operationem, habere ex Æterno cum conſſentiali Patre communem; Humanam, temporaliter ex nobis cum noſtra natura ſuſceptam.* Synod. 6. Conſtant.

30 Et actione 8. idem confirmatur, ac determinatur; ibi enim Georgius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus fidem confitens ſic dicit; *Suſcipio, & ſequor directas ſugeſtiones, à Sanctiſſimo Agothone Papa Romæ, & credo, & ſic profiteor in vno Sanctæ Trinitatis Domino noſtro Ieſu Chriſto vero Deo noſtro, duas naturales voluntates, & duas operationes. Sic cæteri dixerunt. Sic credimus, dicentes & ſequimur & omnes qui docuerunt, & dicunt vnam voluntatem, & vnam operationem in duabus naturis vnius Domini noſtri Ieſu Chriſti, veri Dei noſtri, anathematizamus.* Gre. Patr.

31 Idem determinatur in Concilio Lateranenſi, vbi ſic dicitur, can. 11. *Si quis non confitetur propriè, & verè duas eiuſdem, & vnius Chriſti Dei voluntates, ſimiliter, & operationes cohærenter vnitas, diuinam, & humanam, ſit condemnatus.* Cõ. Later.

32 Et can. 12. ſic dicitur, *ſi quis ſecundùm ſceleratos hæreticos, Deitatis, & Humanitatis, unam naturam, aut unam uoluntatem, aut unam operationem, in peremptionem quidem Sanctorum Patrum confuſionis, abnegationis autem eiuſdem Saluatoris noſtri diſpenſationis; ſit condemnatus.*

33 Et ibidem can. 13. ſic dicitur, *Si quis cum una uoluntate, & una operatione quæ ab eiſdem hæreticis in Chriſto Deo, impiè confunduntur, & duas uoluntates, & duas operationes, Diuinam, & Humanam ſimul abnegat, & ſimul reſpuit, ſit condemnatus.*

34 Et can. 14. ſic dicitur, *Si quis Dei uirilem operationem, unam inſipienter ſuſcipit, & non duplicem eam confitetur, hoc eſt diuinam, & humanam, ſit condemnatus.*

Sed

Digitized by Google

35 Sed ſi intellectus Chriſti Domini, vel alterius intellectualis creaturæ videret Deũ viſione increata, non eſſet in Chriſto duplex operatio, ſcilicet humana, & diuina, ſed vna duntaxat, puta, diuina quod eſt hæreticum, cum ſit expreſsè à Concilio damnatum.

36 Ex ſupradictis authoritatibus, euidenter ſequitur, oppoſitum noſtræ concluſionis, ad minus temerarium eſſe, & errori in fide proximum; nam & ſi loca adducta, manifeſtè non dicant, Beatos Deum cognitione creata intueri; non tamen ſic explicari poſſunt, vt talis diſparitas aſſignetur, quæ à temeritate, & proximo in fide errore excuſet. Etenim Eccleſia expreſsè, & abſolutè decernit, in Chriſto Domino duas fuiſſe naturas, diuinam, & humanam, & humanam omnia quæ ad humanam, & diuinam omnia quę ad diuinam naturam pertinent habuiſſe, & ſic, & ex hoc, ſpecialiter concludit in Chriſto Domino duas fuiſſe voluntates, & duas operationes, duas inquam, operationes diuinam vnam, & humanam alteram, quæ ad primã pertinet increata, quæ verò ad humanam, creata dicitur; idquè adeo verum eſt, vt diuinum D. Thomæ ingenium 3. part. quæſt. 9. art. 1. in corp. aduertit quod *ideo in ſexta Synodo damnata eſt poſitio negantium in Chriſto eſſe duas ſcientias, vel duas ſapientias;* & verè ſic eſt. Nam dicere intellectum creatum Chriſti Domini, Deum per intellectionem increatam intueri, eſt dicere naturam humanam Chriſti Domini, & diuinam, duas non habere operationes, quod eſt expreſsè à ſupradicto Concilio damnatum.

D.Thom.

37 Si dicatur, Concilium loqui contra hæreticos negantes duas in Chriſto voluntates, duaſquè potentiæ volitiuæ operationes, non verò contra negantes duos intellectus, vel duas intellectus operationes.

38 Contra. Quia & ſi Concilium contra hæreticos duas voluntatis operationes negantes, direxerit ſermonem; tamen verba Concilij ad omnem operationem extendũtur, præterquamquòd illi hæretici ſicut excluſerunt duas voluntates à Chriſto, ita etiam duos intellectus, & duas intellectiones omninò negabant, vt aduertunt Lorca, 3. p. diſp. 69. & Cippullus, ibidem quæſt. 18. art. 1. num. 6.

Lorca. Cipoll.

39 Probatur rationibus. Si aliquis intellectus creatus videret Deum viſione increata, maximè Chriſto Domino conueniret, quia intelligere intellectione increata non modicæ perfectionis eſſet: ſed anima Chriſti Domini in ſupernaturalibus de facto habet quidquid perfectionis in alijs creaturis inuenitur. Ergo &c. Sed Chriſtus Dominus vt homo cognoſcebat per intellectum creatum, & intellectionem creatam. Ergo.

40 Probatur minor. Quia in Chriſto ſicut eſt perfecta diuinitas, ita quoquè eſt perfecta humanitas: ſed ad perfectionem alicuius naturæ, neceſſe eſt habere operationẽ ſibi cõuenientẽ, & proportionatã. Ergo in eius anima eſt intellectus creatus, & in eius intellectu eſt intellectio creata. Ergo.

41 Confirmatur. Trium diuinarum perſonarum, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, eſt vnicus intellectus, & vnica tantùm intellectio, Eo quia ipſorum eſt vna natura. Ergo quia duæ ſunt in Chriſto naturæ, humana ſcilicet, & diuina, duæ quoquè erunt voluntates, duo intellectus, duæ volitiones, & duæ intellectiones. Videatur D. Thomas 3. p. quæſt. 9. art. 1.

42 Probatur tertiò. Actio vitalis de facto procedit à principio vitali: ſed intellectio diuina non poteſt procedere ab intellectu creato, vel ad minus de facto ab intellectu creato non procedi. Ergo.

D.Thom.

43 Dico ſecundò. Contradictionem implicat vt aliquis intellectus creatus Deum increata viſione videat.

Probatur Primò. Viſio increata Dei non procedit ab aliquo intellectu creato, nec procedere poteſt, non inhæret intellectui creato, nec inhærere poteſt. Ergo contradictionem implicat, vt ſit viſio per quam creatus intellectus videat. Antecedens eſt apud omnes certum, & euidens. Probatur conſequentia, quia cognitio per quam intellectus creatus intelligit, procedit, vel procedere poteſt ab eo, illi inhæret, vel inhærere poteſt. Probatur hoc, quia intellectus intelligens vitaliter ad viſionem concurrere debet; ſed vitaliter concurrere, eſt concurrere effectiuè, vel ad minus ſubiectiuè. Nam intellectus per eam debet viuere: ſed viuens per aliquod ſibi identificatum viuit, ſi vita eſt viuenti eſſentialis, vel per informationem, ſi eſt illi accidentalis.

44 Probatur ſecundò. Quia ſi intellectus creatus poſſet videre Deum cognitione increata, & infinita, poſſet comprehendere Deum: ſed hoc implicat. Ergo. Minor eſt euidens, & probabitur infra. Probatur verò ſequela. Quia ſi intellectus creatus videret Deum cognitione infinita, videret eum infinitè. Ergo comprehenſiuè. Patet conſequentia. Probatur antecedens, quia cognoſcere obiectum infinitum finitè, ſeù non omnibus modis, eſt cognoſcere illud per cognitionem finitam. Ergo cognoſcere obiectum cognitione infinita, eſt cognoſcere infinitè.

45 Confirmatur primò. Si intellectus creatus Deum lumine infinito videret, comprehenderet ipſum. Ergo à fortiori ſi infinita cognitione. Antecedens patet. Probatur conſequentia, quia illud lumen infinitum non aliundè comprehenſiuam cognitionem inferret, niſi quia infinitam argueret cogni-

Digitized by Google

cognitionem, quæ eſt id per quod potentia attingit obiectum, & pro qualitate cognitionis arguitur qualitas comprehenſionis. Ergo per infinitam cognitionem habetur comprehenſio Deitatis. Videantur quæ diximus ſupra.

46 Confirmatur Secundò. Cognoſcere cognitione finita, vel infinita dicit modum cognoſcendi, finitè ſcilicet, vel infinitè. Nam propria, & immediata ratio quare Deus infinitè cognoſcat, eſt quia ſumma, & infinita cognitione cognoſcit. Et ratio propria, quare intellectus creatus finitè cognoſcit, eſt quia cognoſcit cognitione finita.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & ſolutiones.

47 SED contra iſtam determinationem. Obijcies primò. Chriſtus Dominus habuit meritum infinitum. Ergo debuit illi præmium conferri infinitum: ſed viſio beatifica datur in præmium. Ergo debuit habere viſionem beatificam infinitam.

Confirmatur. Quia ex Concilio Florentino non omnes Beati æqualiter Deum vident, ſed vnus alio perfectius videt pro diuerſitate, & qualitate meritorum: ſed Chriſtus Dominus habuit meritum infinitum, Ergo viſionem infinitam.

48 Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo debuit illi conferri præmium infinitum, obiectiuè, concedo conſequentiam. Præmium infinitum formale, nego conſequentiam. Seù ſub alijs verbis, Præmium quod, concedo. Præmium quo, nego conſequentiam. Itaquè Præmium quod, operibus Chriſti Domini debitum, debet eſſe infinitum: Illud autem quo huiuſmodi præmium tanquàm per actionem à præmiato acquiritur, non debet eſſe infinitum.

49 Reſpondetur ſecundò, ſimiliter concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo debet illi conferri præmium infinitum, modaliter, concedo conſequentiam. Entitatiuè, nego conſequentiam. Loquor de præmio, formali non obiectiuo.

Pro reſponſionis intelligentia eſt obſeruandum, quòd Chriſtus Dominus à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit verè Beatus, vt 3. p. quæſt. 9. probabimus, & conſequenter ſuam non meruit beatitudinem; meritum enim antecedit præmium: meruit tamen beatitudinem alijs; cum ſit omnium prædeſtinatorum caput, atquè totum genus humanum abundantiſſima reparatione redemit; ſed dato, & non conceſſo, quòd à primo inſtanti ſuæ conceptionis non fuerit plenè, perfecteque Beatus, ſed in gratia dumtaxat ſanctificante abſquè gloria creata conſtitutus, & diuina perſonalitate ſubſiſtens, tunc per eius infinita merita, meruiſſet gloriam infinitam, non quidem intenſiuè, id eſt per operationem infinitam, ſicut non potuit mereri quòd ſit Deus, ſed infinitam obiectiuè, id eſt, meruiſſet vnionem diuinæ eſſentiæ in ratione obiecti beatificantis, per operationem perfectiorem, imo perfectiſſimam inter omnes intellectuales creaturas, non tamen ſimpliciter infinitam, & meritum Chriſti infinitum in tali caſu diceretur infinitum, per hoc quòd videret Deum clarè, & diſtinctè, ex toto rigore iuſtitiæ: ſed de facto habuit etiam præmium infinitum cuius creatura eſt capax, puta per ſua merita iuſtificare impium, & eſſe Redemptorem, &cæt. quæ præmia ſunt infinita, & ſi non entitatiuè, tamen modaliter, ſicut creare dicit virtutem infinitam, non quia producat aliquod infinitum, ſed quia producit aliquid ex omni nihilo, ad quem producendi modum ſpectat virtus infinita. Itaquè ad meritum infinitum Chriſti Domini exigitur præmium infinitum, non ita quod conferatur Chriſto virtus infinita, ſeù aliquod Dei prædicatum cum infinita perfectione, quia hoc eſt impoſſibile, ſed infinitum obiectum, & modaliter, modo tamen explicato.

50 Dices. Hoc quod eſt videre Deum, eſt de rigore iuſtitiæ, & de condigno cuilibet iuſto adulto conueniens, iuxta illud 2. ad Timoth. 4. *de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, & illud, *non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*, & nihilominus puri hominis meritum non eſt infinitum. Ergo aliud præmium maius quam videre Deum Chriſtus Dominus habere debebat. 2. Tim. 4.

51 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Hoc quod eſt videre Deum eſt de rigore iuſtitiæ, ſuppoſita gratia ſanctificante miſericorditer à Deo collata, concedo. Non præſuppoſita gratia ſanctificante miſericorditer à Deo collata, nego. Ergo, &c. nego conſequentiam; quia hoc quod eſt videre Deum, competeret Chriſto titulo connaturalitatis ſuppoſita gratia vnionis, & ex infinito merito ratione ſuppoſiti diuini; alijs verò vt diximus, ex merito gratiæ per Chriſtum illis collatæ.

52 Ad confirmationem verò Reſpondetur, Concilium loqui de animabus alijs à Chriſto, quæ pro qualitate meritorum gratiæ per Chriſtum collatæ, Deum inæqualiter vident; Si autem Chriſtus per propria merita ad gloriam perueniſſet, vtiquè illam præcellentiorem cæteris habuiſſet,

non

non tamen ſimpliciter infinitam, quia hoc contradictionem implicat, ſed infinitam, comparatiuè, iuxta dignitatem eius, qui eſt omnium Beatorum caput.

53 Obijcies ſecundò. Viſio beatifica Chriſti Domini infinitè à Deo amabatur. Ergo erat Deus. Ergo erat aliquid increatum. Ergo intellectio Chriſti Domini erat aliquid increatum.

Si argumentum aliquid probaret, probaret quoquè, omnem actionem Chriſti Domini improductam, & increatam eſſe, quod præterquamquòd eſt hæreticum, eſt omninò ſtultum.

54 Reſpondetur igitur diſtinguendo antecedens. Viſio beatifica Chriſti Domini infinitè amabatur à Deo, ratione ſuppoſiti infiniti, concedo antecedens. Ratione propriæ entitatis, nego antecedens. Ergo, &c. per idem reſpondetur.

Obijcies tertiò. Summum bonum eſt aliquod increatum: ſed viſio beatifica eſt ſummum rationalis creaturæ bonum. Ergo eſt aliquid increatum.

55 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Summum bonum obiectiuum creaturæ rationalis, eſt aliquid increatum, concedo maiorem. Summum bonum formale, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

56 Obijcies quartò. Natura creata ſubſtantialis poteſt exiſtere, & ſubſiſtere, exiſtentia, & ſubſiſtentia increata Dei, & de facto humanitas Chriſti eſt huiuſmodi. Ergo intellectus creatus poteſt intelligere per intellectionem increatam. Probatur cõſequentia. Quia ſicut naturæ creatæ conuenit ſubſiſtentia, & exiſtentia creata, ita intellectui intellectio creata. Nam exiſtentia eſt actus eſſentiæ, & componit cum illa in creatis, & ſimiliter ſubſiſtentia, quę producitur, ſeù dimanat ab eſſentia; Et eodẽ modo intellectio creata eſt actus intellectus, ab intellectu dimanat, & cum eo componit. Ergo ſicut eſſentia ſubſtantialis creata poteſt ſubſiſtentia, & exiſtentia increata ſubſiſtere, & exiſtere, ita intellectus creatus poterit intellectione increata intelligere.

57 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego paritatem, & ratio diſparitatis eſt, quia de eſſentia intellectionis diſtinctę realiter ab intellectu, eſt vt vitaliter ab intellectu procedat; cum ſit actio vitalis: At verò de eſſentia, ſeù de conceptu eſſentiali eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ vt realiter ab eſſentia diſtinctę, non eſt ab eſſentia procedere, ſed eſſe terminum eius; ſubſiſtentia enim eſt terminus conſtituens eſſentiam capacem exiſtentiæ, & exiſtentia eſt vltimus terminus conſtituens eſſentiam in actu extra ſuas cauſas, & capacem operationis, ad quod, ſeù ad quæ munera exercenda non requiritur eſſentialiter, ab eſſentia proceſſio, vel eſſentiæ entitatiua informatio.

58 Contra. Intellectio habet quòd procedat ab intellectu, & quòd illud entitatiuè informet, vel igitur hoc habet, quia creata eſt; vel quia intellectio eſt præcisè. Si primum, hoc etiam inuenitur in exiſtentia, & ſubſiſtentia creata. Si ſecundum, hoc eſt falſum. Quia intellectio increata non eſt ab alio procedens. Ergo vtrobiquè eadem paritas inuenitur.

59 Reſpondetur (formaliſſimè tamen loquendo) quòd intellectio non ſolùm qua creata eſt, eſt ab alio procedens; nèquè qua increata eſt habet, aut habere poteſt, vt ab alio procedat, ſed qua intellectio (Nota) intellectus creati eſt; intellectus nõ poteſt per illam conſtitui formaliter intelligens, niſi ad illam effectiuè influat, illamquè formaliter recipiat. attamen ſubſiſtentia habet vt ab eſſentia procedat, non qua ſubſiſtentia eſt, nequè qua ſubſiſtentia ab eſſentia diſtincta eſt, ſeù nequè qua ſubſiſtentia eſſentiæ creatæ eſt, ſed qua ſubſiſtentia creata eſt, & hoc benè nota.

60 Obijcies quintò, & contra reſponſionem militat argumentum. Diuina perſonalitas poteſt denominare naturam creatam formaliter ſuppoſitatam. Ergo etiam intellectio increata poterit intellectum creatum denominare formaliter intelligentem. Patet cõſequentia à paritate.

61 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Diuina perſonalitas poteſt denominare naturam creatam formaliter in ratione puri termini ſuppoſitatam, cõcedo antecedẽs. In ratione formæ entitatiuè informantis, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam, Quoniam intellectio non poteſt intellectum per modum puri termini denominare, ſed per modum formæ entitatiuè informantis, inhærentis intellectui, & ab eodem procedentis, vel cum intellectu identificatæ. Primum conuenit intellectioni qua intellectio intellectus creati eſt, Secundum, qua intellectio diuina eſt.

62 Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum quòd ſubſiſtentia, aut exiſtentia creata, quamuis in ſuo conceptu formali, & eſſentiali præcisè, dicat rationem puri termini; tamen ſecundùm quòd creata eſt, dicit duo; Rationem ſcilicet puri termini, & rationem formæ entitatiuè informantis eſſentiam. Primum eſt eſſentiale, ſecundum verò per accidens conuenit ei, non quia terminus naturæ creatæ eſt, ſed quia terminus connaturalis creatus, naturæ creatæ: quando autem dicitur, & à Theologis 3. p. quæſt. 2. explicatur, quòd perſona Verbi in Chriſti humanitate gerit vicem perſonæ creatæ, non eſt ſenſus quòd terminus, naturam creatam entitatiuè informando, illamquè alteri ſuppoſito incommunicabilem redden-

dendo, ſuppoſitet quemadmodum terminaretur à ſubſiſtentia propria, & creata; quoniam hoc eſt multipliciter falſum; quia à ſubſiſtentia increata terminatur ſeclusis imperfectionibus, & non redditur alteri ſuppoſito infinito incommunicabilis, ſed ſenſus eſt, quòd Verbum diuinum terminat naturam humanam ſub ratione puri termini, ſed infiniti, & ſub hac pura ratione termini, verum eſt, quòd denominat formaliter naturam humanam formaliter ſuppoſitatam.

63 Reſpondetur ſecundò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; quia ad denominandam naturam ſubſtantialem creatam, formaliter ſuppoſitatam, ſufficit vt diuina perſonalitas in ratione termini illi intimè vniatur: at verò ad denominandum intellectum creatum formaliter intelligentem, non ſufficit vt diuina intellectio ſit in intellectu creato, ſed neceſſariò requiritur, vt realiter ab intellectu procedat; Et quia implicat intellectionem diuinam ab intellectu creato procedere, non verò implicat perſonalitatem diuinam in ratione puri termini naturæ creatæ intimè vniri, ideo, &c.

64 Obijcies ſextò. Fingamus quòd Deus eſſet albedo, & quòd vniatur humanitati, in tali caſu illam naturam denominaret albam. Ergo cum Deus ſit realiter, & formaliter intellectio, ſi vniatur de facto Chriſti humanitati, reddit illam formaliter intelligentem, ſicut de facto, ex vi vnionis denominat hominem Deum.

65 Reſpondetur negando antecedens. Nam albedo cum denominet ſubiectum per modum formæ, debet illud denominare per modum formæ totius, vel per modum formæ partis; per modum, inquam, formæ totius, ſicut humanitas denominat hominem; Per modum autem formæ partis, conſtituendo vnum per ſe, ſicut anima denominat animatum, vel conſtituendo vnum per accidens, ſicut quantitas, & quodlibet accidens vnitur ſubſtantiæ. Cum ergo Deus nullo modo poſſit venire in alicuius creaturę cōpoſitionem, neque conſtituendo vnum per ſe, neque vnum per accidens, ideo data fingendi licentia, quòd Deus eſſet albedo, quamuis naturæ humanæ in ratione perſonæ ſit intimè vnitus, non propterea illam denominaret albam. Ita ſimiliter, quamuis Deus ſit formaliter intellectio, tamen quia intellectio ab intellectu diſtincta, non poteſt illum denominare intelligentem, niſi vitaliter ab intellectu procedat, illique inhæreat, ſtante vnione Dominicæ Incarnationis, non poteſt denominare intellectum formaliter intelligentem. Quando autem per vnionem hypoſtaticam, homo denominatur Deus, debet intelligi perſonaliter, ſeu ratione perſonæ diuinæ, non autem quaſi Deitas ſit forma conſtituens hominem Deum. Hoc enim eſt hæreticum.

66 Sed aduerte, quòd quando negamus antecedens, non ſupponimus in illa fingendi licentia, quòd ſi Deus eſſet albedo, albedo eſſet accidens, ſicuti modo eſt.

Obijcies ſeptimò. Deus poteſt eſſe ſpecies, & forma intelligibilis intellectus Beati, & de facto eſt, vt ſupra probauimus. Ergo etiam poteſt eſſe eiuſdem intellectus intellectio. Probatur conſequentia à paritate.

67 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, quia ad rationem formæ intelligibilis per modum ſpeciei formaliter ſumptæ, non exigitur vt ab intellectu procedat; Neque quòd intellectum inhærendo informet, ſed repræſentando dumtaxat, illi vniatur, vt ſupra explicatum eſt, quod diuinæ dignitati non repugnat: At verò intellectio ab intellectu diſtincta, debet per vitalem influxum ab intellectu procedere, illique inhærere, vt ſupra probatum eſt. Quare, &c.

68 Obijcies octauò, & contra ſolutionem militat argumentum. Verbum, ſeu ſpecies expreſſa etiam naturaliter petit ab intellectu procedere, & nihilominus poteſt Deus vniri in ratione ſpeciei expreſſæ, abſque eo quòd ab intellectu creato procedat. Ergo ſimiliter poteſt vniri in ratione intellectionis, non obſtante, quòd naturaliter petat ab intellectu produci.

69 Reſpondetur negando antecedens quo ad ſecundam partem. Quamuis enim diuina eſſentia ſe ipſam intellectui beato in actu ſecundo repræſentet, ratione cuius repræſentationis non ſit neceſſe aliquod verbum creatum poni, non tamen diuina eſſentia dicitur vniri per modum ſpeciei expreſſæ, ſeu verbi, ita propriè, ſicut propriè in ratione ſpeciei intelligibilis vnitur. Nam eſſe expreſſum, dicit eſſe procedens. Dicitur itaque propriè ſpecies intelligibilis in actu primo, & in actu ſecundo, non tamen propriè dicitur impreſſa, neque propriè expreſſa. Non propriè impreſſa, quia ab obiecto, vel ab aliquo alio non dimanat, & intellectui non imprimitur; Neque propriè expreſſa, quia ab intellectu non producitur.

70 Obijcies nonò, & contra eamdem præcedentem ſolutionem currit argumentum. Eſſentia diuina per nos eſt intellectui Beati per modum ſpeciei intelligibilis vnita: ſed ſecundùm probabilem opinionem, eſſentia diuina eſt formaliſſimè ipſamet intellectio per eſſentiam. Ergo ſi vnitur intellectui creato per modum ſpeciei intelligibilis, poteſt quoque per modum intellectionis eidem vniri.

71 Reſpondetur concedendo maiorem, mi-

minorem,& negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia iuxta hanc opinionem intellectio diuina non vnitur intellectui Beati, vt illum conſtituat formaliter intelligentem; quoniam intellectio ab aliquo intellectu realiter diſtincta, nequit illum formaliter intelligentem conſtituere, niſi ab illo vitaliter procedat, illiquè ad minus inhæreat. Vnitur tamen diuina eſſentia, ſeù ipſamet intellectio per eſſentiam, in ratione ſpeciei intelligibilis; quia ſecundùm hanc rationem non debet ab alio procedere, nec alteri inhærere.

72 Obijcies tandem. Non magis eſt infinitus Deus ratione ſubſiſtentiæ perſonalis, quàm ratione intellectionis: ſed Deus quia eſt infinitus ratione perſonalitatis verbi, poteſt gerere vicem perſonæ creatę, terminando ac ſuppoſitando, ſeù perſonando naturam creatam. Ergo poteſt quoquè gerere vicem intellectionis creatæ, conſtituendo intellectum formaliter intelligentem, ſeù videntem.

73 Confirmatur. Intellectio Dei eſt in ratione intellectionis ſimpliciter infinita. Ergo virtualiter continet omnem aliam intellectionem, quemadmodum perſonalitas verbi virtualiter continet omnem aliam creatam perſonalitatem. Ergo poteſt facere quidquid alia cognitio creata facit.

74 Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: ſed Deus, &c. poteſt gerere vicem perſonæ creatæ, terminatiuè tantum, concedo minorem, informatiuè, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam. Nam poſſe gerere vicem ſubſiſtentiæ creatæ, quo ad rationem puri termini duntaxat, abſquè entitatiua informatione, nullam imperfectionem dicit: poſſe autem gerere vicem intellectionis ab intellectu diſtinctę, neceſſariò includit intellectionis ab intellectu proceſſionem, illiquè inhærentiam, quod magnam imperfectionem dicit, & conſequenter Deo repugnat.

Ad confirmationem concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo virtualiter effectiuè continet, &c. concedo conſequentiam. virtualiter formaliter, nego conſequentiam.

DISPVTATIO LX.

VTRVM LVMEN GLORIÆ ACTIVè concurrat ad viſionem.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 IN præſenti diſputatione non diſquirimus, quomodo lumen gloriæ præbeat intellectui virtutem ad efficiendam viſionem, vtrum ſcilicet, ſit ei tota virtus intelligendi, vtrum ſit intellectionis cauſa principalis, aut inſtrumentalis, &c. quoniam has, aliaſquè ſimiles controuerſias, ſpecialiter ſucceſſiuè in hoc eodem articulo pertractabimus, ſed ſolummodo diſputamus, vtrum lumen gloriæ intellectum diſponat ad producendam viſionem, qualiſcumquè ſit diſponendi modus, dummodo ad viſionis productionem actiuitatem habeat,

2 Pro parte negatiua, ſunt defendentes intellectũ merè paſſiuè ad viſionẽ beatificã ſe habere, quos tñ ſupra diſp. 58. retulim⁹. Faſolus hìc dubitat. 5. num. 22. in fine pro hac eadem parte negatiua affert Scotum 3. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. & in 4. diſt. 49. quæſt. 11. *paulo ante ſolutionem argumentorum*; quod tamen, neutrobiquè inuenitur in Scoto; Non quidem in 3. cit. quia ibi Scotus docet quòd ſi intellectus actiuè concurrit ad viſionem, ad producendam ſummam viſionem, neceſſarium eſſe lumen glorię vt principium actiuum viſionis, ſecundùm potentiam Dei ordinariam, quoniam ſecundùm potentiam Dei abſolutam, poteſt Deus ſupplere luminis gloriæ vicem, ſolo intellectu creato producente. Nequè etiam in 4. negat lumen gloriæ actiuè concurrere ad viſionem.

Faſolus. Scotus. Recup.

3 Recupitus lib. 6. q. 17. n. 1. vbi hoc idem quærit, pro eadem negante ſententia eũdẽ Scotũ refert in 4. diſt. 14. q. 2. art. 2. in quo tamen loco nihil de hac materia profert; Scotus.

voluit

Digitized by Google

voluit fortaſſe dicere in 3.diſ. 4. quæſt. 2.
art. 2. vel ſi in 4. non in d. 14. ſed 49. q. 11.
à Faſolo citata, ſed ibi quamuis Scotus luminis gloriæ neceſſitatem neget, tamen
ſi ponitur non propter intellectus decorem, aut viſionis receptionem, ſed propter
viſionis efficientiam ponendum eſſe apertè fatetur. Aliud enim eſt dicere Scotum
neceſſitatem luminis gloriæ ex propria ſẽtẽtia negaſſe, & aliud eſt dicere Scotum dixiſſe
lumen gloriæ ad viſionem beatam nõ concurrere effectiuè. Primum tranſeat de
illo enim ſupra diſp. 52. nonnulla diſcuſſimus. Secundum verò in doctrina Scoti non
vidi; Niſi doctores iſti in tantùm Scotum pro parte negante adduxiſſe dicant, inquãtùm
exiſtimant Scotum lumen gloriæ negaſſe; quare incongruè affirmant, Scotum
locis citatis tenere, lumen gloriæ actiuè non concurrere ad viſionem.

4 Poſſet autem Scotus pro parte negatiua citari per ea quę tanquàm probabilia docet (Scotus.)
in 1.d. 17.q. 2.& 3. vbi probabiliter & vniuerſaliter ſuſtinet, poſſe dici, habitum diſponere
potentiam ad patiendum, ſeu ad recipiendum promptè, ac delectabiliter actum.

5 Sed Scotus vt hanc opinionem improbabilem, probabiliter teneat, Rationem ſibi
Achilleam quam ad probandum contra D. Thomã aſſerentem lumen glorię eſſe diſpoſitionem
ad recipiẽdam viſionem contexerat, funditus rectè diſſoluit. Etenim ratio
fundamentalis Scoti, quã ſup. diſp. 55. n. 1. eius ſententiam per ſua ipſius verba referentes
adduximus, in hac propoſitione cõſiſtit, quia ſ. intellectus ad recipiendam viſionem
eſt ſummè diſpoſitus; quàm tamen Scotus optimè loc. cit. q. 3. §. *Ad tertiũ dico*
eneruat, ſic enim ait. *Quando igitur dicitur ꝙ non eſt difficultas ad patiendum, quia
paſſum eſt ſummè diſpoſitum. Reſpondeo quòd per abnegationem contrarij eſt
diſpoſitum, ſed non per rationem diſpoſitionis conuenientis. Exemplum de ligno ſicco,
& neutro. Lignũ quidem neutrũ, eſſet ſummè diſpoſitum ad calorem priuatiuè, ſcilicet
per carentiam cuiuſq. diſpoſitionis oppoſitæ, nõ autem ſummè diſpoſitum poſitiuè,
per poſitionem diſpoſitionis conuenientis quibus eſt ſiccus.* Hæc ille. Per eamdem
diſtinctionẽ, eius axioma gloſatur. *Intellectus eſt ſummè diſpoſitus ad recipiendam
Viſionem*, diſpoſitus per abnegationem contrarij, concedo. Per rationem
diſpoſitionis conuenientis nego; & hoc eſt quod diſp. 55. c. 3. nu. 22. diximus, nempè,
quòd ſuſceptiuum quod ordinatur ad plures formas ordinatas, maximè ordinatur ad
maximã, media diſpoſitione, media ſcilicet diſpoſitione, non per abnegationem, ſed
conueniente, &c. hæc ſint tranſeunter dicta, ad oſtendendũ, qua ſtabilitate gaudeat
Scotica doctrina.

6 Ex ijs qui dicunt viſionem nõ à ſolo Deo, ſed etiam à Beatorũ intellectibus effectiuè
produci, Maior in 3.diſt. 14.q. 2.& in 4.diſt. 49.q. 4. negat quoquè lumen gloriæ actiuè (Maior.)
concurrere ad viſionem, & ſolummodo requiri, veluti intellectus decor ad hoc vt
intellectus ſic rectè ornatus, reddatur habilis, ac dignus, vt diuinam videat eſſentiam.

7 Pro parte autẽ affirmatiua sũt cõmuniter Theologi. Ita D.Thomas in 4.diſt. 49. q. 2. (D.Thom.)
ar. 1. de verit. q. 8. ar. 3. in 3. cont. gent. c. 53. in hoc art. vbi lumẽ gloriæ vocat virtutem
intelligendi, & *augmentum virtutis intellectiuæ*, & ꝙ per hoc lumen intellectus creatus
fit potens ad intelligendum; & in ſeq. art. ait. ꝙ *facultas videndi Deum non competit
intellectui creato ſecundũ ſuã naturã ſed per lumen glorię*.
Capreolus in 4. diſt. 49. q. 4. ferè per totam. (Capreol.)
Ferrarienſis in 3. cont. gent. c. 53. §. *circa probationem minoris*. & c. 54. (Ferrar.)
Ad ſecundam probationem primi argumẽti Scoti, Caietanus hic, (Caiet.)
Soncinnas in 4. d. 49. concl. 2. ad Argumenta Aureoli, (Soncin.)
Aquarius ibidem concluſ. 7. (Aquar.)
Riccardus qui quamuis d. 49. ar. 3. q. 1. probabilem partem teneat affirmatiuam, tamẽ
hanc multùm rationabilem extimat. (Richar.)
Bañes hic dub. 2. ad 5. (Bañes.)
Molina hic diſp. 1. concl. 3. (Molina.)
Zumel q. 2. concl. 5. (Zumel.)
Suarez 1. p. tract. 1. lib. 2. de attr. neg. c. 15. (Suarez.)
Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 5 ſect. 3. n. 49. (Selas.)
Becanus tom. 1. tract. 1. c. 9. q. 3 concl. 2. (Becanus.)
Nauarrete contr. 37. §. 3. concl. 7. & diſp. 39. §. 2. concl. 4. (Nauarret.)
Nazarius controu. 1. concl. 2. & controu. 2. §. 2. vbi probat lumen gloriæ non eſſe
cauſam partialem viſionis, ſed totalem in ſuo ordine, (Nazar.)
Ledeſma de diu. perfect. q. 8. ar. 8. cõcl. 2. (Ledeſma.)
Aluarez de Auxilijs diſp. 63. & 64. & p. 2. diſp. 17. n. 13. (Aluarez.)
Martinez p. 2. q. 3. ar. 2. dub. 3. §. *Ad primũ argumentum ſecundæ ſententiæ*. (Martines.)
Albertinus to. 1. q. 1. Theologica, in primũ Corollariũ n. 19. (Albertin.)
Vaſquez diſp. 41. §. 2. (Vaſquez.)
Valentia q. 12. punct. 3. §. *Quo ad tertium*. (Valentia.)
Conzalez diſp. 27. ſect. 2. concl. 5. num. 23. (Conzal.)
Salmanticenſes tract. 2. de viſione Dei diſp. 4. dub. 4. (Salmant.)
Ioãnes de Sancto Thoma hic (Io. de S. Thoma.)
Faſolus hic dub. 4. num. 22. (Faſolus.)
Recupitus lib. 6. quæſt. 17. (Recup.)
Palumbus in doctrina, & ſcholaſtico examine ad 5. art. concl. 4. (Palumb.)
Trigoſius p. p. q. 7. artic. 1. dub. 4. concl. 2. (Trigoſ.)
& tandem luminis gloriæ exiſtentia ſemel admiſſa, Scotus in 3. diſt. 14. q. 2. & in 4. diſt. 49. (Scotus.)
quæſt. 11. hoc idem affirmauit, & oppoſitum opinantes, puto Scotum non legiſſe, vel
quod peius eſt, non intellexiſſe.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

8 PRO determinatione ergo veritatis, Dico breuiter: Lumen gloriæ actiuè concurrit ad viſionem.

Digitized by Google

Probatur primò, Quia lumen gloriæ ex Vienneſi eleuat intellectum ad videndum, Ergo ad viſionem efficiendam. Probo conſequentiam. Quia intellectus creatus non videt, niſi producendo viſionem. Sed lumen gloriæ eleuat ad videndum, Ergo ad efficiendum. Maior patet ex præcedentibus.

8 Confirmatur, Lumen gloriæ eleuat ad videndum: Sed tota, vel principalior eleuabilitatis neceſſitas, eſt propter viſionis efficientiam. Ergo. Probatur minor. Quia difficilius eſt viſionem efficere, quàm eam à Deo recipere. Ergo.

9 Confirmatur ſecundò, Lumen gloriæ vel eſt neceſſarium intellectui, vt efficiat viſionem; Vel vt recipiat eam; Vel propter vtrumquè ſimul. Si primum aut tertium, habetur intentum. Si ſecundum, habetur etiam intentum à fortiori. Plus enim virtutis requiritur ad viſionis productionem, quàm ad eius receptionem.

10 Probatur ſecundò. Habitus fidei ſupernaturalis actiuè concurrit ad actum credendi. Ergo etiam habitus luminis gloriæ actiuè concurrit ad actum Deum videndi. Antecedens eſt Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 6. ſupra, diſp. 57. citata. Probatur autem conſequentia, ab optima paritate, imo per locum à fortiori. Maior enim virtus requiritur ad producendum actum viſionis, quàm actum fidei. Trident.

Probatur tertiò. Viſio beatifica eſt actio, ſeù actus ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo debet effici ab intellectu media virtute ſupernaturali. Sed hæc virtus eſt lumen gloriæ. Ergo.

Confirmatur. Quia lumini gloriæ intellectui inhærenti, nihil deeſt vt ad viſionem actiuè concurrere poſſit. Ergo. Probatur antecedẽs. Quia nõ repugnat ei qua habitus eſt; Nã præter habitus intellectus ordinis naturalis, quos ex materia de habitibus actiuè concurrere conſtat, ſunt habitus fidei, & charitatis, actiuè ad ſuos actus concurrentes. Non qua habitus talis eſt, vt patet. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & ſolutiones.

11 SEd contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Datur aliqua diſpoſitio in aliqua potentia vt agat, & tamen illa ad potentiæ operationem actiuè non concurrit. Ergo licet, lumen gloriæ ſit diſpoſitio vt intellectus agat, non propterea ad viſionem actiuè ſe habet. Probatur antecedens. Quia paries v. g. medians inter ignem, & ſtupam impedit ignem, ne in eam agat, parietis verò impedimento remoto, per illam remotionem diſponitur, vt eam calefacere, & comburere poſſit: ſed huiuſmodi diſpoſitio non concurrit actiuè ad combuſtionem. Ergo.

12 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Datur aliqua diſpoſitio extrinſeca agenti, vel potentiæ, vt agat, & illa, &c. concedo antecedens. Intrinſeca agenti, vel potẽtiæ, & illa ad potentię operationem actiuè non concurrit, nego antecedens. Et per idem ad probationem patet; Nam parietis intermedij remotio, eſt diſpoſitio remouens prohibens, ne ignis ſtupam comburat, non autem eſt diſpoſitio intrinſecè igni inhærens, ad combuſtionem ex ſua natura ordinata.

13 Dices. Fides eſt diſpoſitio intrinſecè inhærens homini, illum diſponens, ac præparans ad viſionem Dei: ſed fides non cõcurrit actiuè ad viſionem. Ergo nulla reſponſio.

14 Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem. Fides eſt diſpoſitio in genere moris, inhærens homini, &c. concedo maiorem. In genere entis, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia. Ratio autem diſparitatis eſt; quia fides eſt diſpoſitio meritoria ad beatitudinem recipiendam, iuxta illud Apoſtoli Hebræor. 10. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & illud Marci cap. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit; qui verò non crediderit condemnabitur*: at verò ad actualem productionem, vel receptionem viſionis beatificæ, fides nõ eſt diſpoſitio eleuans intellectum, imo ratione ſuæ obſcuritatis, cum viſione incompoſſibilitatem habet. Hebr. 10. Marc. 16.

15 Reſpondetur ſecundò, Diſtinguendo antecedens. Fides eſt diſpoſitio pręcedens, & non concomitans, &c. concedo antecedens. Fides eſt diſpoſitio præcedens, & concomitans, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Quia illa diſpoſitio effectiuè ad potentię operationem concurrit, quę ita operationem antecedit, vt etiam concomitetur eam, & ſimul cum operatione producta perſeueret. Intrinſeca igitur diſpoſitio agentis vt agat, potẽtiam eleuat ad agendum, & hæc ad potentiæ operationem actiuè concurrit: huiuſmodi autem nõ eſt fides ad viſionem, ſed lumen gloriæ.

16 Obijcies ſecundò. Sicut ſe habet gratia in via, ita ſe habet lumen in patria: ſed gratia ſanctificans non eſt operatiua. Ergo neque lumen.

17 Reſpondetur negando maiorem, & quia ab arguente non probatur, in ſola eius negatione relinquitur. Hoc vnum dumtaxat præſupponendo, ex materia de gratia, nempè, quòd gratia gratum faciens, in via, &

Digitized by Google

& in patria, eſt in eſſentia animæ,& per illam ſimus diuinæ naturæ conſortes;lumen autem gloriæ inhæret intellectui, qui eſt potentia operatiua, & propterea gratia non eſt operatiua, & lumen gloriæ eſt operatiuum.

18 Obijcies tertiò.Lumen corporeum non concurrit effectiuè ad viſionem corporalem. Ergo nequè etiam lumen gloriæ ad viſionem beatificam. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur à paritate. Quia argumentum hoc multùm probat, ideò nihil probat, Probaret enim quòd lumen naturale intellectus,& cuiuſcumquè potentiæ vitalis,nullatenus ad operationem actiuè ſe haberet; Vnde.

19 Reſpondent nonnulli, negando antecedens.Dicunt enim quòd lumen corporeum ad ſpeciei viſibilis productionem actiuè ſe habet. Ita Conimbricenſes 2. de anima cap.3. quæſt.4. art.2.

Conimbr.

Reſpondetur tamen ſecundò, Tranſeat antecedens,& negatur conſequentia. & ratio diſparitatis eſt;quia lumen corporeum non exigitur, vt compleat potentiæ viſiuæ virtutem,nequè vt ratio videndi, ſed vt conditio propter medium nō debitè diſpoſitum, & propter obiectum non valens ſine lumine, niſi medium ſit illuminatum ſui ſpeciem in potentiam immittere.

20 Obijcies quartò.Lumen gloriæ exigitur ad hoc vt diuina eſſentia vniatur intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis,& tanquàm diſpoſitio ad recipiendam viſionem, & nihilominus,diuina eſſentia non vnitur lumini,nec viſio recipitur in lumine.Ergo à pari, admiſſo quòd lumen præréquiratur vt intellectus producat viſionem, non propterea actiuè ſe habet ad illam.

21 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, quoad ſecundam partem. & nihilominus eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis non vnitur lumini,tanquàm potentiæ intellectiuæ, concedo antecedens. Tanquàm medio eleuatiuo potentiæ,nego antecedens. Idem dicendum eſt de viſionis receptione. Ergo,&c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens.

22 Obijcies quintò. Lumen gloriæ non producit viſionem beatificam propter rationem intellectionis,nequè propter rationem ſupernaturalitatis. Ergo nullo modo actiuè concurrit ad viſionem. Patet conſequentia. Probatur autem antecedens. Quia quoad vitalitatem ſufficienter producitur ab intellectu; quo ad ſupernaturalitatem ab eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis.Ergo.

23 Reſpondetur negando antecedens.Aſſerimus enim, quòd lumen gloriæ producit viſionem præbendo intellectui creato virtutem, ſeù tanquàm virtus qua intellectus vitalitatem ſupernaturalem viſionis producere poſſit, Itaquè intellectus creatus indiget lumine gloriæ, vt viuat vita ſupernaturali, requiritur igitur propter ſupernaturalitatem viſionis, prout egreditur ab intellectu ſibi proportionato, ac ſufficienter vigorato.

DISPVTATIO LXI.

VTRVM LVMEN GLORIÆ AD VISIONEM CONCVRRAT vt cauſa principalis, an vt inſtrumentalis.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus.

1 HVius diſputationis determinata ſolutio,eſt ita ad diſcernendum difficilis, vt vix ipſius tituli intelligentia percipi queat.Dico melius, tota præſentis controuerſiæ deciſio,ex recta tituli enucleatione dependet; Et quia diuerſi de hac re, diuerſimodè opinantes, diuerſam aptant inſtrumento rationem; idcirco difficilis eſt exacta

cta ſolutio. Vt igitur veritas illuceſcat, pro tituli intelligentia,

2 Suppono primò, quòd inſtrumentum ſeu cauſa inſtrumentalis dicitur per ordinem ad cauſam principalem, virtute cuius agit; Cauſa autem principalis, licet quantùm ad nominis impoſitionem, dicta ſit principalis, quia exceſſum ſupra cauſam inſtrumentalē dicit; non tamē eam neceſſariò includit, Deus enim eſt cauſa principalis creationis, in creationis autem opere nulla cauſa inſtrumentalis interuenire poteſt.

3 Suppono ſecundò, dari in rerum natura cauſas ſecundas principales, vt communis Philoſophorum Theologorumquè ſchola demonſtrat; non obſtante quòd omnis cauſa ſecunda in omnibus ſuis actionibus moueatur à prima; Etenim cauſa ſecunda dupliciter conſiderari poteſt. Primò, vt reſpicit ſuam actionem, effectum, vel obiectum. Secundò, vt cauſæ ſecundæ operatio ordinatur à cauſa prima propter finem principaliter ab ea intentum. Primo modo cauſa ſecunda, eſto quòd virtutem agendi recipiat à prima, dicitur, & verè eſt ſuæ actionis cauſa principalis. Secundo modo eſt cauſa inſtrumentalis, & iuxta hunc ſenſum intelligendus eſt D. Thomas 3. contra gentes cap. 100. ratione 2. dum ait, quòd omnia *quæ ſunt poſt ipſum*, ſcil. Deum, *ſunt quaſi quædam inſtrumenta ipſius*. D.Thom.

4 Suppono tandem tertiò, quòd cauſa principalis differt ab inſtrumentali, per multa, & præſertim per modum eſſendi effectus in cauſa principali; & per modum eſſendi eiuſdem in cauſa inſtrumentali. Etenim effectus eſt in cauſa principali ſecundùm ſimilitudinem formalem, vel eminentiori modo in cauſa principali, ſecundùm ſimilitudinem quidem formalem, ſi cauſa eſt vniuoca; vt Leo genitus in Leone generante; eminentiori autem modo, ſi cauſa eſt æquiuoca, vt calor productus, eſt in forma Solis. Quamuis enim in Sole non ſit calor, eſt tamen forma quocumquè calore præſtantior; In cauſa autem inſtrumentali, eſt ſecundùm virtutem quam recipit à principali agente; Vel ſi eſt inſtrumentum naturale, ſicut calor reſpectu productionis ignis, ordinatur ad operationem non ſuam, ſed principalis agentis exercendam. Hanc doctrinam accepi à D. Thoma tanquàm à limpidiſſimo catholicæ veritatis fonte, quæſt. 4. de Malo art. 3. in corp. vbi hæc habet verba. *Cauſa autem eſt duplex, ſcilicet inſtrumentalis, & principalis. In principali quidem cauſa, eſt aliquid ſecundum ſimilitudinem formæ, vel eiuſdem ſpeciei; ſi ſit cauſa vniuoca, puta cum homo generat hominem, vel ignis ignem. Vel ſecundùm aliquam excellentiorem formam, ſi ſit agens non vniuocum, ſicut Sol generat hominem: In cauſa autem inſtrumentali, ſit aliquis effectus ſecūdùm virtutem quam recipit inſtrumentum à cauſa principali in quātùm mouetur ab ea*. & 3. contra gent. cap. 100. rat. 2. poſtquàm dixit, quòd *omnia quæ ſunt poſt ipſum, ſunt quaſi quædam inſtrumenta ipſius*, amplius hoc declarat, his verbis. *Ad hoc autem ſunt inſtituta, vt deſeruiant actioni principalis agentis dum mouentur ab ipſo*, & ſic concludit. *Nequè ergo eſt contra naturam, cum res creatæ mouentur qualitercumq; à Deo. Sic enim inſtituta ſunt, vt ei deſeruiant.* Quæ omnia manifeſtè declarant, quę pro ſecunda parte cauſæ inſtrumentalis diximus. D.Thom.

5 Ex quibus deducitur, quòd cauſa principalis eſt illa quæ per virtutem quam habet, aut habere poteſt, eſt ſui effectus, aut ſuæ operationis productiua. Cauſa autem inſtrumentalis eſt illa, quæ eſt ad effectum agentis principalis ordinata. Omnia ex ſupradicta D. Thomæ doctrina, liquido conſtant.

6 Senſus ergo diſputationis eſt, Vtrum lumen gloriæ ſic ad viſionem claram Dei actiuè concurrat, vt viſio in lumine gloriæ tanquàm in agente vniuoco, vel eminentiori contineatur, an vt in eo, quod eſt ad effectum alterius agentis, nempè Dei, ordinatum. Niſi quis velit de controuerſia vocabuli diſputare, hic eſt verus controuerſiæ ſenſus.

CAPVT SECVNDVM.

Doctorum opiniones referuntur.

7 QVidam dicunt lumen gloriæ concurrere vt inſtrumentum Dei. Ita Albertinus tom. 1. in primo principio philoſophico, dub. 2. aſſert. 3. num. 13. fol. 4. & infra quęſt. 6. Theologica, difficultate. 1. num. 2. in fine fol. 193. Faſolus hic dubit. 12. Recupitus quæſt. 6. diſp. 17. num. 5. Palumbus, in ſcholaſtico examine ad art. 5. concl. 5. Albertin. Faſolus. Recupit. Palumb.

8 Alij autem aſſerunt lumen gloriæ non eſſe meram cauſam inſtrumentalem viſionis, ſed principalem in ſuo ordine. Ita Aluarez de Auxilijs diſp. 63. num. 8. Nazarius hic controu. 2. §. ſecundo. Conzalez hic diſp. 27. ſect. 5. num. 55. Idem videtur dicere Vaſquez diſput. 47. cap. 6. num. 37. Nauarrete controu. 17. §. 5. litt. A. fol. 230. dicens quòd *proximè concurrit ad viſionem lumen, tanquàm principium vniuocum viſionis*. Theodor. Smiſing. de Deo vno tract. 2. diſput. 6. quæſt. 4. num. 92. Aluarez. Nazarius. Conzal. Vaſquez. Nauarret.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

9 ANte determinationem veritatis eſt breuiter obſeruandum, quòd lumen gloriæ ad duo comparari poteſt, Ad viſionem ſcilicet, & ad diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis. Hoc ſuppoſito, pro determinatione veritatis,

Dico primò. Lumen gloriæ non concurrit tanquàm merè Dei inſtrumentum ad viſionis beatificæ efficientiam.

10 Hoc dictum, ex ijs quæ ex D.Thoma ſuppoſuimus eſt manifeſtum, Probatur autem primò. Quia lumen gloriæ reſpectu viſionis habet totum illud quod requiritur ad rationem cauſæ ſecundæ principalis. Ergo non eſt merè inſtrumentum. Patet conſequentia. Probatur autem antecedens. Quia lumen gloriæ in ſua ratione formali continet viſionem beatificam, quemadmodum cauſa vniuoca continet ſuum effectum. Ergo. Probatur antecedens. Quia duo ſunt in viſione beatifica; Vitalitas, & ſupernaturalitas. Viſio enim eſt actio vitalis ſupernaturalis: Sed hoc totum modo ſuo, lumen viſioni præbet. Ergo. Probatur minor. Et quidem de ſupernaturalitate conſtat, & ab aduerſarijs non negatur, quo ad vitalitatem verò, probatur. Quia lumen gloriæ eſt lumen intellectuale: Sed lumen intellectuale in ſe actus vitalitatem continet, modo tamen ſuo, ideſt non elicitiuè, ſed corroboratiuè. Ergo.

11 Probatur ſecundò. Quia per aduerſarios lumen gloriæ virtualiter in ſe continet viſionem beatificam, quo ad eius ſupernaturalitatem. Ergo ad minus quo ad hanc rationem eſt illius cauſa principalis.

Confirmatur. Obiectum licet non concurrat tanquàm principium vitale intellectionis (Ad hominem loquor) tamen quia modo ſuo continet eam, eſt cauſa principalis productionis illius. Ergo eſto lumen gloriæ nō contineret in ſe viſionem claram Dei in ratione vitalitatis, quia eam in ſua virtute præhabet in ratione ſupernaturalitatis, eſt etiam cauſa illius principalis, & non merum Dei inſtrumentum.

12 Probatur tertiò. Quia viſio beatifica non eſt proprium opus Dei, taliter quòd lumen viſionem beatificam ſuo modo cauſans, dicatur producere opus Dei, & non ſuum. Ergo lumen gloriæ non concurrit vt inſtrumentum ad viſionis efficientiam. Conſequentia eſt euidens; quia illa cauſa dicitur inſtrumentalis, quæ in ſua operatione non ſuum, ſed alterius producit opus. Probatur autem antecedens. Quia non minus lumen gloriæ habet virtutem eleuatiuè producendi viſionem, quàm calor calefaciendi, intellectus intelligendi, voluntas volendi, & ſic de ſingulis: Sed calor calefaciendo, intellectus intelligendo, & voluntas volendo, non dicuntur producere proprium opus Dei. Ergo nequè lumen gloriæ efficiendo viſionem eleuando ſcilicet, intellectum ad Deum clarè intelligendum, dicitur producere opus Dei. Maior eſt euidens: patet enim a paritate; & minorem aduerſarij admittunt.

13 Probatur quartò. Quia quando oppoſitæ ſententię defenſores, lumen gloriæ merum inſtrumentum Dei eſſe contendunt; Vel eſſet inſtrumentum Dei in ratione cauſæ primæ, in ratione cauſæ vniuerſalis, aut vt obiectiuè; Non primum; Quia in ratione cauſæ primæ Deus immediatè per ſe ipſum viſionem beatorum cauſat. Non ſecundum; patet, Nequè tertium quia efficientia luminis non ſe tenet ex parte obiecti. Ergo nullo modo poteſt dici merum inſtrumentum Dei.

Confirmatur. Si lumen gloriæ eſſet merum inſtrumentum Dei, ideo eſſet, quia Deus lumine gloriæ vteretur ad producendam viſionem quatenus eſt vitalis, vel quatenus eſt ſupernaturalis. Non primum, vt aduerſarij dicunt. Si ſecundum. Contra eſt, quia præter concurſum effectiuum luminis in viſionem, Deus immediatè per ſe ipſum eamdem viſionem ſupernaturalem producit. Ergo.

14 Probatur quintò. Lumen gloriæ ſe tenet ex parte potentiæ. Ergo non eſt inſtrumentum Dei. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Quia inſtrumentum ſe tenet ex parte eius cuius eſt inſtrumentum. Ergo ſi non ſe tenet ex parte Dei, non eſt inſtrumentum Dei.

15 Dico ſecundò. Lumen gloriæ eſt inſtrumentum Dei, quatenus efficit viſionem propter intentum Dei. Patet ex ſupradictis cap. 1. num. 4.

Dico tertiò. Lumen gloriæ eſt inſtrumentum Dei, ſi conſideretur, vt diſpoſitio ad diuinā eſſentiam in ratione formæ intelligibilis ordinata.

16 Probatur primò. Lumen gloriæ ſic conſideratum, eſt propter opus Dei exercendum, nempè, vt Deus in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato vniatur. Ergo.

17 Probatur ſecundò, Ex D. Thoma 3. contra gent. cap. 52. vbi ſic ait. *Quod enim eſt ſuperioris naturæ proprium, non poteſt conſequi natura inferior, niſi per actionem ſuperioris naturæ, cuius eſt proprium: ſicut aqua non poteſt eſſe calida, niſi per actionem ignis:* D.Thom.

Vi-

Digitized by Google

Videre autem Deum per ipſam diuinam eſſentiam, eſt proprium naturæ diuinæ. Nulla igitur intellectualis ſubſtantia poteſt videre Deum per ipſam diuinam eſſentiam, niſi Deo hoc faciente.

18 Et ratione ſecunda immediatè ſequenti, hæc habet verba. *Forma alicuius propria non fit alterius, niſi eo agente: videre autem ſubſtantiam Dei, impoſſibile eſt, niſi ipſa diuina eſſentia ſit forma intellectus, quo intelligit. Impoſſibile eſt igitur, quòd aliqua ſubſtantia creata ad illam viſionem perueniat, niſi per actionem diuinam.*

19 Et cap. 53. ratione prima, hæc verba profert. *Impoſſibile eſt, quòd id quod eſt forma alicuius rei propria, fiat alterius rei forma, niſi res illa participet aliquam ſimilitudinem illius cuius eſt forma propria: Eſſentia autem diuina eſt propria forma intelligibilis intellectus diuini, & ei proportionata. Impoſſibile eſt igitur quòd ipſa eſſentia Dei, fiat intelligibilis forma alicuius intellectus creati, niſi per hoc, quòd aliquam diuinam ſimilitudinem intellectus creatus participat.*

Et ibidem ratione quarta, ſic ait. *Nihil poteſt ad altiorem operationem eleuari, niſi per hoc, quòd eius virtus fortificatur:* virtus autem intellectus creati naturalis, non ſufficit ad diuinam ſubſtantiam videndam. Ergo oportet, quòd augeatur ei virtus, ad hoc quòd ad talem viſionem perueniat. Non ſufficit autem augmentum per intenſionem naturalem virtutis. Oportet igitur, quòd fiat augmentum virtutis intellectiuæ per alicuius nouæ diſpoſitionis adeptionem.] Hæc ille.

20 Ex quibus Diui Thomæ verbis manifeſtè colligitur primò, quòd Diuus Thomas alio modo loquitur de lumine gloriæ in ordine ad diuinam eſſentiam in ratione formæ intelligibilis intellectui creato vniendam, & alio modo de eodem lumine in ordine ad viſionem. Nam primo modo dicit eſſe diſpoſitionem, qua Deus eleuat ad ſe ipſum intellectui vniendum; ſecundo autem modo, loquitur de lumine gloriæ, tanquàm de lumine intellectuali, vt patet in verbis vltimo loco adductis. Primo modo, vocat lumen gloriæ nomine diſpoſitionis: diſpoſitio autem ad formam vniendam eſt inſtrumentum. Secundo modo, vocat lumen gloriæ, ſub nomine ſpectante ad cauſam principalem; illud enim virtutem intellectiuam, augmentum virtutis intellectiuæ, nouæ formæ appoſitionem appellat. Quarè de mente Diui Thomæ vtrumquè pronunciatum, eſt verum.

21 Colligitur ſecundò, præſentis dicti optima probatio, vnde Probatur hoc dictum tertiò, ratione ex noſtro Angelico Præceptore deprompta, hoc modo. Lumen gloriæ in ordine ad diuinam eſſentiam in ratione formæ intelligibilis vniendam, nulla ratione poteſt dici cauſa principalis: Ergo eſt cauſa tantùm inſtrumentalis. Patet conſequentia. Probatur antecedens, ex ſufficienti cauſarum enumeratione. Nam non eſt cauſa principalis effectiua vnionis. Quia huius eſt tantummodo Deus; Non materialis; Quia non eſt potentia vitalis. Non finalis; cum ſit diſpoſitio, & ad aliud ordinetur. Nequè tandem formalis, cum ſit propter diuinam eſſentiam in ratione formæ intelligibilis. Ergo ex nullo capite principalitatem habet.

22 Confirmatur. Quia diſpoſitio ad introductionem alicuius formæ ſuperioris, cauſata à forma introducenda propter ſui introductionem, eſt eiuſdem inſtrumentum: ſed lumen gloriæ eſt cauſatum à Deo, ad hoc vt ipſiuſmet eſſentia, quæ eſt forma intelligibilis intellectui creato vniatur. Ergo lumen gloriæ reſpectu vnionis diuinæ eſſentiæ eſt inſtrumentum.

CAPVT QVARTVM.

Aduerſariorum argumenta diluuntur.

23 SED contra iſtam determinationem Obijciet aliquis primò, fundamento Faſoli. Quia *cauſa principalis debet eſſe ſimilis effectui, eumquè in ſe continere, vel formaliter, vel eminenter: Viſio autem beatifica quamuis conſiderata vt accidens ſupernaturale, non ſit ſupra virtutem luminis ſupernaturalis, tamen vt vitalis non continetur, nec formaliter, nec eminenter in virtute luminis. Ergo.* Maior patet. Probat minorem. primò. *Quia lumen non eſt in ſe intrinſecè principium vitale. Secundo, quia ſi lumen* concurrit vt cauſa principalis, cum ſe teneat ex parte potentiæ, *debet habere aliquam proportionem, cum illo obiecto, ſaltem genericam in modo eſſendi, ſi non ſpecificam in natura:* ſed hoc eſt impoſſibile lumini gloriæ reſpectu Dei. Ergo. Faſolus.

24 Confirmatur primò. *Quia in naturalibus habitus ſunt naturalia inſtrumenta ſubſtantiæ vitalis, ſolùm quia nec continent in ſe vitalitatem, nec habent proportionem cum obiecto.*

Confirmatur ſecundò. *Intellectus non poteſt eſſe principalis cauſa viſionis Dei; quia licet ſit principium vitale, tamen nõ eſt ſupernaturale. Ita è contra, nec lumen gloriæ eſſe poteſt cauſa principalis. Quia eſt quidem principium ſupernaturale, non tamen vitale.*

25 Quomodo lumen gloriæ virtualiter ſeù eminenter in ſua virtute vitalitatem non con- Faſolus.

continet? nonne Faſolus dubitatione 9. num. 29. ait lumen gloriæ, non concurrere ad ſolam ſupernaturalitatem, ſed etiam ad vitalitatem viſionis; & ſimiliter intellectum concurrere non ſolùm ad vitalitatem, ſed etiam ad ſupernaturalitatem? Nónè ibidem num. 33. ait, quòd opinio aſſerens lumen gloriæ non concurrere ad vitalitatem ſibi *maximè diſplicet, quòd minimè ſaluet dictum Viennenſis de lumine eleuante intellectum ad videndum Deum*? & concludit quòd illa opinio *videtur prorſus vitanda, quia verè reddit contemptibilem, & incredibilem doctrinam fidei*. Hæc ille. Ergo lumen gloriæ in ſua virtute effectiua continet vitalitatem. Probo conſequentiam. Quia nulla cauſa poteſt producere effectum, quem in ſua virtute non continet: ſed lumẽ gloriæ per Faſolum producit viſionis vitalitatem. Ergo illam in ſua virtute continet; vel dicendum quòd ad illius productionẽ non concurrit.

26 Reſpõdetur igitur cõcedendo maiorem, & negãdo minorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo antecedens. Lumen nõ eſt in ſe intrinſecè principiũ vitale elicitiuũ, conc. antec. eleuatiuum, nego antecedens.

27 Ad ſecundam probationem, reſpõdetur, negando ſequelam, Proportio enim in modo eſſendi cum obiecto cognito non attenditur inter modum eſſendi obiecti cogniti, & modum eſſendi luminis intellectualis, & potentiæ intellectiuæ. Nam hoc modo nũquàm inter obiectum proportionatum, & connaturale alicuius naturæ cognoſcentis inueniretur dicta proportio, vt inductiuè patet. Eſſentia enim Angeli eſt obiectum proportionatum, & connaturale luminis intellectualis, ac potentię intellectiuæ eiuſdem, & nihilominus, modus eſſendi Angeli non conuenit cum modo eſſendi luminis intellectualis, & potentiæ intellectiuæ eiuſdem; Angelus enim eſt ſubſtantia; potentia verò intellectiua, eiuſquè lumen, ſunt accidentia. Proportio igitur attendenda eſt inter modum eſſendi obiecti naturaliter, & quidditatiuè cogniti, & inter modũ eſſendi naturę cognoſcentis. vt ſupra art. 4. diximus.

28 Ad primam cõfirmationem reſpondetur primò, negando ſuppoſitum antecedentis. Habitus enim in naturalibus concurrunt vt cauſæ principales ad operationes, nec ſunt naturalia inſtrumenta ſubſtantiæ vitalis intellectualis, propriè loquendo; quia quamuis natura intellectualis ſine habitu dicatur ſimpliciter potens, tamen habitus confert potentiæ promptè, ac faciliter operari; præbendo intellectui maius intellectuale lumen. Vnde ſicut lumen intellectuale, & innatum intellectui, non concurrit ad intellectionem vt inſtrumentum rigoroſè loquendo; ita neq; etiam habitus qui eſt aliquod ſpeciale lumen de nouo ſuperueniẽs.

29 Reſpondetur ſecundò, negando ſuppoſitum cauſalis, quod non probat.

Reſpondetur tertiò, tranſeat antecedens. & negando conſequentiam, Quia arguens aliud aſſumit, & aliud ab aſſumpto intendit. Aſſumit enim quòd habitus naturalis non eſt inſtrumentum intellectus, & ex hoc concludit, quòd habitus luminis gloriæ ſit inſtrumentum Dei.

30 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur primò, negando ſuppoſitum antecedentis. Nam infra, ex profeſſo probabimus intellectum creatum, eſſe cauſam in ſuo ordine principalem, non verò merè inſtrumentalem viſionis.

Reſpondetur ſecundò; negando cauſalem. Nam in vtroquè caſu dicimus intellectum eſſe principium vitale viſionis, vitalitate ſupernaturali, quam cum nõ habeat ex ſe, recipit à lumine, & hoc non obſtante, eſt verè, & propriè viſionis beatificæ cauſa principalis.

31 Obijcies ſecundò ex Recupito. *Omnis cauſa concurrens ad effectum nobiliorem ſe, concurrit vt cauſa inſtrumentalis: ſed tale eſt lumen reſpectu viſionis. Ergo lumen eſt cauſa inſtrumentalis reſpectu viſionis.* Maior admittitur. *Quia per hoc maximè diſtinguitur, cauſa inſtrumentalis à principali. Minor probatur triplici ratione. Prima eſt. Omnis actus vitalis cæteris paribus nobilior eſt habitu non vitali: ſed hic ſunt cætera paria. Ergo. Minor patet. Quia vtraquè ponitur in ordine ſupernaturali, & reſpicit Deum, &c.*

Secunda eſt; Viſio magis appropinquat ad Deum quàm lumen. Ergo viſio perfectior eſt quàm lumen. Probatur antecedens. *Quia viſio immediatè reſpicit Deum, lumen mediatè, non niſi vt eſt principium viſionis.* Tertiam promiſit, ſed non poſuit, niſi dum dixit, *triplici*, voluit dicere *duplici*.

32 Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed tale eſt lumen reſpectu viſionis conſideratæ in ratione cauſæ, concedo minorem. Conſideratæ in ratione effectus, nego minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. Etenim licet viſio beatifica effectiuè a lumine dependeat; lumen autem dependet finaliter à viſione. Finis enim cuiuſcumquè habitus operatiui eſt eius actio, quare nil probat argumentum, & per idem patet ad omnes eius probationes, & confirmationes.

33 Obijcies tertiò. Quia ſi lumen gloriæ non eſſet inſtrumentalis cauſa, ſed principalis reſpectu viſionis, non ita facilè poſſet aſſignari diſparitas, cur non poſſit dari ſubſtantia ſupernaturalis creata, quæ ſit cauſa principalis connaturalis viſionis beatæ; ſicut datur accidẽs ſupernaturale creatum, vt cauſa principalis reſpectu eiuſdem.

Reſpondetur negando ſequelam, & rationem diſparitatis require ſupra diſp. 47.

Digitized by Google

DISPVTATIO LXII.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT TOTA RATIO producendi viſionem.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones adducuntur.

1 SEnſus quæſiti eſt. Vtrum in intellectu independenter à lumine gloriæ, ſit aliqualis natiua intelligendi virtus ad producendam viſionem, an verò totam proximam agendi virtutem mendicet à lumine.

2 Negatiuè reſpondent. *Scotus.* Scotus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. aſſerens quòd *intellectus ex ſuis naturalibus poteſt in uiſionem*; & in primo diſt. 17. q. 2. loquens in generali de virtute, ſeù habitu ſupernaturali, & ſignanter §. *contra iſtam opinionem*. & in 4. diſt. 49. q. 11. defendens habitum charitatis poni in voluntate ad producendum actum intenſiorem. *Vaſquez. Suarez. Molina. Faſolus.* Vaſquez hic diſp. 43. cap. 3. Suarez p. p. tract. 1. lib. 2. cap. 16. Molina diſp. 1. concluſ. 2. Faſolus hìc, dubitatione 6. num. 24. & dubitatione 12. num. 49. qui ita aſſeueranter negat, vt dixerit, quòd *tenere uidentur nonnulli Thomiſtæ ad uiſionem beatificam paſſiuè dumtaxat, concurrere, nam,* inquit, *cum ſentiãt, implicare intellectum uidere Deum, uidentur dicere totam uirtutem effectiuam uiſionis, eſſe ſolùm lumen, & intellectum informatum lumine denominari producentem uiſionem, ad eum modum, quo aqua calida denominatur calefacere, ubi principium calefaciendi eſt ſolus calor*, quod prius dixerant Scotus in 1. diſt. 17. q. 2. §. *Præterea ex hoc ſequitur ulterius*. loquẽs de habitibus ſupernaturalibus in cõmuni. *Scotus. Vaſquez. Recup. Palumb. Paſqual.* & Vaſquez hic diſp. 43. cap. 4. n. 11. Eandem opinionem ſuſtinent Recupitus lib. 6. q. 6. & 18. Palumbus in doctrina, & ſcholaſtico examine ad art. 5. concl. 7. Paſqualigi, & alij.

3 Affirmatiuè verò reſpondent communiter Thomiſtæ, *Capreol. Ferrar. Aluarez. Nauarret. Conzal. Salmant. Ledeſma. Cabrera. Martinez. Bañes.* Capreolus in 4. diſt. 49. q. 4. Ferrarienſis 3. cont. gent. c. 54. Aluarez de aux. diſp. 63. n. 7. & pluries alibi, Nauarrete cont. 38. & 39. Cõz. diſp. 24. ſect. 4. & diſp. 29. ſect. 2. Salmant. diſp. 8. dub. 4. & diſp. 5. dub. 2. §. 2. Ledeſ. de diu. perf. q. 8. ar. 7. & 8. Gabr. 3. p. q. 62. ar. 1. diſp. 11. §. 5. ferè ptotã, Martin. 1. 2. q. 3. ar. 2. dub. 3. ad 2. Bañes hic, & artic. ſeq. Nazarius hic contr. 2. §. 2. omneſquè veri D. Thomæ diſcipuli.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Tota ratio proximè producendi viſionem beatificam eſt lumen gloriæ.

Hoc dictum vnica ratione probatur, ſed ante omnia ſuppono duo, vnum eſt, quòd viſio Dei eſt vna ſimplex entitas. Secundum eſt, quòd viſio ita eſt ſupernaturalis, vt nihil naturalitatis habeat; quo ſuppoſito.

4 Sic argumentor. Viſio beatifica eſt actio vitalis ſupernaturalis. Ergo non procedit nec procedere poteſt ab actiuitate naturali qua naturalis eſt, ſed ſolummodo ab actiuitate ſupernaturali. Ergo tota actiuitas producendi viſionem, eſt à lumine. Antecedens ſupponitur. Probatur prima conſequentia. Quia actiuitas naturalis ideo dicitur, quia non poteſt niſi effectum naturalem producere, aliàs eſſet terminos ignorare. Secunda conſequentia eſt euidens.

5 Hoc argumentum breue eſt, ſed propter ſui efficaciam magnoperè torquet aduerſarios. Propter hoc argumẽtum, Durandus, *Durand.* & alij dicunt viſionem beatificam neque ab intellectu creato, neque à lumine, ſed à ſolo Deo in intellectu produci.

6 Sed hic dicendi modus per diſputationes integras reprobatus eſt.

Alij autem dicunt, viſionem beatificam nõ eſſe propriè actũ ſupernaturalẽ, ſed reſpectiuè.

7 Sed hoc eſt contra præſuppoſitum, & ſtatim reijcitur, tanquàm voluntariè dictum. Etenim viſio clara Dei eſt reſpectu obiecti ſimpliciter ſupernaturalis, nempè Dei vt eſt in ſe. Ergo eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Probatur conſequentia. Quia quando obiectum vt ſpecificatiuum, eſt ſupernaturale, actus ſpecificatus, eſt ſimpliciter ſupernaturalis.

8 Alij Reſpondent, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo non procedit, nec procedere poteſt ab

Digitized by Google

actiuitate naturali, quo ad ſupernaturalitatem concedunt. Quo ad vitalitatē negant.

Sed hoc eſt etiam contra primum, & ſecundum præſuppoſitum. & ſic argumentor contra. Si viſio clara Dei quo ad vitalitatem eſt ab intellectu, & quo ad ſupernaturalitatem eſt à lumine, Peto, quo ad vitalitatem, ſeu vitalitas viſionis, eſt vitalitas naturalis, an ſupernaturalis.

9 Si dicatur, quòd eſt naturalis. Ergo eſſet dicere, quòd viſio, quo ad naturalitatem, eſt ab actiuitate naturali, & quòd quo ad ſupernaturalitatem, eſt à lumine gloriæ quod eſt ſupernaturale. Sed hoc in primis eſt ridiculum. Secundò. Quia viſio beatifica eſſet compoſita ex naturalitate, & ſupernaturalitate, & ſic non eſſet vna ſimplex qualitas. Tertiò, Quia impoſſibile eſt vt producatur ab intellectu in ratione vitalitatis, non tangendo rationem ſupernaturalitatis; & è contra. Hoc autem magis improbabitur, probando quòd intellectus, & lumen non ſunt viſionis cauſæ partiales.

10 Alij ergo reſpondent, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo non procedit nec procedere poteſt ab actiuitate naturali, tanquàm à cauſa principali, concedunt. Tanquàm à cauſa inſtrumentali, negant. Ita ferè nonnulli moderni diſputatione ſequenti adducendi.

Sed contra hanc fugam demonſtrabimus intellectum creatum non eſſe merum viſionis beatificæ inſtrumentum.

11 Alij verò reſpondent concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo non procedit, nec procedere poteſt ab actiuitate naturali, nudè ſumpta, concedunt. Ab actiuitate naturali vt per lumen eleuata, negant.

Sed contra hoc, eodē prorſus robore replicat argumentum. Etenim actiuitas naturalis quatenus eleuata, Peto, agit ne ratione ſuæ natiuæ actiuitatis, vel nullo modo agit? Sed naturali actiuitate relicta, viſionem media ſupernaturali virtute producit? Si ſecundū. Ergo intentum. Si primum. Contra, virtus ſeu actiuitas naturalis vt eleuata naturalitatis limites non excedit. Ergo nō poteſt ad effectū ſupernaturalē effectiuè concurrere.

12 Confirmatur primò. Quia iuxta hunc dicendi modum, actiuitas naturalis vt eleuata nō eſt aliud, niſi actiuitas naturalis vt coiūncta cum actiuitate ſupernaturali: Sed ex tali coniunctione, actiuitas naturalis improportionem qua ratione naturalitatis detinebatur, ne viſionem ſupernaturalem producere poſſet, ſuperare non poteſt. Ergo.

13 Confirmatur ſecūdò. Intellectus creatus Chriſti Domini per ſcientiam naturalem non cognoſcit, nec cognoſcere poteſt myſterium Trinitatis clarè, & diſtinctè, neque ipſam Deitatis Maieſtatem vt in ſe eſt intuitiuè proſpicere, etiam vt eleuatus per lumē gloriæ, vt demonſtratur 3. p. q. 10. 11. & 12. Ergo actiuitas naturalis, ex vi coiunctionis ad lumen ſupernaturale non extollitur ad attingendum effectum ſupernaturalem.

Confirmatur tertiò. Effectus ſupernaturalis vt effectus ſupernaturalis eſt, debet eſſe ab aliqua actiuitate ſupernaturali. Ergo virtus naturalis eſt omnino improportionata ad producendum effectum ſupernaturalem. Nullo igitur modo virtus naturalis intellectus, viſionem beatificam quæ eſt effectus ſupernaturalis attingere poteſt, etiam vt per lumen gloriæ eleuata.

CAPVT TERTIVM.

Argumentorum euerſio.

14 CONtra iſtam determinationē, obijcies primò, ex Recupito, lib. 6. q. 6. cōcl. 2. *In tantùm intellectus actiuè concurrit ad intellectionem beatam, in quantùm hac comparatur ad illum tanquàm actus vitalis ad potentiam vitalem. Ergo ad illam debet concurrere vitaliter. Ergo per vires vitales. Ergo per ſuammet potentiam, & non per lumen, aut ſuperadditum non vitale.* Recup.

15 Confirmatur primò. Ex Tridentino ſeſſ. 6. canone 5. vbi habetur voluntatem cooperari gratiæ. Vnde ſic argumentatur. *Ita ſe habet intellectus ad lumen, ſicut voluntas ad gratiam. Tum quia ſicut voluntas per gratiam eleuatur ad amorem ſupernaturalem, ita intellectus eleuatur per lumen ad viſionem ſupernaturalem. Tum quia per aduerſarios, concurſus ad quodlibet ſupernaturale debet eſſe per potentiam ſuperadditam; & hoc tam in voluntate, quàm in intellectu, ex ratione illa generali, quòd hæ potentiæ reſpectu actuum ſupernaturalium, non habent poſſe ſimpliciter, & ſic debet illis ſuperaddi potentia: ſed voluntas ex Tridentino cooperatur gratiæ. Ergo intellectus cooperatur lumini. Ergo præter operationem luminis datur etiam operatio intellectus. Ergo non eſt tota operatio à lumine. Sed partim à lumine, partim ab intellectu. Alioquin ſi operatio eſſet adæquatè à lumine, tanquàm à potentia intellectus, non diceretur intellectus cooperari lumini, ſed operari per lumen; ſicut in exemplo ab ipſis allato, cum operatur calor in aqua calida, non poteſt dici aqua cooperari calori, ſed operari per calorem.* Trident.

16 Confirmatur ſecundò. *Ex hoc eodem exemplo, quo vtuntur Bañes, & Zumel quòd, ſcilicet, ita intellectus operatur per lumen ſicut aqua calida per calorē. Vnde,* inquit, *ſic arguo. Aqua denominatiuè tantùm dicitur calefacere, quia calefactio eſt adæquatè à calore, nullatenus ad illam concurrente aqua: ſed viſio beata per ipſos eſt ab intellectu illuminato, ſicut calefactio ab aqua calida. Ergo denominatiuè tantùm erit ab intellectu; cum totus concurſus ad illam fit à* Bañes. Zumel.

 lumi-

Digitized by Google

lumine. Ergo intellectus beatus denominatiuè tantum, Deum videret, non verè, & vitaliter. quòd eſt abſurdum ex terminis. Hæc illic.

17 Reſpondetur ad argumentum; quòd poſſet concedi totum, & negari vltimam conſequentiam, quam nec ex forma argumentandi, neque ex propoſitionibus aſſumptis aliqualiter probat; vt autem clarius appareat nullitas argumenti.

18 Reſpondetur in forma, diſtinguendo antecedens. *In tantùm intellectus actiuè concurrit ad intellectionem beatam, in quantum hæc comparatur ad illum, tanquàm actus vitalis* ſupernaturalis ad potentiam vitalem, vitalitate ſupernaturali, concedo antecedens, tanquàm actus vitalis naturalis ad potentiam vitalem naturalem, nego antecedens, & ſimiliter diſtinguendum eſt primum, & ſecundum conſequens, & neganda vltima conſequentia.

19 Pro huius tamen exactiori intelligentia eſt obſeruandum primò, quòd duplex eſt vita: Subſtantialis, & Accidentalis. Subſtantialis, eſt ſubſtantia, ſiuè eſſe ſubſtantiale, cui conuenit ſecundùm ſuam naturam mouere ſe, vel agere ſe, quocunquè modo ad operationem. Vita verò accidentalis eſt ipſa potentia, vel operatio vitæ ſubſtantialis, ſicut nutritio, generatio, ſentire, intelligere, intellectus, voluntas, potentia nutritiua, &c. Vita primò modo, dicitur verè, & propriè vita, eo quia hoc nomen, vita, impoſitum eſt ad ſignificandam ſubſtantiam, cui conuenit ſecundùm ſuam naturam mouere ſeipſam: Vita verò ſecundo modo, dicitur minus propriè vita, quia eſt propter vitam ſubſtantialem. Videatur Diuus Thomas infra quæſt. 18. art. 2.

20 Obſeruandùm ſecundò. quòd vita ſecundo modo accepta, adhuc diuiditur; Quædam enim eſt vita naturalis; Quædam verò eſt vita ſupernaturalis. Prima eſt medio principio naturali. Secunda eſt medio principio ſupernaturali. Diſcrimen autem eſt inter vtramquè vitam. Primò. Quoniam vita naturalis, eſt duplex, ſubſtantialis, ſcilicet, & accidentalis: Vita autem ſupernaturalis creata, non diuiditur in ſubſtantialem, & accidentalem, Eſt enim impoſſibilis vita ſubſtantialis ſupernaturalis creata, vt ſupra diſputatione 46. probauimus; Omnis igitur vita ſupernaturalis creata, eſt accidentalis dumtaxat. Secundò. Quia vita ſupernaturalis neceſſariò præſupponit naturalem, ita vt iſta ſine illa eſſe poſſit; nõ è cõtra; non enim vita naturalis neceſſariò vitam ſupernaturalem præſupponit. Nulla enim creatura poteſt viuere vita ſupernaturali, niſi præhabeat in ſe vitam naturalem. Poteſt autem vita naturali viuere, ſine ſupernaturali.

21 Et inſuper. Hæc vita ſupernaturalis accidentalis, eſt etiam duplex. Vna, qua ſubſtantia naturalis in ſua eſſentia viuit, & hæc eſt gratia ſanctificans: Altera qua viuit in ſua potentia, & hoc modo ſunt habitus ſupernaturales operatiui, vt Fides, Spes, Charitas, Lumen gloriæ, & actus ſupernaturales, vt ſunt, credere, diligere, ſperare, Deum videre, &c.

22 Obſeruandum tandem; quòd hoc eſt creaturæ intellectuali peculiare, vt propter eius immaterialitatem, hac duplici vita, naturali, ſcilicet, per principia naturalia, & ſupernaturali, per principia ſupernaturalia viuere poſſit. Creaturæ enim homine inferiores, incapaces ſunt vitæ ſupernaturalis accidentalis; quemadmodum ſunt incapaces gratiæ, & gloriæ; in quo ſenſu dixit Diuus Auguſtinus, quòd *poſſe habere fidem, & charitatem, naturæ eſt hominum.*

23 Quando ergo dicitur, & pluries ab aduerſarijs contra nos aſſumitur, quòd viuens debet in ſe habere principium vitæ, vel eſt ſermo de viuente vita naturali, vel de viuẽte vita ſupernaturali; & quidem ſi ſermo ſit de viuente vita naturali, debet omne viuẽs in ſe, & ex ſua natura, habere viuendi principium; Si autem ſermo ſit de viuente creato, vita ſupernaturali; viuens debet habere in ſe, non ex ſe viuendi principium; ſed ex diuina, ac ſupernaturali participatione naturæ diuinæ; ſecundùm quòd natura diuina participatur in ratione viuẽtis. Vnde concludimus, quòd quamuis gratia, Fides, Spes, Charitas, & Lumen gloriæ, ſint accidentia; nihilominus ſunt vitalia; quia ſunt accidentia ſupernaturalia, diuinam naturam in ratione viuentis participantia, & creaturam intellectualem ad vitam ſupernaturalem eleuantia; & hoc eſt, quòd communiter Thomiſtæ dicunt, nimirum, lumen gloriæ non eſſe vitale vt quòd, eſſe tamen vitale vt quo; ſenſus enim eſt, quòd lumen gloriæ non eſt potentia vitalis intelligens, eſt tamen lumen ſupernaturale conferens intellectui creato virtutem, vt ſupernaturaliter viuat: Idem dicendum eſt de gratia ſanctificante. Gratia enim ſanctificans eſt verè vitalis; quia verè non ſolùm moraliter, verùm etiam phyſicè, tribuit ſupernaturalem animæ vitam, per hoc, quòd anima phyſicè recipit entitatem gratiæ, & phyſicè per gratiam fit particeps diuinæ naturæ, & hanc ſupernaturalem vitam, quam gratia animæ præſtat, inſinuant Sacræ Scripturæ aperta teſtimonia, & præcipuè cum dicitur Rom. 6. *Gratia Dei vita* Rom. 6.
æterna, & Io: 17. *Hæc eſt vita æterna, ut co-* Io: 17.
gnoſcant te, & in vltimo noſtræ fidei articulo in Apoſtolorum Symbolo contento, per hæc verba. *Vitam æternam.* Illa enim vita, Symbol.
cum ſit vltimum, ac maximum noſtræ vitæ donum, eſt abſquè dubio vera, & ſupernaturalis vita.

24 Si aduerſarij, hæc quæ diximus linceis ocu-

Digitized by Google

oculis,& abſquè liuore aduerterent, fortaſſe Thomiſtarum opinioni, non ſe opponerent, nec aduerſantia argumenta tam ſollemniter celebrarent.

25 Ad primam confirmationem, quamuis inter intellectum reſpectu luminis,& voluntatem reſpectu gratiæ, ſeu charitatis, ſit aliqualis diſparitas; eò quia intellectus neceſſariò cooperatur lumini, voluntas verò liberè cooperatur gratiæ, vt idem Concilium expreſsè determinat; nihilominus admiſſa maiori, diſtinguo minorem. ſed voluntas ex Tridentino cooperatur gratiæ, vt mota per gratiam, & virtute gratiæ, ſeu recipiendo agendi virtutem à gratia, concedo minorem. Vt immota,& non recipiendo agendi virtutem à gratia, nego minorem. Ergo,&c. ſimiliter diſtinguendum eſt primum conſequens, cum ſequentibus: Ad illud autem quod exagerando appoſuit, nempè, alioquin ſi operatio eſſet adæquatè à lumine tanquàm à potētia intellectus, non diceretur intellectus cooperari lumini, ſed operari per lumen, videtur friuolum, Vtrumque enim dici poteſt,& quod intellectus operatur per lumen, & quòd cooperatur lumini; ſi ſanè ly *cooperatur*, intelligatur. Nam ſi ly *cooperatur lumini*, ſumatur independenter à lumine, & tanquàm aliquod a lumine omnino diſparatum; falſum omnino eſt, & contra Concilium dicere, quòd intellectus cooperatur lumini, ſicut falſum omnino eſt, quòd voluntas ex ſua innata libertate independenter à gratia, cooperatur gratiæ. Deus enim (teſte Auguſtino lib. de gratia, & libero arbitrio ca. 17.) vt *velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*. & in Enchiridion ad Laurentium cap. 32. *Vt totum Deo detur, qui voluntatem hominis præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam*. & Sacrum Concilium Tridentinum à Recupito adductum, non quidem canone 5. ſed canone 4. hæc habet verba. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atquè vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nequè poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſiuè ſe habere: anathema ſit*. Vbi Sacrum Concilium determinat quidem liberum arbitrium cooperari, non tamen ex ſe, ſed vt motum,& excitatum à Deo.

D. Auguſ.

Trident.

26 Et idem Concilium Tridentinum eadem ſeſſ. 6. cap. 5. explicans illas duas Sacræ Scripturæ propoſitiones, nempè, *conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*; & *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. ſic ait, *Neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vnde in ſacris litteris, cum dicitur, conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus, conuerte nos Domine, ad te, & conuertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur*.

27 Ad ſecundam confirmationem. Reſpondetur primò negando cauſalem. Non enim ideò aqua denominatiuè calefacit; quia totam calefaciendi virtutem recipit à calore; ſed quia virtus calefaciendi ita eſt à calore, vt non ſolùm, non ſit a natura aquæ formaliter, & proximè, neque radicaliter, & remotè, ſed etiam calor, & calefactio, ſunt contra naturam aquæ; ac proinde, aquam calor deſtruit, non perficit: at verò intellectus recipit à lumine virtutem producendi viſionem, tanquam præſupponens gratiam eſſentiæ animæ inhærentem, vnde lumen gloriæ, quamuis ſit ſupra intellectus creati naturam, non tamen illum deſtruit, ſed eum ad ſummam eius perfectionem, ac operationem eleuat,& exaltat.

28 Reſpōdetur ſecundò. Exemplum à Thomiſtis allatum, nempè, quòd ita intellectus operatur per lumen gloriæ, ſicut aqua calida per calorem, in quo à nobis aſſumitur, optimum eſt exemplum; in eo verò in quo ab aduerſarijs opprimitur; exemplum, ſeu doctrina ratione exempli, à nobis non intenditur. Etenim exemplum de aqua calida per calorem, non eſt à Thomiſtis allatum, ad manifeſtandum modum quò intellectus per lumen denominatur intelligens, ſed ad declarandum modum, quo intellectus verè intelligens, recipit totam agendi virtutem à lumine. Senſus igitur Thomiſtarum eſt iſte, videlicet, ſicut aqua calida nullam in ſe virtutem habet producendi calorem, ſed quando calefacit, totam calefaciendi virtutem à calore mendicat; ita intellectus creatus nullam in ſe naturalem virtutem habet proximè producendi viſionem, ſed omnem virtutem ad huiuſmodi effectum producendum, accipit à lumine gloriæ; quòd verò aqua dicatur denominatiuè calefaciens, non eſt ad hoc propoſitum adductum Thomiſtarum exemplum, ſed potius eſt calumnioſa, ac inualida aduerſariorum illatio.

29 Reſpondetur igitur diſtinguendo maiorem. Aqua denominatiuè tantùm dicitur calefacere; quia agit per potentiam non ſuam, nec ſibi naturaliter, neque obedientialiter, ſed tantùm contra naturam ſibi conuenientem, concedo maiorem, Et agit per calorem, tāquàm per potentiam ſuam, ſibi naturaliter, vel obedientialiter conuenientem, nego maiorem. Ad minorem. Sed viſio beata eſt ab intellectu illuminato, ſicut calefactio ab aqua calida, diſtinguo minorem. Ita vt illud lumen ſit obedientialiter intellectui conueniens, intellectum perficiens, atquè ad ſupremam eius operationem eleuans, concedo minorem: Ita vt illud lumen ſit contra intellectus naturam, illuſq;

illiuſquè deſtructiuum, nego minorem. Ergo,&c. nego conſequentiam.

30 Reſpondetur ſecundò, ſub alijs verbis, ſed non diuerſa doctrina, negando maiorem. Non enim verum eſt, quòd ideò aqua denominatiuè tantùm dicitur calefacere. Quia calefactio eſt adæquatè à calore in ratione proxima agendi, ſed quia ita eſt a calore, vt repugnet aquæ calefacere, non tamen repugnat intellectui intelligere ſeù videre Deum, ſed habet virtutem radicalem, id eſt potentiam obedientialem recipiendi lumen ratione cuius poſſit efficere viſionem.

31 Reſpondetur tertiò, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed viſio beata eſt ab intellectu illuminato ſicut calefactio ab aqua calida, quoad proximam virtutem agendi, concedo minorem. Quoad denominationem agentis, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam.

32 Conceſſi maiorem. Quia arguens illam callidè fallaciterquè proponit, ſic enim ait. *Aqua denominatiuè tantùm dicitur calefacere, quia calefactio eſt adæquatè à calore, nullatenus ad illam concurrente aqua.* Vbi benigne Lector aduerte, quòd arguentis cauſalitas eſt iſta; nempè, *quia calefactio eſt adæquatè à calore, nullatenus ad illam concurrente aqua*. Vnde propoſitio ſic propoſita vera eſt. Verumtamen minor huic propoſitioni ſuppoſita, ne ſit contra regulam ſyllogiſticam, debet intelligi, vt includens in ſe medium terminum vniuocè, quem non ponit. Nam minorem aſſumit ſecundùm quòd à nobis Thomiſtis aſſeritur, à nobis autem intelligitur exemplum quoad virtutem agendi, non autem quoad denominationem agentis, vnde.

33 Reſpondetur argumentum non eſſe in forma; & ratio eſt; Quia maiori propoſitioni iam adductæ, vt argumentum ſuam formalitatem habeat, hæc debebat eſſe minor, videlicet, ſed viſio beata per ipſos, eſt à lumine gloriæ adæquatè nullatenus ad illam concurrente intellectu, ſicut calefactio eſt adæquatè à calore, nullatenus ad illam concurrente aqua. Ergo,&c. Poſito autem argumento in hac debita forma, concedo maiorem,& nego minorem,& tenetur arguens ſub titulo, & pœna falſi adducere doctores Thomiſtas, minorem propoſitionem aſſerentes, & quia nullum inueniet, nec inuenire poteſt. ideo,&c. Vlterius aduerte, quòd neque à ſe ipſis difficultatem de aquæ exemplo inuenerunt, ſed mendicauerunt à Scoto in 1. diſt. 17. q. 2. mutato calore aquæ ad calorem ligni.

34 Sed contra priores reſponſiones concernentes materiam argumenti, ſic inſtat Recupitus. *Quia intellectus eſt potentia animæ; & tamen intellectus eſt verè, & vitaliter intelligens; anima tantùm denominatiuè; eò quòd intellectio ſit proximè, & formaliter ab intellectu. Ergo ſi lumen poneretur eſſe potentia intellectus, hic diceretur denominatiuè intelligere, eò quòd intellectio eſſet proximè, & formaliter à lumine.* Scotus. Recup.

35 Reſpondetur negando totum aſſumptum. Falſum enim eſt, animam denominatiuè intelligere,& intellectum ſolum, verè,& vitaliter intelligere; Nam intellectus eſt verè potentia animæ ratione cuius anima intelligit, ſicut calor eſt potentia ignis, ratione cuius, ignis verè, & propriè dicitur calefacere, immediatè in ratione ſuppoſiti, & mediatè ratione ſuæ propriæ potentiæ, & virtutis; calor enim eſt virtus propria ignis.

36 Falſa etiam eſt cauſalis quam adducit; videlicet, eò quòd intellectio ſit proximè, & formaliter ab intellectu; ſcire enim ex phyloſophia oportet, quòd intellectio,& quælibet creati agentis actio, proprium principium habet: proprium autem principium eſt duplex, radicale ſcilicet, & proximum. Principium proximum eſt intellectus, & quælibet cuiuſcunquè ſubſtantiæ potentia: Principium verò radicale eſt ipſa rei ſubſtantia, ſeù eſſentia. Vnde Ariſtoteles in 2. de anima definiens animam, dicit animam *eſſe primum principium quo viuimus, operamur, &c.* & quælibet ſubſtantia eſt proprium, ſed primum ſuæ operationis principium. Ariſt.

37 Neque verum eſt conſequens. Nam intellectus immediatè concurrit ad viſionem in ratione potentiæ intelligentis; quia intellectus lumini gloriæ comparatus in ordine ad intellectionem, ſe habet vt quod proximum,& lumen vt quo proximum. Itaquè ambo vt principia proxima concurrunt, vnum vt quod, ſed eleuatum, & alterum vt quo, ſed eleuans.

38 Sed contra hanc reſponſionem inſurgit idem Recupitus ibidem. his verbis. *Quia licet lumen ſe habeat vt quo reſpectu intellectus, cuius dicitur eſſe potentia; haberet tamen ſe vt quod reſpectu actus, eſſet enim id quod medio concurſu produceret actum. Ergo adhuc impediret, quo minus intellectus immediatè, & vitaliter attingeret intellectionem.* Recup.

39 Confirmatur, *Quia hac Dei viſio medio lumine ab intellectu procedens, vel eſſet immediatè à lumine per concurſum vitalem, vel per non vitalem. Si primum. Ergo lumen concurreret vitaliter. Ergo poſſet concurſus vitalis eſſe ab aliquo, non habente principium vitæ. Si ſecundum ergo intellectus per lumen non concurreret ad viſionem vitaliter; quod etiam apud aduerſarios eſt abſurdum. Si igitur intellectus eſt per viſionem vitaliter videns, ad eam vitaliter concurrit; & ſic per ſuaſmet vires intrinſecas, & vitales.*

40 Expedito iam de aqua calida præcedenti diſcurſu, iterum repetit quæ dixeras

Reſ-

de luminis gloriæ non vitalitate; Ex ſupradictis autem etiam paruuli ſoluant argumentum.

Reſpondetur igitur ad inſtantiam diſtinguendo antecedens, licet lumen ſe habeat vt quo, &c. haberet tamen ſe vt quod, per modum eleuantis, concedo antecedens. Per modum vitaliter intelligentis, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam; quia intellectus concurrit immediatè per modum potentiæ vitaliter intelligentis.

41 Ex huius Doctoris argumentandi modo, ſequeretur, quòd nulla potentia ab actione diſtincta, immediatè attingeret obiectum, vel produceret effectum, quòd ita probo. Nam quamuis actio ſit productio effectus, vel attingentia obiecti, vt quo, reſpectu potentiæ; tamen reſpectu obiecti vel effect⁹, poſſet proportione ſeruata, habere ſe vt quod. Ergo potentia non immediatè attingeret obiectum.

42 Ad confirmationem reſpondetur, Hanc Dei viſionem eſſe immediatè à lumine, per concurſum vitalem eleuatiuè, non verò per modum potentiæ vitaliter intelligentis: & ad impugnationem reſpondetur ſimiliter diſtinguendo primum conſequens. Ergo lumen concurreret vitaliter, eleuatiuè, concedo conſequentiam. Per modum potentiæ vitaliter intelligentis, nego conſequentiam. Ergo, &c. ſimiliter diſtinguendum eſt vltimum conſequens. Nam lumen gloriæ ex ſupradictis patet, non eſſe vitale in ratione potentiæ vitalis, eſſe tamen vitale eleuatiuè, conſtat. Quia eſt lumen intellectuale ſupernaturale participans lumen intellectuale diuinum.

43 Obijcies tandem. Diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, effectiuè concurrit ad viſionem. Ergo lumen gloriæ non eſt tota ratio producendi viſionem.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Diuina eſſentia effectiuè concurrit ad viſionem, tanquàm principium extrinſecum ſe tenens ex parte obiecti, concedo antecedens. Tanquàm robur, & virtus eleuans, ſeu fortificans intellectum, concedo antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. & ratio negationis eſt; Quia quando dicimus lumen gloriæ eſſe totam videndi rationem, ſeù virtutem producendi viſionem, non loquimur de adæquato principio productiuo, ſed de tota virtute, qua proximè intellectus agit, vt in titulo explicauimus.

DISPVTATIO LXIII.

VTRVM INTELLECTVS CREATVS CONCVRRAT AD viſionem beatificam, tanquàm cauſa principalis, an verò tanquàm cauſa merè inſtrumentalis.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum ſententiæ referuntur.

1 QVidam à noſtra præcedentis diſputationis ſententia recedentes aſſeruat, firmiterquè defendunt, omnem intellectum creatum ad viſionem Dei producendam inſtrumentaliter duntaxat concurrere. Ita Suarez p. p. lib. 2. de attribut. negat. cap. 14. in methaphyſic. tom. 2. diſputat. 30. ſect. 11. num. 46. & lib. 2. de gratia lib. 6. cap. 7. Vaſquez hic diſp. 47. cap. 6. num. 38. differt autem Vaſquez ab alijs quia illi placet aſſerere intellectum eſſe inſtrumentum luminis, alij autē lumen, & intellectū, dicunt eſſe inſtrumenta Dei, Arrubal diſp. 19. c. 7. Faſolus hic dub. 7. n. 17. Recupitus lib. 6. q. 7. num. 2. & 3. Albertinus tom. 1. princip. 2. philoſophico quæſt. 6. Theologica, num. 5. qui tamen non eſt tam reſolutè pro hac opinione citan-

Suarez. Vaſquez. Arrubal. Faſolus. Recupit. Albertin.

Digitized by Google

tandus. Etenim Albertinus hac diſtinctione vtitur, Potentia dupliciter conſiderari poteſt. *Quantùm ad influxum, & executionem actus ſupernaturalis*, in quo genere cauſæ eſt etiam a Deo. Secundò in aliquibus caſibus in *quibus impoſſibile eſt, quòd Deus concurrat in eodem genere cauſæ, in quo concurrit potentia*. & clarius dici poteſt hoc modo. Quantùm ad influxum effectiuum. & quantùm ad influxum formalem, & materialem. Primò modo ait, intellectum concurrere ad viſionem obedientialiter inſtrumentaliter. Secundo verò obedientialiter principaliter. Albertin. Idem Albertinus vbi ſupra num. 3. adducit Capreolum in 3. diſt. 28. quæſt. 1. pro opinione affirmante intellectum lumine gloriæ illuſtratum cócurrere vt inſtrumentum ad viſionem. Verùm Capreolus nihil ibi de hac materia loquitur. Voluit fortè dicere in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 3. ad 2. probationem ſecundi principalis, & in noua editione fol. 380. col. 2. & quæſt. 4. ar. 3. Ad Argumenta Aureoli ad 4. & 5. fol. 417. col. 1. niſi fortè loquatur de inſtrumento largè, eo modo quo ibidem fol. 381. ait, potentias animæ agere, & recipere operationes vt inſtrumenta ipſius.

2 Faſolus. Nauarret. Faſolus pro eadem opinione refert Nauarrete, hic controu. 42. §. 3. ad. 5. Sed Nauarrete in tali loco nil aliud ait, niſi quòd *actiuitas circa obiectum ſupernaturale, ſolum eſt ſub quadam potentia obedientiali*, quod vltrò, omnes Thomiſtæ concedunt, ſed non propterea intellectum eſſe cauſam inſtrumentalem admittunt. Faſolus in doctorum opinionibus referendis, hunc ſolet ſubire caſum, vt alijs opiniones imponat, quas nec ſomniauerunt vnquam; & certè in hac re mihi perſuadeo, Faſolum non legiſſe Nauarrete; Faſolus. Nauarret. etenim Nauarrete controu. 39. §. 1. ſtatuit hanc concluſionem. *Intellectus non poteſt concurrere ad viſionem beatificam ſine lumine gloriæ, per ſolam eleuationem conſtituentem ipſum in ratione inſtrumenti*. & illam, ex eò præciſè probat. *Quia, inquit, impoſſibile eſt, quòd aliqua ſit operatio vitalis, & quòd ad illam non concurrat potentia vitalis per modum principij principalis*. & *quòd intellectus non poteſt concurrere ad intellectionem vt intellectio eſt, in ratione inſtrumenti*, & idem nō tranſeunter, ſed per extenſum optimè probat, & declarat, & repetit controu. 41. §. *Præterea dicimus*. Vnde ergo motus, dixit, Nauarrete affirmaſſe intellectum inſtrumentaliter cauſare viſionem?

3 Recupitus loco citato num. 3. defendit, quòd intellectus cócurrit ad viſionem Dei, vt cauſa inſtrumentalis ſubiectiua. & ſubdit ſic. *Eſt omnium admittentium potentiam obedientialem paſſiuam*. Sed hoc non eſt verum, imo communiter Theologi oppoſitum tenent, debuit ad minus vt taceam reliquos, intueri Albertinum loco citato fol. 194. num. 8. ſic dicentem. *In receptione, & ſubſtentatione, potentia cócurrit vt cauſa principalis* (Nota) *& ſimul ut potentia obedientialis*. Æquo animo hunc loquendi, ſcribendique modum ferre non poſſum, fortè nullus alius hanc ſententiam ſuſtinet, & Recupitus dicit, quòd *eſt omnium admittentium potentiam obedientialem paſſiuam*. In Doctore veritatis, nihil fallax debet agnoſci; aliàs non eſſet inſtruere, ſed decipere Nouitios, & conturbare peritos.

4 Alij verò dicunt Intellectum beati ad viſionem beatificam, tum efficiendam, tum recipiendam, concurrere vt cauſam principalem, & non vtmerè inſtrumentalem. Ita Caietanus art. 1. huius quæſtionis, Bañes hic dub. 3. Nazarius controu. 2. §. *ſecundò aduertendum eſt*. Nauarrete controu. 39. §. 1. & controu. 41. §. *Præterea dicimus*. Becanus cap. 9. quæſt. 4. num. 8. Ledeſma de diuina perfectione quæſt. 8. art. 8. Albertinus principio 2. philoſophico citato n. 6. Salmanticenſes diſp. 4. §. 6. num. 59. & 60. Io: de Sancto Thoma diſp. 14. art. 2. de hoc quæſito §. *his ergo ſuppoſitis*, Gabrera 3. p. quæſt. 62. art. 1. diſp. 11. §. 5. qui quamuis num. 118. dixerit quòd opinio Suarez, *non caret probabilitate*. tamen num. 121. ait, quòd oppoſita ſententia *in doctrina D. Thomæ ſuſtineri non poteſt*. Palumbus in doctrina, & ſcholaſtico examine ad ar. 5. concl. 8. vbi ait quòd intellectus *in uno ſenſu eſt cauſa principalis talis beatæ uiſionis*. Hunc autem vnum ſenſum explicat, per hoc quòd *intellectus ita uidet Deum, ut in operatione uitali ad ad nullum principium referatur quod ſit uidens*.

Caiet. Bañes. Nauarret. Becanus. Albertin. Ledeſma. Sa'mant. Io. de S. Thom. Cabrera.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

5 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Intellectus creatus lumine gloriæ illuſtratus efficiens viſionem, non concurrit vt cauſa merè inſtrumentalis, ſed principalis.

Probatur primò contra Vaſquez. Quia iuxta opinionem Vaſquez, lumen gloriæ non eſt tota ratio producendi viſionem. Ergo intellectus habet ſuam actiuitatem independenter à lumine. Ergo quantùm ad illam non eſt inſtrumentum luminis. Vaſquez.

6 Reſpondebit Vaſquez per ea quæ dicit diſp. 47. num. 39. concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens. Ergo intellectus habet ſuam actiuitatem ad viſionem, &c. Quo ad rationem viſionis vt intellectio eſt, conceditur conſequentia. Quo ad rationem viſionis vt viſio, ſeu vt intui-

Digitized by Google

intuitio Dei eſt, negatur conſequentia.

7 Doctrina Vaſquez eſt, quòd *intellectus*, *& lumen, ad eamdem viſionem cõcurrunt, ſicut duæ cauſæ inter ſe ordinatæ. Altera eſt vniuerſalis ſecundùm rationem genericam operationis, nẽpè ad intellectionem quatenus intellectio eſt; Altera particularis ſecundùm rationem ſpecificam, ſcilicet lumen gloriæ, ad intellectionem, quatenus clara, ſeu intuitiua eſt ipſius Dei.*

Vaſquez. 8 Contra primò. Per Vaſquez intellectus eſt cauſa viſionis quatenus intellectio eſt, independenter à lumine. Ergo eſt cauſa principalis eiuſdẽ quatenus intellectio eſt. Probo conſequentiã. Sicut lumen eſt cauſa viſionis vt viſio eſt, ſic intellectus eſt cauſa eiuſdem vt intellectio eſt. Sed lumen gloriæ eſt cauſa principalis viſionis vt viſio, ſeu vt intuitio eſt. Ergo intellectus eſt cauſa principalis viſionis vt intellectio eſt. Tũc vltra. Sed implicat vt intellectus ſit cauſa viſionis principaliter effectiua ſecundùm rationem genericam, & tantùm inſtrumentaliter, ſecundùm rationem ſpecificam, & numericã. Ergo. Probo ſubſumptionem minoris. Quia vno eodemquè influxu veluti ad vnum numero effectum producendum concurrit intellectus ad viſionem in ratione intellectionis, atquè in ratione viſionis. Ergo implicat vt ſit cauſa inſtrumentalis viſionis in ratione viſionis, ſi eſt cauſa principalis in ratione intellectionis.

Secundò. Intellectio ſecundùm rationem genericam in ſenſu Vaſquez, eſt naturalis, ſupernaturalis; an indifferens, ſeu communis ad naturalem, & ſupernaturalem.

9 Si primum. Contra. Ergo viſio quatenus intellectio, & viſio quatenus viſio, ſeu Dei intuitio eſt, non ſe habent vt ratio generica, & vt ratio ſpecifica. Probo conſequentiam. Quia ratio generica prædicatur de ratione ſpecifica: ſed intellectio naturalis nõ prædicatur de ſupnaturali. Nõ .n. valet dicere ſupernaturale eſt naturale. Ergo.

Confirmatur. Quia intellectio vt naturalis, & intellectio vt ſupernaturalis, opponuntur. Ergo vna ratio non prædicatur de altera. Sed viſio, vt viſio Dei eſt, dicitur ſupernaturalis, vt intellectio eſt, dicitur naturalis. Ergo non ſe habent vt ratio generica, & vt ratio ſpecifica.

10 Si ſecundum. Contra. Ergo intellectus eſt cauſa principaliter, & non merè inſtrumentaliter viſionis. Probo conſequentiam. Quia ideo per Vaſquez eſt tantùm inſtrumẽtalis, quia viſio eſt ſupernaturalis. Ergo ſi eſt cauſa principalis viſionis qua intellectio eſt, & qua intellectio eſt, dicitũ ſupnaturalis, ceſſat ratio quare nõ ſit cauſa principalis viſionis.

11 Si tertium. Contra. Ergo etiam habetur intentum, ſicut ex ſecundo. Probo conſequentiam. Quia quod eſt cauſa principalis intellectionis ſecundùm rationem genericam, quatenus ſcilicet ſe extendit ad intellectionem naturalem, & ſupernaturalem, eſt etiam cauſa principalis intellectionis ſupernaturalis: Sed intellectus eſt cauſa intellectionis ſecundùm rationem genericam, quatenus ſcilicet, ſe extendit ad intellectionem naturalem, & ſupernaturalem. Ergo. Maior patet; Quia ſi non eſſet cauſa principalis intellectionis ſupernaturalis, falſum eſſet, quòd eſt cauſa principalis intellectionis ſecundùm rationem genericam.

12 Probo ſecundò principaliter contra Albertinum. Concurrere ad viſionem per potentiam obedientialem, ſeu vt potentiam vt eleuatam, non tollit quin potentia ſit cauſa principalis. Ergo non rectè Albertinus ait, intellectũ quo ad executionem, & influxũ, ſeu quo ad efficientiam eſſe cauſam inſtrumentalem Dei. Antecedens eſt eiuſdem Albertini vbi ſupra num. 6. Probatur conſeq. Quia totũ Albertini fundamentũ cõſiſtit in hoc. Quia ſcilicet intellect⁹ efficit viſionem vt potentia obedientialis, & vt eleuata. Ergo vt cauſa inſtrumentalis. Albertin.

13 Reſpondebit aliquis pro Albertino, diſtinguendo antec. Concurrere ad viſionem per potentiã obediẽtialẽ, in diuerſo genere cauſæ ab eo quo Deus ipſe concurrit, non tollit quin, &c. conc. antec. In eodẽ genere cauſæ quo Deus ipſe concurrit, negatur antec. Ergo, &c. negatur conſequentia.

14 Contra primò. Quia ſi Deus, per impoſſibile, cõcurreret ad viſionem, taliter quòd etiam per eam dicatur intelligens, adhuc intellectus, qua & ipſe intelligens denominaretur, concurreret vt cauſa principalis. Ergo nulla reſpõſio. Probatur antecedens. Quia nõ aliter ſe haberet intellectus in caſu ficto, quàm in caſu verò. Ergo ſi in caſu vero, etiam in caſu ficto eſſet cauſa principalis. Probatur antecedens. Quia nulla alia in vno, quàm in altero caſu, eſſet differẽtia, niſi quia modo, ſolus intellectus creatus ꝑ viſionem creatam denominatur intelligẽs, in caſu autem ficto non ſolus ipſe: Ergo.

Secũdò. Quia intellectus & Deus quo ad exequendã viſionẽ, ſeu quo ad influxum, in diuerſo genere concurrunt. Ergo recurrit argumentũ. Probatur antecedẽs. Quia intellectus creatus vt potentia eleuata cõcurrit efficientia nõ qualicunq; ſed vitali. Ergo.

15 Tandẽ omnia reſtringendo ſimul. Intellectus qua potentia obedientialis, ſeu qua potẽtia vt eleuata eſt, vt ſic, nõ habet repugnãtiã vt concurrat ad viſionẽ efficiendã tanq̃ cauſa ſecunda principalis. Ergo nequè etiã quatenus eſt agẽs in eodem genere cauſæ quo Deus ipſe agit. Antecedens non poteſt negari ab Albertino. Probatur autẽ conſequẽtia. Quia intellectus concurrens ad viſionẽ tãq̃ potẽtia eleuata, nõ minus eſt proportionatum viſionis principium, ſi in eodem genere, concurrit, quàm ſi in diuerſo genere. Quid enim illi deeſt? Ergo.

16 Probo tertiò principaliter contra om-

Digitized by Google

nes oppoſitum ſentientes hoc modo. Effectus cauſæ inſtrumentalis tribuitur abſolutè, & principaliter, cauſæ principali per inſtrumentum agenti, non autem cauſæ inſtrumentali tribuitur, & principali negatur: ſed viſionem beatificam vitaliter producere, tribuitur intellectui creato, lumine gloriæ illuſtrato, qua ratione negatur Deo. Ergo tribuitur intellectui creato, vt agenti principali, & nō merè inſtrumentali. Probatur, ac declaratur maior. Aqua baptiſmalis v. g. per ablutionem, ac debitam verborum prolationem, cauſat ſanctificantem gratiam in anima baptizati; tanquàm cauſa inſtrumentalis Dei, & effectus, ideſt gratia in anima cauſata, abſolutè, & ſimpliciter attribuitur Deo; Vnde abſolutè dicitur, quòd Deus cauſat per ſacramenta gratiam, tanquàm per inſtrumenta; & in naturalibus calor producit ignem, vt inſtrumentum ignis calefacientis lignum, & tamen ignis productio attribuitur igni abſolutè, & ſimpliciter, calori verò inſtrumentaliter; & in artificialibus, Pictor picturam per penicillum pingit, & tamen quia penicillus eſt pingentis inſtrumentū, ideò abſolutè pictori non penicillo adſcribitur. Quare, &c. Minor etiam eſt manifeſta. Quia quando beatus videt Deum, viſionem producendo, non dicitur Deus per viſionem creatam videre. Ergo.

17 Reſpondent aduerſarij, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, concedunt antecedens, & negant conſequentiam. Et rationem aſſignant. Quia videre Deum formaliter loquendo, non eſt viſionem producere, ſed viſionem recipere, quare, Deus dicitur cauſa principalis effectiua viſionis; intellectus verò inſtrumentalis; intellectus enim dicitur intelligens per hoc, quòd viſionem immanenter recipit, non per hoc quòd viſionem efficit.

18 Contra hanc reſponſionem ſic argumentor. Quia intellectus dicitur formaliter intelligens per hoc, quòd viſionem producit, eò quia viſio ſeù intellectio vitaliter procedit ab intellectu: ſed recipere intellectionem non eſt vitaliter concurrere, niſi præſupponatur ab intellectu concurſus actiuus, vt ſupra demonſtrauimus; aliàs non poſſet aſſignari differentia inter viuentia, & non viuentia. & quia argumentum ſupponit quòd intelligere ſit efficere, ideo contra aſſerentes quòd intelligere conſiſtit in recipere intellectionem, arguitur probando id eſſe falſum, quod ſupra diffusè præſtauimus.

19 Probo quartò. Intellectus creatus ſecundùm quòd viſionem beatificam producit, non eleuatur ad operationem non ſuam, ſed ad perfectiſſimam operationem ſibi in ordine ad ſuum obiectum ſpecificatiuum, conuenientem. Ergo non concurrit vt cauſa inſtrumentalis, ſed vt cauſa principalis. Probatur conſequentia. Quia cauſa inſtrumentalis, ideò dicitur, Quia executioni mandat effectum, & operationem cauſæ principalis, vt per omnes cauſas inſtrumentales diſcurrenti patet. Probatur verò antecedens. Quia beatitudo hominis, & cuiuſcunquè intellectualis creaturæ conſiſtit in altiſſima eius operatione. Sed viſio beatifica eſt huiuſmodi altiſſima operatio, vt fides catholica docet. Eſt enim de fide certum, vltimam hominis beatitudinem, in clara Dei viſione conſiſtere, & ſi non metaphyſicè, & formaliter, ad minus phyſicè, & realiter. Ergo intellectus creatus quādo ad viſionis beatificæ productionē eleuatur, nō eleuatur ad operationem non ſuam; ſed ad ſuam, & maximè ſuā.

20 Confirmatur primò; Ideo aqua v. g. concurrit tanquàm inſtrumentum Dei ad cauſandam gratiam; quia eleuatur ad operationem non ſuam, ſi autem aqua eleuaretur ad humectationem ſupernaturalem (per impoſſibile loquor) cuius aqua ſit capax, per hoc, quòd aliquam humiditatem ſupernaturalem recipere poſſet, illa humectatio, ſeu humiditatis ſupernaturalis productio, non eſſet ab aqua tanquàm ab inſtrumento Dei: ſed hoc modo intellectus creatus cauſat viſionem beatificam. Ergo.

21 Confirmatur ſecundò. Intellectus creatus per lumen naturale producens intellectionem naturalem, non concurrit vt cauſa inſtrumentalis Dei. Ergo nequè producens intellectionem ſupernaturalem concurrit vt cauſa inſtrumentalis, ſed cauſa principalis. Antecedens concedunt aduerſarij. Probo autem conſequentiam; Quia ideo intellectus per lumen naturale concurrit vt cauſa principalis reſpectu intellectionis naturalis, Quia per lumen naturale eſt principium proportionatum reſpectu intellectionis naturalis in ordine ad obiectum ſpecificatiuum ſui: ſed intellectus creatus lumine ſupernaturali illuſtratus ſit principium ſufficiens, & proportionatum reſpectu intellectionis ſupernaturalis in ordine ad obiectum ſuum, non minus quàm per lumen naturale reſpectu intellectionis naturalis. Ergo.

22 Si dicatur diſparem eſſe in vtroquè caſu rationem; quia per lumen naturale concurrit naturaliter, per lumen verò ſupernaturale ſupernaturaliter, & vt potētia eleuata, & conſequenter in primo caſu cōcurrit principaliter. In ſecūdò inſtrumētaliter.

23 Contra primò. Quia concurrere naturaliter, vel ſupernaturaliter, non conſtituunt principalitatem, vel inſtrumentalitatem cauſæ, ſed modum con-

concurrendi ad ſuum obiectum. Nam etiam datur cauſa in trumentalis, quæ naturaliter producit effectum, ſicut eſt calor ignis. Secundò. Quia intellectus producens viſionem medio lumine gloriæ quod eſt ſupernaturale, indiget illo vt eleuante, & proportionante ipſum ad viſionem, itaut non ſit minus proportionatus intellectus creatus reſpectu viſionis, quàm per lumen naturale reſpectu intellectionis naturalis: ſed ſi concurrere ſupernaturaliter ad viſionem, eſſet inſtrumentaliter concurrere, non requireretur tanta proportio, nec intellectus creatus lumine gloriæ indigeret, ipſum eleuante ad viſionem.

24 Reſpondent alij: Ideò intellectum creatum inſtrumentaliter concurrere ad viſionem, quia illam producit per potentiam obedientialem actiuam, quæ non poteſt eſſe cauſa principalis.

25 Contra primò. Quia falſum omninò eſt, dari potentiam obedientialem actiuam prout ab eis aſtruitur. Nam potentia obedientialis non diſtinguitur à natura. Ergo ſi potentia obedientialis eſſet actiua, virtus producendi viſionem eſſet in natura, & ex natura, & ſic in re eſſet naturalis, ſed de hac re ſuo loco plura dicemus.

Secundò. Quia ſi daretur potentia obedientialis actiua ad viſionem, vel eſſet proportionata, vel improportionata viſioni. Si proportionata. Contra primò Ergo eſſet cauſa principalis; quod aduerſarij negãt. Secũdò, Quia ſi eſſet proportionata, intellectus creatus non indigeret lumine gloriæ ipſum eleuante ad videndum Deum: ſed hoc eſt hæreticum. Ergo. Probo ſequelam. Quia lumen gloriæ ideo ponitur, vt improportionem auferat ab intellectu. Ergo cum in intellectu antecedenter ad lumen gloriæ, ſit potentia obedientialis actiua proportionata viſioni, non indiget lumine gloriæ. Si improportionata. Ergo falſum eſt, quòd intellectus creatus viſionem producit per potentiam obedientialem. Probo conſequentiam. Quoniam intellectus creatus de facto viſionem beatam non producit, niſi ſecundùm quòd eſt potentia proportionata. Vide Nauarrete controu. 41. iuxta cuius intelligentiam, nos quoquè concedimus obedientialem potentiam eſſe actiuam. Nauarret.

Tertiò, Quia hac potentia obedientiali actiua admiſſa, adhuc recurrit argumentum. Quia eſt in ordine ad ſuum obiectum eleuata per lumen.

26 Dico ſecundò. Intellectus non concurrit ad viſionem quam recipit, vt cauſa Dei inſtrumentalis ſubiectiua, ſed principalis.

Probatur. In eo genere, in quo datur cauſa inſtrumentalis, debet etiam inueniri cauſa principalis: ſed in ratione cauſæ ſubiectiuæ viſionis, per aduerſarios datur intellectus creatus, qui eſt Dei cauſa inſtrumentalis ſubiectiua. Ergo tenentur excogitare, & aſſignare cauſam principalem ſubiectiuam: ſed huiuſmodi cauſam aſſignare non poſſunt. Ergo intellectus non eſt cauſa inſtrumentalis ſubiectiua viſionis, ſed principalis, & ſola.

27 Vbi aduerte, quòd quamuis reſpectu cauſæ efficientis vel finalis, detur cauſa prima, & ſecunda; datur enim primum efficiens, & ſecundum, vltimus finis, & inter medius; reſpectu tamen cauſæ informantis, & ſubiectiuæ, non datur prima, & ſecunda, ſed mediata, vel immediata, in eodem ente, & ſola; Vnde anima ſola informat corpus, & Deus non dicitur prima forma informans, & materia recipit formam, taliter quòd ſola ſit formæ ſubiectum, & ſimiliter intellectus creatus eſt ſubiectum viſionis, non quidem tanquàm cauſa inſtrumentalis Dei, ſed potius debet dici ſubiectum immediatum, & anima mediatum, & ſolus intellectus cum anima cui ineſt, eſt cauſa principalis, & ſola ſubiectiua viſionis. Vnde intellectus ſolet vocari inſtrumentum animæ, loquendo largè de inſtrumento.

28 Reſpondent aduerſarij, & præſertim Recupitus, qui ſupra num. 4. dicens, *intellectum eſſe cauſam inſtrumentalem ſubiectiuam, non tamen habere cauſam principalem ſubiectiuam*; & rationem diſparitatis aſſignat, his verbis. *Diſparitas eſt, Quia non poteſt inſtrumentum in genere cauſæ efficientis eleuari, niſi per coniunctionem concurſus, cùm cauſa principali in eodem genere; cùm cauſa efficiens non præſupponat aliam cauſam, ſed ſit ſimpliciter prima. Eſt enim effectiua cauſa, vt vnde principium motus 1. de generatione, & corruptione tex. 34. contra verò cauſa ſubiectiua cum ſemper moueatur ab effectiua, tunc intelligitur habere rationem inſtrumenti, quando mouetur ab effectiua, ad recipiendam formam ſibi improportionatam; quod fit per coniunctionem influxus ſubiectiui, cum effectiuo ad formam ſoli agenti proportionatam*. Hæc ille. Recup.

29 Omnia autem hæc ſunt in ſola reſpondentis voluntate fundata, vnde contra hanc reſponſionem ſic argumentor. Subiectum proprium alicuius formæ principalis, ſiuè naturalis, ſiuè ſupranaturalis, fruſtra dicitur ſubiectum inſtrumentaliter: ſed ſubiectum proprium viſionis claræ Dei, quæ eſt forma principalis eſt intellectus creatus lumine gloriæ illuſtratus. Ergo fruſtra intellectus creatus dicitur ſubiectum inſtrumentale Dei. Maior patet, inductiuè. Probatur minor. Quia viſio beatifica nulli alij ab intellectu creato

diſtincto, adminus in ratione viſionis ſubiectari poteſt; & aliàs eſt actio ſeu forma principalis, & tantæ principalitatis, vt aduerſarij dicant, ſolum Deum eſſe illius cauſam principalem. Ergo intellectus creatus eſt proprium ſubiectum viſionis beatificæ.

30 Secundò. Quia ſubiectum inſtrumentale ad hoc vt recipiat formam reſpectu cuius eſt inſtrumentum, non indiget aliqua diſpoſitione: ſed per Recupitum lumē gloriæ prærequiritur in intellectu creato tanquàm diſpoſitio diſponens illum ad viſionem beatificam, vt ad formam præſtantiſſimam. Ita quæſt. 16. num. 8. Ergo.

Tertiò. Quia diſparitas aſſignata non infringit argumentum. Nam cauſa inſtrumentalis, vt cauſa inſtrumentalis, dicitur talis, per ordinem ad principalem. Ergo ſubiectum inſtrumentale præexigit ſubiectum principale.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta, & ſolutiones.

31 SED contra iſtam determinationem, Obijcies primò, contra primum dictum ex Faſolo dubit. 7. num. 27. *Intellectus in hac productione non agit mediatè per lumen, ſed immediatè per vim ſuam intrinſecam ſimul cum alia virtute diſtincta luminis: ſed illa vis innata intellectus creati eſt naturalis. Ergo inepta ex ſe ad illam productionem. Ergo non poteſt agere vt virtus propria ſimpliciter. Ergo vt virtus, & inſtrumentum alterius; Non luminis; quia lumen eſt accidens, & habitus potentiæ. Ergo potentia non eſt inſtrumentum luminis.* Ergo Dei.

Faſolus.

32 Reſpondetur explicando maiorem fallaciter, confuſeque propoſitam. Intellectus in hac productione non agit mediatè per lumen, quaſi intellectus non ſit mediatum agens, & lumen ſolum immediatum, concedo: ſed quis hoc dicit? Non agit mediatè, quaſi non intelligat mediante lumine, ita vt lumen ſit immediatum agens, eleuatiuè; & intellectus mediante lumine, ſit immediatum agens elicitiuè, falſa eſt propoſitio. Secunda verò propoſitionis pars, nempè, ſed agit per vim ſuam intrinſecam, &c. eſt omnino falſa; nam totam virtutem proximè agendi mendicat à lumine, & iuxta hanc explicationem

Reſpondetur negando maiorem, quam non probat, ſed ſupponit.

Recup.

33 Obijcies ſecundò ex Recupito. *Intellectus concurrit actiuè ad viſionem Dei, & non naturaliter. Ergo obedientialiter. Ergo vt cauſa inſtrumentalis.* Antecedens ſupponit certum. Primam conſequentiam probat; *quia omnis concurſus aut eſt naturalis, aut ſupernaturalis, quem vocant obedientialem.* Secundam conſequentiam probat. *Quia concurrere principaliter, & obedientialiter pugnant. Nam concurrere principaliter eſt concurrere ſine eleuatione; cum cauſa principalis non eleuetur, ſed eleuat inſtrumenta ſibi ſubordinata: concurrere verò obedientialiter, eſt concurrere per eleuationem, vt omnes docent. Ergo eſſentialiter pugnant.*

34 Confirmatur primò. *Quia intellectus ad videndum Deum indiget eleuatione ex Vienenſi: ſed nulla cauſa principalis indiget eleuatione ad effectum. Quia hoc ipſo eſſet inſtrumentalis, quæ eleuatur à principali.*

35 Confirmatur ſecundò. *Quia omnis cauſa principalis attingit effectum, vt ſibi proportionatum, & commenſuratum. Sed intellectus attingit viſionem Dei, vt ſupernaturalem, & ſic, vt ſibi improportionatam, & excedentem omnem proportionem intellectus creati. Ergo intellectus non eſt reſpectu illius cauſa principalis.* Hæc ille.

36 Confirmatur tertiò. *Cauſa principalis producit effectum propria virtute: ſed intellectus creatus non producit viſionem claram Dei propria virtute. Ergo intellectus creatus non eſt cauſa principalis, ſed inſtrumentalis. Maior patet. Quia in hoc diſtinguitur cauſa principalis ab inſtrumentali. Quia cauſa inſtrumentalis agit in virtute principalis. Cauſa verò principalis propria virtute operatur.*

37 Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens. Ergo obedientialiter mediatè, concedo conſequentiam. Obedientialiter immediatè, nego conſequentiam, & ratio negationis eſt; quia potentia obedientialis, non eſt actiua, (vt falſò ſupponunt aduerſarij) ſed paſſiua; intellectus igitur, non dicit potentiam obedientialem immediatè ad videndum Deum, ſed mediatè, id eſt, dicit potentiam obediētialem immediatè ad recipiendum lumen gloriæ, & ex hoc dicit potentiam ad viſionem. Vnde potentia ad viſionem immediatè loquendo, eſt ſupernaturalis, non verò obedientialis, niſi fundamentaliter, & mediatè, potentia enim ſeu virtus qua intellectus creatus videt Deum, non eſt obedientialis, ſed ſupernaturalis intellectui, & connaturalis viſioni; eſt enim lumen gloriæ.

38 Ad primam confirmationem reſpōdetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. De ratione enim cauſæ inſtrumentalis eſt, vt eleuetur à principali, propter operationem cauſæ principalis exercendam; intellectus autem eleuatur per lumen gloriæ à Deo, propter viſionem quæ attribuitur intellectui, non Deo, aut lumini, vt cauſæ propriæ, & principali.

39 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur,

detur, concedendo maiorem, & negando minorem. Nam intellectus per lumen gloriæ eſt proportionatum principium viſionis, quemadmodum per lumen naturale eſt proportionatum principium intellectionis naturalis.

Ad tertiam confirmationem reſpondetur, diſtinguendo maiorem. Cauſa principalis producit effectum virtute propria, terminatiuè, & ſubiectiuè, concedo maiorem. Virtute propria originatiuè, nego maiorem vniuerſaliter. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia, & per idem ad probationem patet.

40 Explicatur iſta reſponſio. Lumen gloriæ tripliciter poteſt dici intellectus creati propria virtus; Subiectiuè, Terminatiuè, & Originatiuè. Primo, & ſecundo modo, dicitur propria virtus intellectus creati; eò quia ſolus intellectus creatus, eſt luminis gloriæ proprium ſubiectum. & inſuper lumen gloriæ eleuat intellectũ ad propriam ipſius operationem exercendam, nempè, ad videndum, & hoc eſt, lumen gloriæ eſſe intellectus creati propriam virtutem ſubiectiuè, & terminatiuè. Quia ſcilicet, luminis gloriæ ſubiectum eſt intellectus creatus, & terminus eſt viſio, quæ eſt propria intellectus creati operatio. Originatiuè verò, ſeu tertio modo, lumen gloriæ non eſt propria intellectus creati virtus, ſed tantummodo à Deo ſupernaturaliter agente procedit. Quare, &c.

41 Obijcies tandem contra ſecundum dictum, ex Recupito. *Intellectus creatus concurrit ſubiectiuè ad viſionem Dei per vires obedientiales. Ergo per vires inſtrumentales. Patet conſequentia. Quia pugnant vires obedientiales, & principales.* Recupit.

42 Confirmatur primò. *Quia viſio Dei habet, & quòd ſit effectus terminans actionem agentis, & quòd ſit forma dans ſuum effectum formalem ſubiecto: ſed intellectui non minus eſt improportionata ut forma eſt, quàm ut effectus eſt. Immò magis ut forma. Nam ut ſic, eſt repræſentatio actus puri indebita omni intellectui potentiali. Ergo ſi ex improportione ad viſionem ut effectus eſt, non poteſt intellectus illam efficere, niſi per vires obedientiales actiuas: ex improportione ad eamdem ut forma eſt, non poterit illam recipere, niſi per vires obedientiales paſſiuas.*

43 Confirmatur ſecundò. *Creatio eſt actio naturalis, non quia ſit intra vires agentis cuiuſlibet creati naturalis, ſed quia eſt intra capacitatem paſſiuam naturalem termini in quo recipitur. Ergo viſio Dei per eſſentiam in tantùm eſt forma ſupernaturalis, in quantùm eſt ſupra capacitatem paſſiuam omnis ſubiecti. Ergo non poteſt recipi à ſubiecto per potentiam paſſiuam naturalem. Ergo per obedientialem, & ſic inſtrumentalem.*

44 Confirmatur tertiò; *Quia anima per potentiam obedientialem paſſiuam recipit gratiam, cum ad illam nullum alium concurſum habeat, niſi paſſiuum. Ergo multò magis per potentiam obedientialem paſſiuam recipit gloriam, quæ eſt forma perfectior.* Hæc ille.

45 In hoc argumento cum ſua triplici confirmatione. Multa pronunciat, quæ tamen in omnibus deficiunt.

Primo quidem. Quia in forma argumentandi petit principium. Nam ſic arguit. *Omnis actus vitalis eſt immanens, & receptus in ſua potentia. Ergo viſio Dei immanet, & recipitur in potentia intellectiua. Ergo intellectus concurrit ad viſionem Dei ut cauſa receptiua, & ſubiectiua; ſed non ut cauſa principalis. Ergo ut inſtrumentalis. Minor ſubſumpta probatur. Quia concurrit ſubiectiuè ad viſionem Dei per vires obedientiales. Ergo per vires inſtrumentales.*

45 In qua argumentandi forma ſubſumit hanc propoſitionem, *ſed non ut cauſa principalis.* & ex hac deducit hanc, *Ergo ut inſtrumentalis.* Volens igitur probare quòd ſit cauſa inſtrumentalis, & non principalis, ſic probat. Non eſt principalis. Ergo inſtrumentalis; ſed hoc eſt petere principium, Ergo.

Secundò; Quia aſſumit probandum, eo quòd ad probandum intentum per hanc propoſitionem probat, *Concurrit ſubiectiuè per vires obedientiales.* Sed hoc eſt aſſumere probandum, quod probaſſe dicit, ſed probatione nulla.

46 Tertiò. Quia falſum eſt quòd intellectus concurrat ſubiectiuè ad viſionem Dei per vires obedientiales; eo quia Recupitus ipſe fatetur quæſt. 17. & cum Thomiſtis tenet, quòd intellectus ſit ſubiectum viſionis claræ Dei quatenus illuſtratus eſt lumine gloriæ; intellectus autem cum lumine gloriæ non eſt pura potentia obedientialis, ſed eſt actu intra ordinem ſupernaturalem. Recupit.

47 Reſpondetur itaquè ad argumentum in forma paulo ante propoſitam, concedendo antecedens, cum prima, & ſecunda conſequentia, negando verò ſubſumptionem minoris, eſt enim vt diximus aperta principij petitio. Ad cuius probationem, Reſpondetur primò, iuxta ſubiectam materiam, negando antecedens. Nam vt dicebamus, recipit viſionem tanquàm ſubiectum ſupernaturalis ordinis, per lumen gloriæ ad talem ordinem tranſmiſſum. Reſpondetur ſecundò, Dato & non conceſſo vltimo antecedenti, & negando conſequentiam; quam non probat.

48 Ad primam confirmationem, Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed intellectui non illuſtrato lumine gloriæ, non minus eſt improportionata vt forma eſt, quàm vt effectus eſt, &c. concedo minorem. Sed intellectui illuſtrato lumine gloriæ, &c. nego minorem. Ad illud autem quod concludit, nempè, ergo ſi ex impro-

improportione ad viſionem vt effectus eſt, non poteſt intellectus illam efficere niſi per vires obedientiales actiuas. Si Thomiſtis proponit argumentum, in ſuo conſequente ſupponit vnum omnino falſum, videlicet, quòd intellectus efficiat viſionem per vires obedientiales; Thomiſtæ enim dicunt, quòd intellectus viſionem producit per lumen gloriæ, quod non eſt vis obedientialis, ſed ſimpliciter ſupernaturalis. Si verò contra aſſerentes intellectum per vires obedientiales producere viſionem, argumentum proponit, reſpondeant ipſi.

49 Et ſecundùm aduerſarios adhuc reſpondetur, quòd vtiquè agere per ſolas vires obedientiales eſt inſtrumentaliter agere; Attamen non omne ſubiectum per vires obedientiales, eſt inſtrumentaliter recipiens. & ratio eſt manifeſta, quia agens per potentiam obedientialem, ſeu per ſolas vires obedientiales, eſt omnino improportionatum ad agendum; At verò recipere formam per potentiam obedientialem, non ſemper dicit improportionatum, ſeu inſufficiens ſubiectum. Plus enim requiritur ad agendum, quàm ad recipiendum; & conſequenter, poteſt eſſe aliquod in ratione productiui actionis ſupernaturalis, cauſa inſtrumentalis; in ratione autem receptiui formæ ſupernaturalis, cauſa ſubiectiua principalis. Eſt aperta inſtantia Nam animæ potentia obedientialis, eſt proportionata ad recipiendam ſanctificantem gratiam, & intellectus ad recipiendum lumen gloriæ; Non tamen potentia obedientialis intellectus, eſt ita proportionata ad productionem viſionis beatificæ. Quando autem potentia obedientialis receptiua ſit inſtrumentalis, dicemus num. 5 . & ſequentibus.

50 Reſpondetur tandem, admittendo maiorem, minorem, & negando ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim quòd ſi daretur potentia obedientialis actiua ad viſionem in intellectu, per talem potentiam ageret vt inſtrumentum, quod falſum eſſe probabimus diſputatione ſequenti num. 24. & alia diſp. ſubſequenti. Ageret enim vt potentia proportionata in ordine ad ſuum obiectum eſſentiale ac ſpecificatiuum; quandoquidem per potentiam illam ſic eſſet intellectus creatus ſufficiens ad attingendum obiectum ſuum ſpecificatiuum, ſicut potentia naturalis ſine habitu reſpectu obiecti naturalis. Potentia igitur obedientialis actiua tunc ageret tanquàm inſtrumentum Dei, quando ageret extra ſphęram ſui obiecti ſpecificatiui, & eſſentialis.

51 Ad ſecundam confirmationem, antecedens longiori indiget diſcuſſione; Nam nō datur alia actio in creatione, ab ea quę eſt in Deo, & eſt ipſe Deus, & præter eam, non eſt niſi effectus à Deo per creationem productus, ſed quidquid ſit dē hoc,

Reſpondetur admiſſo aſſumpto, & negando vltimam conſequentiam, quam ſupponit bonam, ſed non probat.

Ad tertiam confirmationem, Reſpondetur, concedendo totum, ſed negando quòd inde ſequatur arguentis intentum.

52 Obijcies tandem cōtra ſecundi dicti fundamentum. Datur aliquod ſubiectum obedientiale inſtrumentale, abſquè eo quòd detur illius formæ ſubiectum principale. Ergo nullum eſt fundamentum. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Quia res ſenſibiles ſunt ſubiectum inſtrumentale virtutis cauſatiuæ gratiæ, quæ conſiſtit in illa actuali motione Dei, qua Deus eas mouet ad cauſandam gratiam, vt patet in Sacramentis. Sed huiuſmodi res ſenſibiles nō ſūt ſubiectum principale talis virtutis. Ergo.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Datur aliquod ſubiectum obedientiale inſtrumentale, reſpectu formæ inſtrumentalis, abſquè eo quòd detur illius formę ſubiectum principale, concedo antecedens. Datur aliquod ſubiectum obedientiale inſtrumentale reſpectu formæ principalis, abſquè eo, &c. nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. In caſu autem noſtro viſio clara Dei eſt forma non inſtrumentalis, ſed principalis, ac propterea nulla eſt obiectio, atquè firmum, & inconcuſſum concluſionis remanet fundamentum.

53 Dices. Sic intellectus eſt ſubiectum luminis gloriæ, & viſionis beatificæ, ſicut caracteris Sacramentalis: Sed character Sacramentalis eſt in intellectus potentia obedientiali ſubiectiuè, ſicut in ſubiecto inſtrumentali. Ergo etiam lumen. Ergo nulla reſponſio. Maior patet, quia vtrumquè eſt forma ſpiritualis, & ſupernaturalis. Minor etiam eſt clara; quia character eſt ſpirituale ſignum, poteſtatiſquè Sacerdotis Chriſti participatio, ratione cuius homines chriſtiani à non chriſtianis ſegregantur, & ad cultum diuinum deputantur. De qua re videatur D. Thomas 3. p. quæſt. 63. D. Thom.

54 Reſpondetur primò, negando maiorem; & eſt manifeſta diſparitas; quia intellectus ad lumen gloriæ, & ad viſionem, comparatur vt ad habitum, & operationem attingentem rationem eſſentialem, ac ſpecificatiuam ſui obiecti: At verò ad characterem ordinatur tanquam ad potentiam inſtrumentalem productiuam effectus alterius agentis, quiquè intra latitudinem rationis eſſentialis ſui obiecti non continetur.

55 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo maiorem. Sic intellectus, &c. Quo ad ſufficientiam ſuſtentandi, concedo maiorem. Quò ad modum denominandi, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia. Nam paralogizat argumentum. Quia maior propoſitio aſſumitur vt vera, in eo ſenſu in quo eſt falſa.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO LXIV.

VTRVM INTELLECTVS CREATVS, ET LVMEN GLORIÆ, concurrant ad viſionem beatificam vt duæ cauſæ totales inſuo ordine, an potius vt duæ cauſæ partiales.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur Titulus.

1 PRo tituli intelligentia præmittendum eſt, quòd duplex eſt cauſa. Principalis ſcilicet, & inſtrumentalis, & quid vtraquè ſit, in diſputatione pcedenti explanauimus. Inſuper, cauſa eſt duplex. Adæquata, & Inadæquata. Adæquata eſt illa, quæ ſola producit effectum, quantùm ad omnem rationem illius; ſeu à qua adæquatè cauſatur effectus. Sicut Deus eſt cauſa adæquata animæ intellectiuæ, omniumquè operum eius, quæ per creationem fiunt. Inadæquata illa eſt, quæ ſimul cum alia, eiuſdem, vel alterius generis & ordinis, producit effectum.

2 Inadæquata eſt etiam duplex. Partialis, & totalis in ſuo ordine. Partialis; autem eſt quoquè duplex. Partialis partialitate cauſæ; Et partialis partialitate effectus. Secunda eſt illa, quæ producit vnam partem effectus, & alteram altera; vt panis vino madefactus, duplicem partem habet, vnam correſpondentem pani, & alteram vino; & in hoc ſenſu panis, & vinum ſunt illius cauſæ partiales partialitate effectus. Prima autem eſt illa, quæ ſimul cum alia eiuſdem generis, & ordinis, ſua virtute partialiter in vnum eundemquè influit effectum; vt ſunt duo trahentes nauim. Totalis in ſuo ordine eſt illa quæ in illo modo, & ordine cauſādi, non habet aliam concauſam, ſed ſola totum concurſum præſtat in illo ordine, ac modo cauſandi. & hæc adhuc eſt duplex. Quædam recipit virtutem agendi ab alia. Quædam agit propria virtute quam non mendicat ab alia. Exemplum primæ; vt cauſa prima quæ eſt Deus, & cauſa ſecunda nempè creatura. Creatura enim in agendo recipit virtutem à Deo. Exemplum ſecundæ; vt Sol, & Leo producunt Leonem, vt duæ cauſæ totales in ſuo ordine, virtus tamen vnius non participatur ab alia.

3 Quibus poſitis aduerte, quòd cauſa totalis in prima acceptione ſolet vocari partialis, ratione ſocietatis cum alia, quia ſcilicet, eſt pars integræ cauſæ; Cauſa totalis in ſuo ordine in vltima acceptione, etiam à nonnullis ſolet nuncupari partialis, non quòd ſit propriè, & in rigore partialis, ſed partialis dicitur, ratione virtutis partialis, & propriæ, quæ eſt in vna, & non reperitur in alia. Quando inquirimus vtrum intellectus, & lumen, ſint duæ cauſæ partiales viſionis, non eſt ſermo de cauſa partiali partialitate effectus; quia ſupponimus viſionem eſſe vnam ſimplicem entitatem; nequè de cauſa partiali partialitate cauſæ in rigore acceptæ; quia intellectus & lumen, non ſunt cauſæ eiuſdem ordinis; quia intellectus ſe habet in ratione potentiæ elicitiuæ, lumen autē in ratione virtutis cōfortatiuæ, & eleuatiuę, ſed nomine cauſę partialis intelligūt doctores in hac diſp. id quod nos vocamus cauſas totales in ſuo ordine iuxta ſecundam talis cauſæ acceptionem. Senſus ergo quæſiti eſt, vtrum intellectus, & lumen cōcurrāt ad viſionem, per propriam vtriuſquè virtutem, ratione cuius propriæ virtutis, cauſæ partiales nuncupari ſolent, an ſint totales in ſuo ordine, ita videlicet, vt intellectus in agendo virtutem agendi mendicet à lumine.

CAPVT SECVNDVM.

Doctorum opiniones referuntur.

4 QVIdam tenent, quòd intellectus, & lumen, concurrunt veluti duæ cauſæ partiales partialitate virtutis, ſeu

Scotus. ſeu totales in ſuo ordine, propria tamen vtriuſquè virtute. Ita Scotus in 3. diſ. 14. quæſt.2. vbi loquitur de ſumma viſione, & ſuppoſito quòd intellectus ad eam actiuè cócurrat. Molina. Becanus. Vulpes. Molina hic diſp.1.§.*Quicquid autē*, & deinceps, Becan.c.9. Vulpes to.1.diſ.23. art.9. vbi docet quòd intellectus, & lumen gloriæ nō ſe habent vt duæ cauſæ partiales reſpectu viſionis ſimpliciter, & abſolutè acceptæ, quoniam intellectus ex ſua naturali virtute abſquè lumine gloriæ habet virtutem integram, vt poſita ſibi Dei præſentia obiectiua, poſſit producere viſionem, tamen intellectus, & lumen ſunt cauſę partiales reſpectu intenſioris viſionis.

5 Quidam dicunt, quòd intellectus, & lumen, ſunt ita partiales, vt lumen gloriæ ſe habeat vt cauſa principalis, & intellectus vt inſtrumentum luminis. Ita deducitur ex Vaſquez. Vaſquez diſp.47.num.38. qui tamen diſp. 176.c.5. docet quòd intellectus, & voluntas ſunt cauſæ principales actuum ſupernaturalium quatenus ſunt vitales, quod inſinuauit, diſp.43.c.6.ſub nu.5.

6 Quidam verò dicunt, ita eſſe partiales, vt intellectus ſit principalis, & lumen inſtrumentum Dei. Palumb. Albertin. Ita Palumbus in doctrina, & ſcholaſtico examine ad ar.5. conc.5. & 8. cum Albertino tom.1.fol.194.citat.

7 Alij dicunt, eſſe partiales inſtrumentales cauſas; exiſtimant enim; tam lumen, quàm intellectum, viſionem producere, vt duas cauſas inſtrumentales Dei. Suarez. Ita Suarez in metaphyſic.tom.2.diſp.30.ſect.11. nu. 46. & 47. 1. p. lib. 2. de attrib. negatiuis cap. 10. num.14. & ipſemet Suarez in metaph. loco citato refert ſe ipſum dicens ſic, *vt latius declaratum eſt tom.1. diſputat. 31.ſect.6. ad 4.*

Attamen vidi totam illam diſputationis trigeſimæ primæ ſextam ſectionem, & de hac re nihil, nec in tota illa diſputatione in octo ſectiones diſtributa, inuenies §. ad 4. Verum eſt, quòd ſect. 5. eiuſdem diſputationis, ad probandum quòd datur potentia obedientialis actiua, ſic ait. *iuxta hanc obedientialem potentiam eliciunt noſtræ potentię, intellectus ſcilicet, & voluntas, actus ſupernaturales quo ad ſubſtantiam, & interdum ſine habitibus cum diuino auxilio, vt ex materia de gratia ſuppono.* quod videtur huic opinioni fauere. Verū, eadem diſp. ſec.4. concl.2.§. *Dices*, videtur aſſerere oppoſitum, nempè, quòd intellectus, & habitus ſupernaturales ſunt principia principalia ſuorum actuum, & ſimiliter intellectus per huiuſmodi habitus eleuatus. Sic enim ait. *Dices, hac ratione probatur non poſſe animam Chriſti efficere proprios actus ſupernaturales, vel ſupernaturaliter illuminare alios per modum principalis agentis, cuius contrarium ſupradictum eſt: Sequela patet, quia etiam iſti actus ſunt qualitates ſupernaturales, & conſequenter recipitur in ſubiecto iuxta capacitatem obedientialem eius.* Cui inſtantiæ reſpondens, ſic ait. *Reſpondetur, quando hi actus fiunt à potentia carente habitu ſupernaturali, verum eſt non fieri ab illa vt à principali principio, ſed vt ab inſtrumento moto, & eleuato diuino auxilio, quamquàm ſit inſtrumentum vitale, & liberum, motum, & eleuatum modo ſibi proportionato. Chriſti autem anima non ſic operabatur vnquam, ſed habitus infuſos qui in ſuo ordine* (Nota) *ſunt principia principalia, & proportionata actibus eiuſdem ordinis, & eleuat potentiam vt ſit non ſolùm proportionatum principium, ſed etiam quaſi connaturale ſubiectū talium actuum, & ideo de illis eſt ſpecialis ratio.* Hęc ille, per q̄ verba, cū ijſq; alibi, eſt ſibi ipſi cōtrarius. Quid igitur mirum, ſi Conzalez, Faſolus, & Recupitus eodem modo Suarez citant, ſi Suarez ipſe in ſuæ doctrinæ citatione decipitur: & ſi ipſe ſe ipſum falsò refert, in referendis alijs quid expectas? Conzal. Faſolus. Recup. Eandem ſententiam ſuſtinent Faſolus hic dub.7. & 8. & Recupitus lib.6.quæſt.7.& 17.& 18.num.3. Faſolus. Recup. differunt autem hi duo, quia Faſolus ait, quòd facta collatione inter lumen, & intellectum reſpectu viſionis, dici debet principalior cauſa lumen, quàm intellectus, ita docet dub.10.num.34. Recupitus vero diſputat.17.ſub num.6.diſtinguendum putat. hoc modo. Quo ad perfectionem principij. principalius eſt lumen. Quo ad finem intrinſecum ad quem ordinatur viſio, principalior eſt intellectus.

8 Alij tandem dicunt, intellectum & lumē, eſſe duas cauſas totales in ſuo ordine; totales, inquam, non ſecundùm propriam vtriuſquè virtutem, ſed ſubordinatas quia .ſ. intellectus agit in virtute luminis, differunt autem in modo agendi, quia intellectus agit vt potentia elicitiua in ratione videntis; Lumen autem in ratione eleuantis. Ita communiter Thomiſtæ, Gabrera 3. p. tom.1. quæſt.9. art.2. diſp.9. §.5. & tom.3.quęſt.62.art.1.diſp.21.§.4.num.64. Gabrera. Aluarez de auxilijs diſp.63.num.8. Nauarrete, cōtrou.37.§.4. Nazarius hic contr.2. Conzalez diſp.27. ſect.5. num.55. Bañes hic dub.2. ad 5. & dub.3. Salmanticenſes tract.2.diſput.4.dub.1.§.5.& dub.4.§.6. Aluarez. Nauarret. Nazar. Conzal. Bañes. Salmant.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

9 PRO determinatione ergo veritatis, Dico primò. Intellectus creatus, & lumen gloriæ non concurrunt ad viſionem vt duæ cauſæ partiales partialitate cauſæ, iuxta rigoroſam dictæ cauſæ partialis acceptionem.

Hoc

Hoc dictum eſt omnium. Nam intellectus, & lumen gloriæ non concurrunt vt duo intelligentia, neq; vt duo eleuantia. Ergo.

10 Ex quo colligitur doctorum aſſerentium intellectum, & lumen eſſe cauſas partiales viſionis, partialitate virtutis, ſed non eiuſdem ordinis, incongruum eſſe exemplum, de duobus trahentibus nauim, vt etiam rectè Vaſquez diſp. 43. ca. 8. nu. 40. obſeruat. Etenim duo trahentes nauim ita ſe habent, vt vnuſquiſquè ſe ſolo trahere poſſit, & vnuſquiſquè ſe habet vt trahens; At verò intellectus, & lumen, non ita ſe habent; non enim ſe habent quaſi duo intelligentia, ſed intellectus vt ſolus vt intelligens, & ſolum lumen vt eleuans; debet igitur exemplum allatum intelligi quantùm ad virtutem partialem diſtinctam à virtute alterius.

Vaſquez.

11 Dico ſecundò. Intellectus, & lumen gloriæ non concurrunt ad viſionem vt duæ cauſæ partiales partialitate effectus. Eſt etiam commune, & probatur. Quia viſio beatifica eſt vna ſimplex qualitas, ſeu entitas. Ergo. Conſequentia eſt euidens. Quia cauſæ partiales partialitate effectus, ſunt reſpectu effectus, cuius vna pars correſpondet vni cauſæ, & altera alteri. Antecedens eſt etiam apud omnes certum, & probatur, Quia aliàs viſio non eſſet vna niſi per aggregationem. & quia hæc omnia, ſupponimus omnes, ideo,

12 Dico tertiò. Intellectus, & lumen gloriæ concurrunt vt duæ cauſæ totales in ſuo ordine, quarum vna virtutem mendicat ab alia, Non verò concurrunt ad viſionem vt duæ cauſæ partiales partialitate virtutis, quod eſt dicere: non concurrunt vt duæ cauſæ totales in ſuo ordine iuxta ſecundam, ſed iuxta primam acceptionem.

Ex probatione ſecundæ partis prima probata manet. Probatur igitur primo Secunda concluſionis pars, fundamento valido, ſeu ratione irreparabili. Viſio clara Dei eſt ſupernaturalis. Ergo intellectus, & lumen gloriæ non ſunt illius cauſæ partiales partialitate virtutis, &c. Antecedens eſt certum, & admittitur. Probatur conſeq. Quia virtus naturalis eſt inepta ad effectus ſupernaturalis productionem.

13 Reſpondetur variè ab aduerſarijs, & primò iuxta doctrinam Molinæ hic loco citato, diſtinguendo antecedens. Viſio clara Dei eſt ſupernaturalis, & vitalis, conceditur antec. Eſt ſupernaturalis, & nõ vitalis, neg. antec. Ergo, &c. neg. conſeq. & ratio negationis eſt; quia viſio ſicut à lumine habet, quòd ſit ſupernaturalis, ita ab intellectu habet quòd ſit vitalis.

14 Contra. Quia iuxta Molinæ opinionem, vel intellectus producit viſionem quatenus eſt vitalis tantùm, non tangendo eius ſubſtantiam, ſeu entitatis ſupernaturalitatem; vel vtramquè rationem producendo. Si primum. Ergo intellectus, & lumen, ſunt cauſæ viſionis, partialitate effectus, & non ſolum partialitate cauſæ, quod eſt contra Molinam. Probo conſequentiam; quia vitalitas eſt ab intellectu, ſupernaturalitas à lumine. Ergo vna pars effectus correſpondet intellectui, & altera lumini, quod eſt eſſe cauſas partiales partialitate effectus.

15 Si ſecundum; Recurrit argumentum; Quia actiuitas intellectus in ratione vitalitatis ſibi naturaliter conuenientis, eſt ſimpliciter naturalis. Ergo non poteſt attingere viſionem claram Dei tanquàm cauſa partialis principalis. Probatur, quia viſio eſt ſupernaturalis.

16 Reſpondetur ſecundò ex doctrina Vaſquez diſputat. 47. num. 38. diſtinguendo antecedens. Viſio clara Dei qua Dei eſt, eſt ſupernaturalis, conceditur antecedens. Qua intellectio vt ſic, ſeu ſecundùm rationem genericam, negatur antecedens. Ergo, &c. Similiter diſting. eſt conſeq. Vaſquez.

17 Sed hæc doctrina Vaſquez, ait Suarez 3. p. tom. 1. diſput. 29. ſect. 2. §. ſuppono primò, *reycienda eſt*, eam multis impugnat, & nos præter ea quæ diſputatione præcedenti contra eam diximus.

Sic inſtamus. Totum quod re ipſa eſt in viſione eſt actio vitalis ſupernaturalis; Sed intellectus ſic producit viſionem, ſicut re ipſa eſt. Ergo falſum omnino eſt, quòd producitur ab intellectu ſecundùm rationem genericam intellectionis, & non ſecundùm rationem qua viſio clara Dei eſt.

18 Cõfirmatur primò; quia viſio clara Dei, vt eſt in re nihil habet quod ſit naturale. Ergo. Prob. antec. Quia hoc neq; eſt ratio numerica, neq; ratio ſpecifica, neq; ratio generica. Ergo. Prob. antec. & quidẽ quo ad duo priora conc. à Vaſquez, quo ad tertiũ verò, probatur; quia ratio generica intellectionis eſt quid cõmune ad intellectionẽ naturalẽ, & ſupernaturalẽ. Ergo nõ eſt determinatè naturalis ſicut, Quia animal ſecũdũ rationẽ genericã eſt quid cõmune ad rationale, & irrationale, non eſt determinatè rationale. Vide Gabrera 3. p. q. 62. diſp. 25. §. 4. n. 75. rectè loquentem contra hanc Patris Vaſquez doctrinam. Gabrera.

19 Confirmatur ſecũdò. Quia quãdo dicitur, ꝙ viſio ſecũdũ rationẽ genericã eſt ab intellectu, vel ſẽſus eſt, ꝙ ab intellectu ꝓducitur vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali; vel prout cõtracta eſt. Primũ eſt chimericum; Quia ratio intellectionis ſic abſtractæ, non eſt producibilis. Si ſecundùm. Ergo producitur vt talis intellectio; quælibet enim productio, ſeu actio productiua terminatur ad effectum vt ſingularem.

Digitized by Google

20 Confirmatur tertiò. Intellectio eſt ab intellectu ſecundùm quòd eſt vitalis, & præſertim in ſententia Vaſquez, qui nobiſcum ait, intellectionem neque per potentiam Dei abſolutam à ſolo Deo poſſe produci; ex hoc præcisè, quia eſt actio vitalis: ſed viſio clara Dei eſt vitalis non ſolùm qua cognitio eſt, verùm etiam qua talis cognitio, ſeu qua viſio Dei eſt. Ergo etiam vt viſio Dei eſt, procedit ab intellectu. Ergo per proportionatas vires.

21 Confirmatur quartò. Viſio beatifica eſt vitalis non ſolùm ſecundùm rationem genericam, ſed etiam ſecundùm rationem ſpecificam, & numericam, non enim eſt vitalis vt ſic, ſed talis vitalitas eſt, quod habet qua talis viſio eſt. Ergo falſa eſt doctrina, ac reſponſio Vaſquez.

22 Reſpondetur tertiò à Suarez locis citatis, quem nonnulli moderni ex illius Societate ſequuntur, concedēdo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo intellectus per potentiam naturalem, & lumen gloriæ, non ſunt, &c. conceditur conſequentia. Ergo intellectus per potentiam obedientialem, & lumen gloriæ, &c. negatur conſequentia. Tenet enim Suarez, in intellectu vltra potentiam naturalem, quæ eſt in ordine ad obiectum connaturale, dari potentiam obedientialem actiuam, quatenus ſubordinatur Deo vt ſupernaturaliter agenti, ad faciendum quicquid voluerit Deus.

Suarez. Vaſquez. 23 Hanc Suarez de potentia obedientiali doctrinam, reijcit Vaſquez hic diſput. 43. cap. 4. num. 25. illamquè communiter Thomiſtæ tanquā n omninò falſam impugnant de qua diſp. c. 3. nonnulla dicemus; & pro nunc.

Contra ſic argumentor quartò. Hæc potentia obedientialis actiua reſpectu viſionis claræ Dei, eſt ipſamet natura, & entitas intellectus in ordine ad obiectum intellectus creati ſpecificatiuum proportionata. Ergo eſſet principalis, & non inſtrumentalis. Probatur conſequentia. Suppoſito Dei concurſu ordinario ad agendum cum intellectu, nihil illi deeſt, vt attingat ſuum obiectum. Ergo eſſet cauſa principalis, & non merè inſtrumentalis.

24 Si dicat Suarez, Per hanc potentiam obedientialem, intellectum eſſe proportionatum in ratione principij, & cauſæ inſtrumentalis, non autem principalis; ſicut calor ignis eſt inſtrumentum proportionatum ad producendum ignem.

Contra primò. Quia proportio cum obiecto ſpecificatiuo, & eſſentiali alicuius potentiæ de ſe principalis, non eſt proportio in ratione cauſæ inſtrumētalis: ſed intellectus de ſe eſt potentia principalis ſi ad obiectum ſuum ſpecificatiuum comparetur. Ergo quando reſpectu illius eſt potentia proportionata, non eſt proportio in ratione cauſæ inſtrumentalis, ſed principalis.

25 Secundò, Quia hac potentia obedientiali actiua, ac proportionata poſita, non eſſet neceſſarium lumen gloriæ; quod eſt hæreticum. Ergo. Probatur ſequela. Quia hæc potentia obedientialis actiua eſt proportionata, ac ſufficiens ad efficiendam viſionem, ſuppoſito Dei concurſu ordinario ad concurrendum cum intellectu.

26 Confirmatur. Quia poſito calore in igne, quia eſt inſtrumentum proportionatum ad producendam ignem, non requiritur alia eleuatio, vt ignis alium ignem producere poſſit. Ergo ſi potentia obedientialis quam aduerſarij fingunt, eſt inſtrumentum ſufficiens Dei ad producendam viſionem, lumen gloriæ non videtur eſſe neceſſarium ad eleuandum intellectum.

27 Probatur ſecundò principaliter noſtrum dictum. Si intellectus eſſet cauſa partialis viſionis, partialitate virtutis ſuæ naturalis, ſequeretur quòd intellectus naturaliter perfectior, cum æquali lumine gloriæ perfectius videret Deum: ſed hoc eſt abſurdum. Ergo. Probatur ſequela; Quia cauſa partialis partialitate virtutis, partialiterquè influens in effectum, quò perfectior erit eò perfectiorē cauſabit effectū. Ergo. Minor verò habetur ex Concilio Florentino de vnione Armænorum, vbi determinatur, à Beatis videri Deum magis minuſquè perfectè, pro diuerſitate meritorum. Ergo non ex maiori perfectione naturali. Florentia.

28 Probatur tertiò. Plus virtutis requiritur ad producendum actum viſionis beatificæ, quàm ad producendum aliquem actū eiuſdem viſionis, ſeu vitæ æternæ meritorium: Voluntas autem creata nō concurrit partialiter, ſed vt cauſa totalis in ſuo ordine, recipiendo totam virtutem agendi à gratia. Ergo intellectus creatus neque partialiter ad viſionem concurrit, ſed totam agendi virtutem mendicat à lumine. Maior patet. Quia quamuis vterque actus ſit ſupernaturalis magis tamen eſt ſupernaturalis viſio clara Dei, cum ſe habeat vt finis. Minor præſupponitur ex materia de gratia.

29 Militant hæ rationes contra ſubſtinentes intellectum, & lumen gloriæ eſſe duas cauſas partiales reſpectu productionis beatificæ ſimpliciter ſumptæ, magis tamen militant aduerſus Scotum, & Scotiſtas aſſerentes intellectum creatum eſſe integram viſionis claræ Dei cauſam. In ſuo ordine independentem à lumine, & tantummodò eſſe cauſam partialem reſpectu viſionis intenſioris. Scotus.

Nam

Digitized by Google

Nam vt ipſimet fatentur, viſio clara Dei eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo debet procedere à principio ſimpliciter ſupernaturali. Ergo intellectus ſecundùm virtutem naturalem non valet, eſtque omninò inſufficiens ad producendam viſionem beatificam.

30 Nec valet reſpondere, quòd hoc principium ſupernaturale eſt ipſumet obiectum ſupernaturale; nam quamuis intellectus in ſuo ordine ſit integra cauſa viſionis, ſimpliciter conſideratæ, tamen eſt cauſa partialis ad obiectum comparatus, eo quia intellectus, & obiectum ſunt cauſæ partiales reſpectu viſionis.

31 Non, inquam valet, ſed potius roborat argumentum; Primò quidem. Quia quando obiectum eſt ſupernaturale, & actus circa illud tendens eſt etiam ſimpliciter ſupernaturalis, debet produci à principio habente virtutem ſupernaturalem. Ergo ex hoc quòd obiectum eſt ſupernaturale, non tollitur quin alia concauſa debeat eſſe ſupernaturalis, imo requiritur.

32 Secundò; Quia actiuitati naturali debet correſpondere effectus, ſeù vt ita loquar, agibilitas, ſeù actibilitas naturalis, & è contra, Actibilitati ſupernaturali, debet correſpondere actiuitas ſupernaturalis: ſed viſio beatifica per Scotum, & Scotiſtas, eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo eſt actibilitas ſupernaturalis. Ergo debet ei correſpondere actiuitas ſupernaturalis. Ergo vel dicendum eſt, quòd intellectus merè paſſiuè concurrit, ad quod alibi Scotus magis inclinat, & quòd adæquatum viſionis Dei principium productiuū ſit ipſemet Deus, ſecundùm quòd eſt obiectum maximè ſupernaturale; ꝙ falſum eſſe ſupra probauimus; Vel quòd intellectus ſolo lumine naturali nullo modo viſionem claram Dei producere poteſt.

Scotus.

CAPVT QVARTVM.

Aduerſariorum argumenta diſſoluuntur.

33 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Solus intellectus abſquè lumine nō valet producere viſionē neque ſolū lumen gloriæ abſquè intellectu eamdem viſionem cauſare poteſt. Ergo intellectus, & lumen, ſunt duæ cauſæ partiales. Patet conſequentia. Quia cauſæ partiales dicuntur illæ, quæ ſeorſim ſumptæ non valent, vel nolunt effectum producere.

34 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Cauſæ partiales dicuntur illæ quæ ſeorſim ſumptæ non valent, vel nolunt effectum producere, & vna virtutem agendi ab altera non mendicat, concedo antecedens. Et vna virtutem agendi ab altera mendicat, nego antecedens. Sic autem eſt in caſu noſtro; Intellectus, & lumen gloriæ, ſi ſeorſim accipiantur viſionem claram Dei producere nequaquàm poſſunt, ſimul autem poſſunt; ita tamen, quòd intellectus eſt intelligens, & intelligendi virtutem mendicat à lumine. Vnde potius vocari debent partes vnius integræ cauſæ, quàm cauſæ partiales.

35 Obijcies ſecundò. Quia ex Sac. Conc. Trid. voluntas, & gratia, ſunt cauſæ partiales actus ſupernaturalis v. g. conuerſionis ad Deum. Ergo etiam intellectus, & lumen ſunt cauſæ partiales viſionis. Conſequentia patet ab optima paritate. Probatur autem antecedens. Quia Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. canone 4. determinat quòd liberum arbitrium non ſe habet vt quoddam inanime inſtrumentum, ſed cooperatur gratiæ; cooperari autem gratiæ, eſt habere rationem cauſæ partialis. Ergo, &c. Triden.

36 Reſpondetur eſſe omninò falſum antecedens. Ad cuius probationem, patet reſponſio ex ſupradictis. Nam liberum arbitrium cooperans, prius recipit operandi virtutem à gratia, & deinde dicitur cooperari gratiæ. Verba autē Concilij ſunt pro nobis, contra argumentum, vt ſupra demonſtrauimus.

Quòd ſi quandoquè apud probatos viros legatur liberum arbitrium, & gratiam eſſe cauſas partiales alicuius actus ſupernaturalis; interpetrandi ſunt de cauſa partiali largè ſumpta, ſecundùm quòd cauſa partialis idem ſonat quòd pars integrę cauſæ.

DISPVTATIO LXV.

VTRVM FIERI POSSIT PER DEI POTENTIAM ABSOLVtam, vt aliquis intellectus creatus videat diuinam eſſentiam ſine lumine gloriæ.

In ſex capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum ſententiæ referuntur.

1 IAM vidimus intellectum creatum de facto Deum intuitiuè mediante lumine gloriæ videre; quia ſic ratio expoſtulat, ſic Sancta Mater Eccleſia definit, & ſic communiter Theologi, ac Sancti Patres docent, videndum reſtat; Vtrum ad minus per Dei potentiam abſolutam, fieri aliquo modo poſſit, vt intellectus creatus videat Deum vt in ſe eſt, abſquè lumine gloriæ. Diſputatio abſquè dubio vniuerſaliter à Theologis agitata, & apud omnes celeberrima; eò vel maximè; Quia in re tam graui, diſpariliter reſoluitur, & explicatur.

2 Quidam enim non pauci affirmatiuè reſpondent, ſed diuerſimodè. Quidam dicunt, quòd intellectus creatus quantumeſt ex ſe, habet ſufficientes partiales vires naturales videndi Deum, ſi tamen Deus ſeipſum intellectui faciat in ratione obiecti præſentem. Ita Scotus in 4. diſt. 49. in 3. diſt. 31. quæſt. vnica, & diſt. 14. quæſt. . Durandus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. Vaſquez diſputat. 46. cap. 2. Molina hic diſp. 1.

Scotus. Durand. Vaſquez.

3 Alij autem affirmant quidem, intellectum creatum ſine omni præuio lumine ſupernaturali Deum poſſe clarè videre, non tamen per potentiam naturalem, ſed per potentiam obedientialem actiuam. Ita Suarez lib. 2. Summæ Theologiæ cap. 16. num. 5. & 6. Arrubal diſput. 20. cap. 3. Faſolus hic dubitatione 12. Recupitus lib. 6. de veritate quæſt. 18. num. 3. qui numero præcedenti, ſic ait. *Contraria ſententia eſt communiſſima. Ita Scotus, &c. Demum authores omnes noſtræ Familiæ ſecuti Diuum Thomam in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 7.* Hanc eamdem opinionem tribuit D. Thomæ Durandus, in 4. diſt. 49. quæſt. 2. Lorca p. 2. quæſt. 5. diſput. 30. dictione 2. dicens, *omnes in hoc conuenire.* Vtrum autem horum Doctorum verba, vera ſint, an potius ad nouitios decipiendos poſita, ex Doctorum qualitate, & numero, oppoſitam ſententiam ſuſtinentium apparebit.

Suarez. Arrubal. Faſolus. Recup.

4 Oppoſita igitur ſententia inter grauiores Theologos communior aſſerit firmiterquè defendit, eſſe omninò impoſſibile, quòd intellectus creatus videat Deum vt in ſe eſt, abſquè lumine gloriæ, ſiue per modum habitus, ſiue per modum diſpoſitionis, ſiue per habitum, ſiue per actuale auxilium præuium. Ita Diuus Thomas cuius teſtimonia in probatione concluſionis referemus. D. Bonauentura in 3. diſt. 14. q. 1. Capreolus Thomiſtarum princeps in 4. diſt. 49. quæſt. 4. ad argumenta contra 2. concluſ. Sotus ibidem quæſt. 2. art. 4. cui quamuis aliquando oppoſita ſententia placuerit, re tamen maturè conſiderata eam ſpernens, negatiuam amplexus eſt. Caiet. hic. Bañes hic dub. 3. Nauarrete contr. 59. §. 1. Nazarius hic controu. 2. Petrus Ledeſma de diuina perfectione quæſt. 8. ar. 8. in ſubarticulo concluſ. 2. Aluarez de auxilijs lib. 7. diſput. 67. Zumel, & Ripa hic. Ferrarienſis 3. cont. gent. cap. 54. Conzalez diſput. 27. ſect. 3. Præſtantiſſimi Theologi Diſcalciati Carmelitæ in Collegio Salmanticenſi tract. 2. de viſione Dei diſp. 4. num. 49. §. 2. & per totam diſputationem. Ioannes a Sancto Thoma diſput. 14. Palumbus vnus ex inſignibus Theologis Societatis, in doctrina, & ſcholaſtico examine ad art. 5. concl. 3. vbi hæc verba profert. *Eſt adeo clara mens Sancti Thomæ, vt ſi quando videatur oppoſitum ſentire, Ferrarienſis, & Capreolus eum interpretentur quòd neget neceſſitatem luminis per modum formæ, &c.* & poſt pauca, dicit eſſe contra multos recentiores *qui in hoc ſicuti reuerentur Sanctum Thomam ita eum pro ſe vellent habere, re tamen vera non habent.* Cippullus 3. p. quæſt. 13. art. 2. dub. 3. num. 7.

D. Thom. D Bonau. Capreol. Sotus. Caietan. Bañes. Nauarret. Nazar. Ledeſma. Aluarez. Zumel. Ripa. Ferrara. Conzalez Salmant. Io. de S. Thoma. Palumbus Cippullus

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis contra Scotum.

5 PRo determinatione veritatis. Dico primò: Eſt impoſſibile per Dei potentiam abſolutam, vt intellectus creatus videat Deum vt in ſe eſt, abſquè lumine gloriæ, etiam ſi per impoſſibile, Deus ſeipſum intellectui faceret obiectiuè præſentem.

Explicatur hoc dictũ poſſibile, eſt omnino impoſſibile vt Deus intellectui creato in ratione obiecti vniatur, quin intellectũ lumine gloriæ perluſtret, tñ ſi p impoſſibile intellectus creatus non fuerit lumine gloriæ illuſtratus, etiamſi Deus ſeipſum obiectiuè intellectui præſentaret, ab intellectu creato non videretur; non ſecus ac ſi albedo oculos clauſos habenti, vel in tenebris, ſeu in caliginoſo loco iacenti, repræſentaretur.

6 Probatur igitur noſtrum dictum primò. Intellectus creatus neque etiam per Dei potentiam abſolutam poteſt producere intellectionem naturalem abſque lumine naturali. Ergo neque etiam fieri poteſt, vt abſquè lumine gloriæ videat Deum. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Quia ſicut lumen naturale eſt neceſſarium propter cognitionem naturalem, ita lumen ſupernaturale propter cognitionem ſupernaturalem.

7 Confirmatur. Quia ſtante intra intellectum creatum, Dei intima obiectiua præſentia, vel intellectus creatus ex ſe, & ex proprijs naturæ viribus eſt ſufficienter illuminatus ad videndum Deum, vel non; Si primum; hoc eſt falſum; Nam ex Concilio Viennenſi, hæreticum eſt aſſerere intellectum creatum non indigere lumine gloriæ ipſum eleuante ad videndum Deum. Non enim lumen gloriæ requiritur vt Deus poſſit ſeipſum repræſentare, ſed propter intellectus noſtri illuſtrationem. Ergo ſi ex proprijs naturæ viribus eſt ſufficienter illuminatus, non indiget lumine gloriæ. Si ſecundum. Ergo ſtante tali inſufficientia, etiamſi Deus ſeipſum repræſentaret, non cognoſceretur.

8 Reſpondent Scotiſtæ, quòd intellectus creatus eſt ſufficienter illuminatus ex proprijs naturæ viribus ad videndum Deum ſimpliciter, non autem ad videndum Deum intenſius; ad hoc autem vt intellectus creatus videat Deum magis intensè requiritur lumen gloriæ de facto, de poſſibili verò, poteſt intellectus creatus Deum magis intenſè videre, dummodo Deus ſuppleat vicem luminis gloriæ. Ita præſertim Vulpes Vulpes. diſp. 23. art. 9. citato.

9 Contra hunc dicendi modum argumentor primò. Quia eſt contra mentem Concilij Viennenſis. Nam Concilium non loquitur de luminis gloriæ indigentia ad intenſius videndum, ſed ad videndum, vt clarè verba Concilij ſonant.

Secundò. Quia ad videndum Deum ſimpliciter, non requiritur lumen gloriæ per aduerſarios. Ergo neque etiam ad videndum Deum intenſius. Probo conſequentiam. Quia per eoſdem aduerſarios, ſi aliqua potentia intellectiua eſſet perfectioris virtutis naturalis, quàm alia, & ambæ æquali lumine gloriæ eſſent illuſtratæ, perfectiorem, ſeu magis intensè perfectam eliciet, quæ perfectioris eſſet virtutis naturalis. Ergo maior intenſio poteſt ex perfectiori naturali lumine prouenire. Ergo ad intenſiorem viſionem producendam, non requiritur lumen gloriæ.

10 Confirmatur. Quia poteſt Deus alicuius intellectus creati lumen naturale, magis, ac magis perficere: ſed ex perfectiori lumine naturali, intellectus creatus habet vt perfectius Deum videat. Ergo ad videndum Deum magis intensè, non requiritur lumen gloriæ, ſed perfectius lumen naturale.

11 Confirmatur ſecundò. Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis: ſed per aduerſarios intellectus creatus per lumen naturale quòd habet, habet vt poſſit ſimpliciter Deum videre. Ergo per maius lumen naturale, habet vt magis poſſit videre. Ergo lumen gloriæ, non requiritur propter viſionem intenſiorem.

12 Confirmatur tertiò. Quia quando Scotiſtæ dicunt intellectum creatum per lumen naturale quod habet, poſſe videre Deum ſimpliciter, & abſolutè, explicare tenentur quid intelligunt per ly videre Deum ſimpliciter. Nam vel dicere intendunt quòd per lumen naturale, intellectus creatus Deum videt abſquè omni intenſionis gradu; vel cum aliquo gradu intenſionis. Non primum. Quia per ipſos intellectus naturaliter perfectior cum æquali lumine gloriæ perfectius intenſiuè Deum videt. Si ſecundùm. Ergo ſi lumen naturale eſt de ſe ſufficiens vt intellectus per ipſum Deum videat ſuppoſita eius obiectiua præſentia; vt perfectius videat, non indiget lumine gloriæ, ſed perfectiori lumine naturali.

13 Probatur ſecundò idem dictum contra Scotum. Si intellectus creatus ſuppoſita Dei præſentia obiectiua eſſet per lumen naturale ſufficienter diſpoſitus vt videat Deum,

Deum,

Digitized by Google

Deum ſe.queretur quòd lumen naturale, eſſet lumen gloriæ: ſed hoc eſt abſurdum, ergo,& illud vnde ſequitur. Probo ſequelam. Nam nomine luminis gloriæ, nil aliud Theologi intelligunt, niſi id per quòd intellectus creatus ſufficienter, ac proportionatè poteſt viſionem claram Dei producere. Præſertim in via Scoti militat hoc argumentum; eo quia lumen gloriæ non requiritur vt diſpoſitio ad recipiendam viſionem, neque ad vnionem diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis.

14 Nec valet dicere, quòd nomine luminis gloriæ intelligitur id per quod viſio intenſior, quàm per ſolam virtutem naturalem à potentia producitur; Quoniam iam probauimus per maius lumen naturale, id contingere poſſe, ſemel admiſſo, quòd per lumen naturale intellectus creatus eſt integrè ſufficienterquè diſpoſitus ad ſimpliciter Deum videndum. Vel dicendum eſt, quòd non datur lumen gloriæ, quod ſit habitus ſupernaturalis.

15 Probatur tertiò. Si intellectus creatus ex ſolo lumine naturali eſſet ſufficienter diſpoſitus ad videndum Deum ſimpliciter ſine lumine gloriæ. Ergo ad videndum Deum ſummè (non dico infinitè, & comprehenſiuè, ſed in ſummo iuxta ſummã capacitatẽ intellectui creato poſſibili ad mẽtẽ Scoti) nullatenus lumine gloriæ indigeret, neque neceſſe eſſet, quòd Deus talis luminis vices gerat: ſed hoc eſt cõtra Scotũ. Ergo. Minor patet. Quia quamuis Scotus admittat intellectum creatum Deum poſſe in ſummo videre abſquè lumine gloriæ; hoc tamen continget Deo ſupplente ſummi luminis actionem, ſic docet in 3. diſt. 14. quæſt. 2. Probatur verò ſequela. Quia intellectus creatus per lumen naturale poteſt videre Deum, & intellectus perfectior perfectiori modo. Ergo intellectus ſummè perfectus per ſolum lumen naturale, poteſt ſummè videre Deum: ſed per Scotum non implicat aliquis intellectus creatus ſummè perfectus. Ergo neque etiam implicat, vt aliquis intellectus creatus videat Deũ in ſummo ſine omni lumine gloriæ,& abſquè eo quod Deus luminis gloriæ vicem ſuppleat.

16 Confirmatur. Intellectus creatus vel indiget lumine gloriæ vt producat ſummam viſionem. Quia ſupernaturalis eſt, vel quia ſumma eſt: neutro modo requiritur ſuppoſita Scoti ſententia de luminis naturalis ſufficientia ad ſimpliciter Deum videndum. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Nam non propter primum. Quia hoc modo neque etiam poſſet principiare viſionem in gradu remiſſo. Neque propter ſecundum. Quia ſuppono in via Scoti, poſſe dari intellectum creatum perfectiſſimum.

17 Per tranſeunter circa doctrinam, quam habet Scot. in 3. diſt. 13. q. 1. §. *Ad 4. quæſt.* & diſt. 14. quæſt. 2. §. *hic ſupponendo*. Vbi ait quòd voluntas creata poteſt producere ſummam fruitionem, & intellectus ſummam intellectionem abſquè ſumma gratia, & abſquè ſummo lumine gloriæ. Eo quia poteſt Deus ſupplere actionem ſummæ gratiæ; tamen de potentia ordinata, non poſſet voluntas Chriſti frui actiuè, ſiuè elicitiuè, ſine ſumma gratia. Obſeruandum eſt, ꝙ hæc niſi aliter quàm ſonant explicentur, ad inuicem non cohærent. Dato enim quòd intellectus ex proprijs naturæ viribus in aliquo gradu remiſſo viſionem beatam producere poſſet, minus rectè dicitur, quòd ad ſummam viſionem, vel ad ſummam fruitionem de facto, ſummum lumen, vel ſumma gratia requiratur, & de poſſibili non requiratur, ſed Deus munus ſummi luminis, & ſummæ gratiæ ſupplere poſſit.

18 Et ſic argumentor. Si ſummum lumen, vel ſumma gratia ad ſummam intellectionem, vel fruitionem exigeretur, ſequeretur quòd tota vis agendi, eſſet à lumine,& à gratia, quòd tamen Scotus negat.

Probatur ſequela. Quia aliàs non poſſet Scotus explicare, nec rationem aliquam aſſignare, quare ad ſummam fruitionem eliciendam, ſumma gratia, & ad ſummam viſionem, ſummum gloriæ lumen requiratur. Nam apud Scotum lumen gloriæ non requiritur ad ſupplendum obiecti defectum, ſed ſe tenet ex parte potentiæ. Ergo ſi requiritur ad ſummam fruitionem ſumma gratia, & ad ſummam viſionem ſummum lumen, non præſupponitur aliqua virtus actiua à virtute gratiæ, & luminis gloriæ diſtincta, aliàs ſequeretur quòd vltra ſummam gratiæ luminiſquè virtutem, daretur alia virtus.

Explicatur amplius. Per Scotum, eſt ſummum lumen huic, & ſummum illi, propter ſummam viſionem producendam; & aliàs perfectior eſt intellectus iſtius, quàm illius. Ergo vel non ſummum vni, & ſummum alteri, vel tota virtus agendi eſt à lumine.

19 Confirmatur primò. Quia per Scotum perfectior intellectus, cum æquali lumine gloriæ perfectiorem viſionem producere poteſt. Ergo duo intellectus inæqualis perfectionis naturalis, cum æquali tamen ſummo lumine gloriæ, qua ſummum lumen haberent, æqualem producerent viſionem, qua vnus eſſet altero perfectior, vna viſio, eſſet perfectior altera, & ſic ſumma viſio intellectus perfectioris, eſſet perfectior,& ſummior, (vt ita loquar,) viſione intellectus imperfectioris.

20 Confirmatur ſecundò. Habens perfectionem v.g. vt quatuor ad perueniendum ad ſummum, minori indiget lumine, vel gratia, quàm habens perfectionem vt duo, ſup-

ſuppoſito quòd iuxtà propriæ perfectionis quantitatem ambo concurrant. Ergo intellectus perfectior non indigebit ſummo lumine vt ad ſummam viſionem valeat peruenire. Probatur conſequentia. Quia intellectus perfectior indiget minori lumine, quam intellectus imperfectior. Ergo non indiget ſummo lumine. Hæc per modum tranſeuntis contra Scotum dixiſſe ſufficiat.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis contra Suarez, & alios.

21 Dico ſecundò. Intellectus creatus per potentiam obedientialem cum ſolo Dei concomitante influxu, neque etiam per Dei potentiam abſolutam poteſt producere viſionem claram Dei.

Probatur primò, de facto potentia obedientialis abſquè gloriæ lumine ex ſe, & in ſe, eſt intrinſecè impotens ad viſionem claram Dei producendam. Ergo accedente Dei concomitante in viſionem influxu, non verò in intellectum, intellectus quoad ſuas vires remanet inſufficiens, & impotens ſicut prius. Antecedens probatur. Quia ex Concilio Viennenſi intellectus indiget lumine gloriæ ad videndum Deum; vbi Sacrum Concilium de intellectu loquitur ſecundùm omnem intellectus creati potentiam antecedentem gloriæ lumen. Viennen.

22 Confirmatur primò. Quia ſi ſufficeret potentia obedientialis cum influxu Dei in viſionem, fruſtratoria fuiſſet Viennenſis de neceſſitate luminis gloriæ determinatio: Hoc eſt abſurdum, & impium aſſerere. Ergo. Probatur ſequela. Quia Begardi, & Beguinæ hæretici, contra quos direxit Concilium Viennenſe ſermonem, non negabant ſpecialem Dei influxum in viſionem. Ergo ſi ſufficeret Dei influxus in viſionem, & potentia obedientialis actiua, vt aduerſarij volunt, Sacri Concilij determinatio, nempè, quòd intellectus indiget lumine gloriæ ipſum eleuante ad videndum Deum, non neceſſaria, ſed fruſtratoria fuiſſet.

23 Confirmatur ſecundò. Quoniam Concilium Viennenſe determinans intellectum creatum indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, vel conſiderauit intellectum creatum ſecundùm quòd dicit potentiam naturalem, & obedientialem; vel ſecundùm quòd dicit potentiam naturalem, & non obedientialem actiuam. Si primum. Ergo intellectus creatus cum potentia obedientiali abſquè lumine gloriæ ex parte ſui non ſufficit, ſicut neque cum potentia naturali. Nam iuxta hanc acceptionem, Concilium aſſerit intellectum cum potentia obedientiali neceſſariò exigere lumen gloriæ ad videndum Deum. Si ſecundum. Ergo malè, & impiè determinat intellectum creatum indigere lumine gloriæ; potius diſiunctiuè concludere debebat, nempè, indigere lumine gloriæ, vel potentia obedientiali actiua.

Confirmatur tertiò. Quia lumen gloriæ de facto non eleuat potentiam naturalem, ſed obedientialem. Ergo non ſola potentia naturalis, ſed etiam obedientialis eſt inſufficiens. Antecedens patet. Probatur conſequentia. Quia vnaquæquè potentia ad illud dicitur per aliud eleuari, ad quod per ſe peruenire non poteſt.

24 Confirmatur quartò. Concilium damnans aſſerentes animam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum, cognouit potentiam hanc obedientialem actiuam, vel eam ignorauit, & ſolus Pater Suarez ad inuenit eam? Si ſecundum. De eo diſcurrant alij. Si primum. Ergo Concilium ſupradictam opinionem, hanc potentiam obedientialem reprobauit; vel dictam Beguinarum, & Begardorum opinionem iniuſtè damnauit. Non eſt dicendum hoc ſecundum. Ergo primum. Probo conſequentiam. Quoniam Begardi, & Beguinæ iuſtè conqueri poſſent de ipſorum tam acriter damnata ſententia. Poſſent enim reſpondere, quòd ipſi tenent animam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum, quia ſufficit potentia obedientialis actiua, quam vltro libenterquè concederent, & quæ in anima antecedenter ad lumen gloriæ reperitur. Begardi & Begui.

25 Vbi obſerua primò, quòd propoſitio à Concilio damnata, non dicebat animam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante, adſic, vel ſic, Deum videndum; Sed ad videndum, & conſequenter vt iacet eſt interpretanda.

26 Secundò, quòd animam accipiebant, ſecundùm omne id quod in re habet antecedenter ad lumen.

27 Ex quibus optimè conſtat, quòd poſita potentia obedientiali actiua in intellectu in ordine ad ſuos actus, Begardi, & Beguinæ ſe defendere, & contra Concilium rationabiliter conqueri poſſent; Dicentes primò, nos non negamus ad viſionem, Dei proportionatum influxum, ſed dicimus intellectui creato ſufficientes adeſſe vires, antecedẽter ad luminis gloriæ infuſionem, ſiuè naturales, ſiuè obedientiales, vel quocumquè alio nomine nominentur.

28 Secundò quoquè dicerent, nos non negamus lumen gloriæ eſſe poſſibile, neque nega-

Digitized by Google

negamus per lumen gloriæ intellectum creatum connaturalius, & intenſius Deum videre, (aliàs Concilium dupliciter condemnaſſet eos, quia ſcilicet poſſibilitatẽ, neceſſitatemquè luminis gloriæ negabant) ſed tantùm negamus, animam indigere lumine gloriæ ad ipſam eleuante ad videndum Deum, Itaquè hæc potentia obedientialis actiua optima eſt ad infirmanda, ſeu eneruanda irrefragabilia fidei axiomata. Quia quod eccleſia determinat, nos debere expectare per gratiam, hæc opinio docet, per potentiam obedientialem noſtræ inesse naturæ. Vide Suarez 3. p. tom. 1. diſp. 31. ſect. 5.

Suarez.

29 Si dicatur, argumentum, & reliquas eius confirmationes veritatem habere, ſi intellectus concurreret tanquàm cauſa principalis, quod non eſt verum, Quia intellectus creatus reſpectu viſionis ſe habet tãquàm inſtrumentum Dei; dicunt enim intellectum creatum eſſe inſtrumentum animæ reſpectu omnium intellectionum, & reſpectu viſionis claræ Dei, non ſolùm eſſe inſtrumentum animæ, verum etiam Dei. Ita præſertim Suarez in metaphyſica diſput. 30. ſect. 11. num. 46.

Suarez.

30 Sed contra hanc reſponſionem militant ea, quæ ſupra diſp. 62. diximus; probantes intellectum creatum concurrere tanquàm cauſam principalem, & totalem in ſuo ordine reſpectu viſionis.

31 Secundò. Admiſſo quòd intellectus creatus concurrat vt inſtrumentum Dei ad viſionem, ſic argumentor. Intellectus creatus ſi inſtrumentaliter ſe haberet, non eſſet qualitercumquè inſtrumentum, ſed vitale, vitaliter concurrens (quòd tamen in re ipſa eſt contra rationem cauſæ inſtrumentalis reſpectu propriæ actionis) & tanquàm potentia verè potens. Ergo huiuſmodi inſtrumentum ſine eo, per quod redditur potens, vt tale, nequè etiam per Dei potentiam abſolutam viſionem beatificam producere valet: huiuſmodi autem virtus eſt lumen gloriæ. Ergo.

32 Probatur ſecundò. Quia potentia obedientialis, proximè, & formaliter actiua, eſt quid figmentum. Ergo ruit totum aduerſariorum fundamentum. Antecedens patet ex alibi dictis, & probatur primò. Potentia obedientialis actiua ſi daretur, eſſet vtiquè reſpectu effectus, ſeù actionis ſupernaturalis. Ergo talis potentia proximè actiua reſpectu talis actionis in ſe, formaliter, & proximè eſt ſupernaturalis, entitatiuè, vel quoad rationem, ſeu virtutem agendi: ſed nulla creata potentia eſt entitatiuè ſupernaturalis, nequè habet in ſe virtutem agendi ſupernaturalem, antecedenter ad auxilium ſupernaturale, actuale, vel habituale. Ergo nulla potentia obedientialis eſt proximè, & formaliter actiua.

33 Secundò. Quia vires actiuæ obedientiales, cum ſint antecedenter ad dona ſupernaturalia, ſunt ab ipſa natura, & entitate rei, & ideò dicuntur obedientiales, quia reſpiciunt Deum vt authorem ſupernaturalem, & formas ſupernaturales; quemadmodum potentia obedientialis paſſiua, quæ non eſt aliquid realiter a natura, ſeù rei entitate diſtinctum, ſed ipſamet natura, ſeù rei entitas in ordine ad Deum vt authorem ſupernaturalem; & in ordine ad formas, quas recipere poteſt. Ergo vel vires obedientiales nullam habent actiuitatem reſpectu viſionis; vel dicendum eſt, quòd huiuſmodi vires ſunt omnino ſupernaturales in natura, atquè ex natura proficiſcentes: quod implicat. Ergo.

34 Dices. Potentia obedientialis paſſiua eo modo quo à Thomiſtis conceditur reſpectu formæ ſupernaturalis, eſt formaliter ſupernaturalis, quamuis ſit entitatiuè naturalis. Ergo poterit eodem modo admitti potentia obedientialis actiua reſpectu formæ ſupernaturalis, quæ, ſcilicet, ſit entitatiuè naturalis, formaliter verò ſupernaturalis.

35 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt. Quia potentia obedientialis paſſiua, eſt ſupernaturalis ratione termini, non verò quoad entitatem; & hoc ſufficit, vt potentia obedientialis paſſiua dicatur ſupernaturalis terminatiuè: At verò vt potentia dicatur ſupernaturalis actiuè, debet ante effectus productionem, ſupernaturalem præhabere virtutem.

CAPVT QVARTVM.

Probatur lumen gloriæ illuſtrare intellectum formaliter, & intrinſecè, & non ſolùm effectiuè.

36 QVando dicitur quòd lumen gloriæ illuminat, vel eleuat intellectum creatum ad videndum Deum, dupliciter intelligi poteſt. Formaliter ſcilicet, & effectiuè. Si primo modo, ſenſus eſt, quòd intellectus intrinſecè roboratur vt poſsit producere viſionem. v. g. ſicut diaphanum ad hoc vt illuminet, ſitquè magis, aut minus lucidũ, ex eo quia prouenit, recipit hoc in ſe à luce, & ſecundùm quòd in ſe maiorem, vel minorem lucem recipit, dicitur formaliter magis, vel minus lucidũ. Si ſe-

Digitized by Google

Si ſecundo modo, ſenſus eſt, quòd intellectus ſemper in ſuo antiquo robore perſeuerans, adiuuatur à coëfficientia luminis. v. g. potentia ſenſitiua, & intellectiua, ſe ſolis non valent ſenſationem, & intellectionem producere, adueniente ſpecie ſenſibili in ſenſum, & ſpecie intelligibili in intellectum poſſunt, & ſic intellectus, & ſenſus, effectiuè eleuari dicuntur. ſed exemplum non currit omnino, quia ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, lumen autem ex parte potentiæ; Eſt aliud de duobus trahentibus nauim exemplum, quorum alter alterum eleuat, fortificat, & confortat, non maiori virtute intrinſeca, ſeu formaliter, ſed extrinſeca, ſeu effectiua; quia vbi non ſufficiebat, vnius efficientia, altera adueniente, & ſimul coefficiente ſufficiet. ſed & hoc exemplum claudicat, vt ſupra diximus, ſi rigoroſè loquamur; ſi tamen ſumatur ad explicandam virtutis partialis effectiuam eleuationem, & non quo ad omnia, admitti poteſt; in præſenti igitur capite inueſtigamus, quomodo lumen gloriæ, creatum eleuat intellectum, intrinſecè illum roborando, an cum ipſo effectiuè dumtaxat concurrendo ad viſionem, ad quam ſe ſolo, non poteſt.

37 Quidam Theologi affirmantes lumen gloriæ ſe tenere ex parte potentiæ, vt defendere valeant, fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam, quòd intellectus creatus videat Deum vt in ſe eſt abſquè lumine gloriæ, dicunt, quòd lumen gloriæ eleuat, adiuuat, & confortat intellectum creatum effectiuè, ſimul ſcilicet, cum intellectu effectiuè, concurrendo ad viſionem; non autem ipſum intrinſecè vigorando. Alij autem dicunt, quòd illuminat formaliter, & intrinſecè vigorando, &c. Vnde pro determinatione veritatis, in ordine,

38 Dico quartò. Lumen gloriæ eleuat, ſeù illuſtrat intellectum intrinſecè, & formaliter, & non tantùm coëffectiuè.

Probatur primò, ex D. Thoma lib. 3. contra gent. cap. 53. rat. 1. inqua ſic concludit. *Impoſſibile eſt igitur, quòd ipſa eſſentia Dei fiat intelligibilis forma alicuius intellectus creati, niſi per hoc, quòd aliquam ſimilitudinem intellectus creatus participet*. Sed intellectus creatus non participat ſimilitudinem Dei, per ſolam coefficientiam luminis, ſed per informationem, & intrinſecè. Ergo. D.Thom.

Et ibidem rat. 4. ſic ait. *Nihil poteſt ad altiorem operationem eleuari, niſi per hoc, quòd eius virtus fortificatur*.

39 Et ibidem paucis interiectis ſic ait. *Virtus autem intellectus creati naturalis, non ſufficit ad diuinam ſubſtantiam videndam. Ergo oportet quòd augeatur ei virtus, ad hoc quòd ad talem viſionem perueniat: Non ſufficit autem augmentum per intenſionem naturalem virtutis. Quia talis viſio non eſt eiuſdem rationis cum viſione naturali intellectus creati, quod ex diſtantia viſorum patet. Oportet igitur, quòd fiat augmentum virtutis intellectiuæ, per alicuius nouæ diſpoſitionis adeptionem*.

40 Reſpondebunt aduerſarij, explicando Diuum Thomam hoc modo. De augmento virtutis intellectiuæ, & de eleuatione coeffectiuè, conceditur: Formaliter, negatur.

Contra hanc expoſitionem obſtat clariſſimè D. Thomas in eodem loco, qui explicare volens quomodo intellectus creati virtus per lumen gloriæ fortificari dicatur, hæc verba præmittit, *Contingit autem dupliciter alicuius virtutem fortificari. Vno modo, per ſimplicem ipſius virtutis intenſionem, ſicut virtus actiua calidi augetur per intenſionem caloris, vt poſſit efficere vehementiorē actionē in eadē ſpē. Alio modo per nouæ formæ appoſitionem, ſicut diaphani virtus* (Nota) *augetur ad hoc vt poſſit illuminare, per hoc quòd fit lucidum actu per formam lucis receptam in ipſo de nouo; & hoc quidem virtutis augmentum requiritur ad alterius ſpeciei operationem conſequendam*. D.Thom.

41 Si ſincero corde de mente D. Thomæ diſquiris, eiuſq; veram intelligentiam percipere cupis; illi prius te ipſum humili deuotione commenda, deinde ſemel atq; iterum eius verba diſcurre, ac diligenti attentione cōſidera, & tunc in caſu noſtro videbis, quam longè ſit à mente D. Thomæ ſupradicta reſponſio. Etenim ſic ad mentem D. Thomæ fortificatur intellectus creati virtus ad videndum Deum per lumen gloriæ, ſicut diaphanum fortificatur per lucem vt poſſit illuminare: ſed diaphanum non fortificatur per lucem, coefiectiuè ſed formaliter; Ita videlicet, quòd diaphanum per lucem illuminat, ſicut per rationem, imo ſicut per totam illuminandi rationem. Ergo. D.Thom.

42 Et hìc ar. 2. in corp. ait, *quod ad viſionem tam ſenſibilem, quàm intellectualem, duo requiruntur, ſ. virtus viſiua, & unio rei viſę cū viſu*. & determinat quòd lumen gloriæ ad vidēdum Deū tanquàm aliqua *Dei ſimilitudo ex parte viſiuæ potentiæ, qua intellectus fit efficax ad videndum Deum*. & hic in corp. luminis gloriæ neceſſitatem ad videndum in hoc proximè fundat; quia ad hoc vt intellectus creatus videat Deum per eſſentiam, neceſſe eſt quòd ipſa eſſentia Dei ſit forma intelligibilis intellectus. Ergo oportet quòd aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur: Sed lumen intellectuale; & diſpoſitio, concurrunt formaliter ad id cuius ſunt lumen, & diſpoſitio. Ergo.

43 Idem omnino docet D. Bonauentura in 3. diſ. 14. q. 1. in corp. declarans quomodo anima Chriſti per cognitionē creatam cognoſcat Verbum quod eſt increatū. D.Bonau

vbi ſic ait. *Hoc autem eſt per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, & ita per aliquam influentiam, quæ ipſam animam cognoſcentem, faciat Deo ſimilem, ac Deiformem; & ita per aliquem habitum ipſam animam informantem qui quidem habitus non poteſt eſſe niſi aliquid creatum. Nam quid increatum non poteſt eſſe vt forma ipſius animæ.* & paucis interiectis. *Quomodo enim*, inquit, *poteſt anima lumen æternum cognoſcere, & claritatem ſummam intueri, quin ipſa efficiatur clara, & luminoſa?* Vbi non ſolùm præſentis concluſionis veritatem docet, vocans lumen gloriæ intellectus creati formam, qua redditur luminoſus, & clarus; ſed etiam ſequentis. Nam ſi intellectus per lumen gloriç redditur luminoſus, & clarus, veluti per formam, taliter, quòd dicta illuminatio à Deo immediatè nequeat prouenire; euidenter ſequitur, & quòd lumen gloriæ formaliter intellectum illuſtrat, & quòd neque etiam per potentiam Dei abſolutam fieri poteſt ad mentem D. Bonauenturæ, vt intellectus creatus Deum videat abſquè luminis gloriæ creati irradiatione.

44 Probatur ſecundò ratione; Gratia ſanctificans, formaliter gratificat. Ergo lumen gloriæ formaliter illuminat. Antecedens ſupponitur ex materia de gratia, illudquè admittit Scotus in 1. diſtinct. 17. quæſt. 3. §. *Quantùm ad tertium articulum*. Probatur autem conſequentia. Quia ſicut gratia ſanctificans eſt in eſſentia in ratione ſanctificantis, ſeu gratificantis, ſic lumen gloriæ eſt in intellectu in ratione illuminantis.

45 Probatur tertiò. Lumen gloriæ illuminat intellectum illi inhærendo, & non tantùm extrinſecè aſſiſtendo. Ergo illuminat, & corroborat formaliter, & intrinſecè præbendo ei vires. Antecedens patet, ſed probatur. Quia lumen gloriæ non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte potentiç. Ergo illuminat intellectum illi inhærendo, & non tantùm extrinſecè aſſiſtendo. Probatur iſta conſequentia. Primò. Quia lumen naturale illuminat intellectum, intrinſecè per identitatem, ſuſtinendo eſſe ab intellectu realiter indiſtinctum, vel per informationem ſi eſt ab illo diuerſum. Ergo lumen gloriæ cum ſit realiter ab intellectu diſtinctum, illuminat per informationem entitatiuam.

Confirmatur. Quia hæc propoſitio. Intellectus eſt illuminatus lumine naturali, eſt denominatio intrinſeca. Ergo etiam iſta. Intellectus creatus eſt illuminatus lumine gloriæ. Ergo lumen gloriæ illuminat formaliter, & non tantùm coeffectiuè.

46 Probatur ſecundò ſupradicta conſequentia. Quia ſi lumen gloriæ eſſet connaturale alicui intellectui creabili, illuminaret eum formaliter connaturaliter. Ergo de facto illuminat formaliter intellectum creatum Beati, ſed ſupernaturaliter. Probatur conſequentia. Quia lumen gloriæ totum illud intellectui Beati præſtat, quod intellectui ſupernaturali ſibi connaturali præberet; mutato dumtaxat titulo connaturalitatis, in titulum ſupernaturalitatis.

Tertiò. Lumen gloriæ illuminat vt virtus intellectus ſupernaturaliter illi aduenicns. Ergo formaliter, & intrinſecè. Patet antecedens. Quia ponitur ob intrinſecæ virtutis naturalis defectum. Conſequentia autem eſt euidens. Quia virtus intellectus eſt illi intrinſeca.

47 Probatur quartò. Quia lumen gloriæ ponitur vt intellectus per ipſum fiat potens producere viſionem, quam prius ob intrinſecam virtutis deficientiam efficere non valebat. Ergo ſine lumine gloriæ implicat quòd intellectus ſit formaliter, & intrinſecè potens producere viſionem. Ergo lumen gloriæ illuminat intellectum intrinſecè, & formaliter. Probatur hæc vltima conſequentia. Quia hoc eſt formaliter illuminare intellectum, illum intrinſecè, ac formaliter fortificare. Prima autem conſequentia ex ſuo antecedenti probatur. Quia intellectus ob intrinſecam ſuæ virtutis deficientiam ſine lumine, viſionem efficere non valet. Hanc rationem amplius roborabimus, ac declarabimus dicto ſequenti.

CAPVT QVINTVM.

Probatur implicare contradictionem, quòd intellectus creatus poſſit videre Deum abſq; omni lumine gloriæ.

48 Dico igitur quintò. Intellectus creatus neque etiam per potentiam Dei abſolutam poteſt videre Deum abſquè omni lumine gloriæ.

Suppono prius per omnem potentiam implicare, quòd intellectus merè paſſiuè ad viſionem ſe habeat, ſed quòd neceſſariò actiuè vt potentia vitalis concurrat.

Sic

Sic argumentor communi argumento Thomiſtarum. Implicat vt intellectus ſit potens producere viſionem ſine virtute producendi: ſed lumen gloriæ eſt virtus producendi viſionem. Ergo.

49 Reſpondent communiter aduerſarij, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed lumen gloriæ eſt virtus partialis producendi viſionem, conceditur minor. Sed lumen gloriæ eſt virtus totalis, negatur minor. Ergo, &c. negatur conſequentia.

50 Dicunt enim, quòd intellectus, & lumen gloriæ ſe habent vt duæ cauſæ partiales; ſed quidam dicunt, quòd intellectus quatenus eſt potentia naturalis, ex parte ſua actiuitatem præbet, Ita Scotus Vaſquez Becanus, & alij. Alij autem dicunt, quòd intellectus non quatenus potentia naturalis, ſed quatenus eſt potentia obedientialis actiua, & hæc eſt ipſa virtus actiua. Ita Suarez 3. p. tom. 1. diſp. 31. ſect. 5. §. *Dicendum ergo*, circa finem, vbi poſtquàm ſuam ſtatuit opinionem de potentia obedientiali actiua, ſic ait. *Similiter iuxta hunc modum intelligitur, quomodo non ſit actio ſine virtute agendi. Nam virtus agendi eſt hæc potentia obedientialis applicata ad agendum, cum proportionato concurſu.*

Scotus. Vaſquez. Becan. Suarez.

51 Itaquè concedentes quòd lumen gloriæ ponitur in intellectu, & quòd intellectus de ſe eſt intrinſecè impotens ad efficiendam viſionem; & quòd adueniente lumine ſit potens; negant tamen quòd per lumen fiat intrinſecè potens. Eo quia lumen & intellectus ſe habent vt duæ cauſæ partiales. Cauſæ enim partiales v. g. duo trahentes nauim, ſic ſe habent, quòd ſi vnus ſit intrinſecè impotens ad mouendam nauim per ſolam ſuam intrinſecam virtutem, adueniente autem altero ſit potens, vt ſimul cum illo nauim trahat, abſquè eo quòd virtutes quas habet roboretur interius. Ita ſimiliter intellectus per ſuam partialem naturalem, vel obedientialem virtutem, eſt intrinſecè impotens ad viſionem, adueniente lumine ſit potens, abſquè eo quòd intellectus intrinſecè roboretur.

52 Contra hanc doctrinam militant quæ diximus capite ſecundo, & tertio; Eo quia virtus naturalis intellectui intrinſeca, nullo modo poteſt ad effectum ſupernaturalem, partialiter concurrere. Nam quod correſpondet cauſæ naturali, qua naturalis eſt, debet eſſe naturale.

53 Et inſuper; Quia ideo in intellectu lumen gloriæ ponitur; vt viſio quæ ſupernaturalis eſt, ab intellectu tanquàm à principio proportionato proportione ex parte potentiæ ſe tenente procedat. Ergo ſi intellectus abſquè lumine eſt intrinſecè impotens, adueniente lumine non fit extrinſecè, ſed intrinſecè potens. Ergo nulla reſponſio. Antecedens patet ex Concilio Viennenſi, & ratione probatur. Quia non ponitur propter imperfectionem obiecti, non valentis abſquè eo ſuum præbere concurſum. Ergo. Prima conſequentia eſt euidens. Quia ſi adueniente lumine fieret extrinſecè potens, lumen in intellectu poneretur, vt ab ipſo pro ſua rata procederet viſio, & non vt viſio ab intellectu, vt à principio proportionato proportione ex parte potentiæ ſe tenente procedat. Vltima conſequentia, ſequitur ex prima.

54 Confirmatur hoc, & explicatur, retorquendo in aduerſarios quæ ipſi pro ſe ipſis adducunt exempla. Quia duo trahentes nauim, ita ſe habent, vt ambo nauim trahant; ſi autem ita ſe haberent, ſeu ita ſe adiuuarent, vt vnus trahat, & alterius motiua virtus, intra virtutem motiuam prioris ingrediatur, inhæreat, & ſubiectetur, & inhærendo illius virtutem adiuuet ad mouendam nauim, non coefficiendo, ſed formaliter roborando, adiuuaret, & ſic adiuuando coefficeret. Similiter Quia *virtus motiua vt duo, quæ non poterat ex ſe mouere pondus reſiſtens vt quinquè, ſi coniungatur cum alia virtute extrinſeca, motiua vt tria, tam inuariata in ſe poterit, quod antea non poterat.* Quod eſt exemplum Faſoli in fine num. 49. in hoc exemplo virtus motiua, vt duo, & virtus motiua vt tria, ita ſe habent, vt vtraquè pondus vt quinquè moueat, ſed magis principaliter virtus motiua vt tria, quàm virtus motiua vt duo; Si autem ita ſe haberent, vt virtus motiua vt tria, eſſet propter habilitandam virtutem motiuam vt duo, taliter quòd, virtus motiua vt tria, recipiatur inhæſiuè in virtute motiua vt duo, ad mouendum pondus vt quinquè, inintelligibile erit, quomodo virtus motiua vt tria, virtuti vt duo inhærens, tantummodo coeffectiuè, & non formaliter adiuuet, fortificet, & virtutem augeat præcedentem: Et conſequenter impoſſibile eſt, vt intellectus ſit potens, vel potentior intelligere abſquè creato lumine ſuperaddito.

Faſolus.

55 Confirmatur ſecundò. Non intelligitur quomodo Deus poſſit facere, vt Noctua valeat videre Solem, niſi recipiat altiorem virtutem quàm modo habet. Eò quia virtus eius naturalis ſupponitur inſufficiens. Ergo multò minus intelligi poteſt, quomodo poſſit Deus facere, quòd intellectus creatus ſine lumine gloriæ videat Deum.

56 Confirmatur tandem. Deus non poteſt ſe ſolo facere, vt lapis videat, nequè, vt aqua abſquè calore, aut alia ſimili virtute ſit potens calefacere. Eò quia tota ratio calefaciendi, ſeu potentis calefacere eſt à calore.

Digitized by Google

calore. Ergo neque etiam, ſe ſolo poteſt facere, vt intellectus creatus ſine lumine gloriæ videat Deum.

57 Aduerſarijs hoc argumentum valde diſplicet, quia coguntur diuerſimodè opinari, vnde quidam id ſpernunt, & præſertim Faſolus hic dub. 12. num. 49. audiens hoc Thomiſtarum argumentum, in hæc verba prorupit. *Miror Thomiſtas vti hoc argumento, quia ſi vim habet, ſupponit totam virtutem qua intellectus videt Deum, eſſe lumen gloriæ, & actum vitalem viſionis Dei, non procedere immediatè à potentia vitali viſiua, ſed ſolùm à virtute habituali non formaliter viſiua. Lumen enim non eſt tota potentia videndi, ſed perfectio actiua ſuperaddita, ſupponens totam potentiam, & virtutem formaliter viſiuam, tamen imperfectam, atquè ſimpliciter incompletam.* Faſolus.

58 Et paucis interiectis, *Viſio*, inquit, *procedens à lumine, non importat eſſentialiter aliquam imperfectionem in cauſa à qua effectiuè procedere debet. Et in intellectu creato eſt ſimpliciter virtus formaliter viſiua Dei, quæ non eſt omnino obedientialis, ſicut eſt in aqua virtus calefaciendi, ſed aliqua ratione naturalis.*

59 Et paulo poſt ſic ait. *Demum quod de Noctua dicit Sotus eſſe in intelligibile intelligi facilè poteſt. Quia cum oculo Noctuæ non deſit virtus, & potentia vitalis intrinſeca, ſimpliciter viſiua Solis, quem reſpicit vt comprehenſum intra latitudinem ſui obiecti eſſentialis; ſed deſit tantùm vis, ſeu vigor ſufficiens ad videndum ex ſe Solem abſquè alio adiumento.* Sotus.

60 Et tandem concludit ſic. *Et quidem illud potius videtur inintelligibile, quod virtus viſiua Noctuæ poſſit immediatè ex ſe fundare actionem videndi Solem, ſi cum illa coagat etiam virtus aliqua creata, finita; & idem non poſſit, ſi cum illa coagat Deus per infinitam ſuam omnipotentiam.*

61 Et in num. 48. præcedenti propè finem ſic ait. *Intellectus igitur virtus, in ratione virtutis formaliter viſiuæ, eſt integra, quamuis ob ſui imperfectionem, ac debilitatem reſpectu viſionis altiſſimi obiecti, indigeat alia extrinſeca virtute eleuante.*

62 Qua doctrina poſita, non benè ſibi cohæret. Si enim virtus intellectus in ratione virtutis formaliter viſiuæ, eſt integra. vt ait num 48. & inſuper ſi Deus clarè viſus continetur intra latitudinem proprij obiecti intellectus creati, vt fatetur num. 27. Ergo intellectus ratione ſuæ virtutis innatæ non eſt cauſa inſtrumentalis viſionis. Quod eſt contra Faſolum num. 27. Probatur conſequentia. Quia quod ſua virtute concurrit ad operationem in ordine ad ſuum obiectum proprium, non concurrit vt cauſa inſtrumentalis, ſed principalis: Sic ſe habet intellectus creatus reſpectu viſionis per Faſolum. Ergo.

63 Inſuper ſecundò. Virtus intellectus in ratione virtutis formaliter viſiuæ eſt integra. Ergo etiam reſpectu viſionis altiſſimi obiecti, ſed intra proprij rationem contenti, non eſt debilis, & imperfecta, ita vt indigeat alia extrinſeca virtute eleuãte. quod eſt contra Faſolum eodem num. 27. Faſolus. Probatur conſequentia. Quia virtus integra reſpectu alicuius actionis, non eſt debilis, & imperfecta niſi reſpectu eius cuius non eſt integra v. g. virtus motiua vt duo, reſpectu ponderis reſiſtentis vt quinquè, in ratione virtutis motiuis talis mobilis non eſt integra, ſed neceſſariò debet concurrere alia virtus motiua vt tria: Si autem in ratione virtutis motiuæ eſſet integra, non eſſet debilis, nec alia virtute motrice indigeret. Ergo ſi virtus intellectus in ratione virtutis formaliter viſiuæ eſt integra, non eſt debilis nec indiget alia virtute extrinſeca ad videndum Deum.

64 Confirmatur hoc, Quia Faſolus per virtutem integram in ratione virtutis formaliter viſiuæ intellectus creati, vel intelligit virtutem intellectus in ratione producentis viſionem; Vel in ratione recipientis tantùm; Vel vtroquè modo. Si primum. In primis eſt contra eumdem, qui num. 52. reſpondere volens ad argumentum Bañes ait; quòd *videns eſt denominatio, uel ſola, vel principalis, ab influxu receptiuo uiſionis, ut formæ informantis*. Ergo contra ipſum eſt aſſerere, quòd virtus intellectus ſit productiua viſionis in ratione virtutis formaliter viſiuæ. Quoniam per eumdem, virtus intellectus in ratione virtutis formaliter viſiuæ conſiſtit *in influxu receptiuo viſionis*. Secundò. Quia falſum eſt apud eumdem, quòd intellectus in ratione producentis ſit integra virtus. Cum alia virtus concurrere debeat. Bañes Faſolus.

65 Si dicat, quod virtus intellectus eſt integra prout virtus intellectus eſt, eò quia quatenus virtus intellectus eſt, ſola concurrit: lumen enim non concurrit vt virtus intellectus. Ita videtur dicere num. 48. propè finem.

66 Contra. Ergo ſaluare non poteſt quòd intellectus ſit viſionis cauſa principalis. Probo conſequentiam. Quia ideo per Faſolum intellectus eſt viſionis cauſa principalis ſubiectiua, quia, ſolus intellectus ſic ad viſionem ſui obiecti concurrit: Sed ſola virtus innata intellectus in ratione virtutis, ad eamdem concurrit actiuè. Ergo.

67 Si ſecundum. Ergo virtus intellectus non indiget alia virtute extrinſeca eleuante, neque eius viſiua virtus eſt debilis, & imperfecta. quod eſt contra eumdem. Probo conſequentiam. Quia intellectus dicitur formaliter videns, per influxum receptiuum per Faſolum, & per eumdem num. 16.

num. 16. *Lumen gloriæ non eſt neceſſarium in genere cauſæ materialis, ad hoc, ut intellectus recipere poſſit uiſionem*. Ergo. Si tertium. Ex vtriuſquè impugnatione refellitur.

68 Inſuper tertiò. Quia quando dicitur, quod intellectus creati virtus eſt integra in ratione virtutis viſiuæ formaliter. Vel eſt ſermo de integritate entitatiua; Vel de integritate quo ad efficaciam producendi, vel recipiendi viſionem. Si primum. Quis dubitat? & quid ad rem? Si ſecundum. Ergo fruſtra ponitur lumen gloriæ. Probo conſequentiam. Quia lumen gloriæ ponitur ob impotentiam intellectus; non enim ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte potentiæ, Quia ſcilicet, quod intellectus per ſuam virtutem, debet efficere, ſi per innatam non poteſt, per ſuperadditam valeat. Ergo ſi virtus intellectus quo ad efficaciam producendi viſionem, in ratione virtutis formaliter viſiuæ eſt integra, fruſtra ponitur lumen.

69 Inſuper quartò. Oculo Noctuæ deeſt vis, ſeù vigor ſufficiens ad videndum ex ſe Solem. Ita ait num. 49. Tunc ſic. Oculus Aquilæ habet maiorem vim, ſeu vigorem ad videndum Solē, quàm oculus Noctuæ: ſed ille vigor nō eſt extrinſecus oculo Aquilæ, ſed intrinſecus, & omnino illi neceſſarius ad videndum Solem. Ergo non ſufficit coefficientia alicuius extrinſeci, vt oculus Noctuæ videat Solem, ſed requiritur intrinſeca vigoratio.

70 Confirmatur hoc. Ad hoc vt potentia viſiua videat aliquod obiectum viſibile, neceſſe eſt, quòd in ſe habeat intrinſecum vigorem proportionatum illi. Ergo ad videndum obiectum excedens vim, ſeu vigorem cōnaturalem, opus eſt, vt ſuperaddatur ei ſibi aliquid intrinſecum.

71 Ex quo euidenter ſequitur ineptam eſſe comparationem à Faſolo pro ſua ſententia allatam. Sic enim ait. *Quòd autem hoc eleuans ſit lumen, vel aliquid aliud, quod præſtare poſſit illud adiumentum, quod præſtat lumen, non refert ad uirtutem intellectus, quatenus intellectus; ſicut idem intellectus non poteſt integrè, & ſimpliciter uidere ſine concurſu obiectiuo; an autem hic concurſus ſit ab ipſo obiecto immediatè, uel à ſpecie, uel à Deo ſupplente efficaciam & ſpeciei & obiecti, à ſe diſtincti, nihil prorſus ſe ferre uidetur ad rationem uirtutis intellectiuæ, quatenus formaliter intellectiua*. **Faſolus.** Ineptam eſſe dictam comparationem ſequitur. Eo quia vt Faſolus ipſe fatetur, ſpeciès, ſeu obiecti ad cognitionem producendam coefficientia, ſupponit potentiæ vigorem, & omnino ex parte obiecti ſe tenet; At luminis gloriæ coefficientia ſe tenet ex parte potentiæ, quia ſcilicet, deeſt potentiæ naturalis, ſeu cōnaturalis vigor, ideo à Deo nouiter, ac ſupernaturaliter ſuperadditur, quare non eſt ad propoſitum, ſed potius ad oppoſitum, exemplum de coefficientia obiecti, cum intellectu.

72 Inſuper quintò; ait, Argumentum Thomiſtarum vt vim habeat, ſupponere totam virtutem qua intellectus videt Deum eſſe lumen gloriæ, & actum vitalem viſionis Dei, nō procedere immediatè à potētia vitale viſiua. A ſemetipſo hoc fingit. Etenim ſtante quòd tota virtus proxima qua intellectus creatus Deum videt, ſit lumen, non oportet ſupponere, quòd actus viſionis Dei non ſit immediatè à potentia vitali viſiua procedens; quoniam ſtante quòd lumen gloriæ eſt tota proxima virtus qua intellectus Deum videt; euidenter ſequitur, quòd intellectus per lumen illuſtratus, ac roboratus, cum habeat potentiam obediētialem ad illud recipiendum, ad hoc vt poſſit ſuam perfectiſſimam, ſed ſupernaturalis ordinis operationem elicere, immediatè concurrit ad illam; Nam in probabiliſſima ſententia, Forma eſt tota ratio exiſtendi, & tamen non eſt totum exiſtens. Similiter, Forma eſt tota ratio agendi, non autem eſt totum operans. Materia eſt tota ratio materialia accidentia recipiendi, & tamen non eſt totum recipiens. Anima eſt tota ratio viuendi, non autem eſt totum viuens, & idem patet in ſexcentis caſibus. Ergo non benè ſequitur. Si lumen gloriæ eſt tota virtus, ſeu vis videndi, eſt totum videns, & ſolum producens. **Faſolus.**

73 Sapientiſſimus Magiſter Sotus, acuto ingenio præditus, quondàm ſuſtinuerat diuinitus fieri poſſe, quòd intellectus creatus abſquè lumine gloriæ inſpiciat intuitiuè Deum, & poſt multùm temporis mutauit ſententiam, his verbis. *Quamuis eorum olim opinionem nimis rigidam cenſuerim, iam uerò modò, melior mihi cenſetur*. Et quidem prudenter, quia melius eſt ratione conuictus, mutare ſententiam, quam garrulus cornicari; Faſolus autem contra Thomiſtas firma non valens argumenta dirigere; nec eorum fundamenta ad minus apparenti doctrina diſſoluere; Verboſitate compenſat. **Sotus.** **Faſolus.**

74 Dico ſextò. Intellectus creatus non poteſt videre Deum per eſſentiam, per aliquod auxilium ſupernaturale præuium, quod nullo modo ſit lumen gloriæ.

Probatur breuiter. Quia auxilium ſupernaturale præuium, qualecumquè ſit, aut de ſe eſt ſufficiens illuſtrare intellectum, illumquè principium proportionatum reddens ad videndum Deum; aut non. Si primum. Ergo eſt lumen gloriæ, & non eſſemus in caſu. Si ſecundum. Ergo intellectus creatus adhuc impotens, atquè improportionatus manet, ſicut antea. Ergo.

75 Confirmatur. Quia auxilium præuium quod in ſola efficaci applicatione conſiſtit,

Digitized by Google

ſtit, ſupponit, & non facit potenti am potentem. Ergo ſi intellectus ſine præuio auxilio ſupradicto, eſt de ſe impotens, ita vt neque etiam per Dei potentiam abſolutam poſſit producere viſionem, cum eadem impotentia, accedente auxilio perſeuerat. Vel dicendum, quòd ſtante auxilio præuio efficaci, ſequerentur duo contradictoria ſimul vera. Sequeretur enim quòd efficeret, quia auxilium præuium præſupponitur efficax. Non ſequeretur, quia intellectus non producit viſionem, niſi ſit potens: ſed eſſet omnino impotens. Ergo.

76 Dico tandem. Intellectus creatus cum ſolo auxilio præuio actuali, poteſt videre Deum abſquè habituali lumine gloriæ.

Probatur breuiter. Quia tale auxiliũ ſi daretur eſſet verè lumẽ gloriæ, licet actuale. Ergo.

CAPVT SEXTVM.

Argumentorum euerſio.

77 Reſpondetur primò, omiſſis aliorum Theologorum ſolutionibus, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Lumen gloriæ ad viſionem actiuè, ad intellectum verò formaliter ſe habet, concedo antecedens. Ad viſionem actiuè, & ad intellectum, non vt virtus formaliter eleuans, ſe habet, nego antecedens.

78 Doctrina eſt Diui Thomæ infra, quæſt. 105. art. 3. in corpore circa finem, & ad 1. & 2. in illo enim articulo quærit *Vtrum Deus moueat immediatè intellectum creatum*, & reſpondet, quòd Deus mouet intellectum creatum præbendo ei virtutem ad intelligendum, & imprimendo obiectorum ſpecies, his verbis. *Sic igitur Deus mouet intellectum, in quantùm dat ei uirtutem ad intelligendum, uel naturalem, uel ſuperadditam, & in quantùm imprimit ei ſpecies intelligibiles, & utrumquè tenet, & conſeruat in eſſe*. Hæc ille. D.Thom.

79 Et in reſponſione ad 1. hæc habet verba. *Operatio intellectualis eſt quidem ab intellectu in quo eſt, ſicut à cauſa ſecunda, ſed à Deo ſicut à cauſa prima. Ab ipſo enim datur intelligenti, quòd intelligere poſſit.*

80 Et in reſponſione ad 2. hæc verba profert. *Lumen intellectuale, ſimul cum ſimilitudine rei intellectæ eſt ſufficiens principium intelligendi, ſecundarium tamen, & ab ipſo primo principio dependens*. Hæc ille.

D.Thom. 81 In quibus verbis nota, quòd D. Thomas ait, Deum mouere intellectum ad intelligendum per hoc, quòd dat ei virtutem ad intelligendum. Ergo lumen gloriæ non concurrit tantùm coefficiendo cum intellectu viſionem, ſed tanquam virtus formaliter informans intellectum; & ne quis poſſit oppoſitum in via Diui Thomæ ſentire; Nota, quòd Diuus Thomas dixit *Deum mouere intellectum dando ei uirtutem naturalem, uel ſuperadditam ad intelligendum*, quaſi diceret, non ſolùm lumen naturale intellectus ſe habet vt forma, & virtus illius, ſed etiam lumen ſupernaturale, quod ſub nomine luminis ſuperadditi eſt intelligendum; idquè iterum in reſponſione ad 1. clarius confirmat per illa verba, nempe, *ab ipſo enim datur intelligenti, quòd poſſit intelligere*. Quaſi diceret, quòd idem ſonat lumen naturale, vel ſupernaturale intellectus, ac id per quod intellectus, dicitur intrinſecè potens; & in reſponſione ad 2. hoc idem amplius extendit, per illa verba, nempè, *lumen intellectuale ſimul cum ſimilitudine rei intellectæ eſt ſufficiens principium intelligendi*, ad denotandum quòd lumen intellectuale ſe tenet ex parte potentiæ, vt intrinſecè illam eleuans, & adiuuans ad intelligendum; ſimilitudo verò rei intellectæ vt principium (quamuis informans intellectum propter intimam obiecti cum intellectu vnionem præſtandam) effectiuè, & extrinſecè concurrendo, non potentiam eleuando. Cum igitur Diuus Thomas tam clarè pro noſtra, imò pro ſua ſententia loquatur, quarè aduerſarij in maioris probationem, ſeù confirmationem, verba Doctoris Angelici in eadem quæſt. 105. artic. 2. verba prompſerunt, & veluti veritatis ſectatores, non fuerunt ſolliciti, articuli immediatè ſequentis, reſpiciendi doctrinam? Nam quemadmodum in art. 2. quærens *Vtrum Deus poſſit immediatè mouere aliquod corpus*, affirmatiuè reſpondet dicens, quòd *erroneum eſt dicere, Deum non poſſe facere per ſeipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumquè cauſam creatam*, ita in articulo immediatè ſequenti docet, Deum mouere intellectum ad intelligendum, non quidem immediatè per ſeipſum, ſed mediante virtute intellectuali, quæ eſt immediatè ab ipſo Deo; implicat autem Deum eſſe formaliter intellectus creati virtutem. Oportet igitur ſine omni deceptionis vmbra, nè nouitij decipiantur, Diui Thomæ, omniumquè Doctorum doctrinam, veraciter, fideliterquè referre. Debilitatem, ac nullitatem argumenti optimè nouit Recupitus, qui quamuis contrarius noſtræ ſententiæ exiſtat, dicit tamen quòd hæc probatio non eſt efficax; ita quæſt. 18. num. 3. Recup.

82 Obijcies ſecundò. Fieri poteſt, vt aliqua cauſa producat effectum, quem prius producere non valebat, ex ſola ſubordinatione ad

Digitized by Google

ne ad cauſam ſuperiorem abſquè eo, quòd aliquid illi inhæreat de nouo. Ergo neri poteſt, vt intellectus creatus Deum videat ex ſola ſubordinatione ad voluntatem Dei. Probo antecedens primò. Quia phantaſma non poteſt producere ſpeciem intelligibilem ex ſe, poteſt verò pro vt coniungitur, & ſubordinatur intellectui agenti. Ergo ex ſola ſubordinatione, aliqua cauſa poteſt aliquem effectum producere, quem prius producere non valebat. Secundò. ſunt quædam inſtrumenta quæ producunt effectum principalis agentis, in virtute ſcilicet, agentis principalis, quæ tamen illam virtutem in ſe ſubiectiuè non habent, ſed ex ſola ſubordinatione ad cauſam principalem. Ergo non eſt neceſſe, vt cauſa producens effectum, habeat in ſe ſubiectiuè virtutem productiuam. Probo antecedens. Nam penicillus v. g. picturam producit veluti artis pictiuæ inſtrumentum, & tamen in ſe, non recipit pingendi virtutem, & ſerra cauſat ſcamnum, tanquàm

83 verum fabri, & artis lignareæ inſtrumentum, & tamen non habet in ſe dictam virtutem. Ergo cauſa inſtrumentalis, non habet in ſe virtutem effectus productiuam.

84 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem, nego anteced. Quamuis enim phantaſma nihil de nouo recipiat, habet tamen hoc, quòd ſit phantaſma, intra potentiam phantaſiæ ſecundùm eſſe intentionale exiſtens, & hoc ſufficit ad rationem inſtrumenti naturalis.

85 Contra. Inſtrumentum naturale, ita ſe habet, vt etiam ſi ſit à cauſa principali ſeparatum, adhuc cauſæ principalis producat effectum, vt de calore patet. Ergo ſi phantaſma eſſet intellectus agentis inſtrumentum naturale, ex hoc, quòd phantaſma eſt, intra phantaſiam ſecundùm eſſe intentionale exiſtens, etiam ſi eſſet ab intellectu agente ſeparatum, poterit ſpeciem intelligibilem producere.

86 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Inſtrumentum naturale quòd ita eſt inſtrumentum cauſæ principalis, & effectus producti, vt ſimul ſit potentia eiuſdem agentis, concedo antecedens. Si verò ita ſit inſtrumentum, vt non ſit eiuſdem agentis operatiua potentia, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

87 Explicatur iſta reſponſio. Tota vis huius argumenti ſuper exemplum de calore fundatur. Calor enim eſt inſtrumentum quo ignis ignem producit, & eſt talis, vt etiam ſi idem calor ſepararetur ab igne, adhuc per ipſum produceretur ignis; hoc autem contingit, non quia calor ſit purum inſtrumentum ignis, ſed ex eò, quia calor eſt ſimul potentia ignis, ideſt, eſt proximum principium, quo ignis operatur: At verò phantaſma eſt ita intellectus agentis inſtrumentum, vt non ſit illius potentia operatiua.

88 Ad ſecundam probationem reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Sunt multa inſtrumenta, quæ producunt effectum, &c. & non habent in ſe inhæſiuè, immediatè, virtutem principalis agentis, concedo antecedens, Non habent in ſe mediatè, virtutem principalis agentis, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Sufficit enim vt cauſa inſtrumentalis artificialis, habeat in ſe mediatè, virtutem agentis principalis.

89 Dices quid ergo immediatè recipit, per quod in ſe virtutem agentis principalis mediatè habere dicatur?

Reſpondetur, quòd recipit motionem agentis principalis, per quam agens principale, ſua propria virtute tanquàm per miniſterium producit effectum.

90 Pro horum quæ diximus intelligentia completa, eſt obſeruandum, quòd duplex eſt inſtrumentum. Naturale, & Artificiale. Inſtrumentum naturale eſt inditum à natura. Inſtrumentum verò artificiale eſt per artem formatum, vt ſerra, penicillus, &c. (non loquor in præſenti de inſtrumento ſupernaturali de quo alibi) Inſtrumentum naturale eſt etiam duplex, inſtrumentum quod eſt etiam potentia agentis principalis, ſicuti calor eſt inſtrumentum ignis: Et inſtrumentum naturale, quòd tamen non eſt ſimul potentia, ſicut phantaſma exiſtens intra phantaſiam hominis, eſt inſtrumentum, & non potentia operatiua reſpectu productionis ſpeciei intelligibilis; nam propriè productiuum ſpeciei intelligibilis eſt homo mediante intellectu agente, tanquàm per potentiam operatiuam, & phantaſmate tanquàm inſtrumento. Inter vtriuſquè inſtrumenti rationem, hoc intereſt. Quia agens per inſtrumentum quod eſt purum inſtrumentum, vltra inſtrumenti actionem, per aliam operationem concurrit ad effectum, Inſtrumentum verò quod eſt ſimul potentia, ita ſe habet, vt per ſuam actionem effectum producat, & agẽs principale nulla alia media actione cauſet effectum, vt patet de calore; ignis enim producens ignem, non niſi per calefactionem, quæ eſt caloris proxima actio producit. Diſcrimen etiam eſt inter inſtrumentum naturale, & artificiale. Quia inſtrumentum artificiale non habet in ſe virtutem artis, niſi quando ab artifice de facto monetur. Inſtrumentum autem naturale ſemper in ſe virtutem habet inſtrumentalem, quæ non eſt aliquid ab eius entitate, vel natura diſtinctum, ſed eſt ipſamet eius entitas, vt de phantaſmate diximus.

91 Ex quo etiam diſſoluitur quod aduerſarij obijciunt, de cogitatiua in homine, quæ ex ſola coniunctione, quam habet parti-

ſtit, ſupponit, & non facit potenti am potentem. Ergo ſi intellectus ſine præuio auxilio ſupradicto, eſt de ſe impotens, ita vt neque etiam per Dei potentiam abſolutam poſſit producere viſionem, cum eadem impotentia, accedente auxilio perſeuerat. Vel dicendum, quod ſtante auxilio præuio efficaci, ſequerentur duo contradictoria ſimul vera. Sequeretur enim quod efficeret, quia auxilium præuium præſupponitur efficax. Non ſequeretur, quia intellectus non producit viſionem, niſi ſit potens: ſed eſſet omnino impotens. Ergo.

76 Dico tandem. Intellectus creatus cum ſolo auxilio præuio actuali, poteſt videre Deum abſque habituali lumine gloriæ.

Probatur breuiter. Quia tale auxiliū ſi daretur eſſet verè lumē gloriæ, licet actuale. Ergo.

CAPVT SEXTVM.

Argumentorum euerſio.

77 Reſpondetur primò, omiſſis aliorum Theologorum ſolutionibus, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Lumen gloriæ ad viſionem actiuè, ad intellectum verò formaliter ſe habet, concedo antecedens. Ad viſionem actiuè, & ad intellectum, non vt virtus formaliter eleuans, ſe habet, nego antecedens.

78 Doctrina eſt Diui Thomæ infra, quæſt. 105. art. 3. in corpore circa finem, & ad 1. & 2. in illo enim articulo quærit *Vtrum Deus moueat immediatè intellectum creatum*, & reſpondet, quod Deus mouet intellectum creatum præbendo ei virtutem ad intelligendum, & imprimendo obiectorum ſpecies, his verbis. *Sic igitur Deus mouet intellectum, in quantum dat ei uirtutem ad intelligendum, uel naturalem, uel ſuperadditam, & in quantùm imprimit ei ſpecies intelligibiles, & vtrumque tenet, & conſeruat in eſſe.* Hæc ille. D.Thom.

79 Et in reſponſione ad 1. hæc habet verba. *Operatio intellectualis eſt quidem ab intellectu in quo eſt, ſicut à cauſa ſecunda, ſed à Deo ſicut à cauſa prima. Ab ipſo enim datur intelligenti, quòd intelligere poſſit.*

80 Et in reſponſione ad 2. hæc verba profert. *Lumen intellectuale, ſimul cum ſimilitudine rei intellectæ eſt ſufficiens principium intelligendi, ſecundarium tamen, & ab ipſo primo principio dependens.* Hæc ille.

D.Thom. 81 In quibus verbis nota, quod D.Thomas ait, Deum mouere intellectum ad intelligendum per hoc, quòd dat ei virtutem ad intelligendum. Ergo lumen gloriæ non concurrit tantùm coefficiendo cum intellectu viſionem, ſed tanquam virtus formaliter informans intellectum; & ne quis poſſit oppoſitum in via Diui Thomæ ſentire; Nota, quod Diuus Thomas dixit *Deum mouere intellectum dando ei uirtutem naturalem, uel ſuperadditam ad intelligendum,* quaſi diceret, non ſolum lumen naturale intellectus ſe habet vt forma, & virtus illius, ſed etiam lumen ſupernaturale, quod ſub nomine luminis ſuperadditi eſt intelligendum; idque iterum in reſponſione ad 1. clarius confirmat per illa verba, nempe, *ab ipſo enim datur intelligenti, quòd poſſit intelligere.* Quaſi diceret, quòd idem ſonat lumen naturale, vel ſupernaturale intellectus, ac id per quod intellectus, dicitur intrinſecè potens; & in reſponſione ad 2. hoc idem amplius extendit, per illa verba, nempè, *lumen intellectuale ſimul cum ſimilitudine rei intellectæ eſt ſufficiens principium intelligendi,* ad denotandum quòd lumen intellectuale ſe tenet ex parte potentiæ, vt intrinſecè illam eleuans, & adiuuans ad intelligendum; ſimilitudo verò rei intellectæ vt principium (quamuis informans intellectum propter intimam obiecti cum intellectu vnionem præſtandam) effectiuè, & extrinſecè concurrendo, non potentiam eleuando. Cum igitur Diuus Thomas tam clarè pro noſtra, imò pro ſua ſententia loquatur, quarè aduerſarij in maioris probationem, ſeù confirmationem, verba Doctoris Angelici in eadem quæſt. 105. artic. 2. verba prompſerunt, & veluti veritatis ſectatores, non fuerunt ſolliciti, articuli immediatè ſequentis, reſpiciendi doctrinam? Nam quemadmodum in art. 2. quærens *Vtrum Deus poſſit immediatè mouere aliquod corpus*, affirmatiuè reſpondet dicens, quòd *erroneum eſt dicere, Deum non poſſe facere per ſeipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumquè cauſam creatam*, ita in articulo immediatè ſequenti docet, Deum mouere intellectum ad intelligendum, non quidem immediatè per ſeipſum, ſed mediante virtute intellectuali, quæ eſt immediatè ab ipſo Deo; implicat autem Deum eſſe formaliter intellectus creati virtutem. Oportet igitur ſine omni deceptionis vmbra, nè nouitij decipiantur, Diui Thomæ, omniumquè Doctorum doctrinam, veraciter, fideliterquè referre. Debilitatem, ac nullitatem argumenti optimè nouit Recupitus, qui quamuis contrarius noſtræ ſententiæ exiſtat, dicit tamen quòd hæc probatio non eſt efficax; ita quæſt. 18. num. 3. Recup.

82 Obijcies ſecundò. Fieri poteſt, vt aliqua cauſa producat effectum, quem prius producere non valebat, ex ſola ſubordinatione ad

ne ad cauſam ſuperiorem abſquè eo, quòd aliquid illi inhæreat de nouo. Ergo neri poteſt, vt intellectus creatus Deum videat ex ſola ſubordinatione ad voluntatem Dei. Probo antecedens primò. Quia phantaſma non poteſt producere ſpeciem intelligibilem ex ſe, poteſt verò pro vt coniungitur, & ſubordinatur intellectui agenti. Ergo ex ſola ſubordinatione, aliqua cauſa poteſt aliquem effectum producere, quem prius producere non valebat. Secundò. ſunt quædam inſtrumenta quæ producunt effectum principalis agentis, in virtute ſcilicet, agentis principalis, quæ tamen illam virtutem in ſe ſubiectiuè non habent, ſed ex ſola ſubordinatione ad cauſam principalem. Ergo non eſt neceſſe, vt cauſa producens effectum, habeat in ſe ſubiectiuè virtutem productiuam. Probo antecedens. Nam penicillus v. g. picturam producit veluti artis pictiuæ inſtrumentum, & tamen in ſe, non recipit pingendi virtutem, & ſerra cauſat ſcamnum, tanquàm

83 verum fabri, & artis lignareæ inſtrumentum, & tamen non habet in ſe dictam virtutem. Ergo cauſa inſtrumentalis, non habet in ſe virtutem effectus productiuam.

84 Reſpondetur negando antecedens. Ad cujus primam probationem, nego anteced. Quamuis enim phantaſma nihil de nouo recipiat, habet tamen hoc, quòd ſit phantaſma, intra potentiam phantaſiæ ſecundùm eſſe intentionale exiſtens, & hoc ſufficit ad rationem inſtrumenti naturalis.

85 Contra. Inſtrumentum naturale, ita ſe habet, vt etiam ſi ſit à cauſa principali ſeparatum, adhuc cauſæ principalis producat effectum, vt de calore patet. Ergo ſi phantaſma eſſet intellectus agentis inſtrumentum naturale, ex hoc, quòd phantaſma eſt, intra phantaſiam ſecundùm eſſe intentionale exiſtens, etiam ſi eſſet ab intellectu agente ſeparatum, poterit ſpeciem intelligibilem producere.

86 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Inſtrumentum naturale quòd ita eſt inſtrumentum cauſæ principalis, & effectus producti, vt ſimul ſit potentia eiuſdem agentis, concedo antecedens. Si verò ita ſit inſtrumentum, vt non ſit eiuſdem agentis operatiua potentia, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

87 Explicatur iſta reſponſio. Tota vis huius argumenti ſuper exemplum de calore fundatur. Calor enim eſt inſtrumentum quo ignis ignem producit, & eſt talis, vt etiam ſi idem calor ſepararetur ab igne, adhuc per ipſum produceretur ignis; hoc autem contingit, non quia calor ſit purum inſtrumentum ignis, ſed ex eò, quia calor eſt ſimul potentia ignis, id eſt, eſt proximum principium, quo ignis operatur: At verò phantaſma eſt ita intellectus agentis inſtrumentum, vt non ſit illius potentia operatiua.

88 Ad ſecundam probationem reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Sunt multa inſtrumenta, quæ producunt effectum, &c. & non habent in ſe inhæſiuè, immediatè, virtutem principalis agentis, concedo antecedens, Non habent in ſe mediatè, virtutem principalis agentis, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Sufficit enim vt cauſa inſtrumentalis artificialis, habeat in ſe mediatè, virtutem agentis principalis.

89 Dices quid ergo immediatè recipit, per quod in ſe virtutem agentis principalis mediatè habere dicatur?

Reſpondetur, quòd recipit motionem agentis principalis, per quam agens principale, ſua propria virtute tanquàm per miniſterium producit effectum.

90 Pro horum quæ diximus intelligentia completa, eſt obſeruandum, quòd duplex eſt inſtrumentum. Naturale, & Artificiale. Inſtrumentum naturale eſt inditum à natura. Inſtrumentum verò artificiale eſt per artem formatum, vt ſerra, penicillus, &c. (non loquor in præſenti de inſtrumento ſupernaturali de quo alibi) Inſtrumentum naturale eſt etiam duplex, inſtrumentum quod eſt etiam potentia agentis principalis, ſicuti calor eſt inſtrumentum ignis: Et inſtrumentum naturale, quòd tamen non eſt ſimul potentia, ſicut phantaſma exiſtens intra phantaſiam hominis, eſt inſtrumentum, & non potentia operatiua reſpectu productionis ſpeciei intelligibilis; nam propriè productiuum ſpeciei intelligibilis eſt homo mediante intellectu agente, tanquàm per potentiam operatiuam, & phantaſmate tanquàm inſtrumento. Inter vtriuſquè inſtrumenti rationem, hoc intereſt. Quia agens per inſtrumentum quod eſt purum inſtrumentum, vltra inſtrumenti actionem, per aliam operationem concurrit ad effectum, Inſtrumentum verò quod eſt ſimul potentia, ita ſe habet, vt per ſuam actionem effectum producat, & agēs principale nulla alia media actione cauſet effectum, vt patet de calore; ignis enim producens ignem, non niſi per calefactionem, quæ eſt caloris proxima actio producit. Diſcrimen etiam eſt inter inſtrumentum naturale, & artificiale. Quia inſtrumentum artificiale non habet in ſe virtutem artis, niſi quando ab artifice de facto monetur. Inſtrumentum autem naturale ſemper in ſe virtutem habet inſtrumentalem, quæ non eſt aliquid ab eius entitate, vel natura diſtinctum, ſed eſt ipſamet eius entitas, vt de phantaſmate diximus.

91 Ex quo etiam diſſoluitur quod aduerſarij obijciunt, de cogitatiua in homine, quæ ex ſola coniunctione, quam habet parti-

in eo dicunt quemdam imperfectum participare diſcurſum, quem in alijs ab homine, non habet; hoc enim non ideò eſt, quia ex ſola extrinſeca ſubordinatione ad intellectum, habeat vt aliqualiter diſcurrere poſſit, ſed quia cogitatiua in ſe, eſt capax talis perfectionis, quam quidem non habet in alijs, ſed in ſolo homine, per hoc, quòd à principio eſt cum tali perfectione cauſata; ex hoc enim quòd eſt cum intellectu coniuncta, neceſſariò debet cum tali perfectione cauſari. Itaquè quando dicunt philoſophi, cogitatiuam in homine participare quemdam diſcurſum ex coniunctione quam habet ad intellectum, non eſt ſola denominatio extrinſeca, ſed denominatio extrinſeca, arguens intrinſecam, eo modo, quo iam explicauimus.

92 Objicies tertiò authoritate D. Thomæ (D.Thom.) in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 7. vbi hæc verba profert. *Poteſt miraculosè fieri, quòd diuina virtute aliquis intellectus creatus, non habens niſi diſpoſitionem viæ, eleuetur ad videndum Deum per eſſentiam.* Hæc ille. Ex quo poteſt ſic argui. Lumen ponitur vt diſpoſitio patriæ, Diuus Thomas autem dicit, quòd talis poteſt communicari intellectui habenti ſolas diſpoſitiones viæ. Ergo ad mentem D. Thomæ, diuinitus fieri poteſt, vt intellectus creatus videat Deum per eſſentiam abſquè lumine gloriæ. Argumentum eſt Durandi (Durand.) in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. num. 24. exiſtimantis, hanc eſſe D. Thomæ mentem. Idemquè argumentum ſunt proſecuti moderni.

93 Idem probatur ex eodem Diuo Thoma (D.Thom.) quæſt. 10. de veritate art. 11. vbi ſic ait. *Sicut Petrum fecit, ſine eo, quòd ei dotem agilitatis tribuerit, ſuper aquas ambulare, ità poteſt mentem, ad hoc perducere, vt diuinæ eſſentiæ vniatur in ſtatu viæ, modo illo, quo ſibi vnitur in patria, ſine hoc, quòd à lumine gloriæ perfundatur.* Hæc ille. Ergo ad mentem D. Thomæ clarè conſtat, intellectum creatum poſſe videre Deum per eſſentiam ſine lumine gloriæ.

94 Reſpondent quidam Thomiſtæ, explicando vtrumquè Sancti Thomæ locum, dicentes, affirmare Diuum Thomam, quòd intellectus creatus, poteſt diuinam eſſentiam videre ſine lumine gloriæ, quod eſt habitus, non verò ſine actuali auxilio præuio præbente intellectui virtutem ad videndum Deum: differre verò ab habitu luminis gloriæ. Quia hoc actuale auxilium eſt de ſe tranſiens, habitus verò luminis gloriæ de ſe permanens eſt, & ſubdunt viſionem factam per auxilium actuale de ſe tranſiens, eſſentialiter differre à viſione facta per habitum luminis gloriæ. Ita Salmanticenſes, tract. 2. de viſione Dei diſput. 5. dub. 5. §. 5. num. 87. explicarique poteſt exemplo actuum fidei, ſpei, & charitatis elicitorum à cathecumenis, ante baptiſmi receptionem, qui ab habitibus non procedunt, & cum ſupernaturales ſint, media virtute ſupernaturali produci debent, quæ virtus eſt aliquod actuale auxilium ex ſua natura tranſiens.

95 Contra hanc reſponſionem arguunt aduerſarij, & præſertim Faſolus (Faſolus.) in hoc artic. dub. 12. num. 46. hoc modo. *Quia quodlibet lumen gloriæ, tum ex natura ſua, tum ex ſubiecto ſpirituali, & incorruptibili, tum quia caret contrario, habet eſſe permanens. Quare ſi cito tranſit, erit ſolum ex ſubtractione diuini concurſus, contra naturalem exigentiam illius qualitatis, ſicut enim ipſa viſio eſt neceſſaria, & indefectibilis ex natura ſua, ita etiam lumen; & ſicut viſio multùm durans non differt ſpecie à viſione parum durante, ita nec lumen.*

96 Si hæc impugnatio ſumatur formaliter, nulla eſt; ſi materialiter bona eſt, & placet; non inquam, valet formaliter. Quia contingere poteſt, vt aliquod lumen non quidem gloriæ, ſed ſupernaturale, ſit ex natura ſua tranſiens, non obſtante ſubiecto ſpirituali, & incorruptibili, & carentia contrarij, vt ſupponimus de auxilio actuali ſupernaturali eleuante intellectum ad credendum; & voluntatem ad ſperandum, & amandum ſuper omnia Deum. Si tamen materialiter loquamur; dico non dari auxilium actuale ſupernaturale intellectum eleuans ad videndum Deum, quod ex ſua natura ſit tranſiens, non obſtante, quòd huiuſmodi auxilium actuale ſupernaturale tranſiens admittamus in alijs actibus ſuper naturalibus à clara Dei viſione diſtinctis, & ratio diſparitatis eſt. Quia viſio clara Dei ex natura ſua eſt permanens, menſuratur enim æternitate participata. Ergo ex natura ſua eſt permanens. Ergo non poteſt dari aliquod principium ex natura ſua tranſiens, quod ſit productiuum viſionis ex natura ſua permanentis, nequè dabilis eſt viſio clara Dei ex natura ſua tranſiens.

97 Nequè verum exiſtimo, viſionem claram Dei Paulo in raptu communicatam, eſſentialiter ab ea, quam Beati habēt, eſſe diuerſam. (D.Thom.) Eſt enim contra Diuum Thomam 3. p. quæſt. 45. art. 2. in corpore. vbi quærit. *Vtrum claritas Chriſti in transfiguratione fuerit claritas glorioſa*; & reſpondet, quòd *claritas illa fuit claritas gloriæ quantùm ad eſſentiam, non tamen quantùm ad modum eſſendi; nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, ſicut qualitas quædam permanens corpus afficiens: ſed in transfiguratione Chriſti deriuata eſt à diuinitate, & anima eius per modum paſſionis tranſeuntis.* & in fine corporis ſit concludit, *Dos, nominat quamdam qualitatem immanentem corpori glorioſo: ſed miraculosè habuit ea, quæ pertinent ad dotes; & eſt ſimile quantùm ad animam de viſione, qua Paulus vidit Deum in raptu, vt in ſecunda*

parte

parte dictum eſt. Hęc ille. In 2.2. verò quæſt. 175. art. 3. ad 2. manifeſtè docet eſſe eamdem viſionem claram Dei in Beatis, & in raptu Pauli eſſentialiter, differentem tamen quoad modum illam habendi.

98 Idem docet de veritate quæſt. 13. art. 2. vbi hæc verba profert. *Paulus in raptu vidit diuinam eſſentiam, nec tamen fuit Beatus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quamuis mens eius illuſtrata fuerit ſupernaturali lumine ad ipſum Deum videndum, quod quidem apparere poteſt exemplo luminis corporalis; Inuenitur enim in quibuſdam lumen à Sole, vt quædam forma manens, quaſi connaturalis effecta, ſicut in ſtellis, & carbunculo, & huiuſmodi. In quibuſdam verò recipitur lumen à Sole, ſicut quædam paſſio tranſiens, ſicut in aere, non enim efficitur lumen forma manens in aere, quaſi connaturalis, ſed tranſit abſente Sole; & ſimiliter lumen gloriæ dupliciter menti infunditur: Vno modo per modum formæ connaturalis factæ, & permanentis; & ſic facit mentem ſimpliciter beatam, & hoc modo infunditur Beatis in patria: Alio modo contingit lumen gloriæ mentem humanam, ſicut quædam paſſio tranſiens, & ſic mens Pauli in raptu fuit lumine gloriæ perfuſa, vel illuſtrata. Ipſum etiam nomen, raptus, & per tranſeundo, oſtendit hoc eſſe factum. Vnde non fuit ſimpliciter glorificatus, nec habuit dotem gloriæ; cum illa claritas non fuerit effecta proprietas eius, & propter hoc non fuit deriuata ab anima ad corpus, nec in hoc ſtatu perpetuo permanſit.* Hæc ille. & de verit. quæſt. 2. art. 2. ſic ait. *Potentia perfectior eſt quando recipit aliquid per modum habitus, quàm ſi recipiat per modum paſſionis ſolùm, & ideò illud quod ſuperadditum eſt animæ Chriſti, oportet ponere per modum habitus. Ex vtraquè autem prædictarum rationum, oportet in anima Chriſti aliquid ſuperadditum ad videndum diuinam eſſentiam ponere, ratione quidem naturæ; quia videre diuinam eſſentiam eſt ſupra conditionem cuiuslibet naturæ creatæ: Vnde nulla creatura poteſt ad hoc pertingere, niſi aliquo lumine eleuetur in illam viſionem, quod quidem lumen in aliquibus recipitur per modum paſſionis, quaſi pertranſeundo, vt in raptis: In Chriſto autem fuit vt habitus ipſam animam beatificans à principio ſuæ creationis.* Hæc ille.

99 Vbi euidenter habes, eſſe vnum idemquè eſſentialiter lumen gloriæ collatum raptis, Beatiſquè perfuſum, ſolùm quoad modum durationis differens; non quidem ex natura ſua, ſed cum lumen ex natura ſua ſit permanens, raptis, à Deo per modum tranſeuntis datur. Idquè ex modo loquendi D. Thomæ ſecundùm regulas ſummuliſticas loquentis, euidenter conſtat; nam Diuus Thomas non dixit, aliud lumen beatis, aliudquè raptis fuiſſe collatum, ſed lumen gloriæ diuerſo modo fuiſſe communicatum beatis, & raptis. Aliud enim eſt dicere, duplex eſt lumen gloriæ: & aliud eſt dicere dupliciter lumen gloriæ communicatur. Primus enim loquendi modus, luminis diſtinctionem ſignificat. Secundus verò identitatem luminis diuerſimodè tamen communicati, indicat. Quia igitur aliud lumen gloriæ a lumine habituali non concedimus, ideò omiſſa ſupra dicta reſponſione, tanquam non vera, & ſi vera, tanquam non neceſſaria propter argumenti ſolutionem, ideò,

Hæc ſeruiunt ijs quæ dicemus infra diſp. 80. quærentes, vtrum lumen gloriæ ſit vnum ſpecie in omnibus intellectibus; & ea quæ ibi diximus huic quoquè ſuffragantur.

100 Reſpondetur ſecundò; explicando D.Thom. Diuum Thomam. Nam in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. artic. 7. ſic interpetrari debet. Miraculosè fieri poteſt diuina virtute, quòd aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitiones viæ, eleuetur ad videndum Deum, mediante lumine gloriæ, non per modum diſpoſitionis patriæ, benè tamen per modum diſpoſitionis viæ, concedo. Abſquè lumine gloriæ omninò, nego antecedens. Diuus Thomas autem locutus eſt primo modo, non ſecundo, vt patet ex alijs eiuſdem Diui Thomæ locis; vnde rectè Capreolus dixit in 4. diſtin. 49. Capreol. quæſt. 4. articul. 3. ad 4. Durandi, quòd *Sanctus Thomas poſtea videtur prædictam opinionem correxiſſe, vel expoſuiſſe, & quòd mens eius vltimata fuit, quòd nullus intellectus creatus poteſt diuinam eſſentiam, nec in via, nec in patria videre, niſi mediante lumine gloriæ.*

101 Quæ quidem Capreoli verba non ſic intelligenda ſunt, quaſi ipſe tenuerit Diuum Thomam mutaſſe ſententiam, vt illi tribuunt Salas p. 2. quæſt. 3. tract. 2. Salas diſputat. 5. ſect. 4. Recupitus qui ſupra Recupit. quæſt. 8. & Faſolus dub. 12. num. 44. quo- Faſolus. niam Capreolus re vera tenet Diuum Thomam in locis ab aduerſarijs allatis, contrarium non ſenſiſſe, ſed potius idem omnino quod in locis pro concluſione citatis tenuiſſe, & hoc Capreoli verba manifeſtius declarant. Sic enim ait. *quod ergo dicit in quarto ſententiarum, & in de veritate quæſt. 10. intelligendum eſt ſic, quòd per diuinam potentiam miraculosè fieri poteſt, quòd intellectus viatoris diuinam eſſentiam videat, ſine hoc quòd lumine gloriæ diſponatur per modum habitus, & formæ manentis, non tamen ſine lumine gloriæ ſe habente per modum paſſionis tranſeuntis.* Similiter dicendum eſt, nempe, quòd abſquè lumine gloriæ per modum diſpoſitionis patriæ, concedo. Abſquè lumine gloriæ per modum diſpoſitionis viæ, nego. Idquè verba D. Th. eodem D.Thom. loco non obſcurè inſinuant. Sic enim ait. *Fieri non poteſt vt eius eſſentia fiat intelligibilis forma intellectus eum videntis, niſi ad hoc*

Digitized by Google

intellectus creatus per lumen gloriæ diſponatur, & ſic in videndo Deum per eſſentiam, per diſpoſitionem infuſi luminis pertingat mens ad terminum viæ quæ eſt gloria, & ſic non eſt in via. Hæc ille. Vbi nota ly, *per diſpoſitionem infuſi luminis pertingat mens ad terminum viæ quæ eſt gloria, & ſic non eſt in via*; quod idem eſt, ac ſi dixiſſet; per diſpoſitionem diuini luminis, eo modo quo ſcilicet, lumen gloriæ diſponere, ac eleuare animam dicitur ad beatitudinem ſempiternam, ſempiternaliter poſſidendam.

102 Et exemplum de Petro ſuper aquas ambulante, ſine agilitatis dote, eſt pro nobis, non contra nos; vt optimè docet Diuus Thomas 3.p.quæſt.45. art. 2. nam quamuis Diuo Petro ſuper mare ambulanti, per modum dotis, quæ permanentiam petit, agilitas communicata non fuerit; tamen per modum tranſeuntis, agilitate non caruit. Et idem dicendum eſt de lumine gloriæ, nempè, quòd in ratione diſpoſitionis patriæ, ſcilicet, pro vt quid permanens eſt, & per modum diſpoſitionis permanentis ſubiectum præparantis, non eſt neceſſarium ſimpliciter ad videndum Deum, in ratione verò diſpoſitionis viæ, ideſt, ſecundum quòd confertur ſubiecto pro aliqua determinata morula diſponendo, non poteſt miraculosè fieri, vt intellectus creatus videat Deum abſquè lumine gloriæ. D.Thom.

103 Sub alijs verbis dici poteſt, quòd lumen gloriæ dupliciter conſiderari poteſt, Ratione ſuæ eſſentiæ; & ratione ſtatus ſibi debiti. Primo modo, conſiſtit in hoc, vt ſit habitus ſupernaturalis præbens intellectui virtutem ad Deum clarè & intuitiuè vidẽdum. Secundo, modo conſiſtit in hoc, vt permanenter exiſtat. Quotieſcunquè igitur lumen gloriæ habet vtrumquè, conſideratur quantùm ad eſſentiam, & ſtatum ſibi debitum. Quando autem alieno confertur tanquàm per aliquod determinatum tempus duraturum, dicitur quidem lumen gloriæ, quoad eius eſſentiam, non verò dicitur lumen gloriæ quoad ſtatum ſibi debitum. Hoc quod de lumine gloriæ dicimus, per aliud à Philoſophis communiter conceſſum, declaratur. Nam contingens dupliciter conſiderari poteſt; Quantùm ad eius eſſentiam ſcilicet, & Quantùm ad ſtatum ſibi connaturaliter debitum; V.g. ſeſſio Petri eſt aliquod contingens eſſentialiter, & ſic quantùm ad eius eſſentiam ſemper dicitur contingens; ſtatum autem contingentiæ non habet, niſi quando conſideratur vt futura. Quoniam ſi vt iam de facto præſens, vel vt præterita inſpiciatur, eſt quidem quoad ſuam eſſentiam contingens; non tamen eſt in ſtatu contingentiæ; Nam vnumquodquè dum eſt, neceſſe eſt eſſe, & ad præteritum non datur potentia; hoc enim tantùm priuatur Deus vt factum infectum fiat. Ità in caſu noſtro dicimus, quòd lumen gloriæ tranſeunter collatum, non eſt lumen gloriæ quoad ſtatum ſibi debitum, eſt verò lumen gloriæ quoad

104 eius eſſentiam; dicens igitur D. Thomas quòd intellectus creatus poteſt videre Deum abſquè lumine gloriæ, intelligendus eſt abſquè lumine gloriæ ratione ſtatus ſibi debiti; non verò abſquè lumine gloriæ quoad eius eſſentiam. Hoc enim manifeſtam dicit repugnantiam, vt probauimus; & Sanctus Thomas pluries aſſeruit, præſertim de verit.quæſt.10.ad 11.ſic dicentis. *Quamuis diuina eſſentia ſit præſens intellectui noſtro, non tamen eſt ei coniuncta vt forma intelligibilis, quam intelligere poſſit, quamdiù lumine gloriæ non perfunditur; ipſa enim mens, non habet facultatem videndi Deum per eſſentiam, antequàm prædicto lumine illuſtretur, & ſic deficit videndi facultas, & viſibilis præſentia.* Hæc ille. D.Thom.

105 Obijcies quartò. Si Deus repræſentaret ſeipſum intellectui creato in puris naturalibus conſtituto, non implicat, vt ab intellectu creato videatur; nam Deus eſt cognoſcibilis, & maximè cognoſcibilis, intellectus creatus eſt cognoſcitiuus, & non læditur ab excellenti intelligibili, ſicut ſenſus ab excellenti ſenſibili. Ergo.

106 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, dico inſufficientem eſſe diuiſionem. Nam quòd aliquod obiectum factum alicui potentiæ præſens, non cognoſcatur propter eius excellentiam, non ex vno, ſed ex duplici capite prouenire poteſt; Vel quia ſcilicet talis obiecti ſupra potentiam exceſſus agit ſecundùm quamdam qualitatem diſſoluentem potentiæ temperamentum, & ſic contingit in potentia viſiua noſtra, V.g. reſpectu Solis; Vel propter virtutis cognoſcitiuæ paruitatem, & ſic contingit in potentia viſiua noctuæ reſpectu Solis. Deus igitur reſpectu luminis naturalis intellectus creati, eſt obiectum excedens ſecundo, non primo modo. Vnde retorqueo argumentum hoc modo. Magis excedit potentiam intellectiuam creatam proprio lumini naturali relictam, Deus vt in ſe eſt, quàm Sol potentiam viſiuam Noctuæ: ſed Sol coram potentia viſiua noctuæ poſitus, non videtur. Ergo multò minus ſi Deus intellectui creato ſuo lumini naturali relicto repræſentaretur.

107 Obijcies quintò. Datur potentia obedientialis actiua in intellectu ad viſionem beatificam eliciendam. Ergo poteſt intellectus creatus per potentiam Dei abſolutam abſquè lumine gloriæ videre diuinam eſſentiam. Conſequentia eſt euidens. Probatur antecedens primò. Quia nulla eſt implicantia. Ergò. Secundò Quia datur potentia obedientialis paſſiua reſpectu viſionis recipiendæ. Ergo datur potentia obe-

obedientialis actiua reſpectu viſionis eliciendæ. Tertiò datur potentia obedientialis paſſiua, quæ eſt à Deo, tanquàm ab Authore naturæ, & reſpicit Deum, vt Authorem gratiæ. Ergo poterit etiam dari potentia obedientialis actiua, quæ ſit à Deo, tanquàm ab Authore naturæ, & reſpiciat Deum, vt Authorem gratiæ, & obiectum ſupernaturale. Conſequentia patet à paritate. Probatur autem antecedens. Quia potentia obedientialis, quam intellectus habet ad lumen gloriæ, cum ſit entitas naturalis, eſt à Deo vt ab Authore naturæ, reſpicit tamen Deum, vt Authorem gratiæ, cum inſpiciat lumen gloriæ, quod ad ordi-
108 nem gratiæ pertinet. Quartò quia hanc potentiam obedientialem actiuam admittit, & docet Diuus Thomas in 4. diſtin. 8. quæſt. 2. quæſtiunc. 3. ad 4. vbi ſic ait. *Ad 4. dicendum quòd nulla creatura poteſt agere ea quæ ſunt ſupra naturam, quaſi principale agens: poteſt tamen agere quaſi agens inſtrumentale à virtute increata motum. Quia ſicut creaturæ ineſt obedientiæ potentia, vt in ea fiat quicquid creator diſpoſuerit, ita etiam vt ea mediante fiat, quod eſt ratio inſtrumenti.* Idem omnino quod S. Tho. docet Caiet. 3. p. quæſt. 78. art. 4. D.Thom. Caiet.

109 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem reſpondetur negando antecedens. Implicantia autem eſt; quia ſi daretur potentia obedientialis actiua, eſſet, & non eſſet naturalis, eſſet, & non eſſet quoad vires agendi formaliter ſupernaturalis. Hoc autem implicat. Ergo. Eſſet quidem naturalis, quia non eſt actualiter intra ordinem ſupernaturalem. Non eſſet verò naturalis. Quia de facto haberet virtutem producendi aliquod ſupernaturale; eſſet ſupernaturalis. Quia reſpiceret tanquàm ſibi proportionatum effectum, viſionem claram Dei, quæ eſt ſimpliciter ſupernaturalis, & obiectum ſupernaturale, nempè, Deum clarè viſum: non eſſet verò ſupernaturalis; Quia eſſet à Deo tanquàm ab Authore naturæ. Ergo eſſet, & non eſſet naturalis; Eſſet, & non eſſet ſupernaturalis.

110 Ad ſecundam probationem reſpōdetur, negando totum aſſumptum, loquendo formaliter, & immediatè. Etenim iuxta ſupradicta, intellectus creatus non recipit immediatè claram Dei viſionem, ſed mediante lumine gloriæ; & per conſequens, non immediatè reſpicit viſionem beatificam vt recipiendam per potentiam obedientialem, ſed intellectus vt viſionis receptiuus, ſe habet vt potentia ſupernaturalis: dicitur autem potentia obedientialis, reſpectu luminis gloriæ; Quia ex eo quòd dicit potentiam obedientialem, per influxum paſſiuum immediatè lumen gloriæ reſpicientem, habet etiam vt poſſit recipere viſionem.

111 Ad tertiam probationem reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt. Quia potentia obedientialis paſſiua eſt ipſamet entitas vt eleuabilis: at verò potentia obedientialis actiua ſi daretur, eſſet iam de facto in actu primo ad ordinem ſupernaturalem eleuata; nam haberet intrinſecas ſufficienteſquè vires ad obiectum ſupernaturale attingendum, quantùm ad illud quod ex parte potentiæ prærequiritur.

112 Ad vltimam probationem reſpondetur, nunquàm Diuum Thomam, aut Caietanum potentiam obedientialem actiuam ab aduerſarijs confictam conceſſiſſe; & loco ab eis adducto, non de hac potentia obedientiali actiua, ſed de ea, quæ capacitatem, & non repugnantiam dicit, vt eleuari poſſit ad faciendum quicquid Deo placuerit, intelligi debet.

Pro cuius intelligentia eſt breuiter obſeruandum, quòd aliud eſt dicere, in creatura datur potentia obedientialis proximè actiua ſine vllo deſuper ſuperaddito; & aliud eſt dicere, quòd in creatura eſt potentia obedientialis vt per ipſam Deus aliquid operetur, quod eſt ſupra creaturæ illius naturalitatem. Differt à ſecundo primum; quia primum exprimit modum quo creatura dicit potentiam obedientialem ad faciendum aliquid Deo volente, quod eſt ſupra ſuam virtutem naturalem, ſecundum verò, hoc non explicat, ſed totum iuxta cuiuſcunquè potentiæ exigentiam faciendum eſſe ſupponit. Suarez potentiam obedientialem primo modo fixit; D. Thomas autem tantùm ſecundo modo admiſit. Suarez D.Thom.

Præterea eſt obſeruandum, quòd in loco adducto, D. Thomas loquitur de potentia obedientiali reſpectu effectus, ſeù operationis extra latitudinem ſui obiecti ſpecificatiui, & hac ratione dixit huiuſmodi potentiam eſſe inſtrumentalem cauſam; quoniam ſi ſermo eſſet de intellectu, aut voluntate in ordine ad proprios actus, quomodocunquè eleuentur ſemper concurrunt vt cauſæ principales. Vide Cippullum 3. p. quæſt. 13. art. 2. dub. 3. §. 3. num. 12. Cipullus

Digitized by Google

DISPVTATIO LXVI.

VTRVM DIVINA ESSENTIA POSSIT GERERE VICEM luminis gloriæ.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum ſententiæ referuntur.

1 Senſus diſputationis eſt, Vtrum Deus poſſit facere per ſeipſum, id quod lumen gloriæ intellectui creato ad vidẽdum Deum præſtat.

Omnes Theologi affirmantes quidẽ lumẽ gloriæ de facto dari iuxta Sãtæ Eccleſiæ determinationem, ſed defendentes fieri poſſe per Dei potentiam abſolutam, vt intellectus creatus abſquè lumine gloriæ poſſit videre Deum, affirmant quoquè Deum vicem luminis gloriæ poſſe ſupplere, & hi ſunt, quos in præcedenti diſputatione pro parte affirmatiua retulimus.

2 Alij verò Theologi ita lumen gloriæ ad videndum Deum eſſe neceſſarium defendentes, vt nequè etiam per Dei potentiam abſolutam, intellectus creatus abſquè lumine gloriæ poſſit videre Deum, resolutè dicunt, Deum non poſſe vicem luminis gloriæ ſupplere; & hi ſunt, quos in præcedenti diſputatione pro parte negatiua adduximus.

CAPVT SECVNDVM.

Veritas aperitur, & Probatur.

3 Ante determinationẽ veritatis propter obſcuritatis tenebras expellendas, præmitto, quòd quamuis in hac diſputatione quidam Doctores affirmatiuè, quidam verò negatiuè reſpondeant, ſi tamen quæ dicunt attentè conſiderentur, non eſt in hac diſputatione inter eos diuerſitas; quod vt clarius intelligatur,

4 Eſt breuiter obſeruandum, quòd affirmare, vel negare, Deum vicem luminis gloriæ poſſe ſupplere, dupliciter contingere poteſt. Primò ſupponendo quòd intellectus intrinſecè per lumen gloriæ vigoratur, ſeu fortificatur. Secundò ſupponendo quòd lumen gloriæ eleuat intellectum extrinſecè, concurrendo ſcilicet, cum intellectu coefficienter tantùm. Hoc igitur poſito, pro determinatione veritatis,

5 Dico Primò. Suppoſito, quòd lumen gloriæ tantùm coefficienter eleuat intellectum, poteſt Deus ſupplere vicem luminis gloriæ.

Hoc dictum optimè aduerſarij probant, nequè hoc eſt contra Thomiſtas. Thomiſtæ enim in tantùm huic diſputationi negatiuè reſpondent, in quantùm huius dicti ſuppoſitum negant; dicunt enim & optimè, quòd lumen gloriæ non extrinſecè, ideſt, ſolùm coefficienter ſe habens, ſed intrinſecè, veluti virtus agendi, eleuat intellectum.

6 Dico ſecundò. Suppoſito quòd lumen gloriæ intellectum intrinſecè eleuat vt virtus, & robur agendi, Deus vicem luminis gloriæ ſupplere nequit.

Hoc dictum non negant aduerſarij; in tantùm enim huic diſputationi affirmatiuè reſpondent, in quantùm ſuſtinent lumen gloriæ non intrinſecè, ſed extrinſecè intellectum eleuare.

7 Dico tertiò. Abſolutè loquendo reſpondendum eſt negatiuè quæſito.

Probatur. Quia re vera lumen gloriæ intrinſecè eleuat intellectum ad viſionem beatificam producendam: ſed Deus non poteſt intrinſecè intellectum immediatè per ſe ipſum eleuare. Ergo Deus vicem luminis gloriæ ſupplere non poteſt. Minor eſt apud omnes certa, ſicut certum eſt, Deum non poſſe eſſe formam in eſſe entis, nec inhærere. Probatur igitur maior primò, ex Diuo Thoma 3. contra gentes cap. 53. cuius verba ſupra retulimus; nam Diuus Thomas abſolutè vult, & docet, lumen gloriæ fortificare intellectum per modum D.Thom.
virtu-

virtutis ſupernaturalis nouiter ſuperadditæ.

8 Secundò probatur eadem maior. Quia hoc modo virtus naturalis plus iuſto extollitur, & gratia, ſeù habitus ſupernaturalis deprimitur. Nam re vera ſecundùm aduerſarios, intellectus, & voluntas vltra ſuam virtutem naturalem, nil roboris in ſe per gratiam, charitatem, & lumen gloriæ reciperent.

9 Tertiò. Quia ſi lumen gloriæ intellectum non eleuaret intrinſecè, ſequeretur quòd non poſſet intenſius concurrere ad viſionem, quam ſint eiuſdem vires abſquè lumine gloriæ: ſed hoc eſt omnino falſum. Ergo. Minor eſt euidens, magiſquè articulo ſequenti patebit, & probatur. Quia vnus beatus intenſius videt diuinam eſſentiam, & clarius quàm alius. Probatur igitur ſequela. Quia intellectus vt intenſius videat, indiget maiori, ſeù intenſiori virtute ſibi intrinſeca. Ergo ſi per aduerſarios lumen gloriæ intellectum non eleuat intrinſecè, intellectus creatus non poſſet intenſius ad viſionem concurrere.

10 Vt autem vis huius rationis intelligatur, & tacita aduerſariorum reſponſio euertatur, eſt breuiter obſeruandum, quòd ſtante aduerſariorum doctrina, aliud eſt dicere, quòd intellectus creatus cum lumine gloriæ poteſt intenſiorem viſionem producere; & aliud, quòd intellectus creatus cum lumine gloriæ intenſius viſionem producit, ſeù intenſius videt. Iuxtà iſtorum Doctorum ſententiam, primum ſaluatur, non ſecundum.

11 Et vt clarius hoc percipiatur, declaratur aduerſariorum exemplo. Sint duo trahentes nauim, ambo toto conatu concurrentes ad mouendam eam, & ſupponamus caſum, quòd duobus ſupradictis, duo alij in ipſorum ſuperueniant adiutorium; certum eſt, quòd nauis motus, velocior intenſior, & perfectior erit, tamen duo primi, toto conatu nauim trahentes, non intenſius, quam prius agebant, agunt, nequè perfectius, licet perfectiorem producant motum propter mouentium multiplicationem. Sic igitur in caſu noſtro, quamuis intellectus cum lumine, intenſiorem produceret viſionem; nō tamen intenſius ageret. quòd ſi ita res ſe habet, idem etiam dicēdum eſſet de voluntate reſpectu actuū ſupernaturalium liberorum, & ſic ratio minoris, vel maioris meriti in gratia fundati, funditus eſſet euerſa; quia voluntas ſemper æqualiter conaretur.

12 Quartò. Quia per potentiam Dei abſolutam intellectus creatus poteſt intrinſecè per noui luminis additionem eleuari, ac fortificari ad videndum Deum; nulla enim apparet contradictionis implicantia. Ergo ſic de facto eſt. Probo conſequentiam. Quia non poteſt aſſignari ratio, quarè de facto intellectus creatus non eſt intrinſecè eleuatus, cum poſſit intrinſecè eleuari, & aliàs intrinſeca eleuatio eſt magis intellectui creato proportionata.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta aduerſantia ſoluuntur.

13 Contra hanc determinationem obijciet aliquis primò. Poteſt Deus ſupplere vicem perſonæ creatæ. Ergo poteſt etiam ſupplere vicem luminis gloriæ creati. Antecedens patet; Nam de facto in Chriſti humanitate contigiſſe, vera fides Catholica confitetur; & conſequentia ex paritate probatur.

14 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; Quia de ratione formali perſonalitatis non eſt eſſe formam, ſed terminum naturæ: at verò de ratione luminis gloriæ creati, eſt eſſe virtutem intrinſecè fortificantem intellectum creatum, vt probatum eſt; Deo autem repugnat eſſe formam informantem in eſſe entitatiuo, non autem repugnat eſſe terminum naturæ creatæ.

15 Contra. Sicut conuenit perſonæ creatæ eſſe formam informantem naturam, ita conuenit lumini gloriæ creato eſſe intellectus creati formam informantem, ſeù virtutem. Ergo nulla diſparitas. Probatur antecedens. Quia quando dicitur quòd non eſt de ratione perſonæ creatæ eſſe formam, vel eſt ſermo de ratione perſonæ creatæ qua creata eſt, vel qua perſona eſt præciſè. Si primum, eſt falſum. Si ſecundum, hoc idem in lumine gloriæ ſaluatur; nam lumen gloriæ qua creatum eſt, eſt forma intrinſeca intellectus, qua lumen gloriæ eſt præciſè, non habet eſſe formam; nam datur lumen gloriæ increatum, quod cum ſit ipſe Deus, non poteſt eſſe forma inhærens.

16 Reſpondetur, relictis aliorum Theologorum dicendi modis, quòd perſona creata, qua creata eſt, dicitur forma, qua verò perſona naturæ creatæ eſt, non habet quòd ſit forma, ſed ſolùm quòd ſit terminus: lumen autem gloriæ habet quòd ſit forma inhærens, non ſolùm qua creatum eſt, verùm etiam qua lumen intellectus creati eſt, cum ſit eius intrinſeca virtus, Vide quæ ſupra diſp. 59. diximus.

17 Obijcies ſecundò. Poteſt Deus ſupplere vicem ſpeciei intelligibilis reſpectu viſionis

ſionis ſui ipſius. Ergo poteſt etiã ſupplere vicem luminis gloriæ. Antecedens patet. Quia in viſione clara Dei non eſt, nec poſſibilis eſt, aliqua ſpecies creata ipſum clarè, & intuitiuè repræſentans, vt ſupra probauimus. Probatur autem conſequentia à paritate.

18 Reſpondetur, & in primis corrigenda eſt iſta nonnullorum Theologorũ locutio, videlicet, diuina eſſentia ſupplet, ſeù gerit vicem ſpeciei; Primò, quia hic loquendi modus ſupponit ſpeciei creatę poſſibilitatem. Secundò; Quia dato quòd ſpecies creata Deum clarè repræſentans poſſibilis eſſet, adhuc ineptus eſſet dictus dicendi modus; eò quia gerens alicuius vicem, non eſt ita principale, ſicut id pro quo ponitur; ſi autem ſpecies creata intuitiua Dei eſſet poſſibilis, gereret vicem Dei, quia Deo principalius conuenit præſentare ſeipſum; ſed quicquid ſit de hoc; admiſſo antecedenti, negatur conſequentia, & ratio diſparitatis eſt; quia diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato vnita, quamuis alteri diceretur vnita, tamen diceretur ſpecies ſui: at verò ſi diuina eſſentia in ratione luminis gloriæ intellectui creato vniretur, non eſſet lumen ſui, ſeù illuminans ſe, ſed eſſet lumen intellectus, lumen enim ab illuminando dicitur. Ergo quando ab illuminato diſtinguitur, ſe habet vt forma illius. Immò addo, quòd etiamſi diuina eſſentia poſſet creatorum obiectorum ſpecierum gerere vicem, illa, videlicet, immediatè repræſentando (quod tamen negamus) non propterea poſſet etiam luminis gloriæ creati ſupplere vicem; eò quia ſecundùm quòd gereret vicem ſpeciei creatæ, non inhæreret, inhæreret verò ſi suppleret rationem luminis gloriæ creati.

19 Obijcies tertiò. Deus in ratione luminis eſt infinitus. Ergo continet omne creatum lumen. Ergo poteſt cuiuſcumq; creati luminis vicem ſupplere. Probatur conſequentia. Quia ideò Deus poteſt ſupplere vicem perſonæ creatæ, quia in ratione perſonandi eſt infinitus.

20 Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens. Ergo continet virtualiter effectiuè, & eminenter omne creatum lumen, concedo conſequentiam. Virtualiter formaliter, nego conſequentiam. Ergo, &c. nego vltimam conſequentiam. Quia ad ſupplendam vicem luminis gloriæ creati, neceſſaria eſt continentia virtualis, nedum effectiua, verùm etiam formalis. Ad cuius probationem, patet diſparitas. Deus enim non ſupplet vicem perſonæ creatæ quo ad rationem informandi, ſed quo ad rationem terminandi, quæ non eſt continentia virtualis formalis, ſed terminatiua.

DISPVTATIO LXVII.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT NECESSARIVM AD vtendum diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 PRæſentis diſputationis determinatio, eſt præcedentium complementum, & ex dictis expedita manet, nam diximus lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem præcedentem, & concomitantem vnionem, taliter quòd neque etiam per Dei potentiam abſolutam poſſit intellectus creatus videre Deum ſine luminis gloriæ informante præſentia. Vnde pro determinatione veritatis Dico breuiter. Lumen gloriæ eſt neceſſarium intellectui ad vtendum diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis.

2 Explicatur primò hoc dictum, deinde probatur. Senſus huius concluſionis eſt, quòd lumen gloriæ eſt neceſſarium intellectui non ſolùm vt diuinam ſuſcipiat eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, ſed etiam poſt factam vnionem, eſt eidem intelle-

Digitized by Google

tellectui neceſſarium, ad hoc vt diuina vtatur eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis; non quidem ex defectu eſſentiæ, quaſi non valentis munus ſpeciei intelligibilis immediatè per ſe ipſam exercere; ſed ex virtutis naturalis intellectus creati deficientia, quæ ſine lumine gloriæ, & ante, & poſt vnionem, inſufficiens eſt, & improportionata.

3 Probatur igitur breuiter. Quia Intellectus non poteſt diuina eſſentia vti in ratione ſpeciei intelligibilis, niſi intelligatur, & ſit in ratione potentiæ ſupernaturalis conſtitutus: ſed hoc habet tantùm à lumine, vt probatum eſt. Ergo.

4 Vbi aduerte, quòd intellectus non dicitur propriè vti diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis; ſed in quadam larga acceptione pro vt idem ſonat, ac operatur mediante diuina eſſentia, non per modum quo agens principale agit medijs inſtrumentis, ſed per modum quo cauſa ſecunda operatur mediante prima; nam diuina eſſentia exercens munus ſpeciei, non ſubordinatur intellectui, ſed potius intellectus ſubordinatur ei. Eſſentia enim diuina, quando videtur vt in ſe eſt, eſt id quod, & id quo videtur, & non ſolùm hoc, ſed ab ipſa intellectus creatus recipit tantum gloriȩ lumen, quantum Deo placuerit ab intellectu creato cognoſci; quemadmodum, ſi Solis radij ne dum, medium illuminarent, verùm etiam, præſtarent potentiæ viſiuæ virtutem videndi Solem, iuxta eiuſdem Solis beneplacitum, in caſu quo ipſemet Sol libere vniretur potentiæ viſiuæ in ratione ſpeciei viſibilis, Sol non diceretur potentiæ viſiuæ ſubordinatus, ſed potius è contra. Ita ſimiliter, &c. Videatur Nauarrete hic controuerſ. 37. §. 3. Nauarr.

DISPVTATIO LXVIII.

VTRVM LVMEN GLORIÆ QVATENVS EST DISPOSITIO ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, poſſit dici infinitum.

Per Vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Lumen gloriæ quantùm ad eius eſſentiam, & exiſtentiam, eſt ſimpliciter finitum.

Probatur. Lumen gloriæ eſt aliquid intellectui inhærens. Ergo eſt aliquod eſſentialiter, & exiſtentialiter finitum. Patet conſequentia, & antecedens eſt etiam apud omnes certum. Eſt enim accidens. Ergo.

2 Dico ſecundò. Lumen gloriæ vt diſpoſitio ad recipiendam viſionem non eſt infinitum.

Probatur. Quia forma ad quam diſponit, eſt finita, Ergo etiam lumen eſt finitum.

3 Dico tertiò. Lumen gloriæ quatenus diſponit intellectum ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis eſt infinitum, non quo ad eſſentiam, ſed quo ad efficaciam.

Probatur primò. Quia hoc modo eſt vltima diſpoſitio ad ſuſcipiendam formam infinitam. Ergo habet effectum infinitum. Ergo quoad efficaciam eſt infinitum. Antecedens eſt euidens. Prima conſequentia probatur. Quia vnio eſſentiæ diuinæ eſt effectus infinitus. Vltima verò patet ex prima.

4 Probatur ſecundò; Quia ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 23. art. 2. ad 3. *Charitas operatur formaliter: Efficacia autem formæ, eſt ſecundùm virtutem agentis, qui inducit formam; & ideo patet, quòd charitas, non eſt vanitas, nec eſt infinita, ſed quòd facit effectum infinitum, dum coniungit animam Deo, iuſtificando ipſam, hoc demonſtrat infinitatem virtutis diuinæ, qui eſt charitatis auctor.* Hæc ille. D.Thom.

Ex

Digitized by Google

5 Ex quibus verbis hoc conficio argumentum. Charitas quamuis ſit entitatiuè finita, habet tamen effectum infinitum, eò quia coniungit hominem Deo: ſed lumen gloriæ in ratione vltimæ diſpoſitionis perfectius vnit hominem cum Deo, quàm charitas. Ergo ſecundùm quòd eſt vltima diſpoſitio ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, quamuis ſit entitatiuè finitum, habet tamen effectum infinitum. Maior patet. Quia charitas vnit hominem Deo affectiuè; lumen autem gloriæ diſponit intellectum vt ipſe Deus ſecundùm quòd in ſe eſt, verè, & realiter ſit intra ipſum intellectum intelligibiliter vt obiectum verè beatificans.

6 Pro cuius tamen exactiori intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd lumen gloriæ eſt per quod agit Deus; & per quod agit intellectus creatus. (Non enim eſt id quod agit, ſed id quo, ſeu per quod aliquod agit; cum ſit forma inhærens) ea igitur ratione qua lumen gloriæ, eſt id per quod intellectus viſionem producit, ac recipit, habet effectum entitatiuè finitum; ea verò ratione, qua Deus agit per lumen gloriæ tanquàm per diſpoſitionem intellectus creati ad vniendum ſe, eidem intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, habet effectum infinitum, nempe, diuinam eſſentiam intellectui vnitam. Primo modo, lumen gloriæ conſideratur vt inſtrumentum Dei, non ratione quadam generali, ſed vt inſtrumentum Dei, vt cauſæ ſupernaturaliter agentis: ſecundo verò modo, non ſe habet vt inſtrumentum intellectus, ſed vt ratio agendi, ac recipiendi: & hoc benè nota; quia optimum eſt ad extricandam quamdam modernorum non completè ab ipſis reſolutam controuerſiam. Vtrum, ſcilicet, lumen gloriæ concurrat effectiuè ad viſionem, vt inſtrumentum; an potius vt cauſa principalis, quam ſupra diſp. 61. determinauimus. Quòd ſi de hac tradita doctrina dubitas; Vide Diuum Thomam 2.2.q.23. art. 2. ad 3. vbi eminentem Caietani explicationem diligenter attende. D.Thom. Caiet.

DISPVTATIO LXIX.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT PRÆSTANTIVS quamcumquè ſubſtantia creata.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas breuiter aperitur.

Valentia. Ledeſma. Zumel. 1 Affirmatiuè reſpondent Valentia p. 2. diſput. 8. quæſt. 4. puncto 1. & 2. 2. diſput. 3. quæſt. 1. puncto 1. Petrus Ledeſma de perfectione Dei quæſt. 4. art. 6. in ſub articulo *§. dico tertiò*. Zumel p. 2. quæſt. 110. art. 2.

Caiet. Corradus. Capreol. 2 Negatiuè reſpondent. Caietanus 2. 2. quæſt. 23. art. 3. Corradus p. 2. quæſt. 110. art. 2. ad 2. Suarez tom. 1. 3. p. diſput. 9. ſect. 1. & Capreolus in 2. diſtin. 26. quæſt. vnica articul. 3. ad 6. Aureoli contra primam.

3 Pro determinatione autem veritatis, Dico breuiter. Lumen gloriæ, Gratia ſanctificans, Viſio Beatifica, & cœtera ſupernaturalia accidentia, ſunt ſimpliciter imperfectiora quacunquè ſubſtantia creata, ſi conſiderentur quantùm ad modum eſſendi, ſunt verò ſimpliciter perfectiora, omni ſubſtantia creata, ſi conſiderentur quantùm ad rationem ordinis ſupernaturalitatis.

4 Probatur prima pars. Quia inhærens, vt inhærens, eſt ſimpliciter imperfectius ſubſiſtente. Ergo.

Probatur ſecunda pars. Quia ſupernaturale, vt ſupernaturale, eſt ſimpliciter perfectius naturali.

5 Iuxta hanc determinationem, Argumenta vtriuſquè partis diſſoluuntur, & plura

Digitized by Google

D.Thom. pluraDiui Thomæ loca explicantur, immò opiniones ipſæ conciliantur. Videatur Diuus Thomas in 1. diſtinct. 17. quæſt. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. & in 2. diſt. 16. quæſt. 1. quæſtiunc. 2. ad 2. & de veritate quæſt. 27. art. 1. ad 6. Conzalez hic diſput. 28. ſect. 5. & Nazarius hic controu. 3. ad 3. & §. 3. & ſignanter §. *Nam tota latitudo*. Conzal. Nazarius.

DISPVTATIO LXIX.

VTRVM HABITVS LVMINIS GLORIÆ SIT nobilior habitu charitatis.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Opiniones, & diſputationis reſolutio.

Scotus. 1 SCotus ſuſtinens beatitudinem in amore amicitiæ Dei, quem fruitionem vocat, conſequenter tenetur affirmare habitum charitatis eſſe habitu luminis gloriæ præſtantiorem.

D.Thom. 2 Diuus Thomas autem affirmans vltimam intellectualis creaturæ beatitudinem in viſione formaliter, & eſſentialiter collocari, habitum quoquè luminis gloriæ, charitatis habitum antecellere tenet. D. Thomam ſequuntur communiter Thomiſtæ, & præſertim Aluarez p. 2. diſputat. 62. num. 7. ad 3. Conzalez hic diſput. 28. ſect. 1. concluſ. 2. Ledeſma de diu. perfect. quæſt. 8. artic. 8. concl. 2. §. *ſecundo notandum eſt*, & alij. vnde pro determinatione veritatis, Aluarez. Conzal.

3 Dico breuiter. Lumen gloriæ eſt habitus præſtantior, ac ſimpliciter nobilior habitu charitatis, & quocumquè alio habitu operatiuo.

Probatur. Lumen gloriæ eſt habitus ſolius patriæ, & eſt veluti forma, ac regula charitatis. Ergo eſt habitus ſimpliciter præſtantior charitate. Antecedens patet quoad primam partem. Quoad ſecundam verò probatur. Quia actus amoris Dei in tantùm dicitur beatificus, in quantùm eſt Dei viſi; viſio autem fit per lumen gloriæ. Ergo.

4 Confirmatur primò. Quia ſtatus patriæ eſt ſimpliciter præſtantior ſtatu viæ. Ergo habitus proprius ſtatui patriæ, eſt ſimpliciter præſtantior habitu, qui conuenit ſtatui viæ, & patriæ.

5 Confirmatur ſecundò. Ideo charitatis habitus eſt ſimpliciter perfectior omnibus alijs habitibus, ac virtutibus viæ. Quia charitas eſt omnium aliarum virtutum forma, & vita, vnde fides ſine charitate mortua eſt, & cæteræ virtutes morales ſine charitate, non ſunt ratione ſubiecti, veræ, & propriæ virtutes, niſi ſolùm ex genere, & obiecto: ſed lumen gloriæ eſt propriè forma charitatis in ratione beatificæ, ſine enim lumine gloriæ charitas à ſtatu beatifico excidit. Ergo habitus luminis gloriæ eſt præſtantior habitu charitatis. Vnde Viennenſe conſideratè Begardorum, & Beguinarum damnauit errorem, aſſerentem, quòd anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum, ipſoquè beatè fruendum; quaſi diceret, quòd non ſaluatur beatifica Dei fruitio, niſi ſuppoſita in intellectu luminis gloriæ illuſtratione. Viennen.

6 Probatur ſecundò. Intellectus eſt ſimpliciter præſtantior voluntate. Ergo præſtantiſſimus habitus intellectus, eſt ſimpliciter perfectior præſtantiſſimo habitu voluntatis: ſed præſtantiſſimus habitus intellectus eſt lumen gloriæ, ſicut charitas eſt præſtantiſſimus habitus voluntatis. Ergo habitus luminis gloriæ, eſt ſimpliciter perfectior habitu charitatis: ſed de hac ratione plura dicemus infra quæſt. 82. art. 3.

7 Sed contra hanc determinationem poſſet aliquis obijcere illud Apoſtoli Pauli 1. Corinth. 13. *Maior horum eſt charitas*. Ergo charitas eſt præſtantior lumine gloriæ. Probatur conſequentia. Quia ſi lumen gloriæ eſſet charitate nobilius, debuiſſet Apoſtolus dicere, maius horum eſt lumen gloriæ. 1.Cor.13.

Digitized by Google

8 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego antecedens, & ratio eſt. Quia Apoſtolus loquebatur de virtutibus viæ; vnde idemet Apoſtolus per ſua verba reſponſionem ſubminiſtrat; non enim dixit maior omnium eſt charitas, ſed *maior horum*, fidei, ſcilicet, & ſpei. Eodem modo expl candi ſunt Sancti Patres, quã plurimis nobiliſſimis titulis ſuper omnes, cęteraſquè virtutes, & habitus, charitatem extollentes, ac celebrantes; Loquuntur enim de charitate, illam habitibus, virtutibuſquè viæ conferendo. Videatur Conzalez loco citato. Conzal.

DISPVTATIO LXXI.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT SIMPLICITER nobilius habitu ſanctificantis gratiæ.

In duo capita expeditã.

CAPVT PRIMVM.

Referuntur opiniones, & verior ſententia ſtabilitur.

1 QVidam Theologi dicunt, gratiam ſanctificantem eſſe ſimpliciter perfectiorem habitu luminis gloriæ. Ita videtur dicere Suarez tom. 1. 3. p. quęſt. 11. diſput. 29. ſect. 4. §. *tertius autem modus*. Gabrera 3. p. diſput. 12. num. 4. ad confirmationem 3. argumenti. Ex eo quòd exiſtimant lumen gloriæ ad ſanctificantem gratiam, ſicut paſſionem ad eſſentiam comparari. Vbi Gabrera, vt rectè notat Conzalez, videtur varius. Quia eadem 3. p. quæſt. 9. art. 5. diſput. 4. §. 4. num. 72. ait quòd lumen gloriæ, vel actus viſionis ad quem ordinatur, maius quid eſt, quàm gratia. Idem videtur dicere Ledeſma de perfectione Dei, quæſt. 8. art. 8. & nouiſſimè id expreſsè docet Cippullus, 3. p. q. 11. art. 2. dub 5. Suarez. Gabrera. Gabrera Conzal. Ledeſma. Cippullus.

2 Alij verò dicunt, firmiterquè defendunt, quòd lumen gloriæ eſt quid ſimpliciter perfectius habitu ſanctificantis gratiæ. Ita expreſsè Conzalez hic, diſp. 28. ſect. 1. & alij. Conzal.

CAPVT SECVNDVM.

Veritas aperitur, & ſtabilitur.

3 ANtequàm autem in hac re meam proferam ſententiam, eſt breuiter obſeruandum, quòd præſens diſputatio, iuxta duplicem opinionem nobis probabilem, de cõſtitutiuo Dei, determinari poteſt. Nam vel tenemus quòd conſtitutiuum Dei eſt ſumma intellectualitas radicalis, vt ratione ab intellectione diſtincta, vel quòd eſt ipſum intelligere per eſſentiam. Hoc poſi o pro determinatione veritatis,

4 Dico primò. Habitus ſanctificantis gratiæ eſt ſimpliciter præſtantior habitu luminis gloriæ, ſuppoſito quòd ſumma intellectualitas radicalis ſit conſtitutiua Dei, non verò ipſum actualiter intelligere.

Probatur primò. Quia per habitum ſanctificantis gratiæ, creatura intellectualis participat formaliter, & immediatè naturam diuinam, ſecundùm rationem naturæ;

naturæ; per habitum verò luminis gloriȩ, diuinam quidem naturam participat, non in ratione naturæ formaliter, & immediatè, ſed in ratione operantis, ſeù intelligentis. Ergo præſtantior eſt habitus gratiæ ſanctificantis, quàm habitus luminis glo-
Petri 2. riæ. Antecedens patet, ex illo Petri 2. *vt ſimus conſortes diuinæ naturæ*. Conſequentia verò probatur. Quia quamuis omnia prædicata diuina ſint vna ſimpliciſſima perfectio, ſicut ſunt vna ſimpliciſſima entitas, tamen virtualiter, & conſequenter ratione ratiocinata diſtinguuntur; illud quod participat naturam diuinam in ratione naturæ, eſt præſtantius eo, quod participat naturam diuinam ſecundùm perfectionem attributalem; Nam natura diuina eſt quaſi radix, à qua, quaſi pullulant cœtera attributa.

D.Thom. 5 Dices. Per lumen gloriæ efficimur deiformes, vt pluries docet Diuus Thomas, & per viſionem beatificam, quam per lumen gloriæ producimus, ſumus ſimiles Deo.
1.Io.3. iuxta illud 1. Ioannis 3. *Cum autem apparuerit ſimiles ei erimus*. Ergo ex hac parte lumen gloriæ non eſt inferius ſanctificante gratia.

6 Reſpondetur explicando vtramquè authoritatem. Efficimur Deiformes, & ſimiles Deo, operatiuè, concedo. In ratione naturæ, nego. Et hoc iuxta hunc dicendi modum.

7 Probatur ſecundò. Lumen gloriæ ſe habet veluti paſſio ſanctificantis gratiæ, & gratia ſanctificans, quaſi eſſentia. Ergo lumen gloriæ non eſt perfectius habitu
Conzal. ſanctificantis gratiæ. Antecedens quamuis negetur à Conzalez, eſt tamen commune inter diſcipulos Diui Thomæ. Illud enim
Gabrera. Ledeſma. docent Gabrera, & Ledeſma, locis citatis, & alij Thomiſtæ, & probatur; Quia ſecundùm Sanctum Thomam gratiæ ſanctificantis habitus infunditur eſſentiæ animȩ, fides verò, & lumen gloriæ intellectui, qui eſt potentia realiter ab eſſentia diſtincta, & charitas voluntati. Ergo quemadmodum ſe habet eſſentia reſpectu potentiarum, ita gratia ſanctificans reſpectu fidei, luminis gloriæ, & charitatis, & magis vrget argumentum. Quia lumen gloriæ in via Diui Thomæ dat ſimpliciter poſſe; ſimiliter habitus fidei, & charitatis, & ſunt principia proxima actuum ſupernaturalium, ideſt, ſunt tota virtus agendi, ſeu producendi actus ſupernaturales; gratia autem eſt radicale principium. Ergo ita ſe habet gratia reſpectu luminis gloriæ, & charitatis, ſicut eſſentia animæ reſpectu potentiarum eius.

8 Sed cõtra hanc rationẽ arguunt Aduerſarij. Quia ſi lumen gloriæ compararetur ad gratiam ſanctificantem, ſicut paſſio ad ſubiectum, ſequeretur quòd abſquè noua Dei actione ex infuſione gratiæ per ſimplicem emanationem emanaret lumen gloriæ: Hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela, quia potentiæ animæ ſic ab eius eſſentia dimanant.

Cõfirmatur. Quia eodem modo fides emanaret à gratia pro vt in via: ſed hoc eſt falſum. Ergo. Sequela patet. Probatur minor. Quia homo fidelis amittens gratiam, non perdit fidem; corrupta autem eſſentia vix miraculosè poſſunt conſeruari potentiæ. Ergo, &c.

9 Reſpondetur, negando ſequelam, & ratio negationis eſt; Quia quando dicimus lumen gloriæ, alioſquè habitus ſupernaturales ad ſanctificantem gratiam, veluti paſſionem ad eſſentiam comparari, non currit, quoad omnia comparatio, ſed quantùm ad hoc, quòd gratia ſe habet vt eſſentia, habitus verò ſupernaturales, vt conſequentes gratiam, illiquè neceſſariò conuenientes, atquè etiam ab ipſa gratia fluere, mediante ſpeciali Dei actione; idquè exiſtimo eſſe ſententiam Diui Thomæ, nam p. 2. qu eſt. 110. art. 4. ad 1. hæc habet verba. *Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut ab eſſentia animæ effluunt eius potentiæ, quæ ſunt operum principia, ita etiam ab ipſa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ mouentur ad actus*. Hæc ille. D.Thom.

Et ibidem ſic ſequitur, *Et per hoc etiam patet ſolutio ad ſecundum; eſt enim gratia principium meritorij operis, mediantibus virtutibus, ſicut eſſentia animæ eſt principium operum vitæ mediantibus potentijs*. Hæc ille.

10 Ad confirmationem reſpondetur, concedendo ſequelam, & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Non perdit fidem in ratione habitus ſupernaturalis, concedo maiorem, In ratione virtutis, nego maiorem; Tunc conceſſa minori de eſſentia, quæ eſt ſubiectum, & ſubſtantia, concedo minorem, & nego conſequentiam.

11 Pro huius reſponſionis intelligentia, eſt obſeruandum, quòd poſita gratia ſanctificante in eſſentia animæ, non poteſt ſine miraculo, non poni fides ſupernaturalis in intellectu, in ratione habitus, & in ratione virtutis; amiſſa tamen gratia, poteſt manere, & de facto manet fides in homine fideli in ratione habitus ſupernaturalis, & hoc eſt peculiare in fide, quȩ licet effluat à gratia mediante ſpeciali actione Dei, quando gratia eſt in anima viatoris, non videntis Deum, tamen quia in ratione habitus ſupernaturalis intellectum ſupernaturaliter afficientis, peccato mortali, ex ſua ratione formali, nequè mediatè, nequè immediatè priuatiuè opponitur, ideò fides manet, etiam per peccatum mortale gratia ſanctificante amiſſa.

Digitized by Google

Immò Addo, quòd poteſt homo prius recipere fidem, in ratione habitus ſupernaturalis, non recipiendo ſanctificantem gratiam, vt patet de Adulto verè Sacramētum Baptiſmi recipiente, peccatum tamen mortale relinquere nolente, & in tali caſu fides non dimanat à gratia de facto, nata tamen eſt à gratia effluere, Quia iuxta hanc acceptionem, quamuis ſit vera fides, eſt tamen mortua in ratione virtutis; vnde dicendum eſt, quòd charitas effluit à gratia in ratione habitus, & in ratione virtutis; eò quia eſt de eius intrinſeca ratione vitalitas moralis, cum cuilibet peccato mortali mediatè, vel immediatè opponatur; fides verò à gratia ſanctificante emanat in ratione habitus, quando habet etiam rationem virtutis, eſtquè moraliter viua; Quando verò conſideratur cum ſola ratione habitus, & excluſione in ratione virtutis, non ſolùm vim potentiæ, ſed etiam modum eſſentiæ habet, quia nil aliud prius ſe, præſupponit; quapropter meritò Apoſtolus Paulus de fide loquens dixit, ad Hebr. 11. *quod eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*, id eſt fundamentum. Quando autem dicimus, quòd habitus ſupernaturales fidei, charitatis, & luminis gloriæ ſunt veluti paſſiones, & proprietates gratiæ, loquimur de illis, non ſolùm vt vitalibꝰ, vt quo phyſicè, ſed etiā moraliter.

Hebr. 11.

12 Dices inſuper ex Conzalez. Gratia ſanctificans ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 24. art. 3. ad 2. eſt inchoatio gloriæ, & ordinatur ad illam, vt ad formam. Ergo lumen gloriæ eſt perfectius gratia. Idem docet Sanctus Thomas de verit. quæſt. 27. art. 5. ad 6. vbi comparat gratiam cum gloria, ſicut idem vt minus perfectum cum ſeipſo, vt magis perfectum eſt.

Conzal. D.Thom.

13 Reſpondetur, explicando authoritatem Diui Thomæ, Gratia, vt in via, & ſecundùm conditiones viæ, eſt inchoatio glorię, concedo. Gratia vt in Patria, eſt inchoatio glorię, Adhuc explico, ſicuti eſſentia reſpectu actionis, concedo. ſicuti imperfectum reſpectu perfectioris, nego. Diuus Thomas primo, & non ſecundo modo interpraetandus eſt. Verba autem Diui Thomę ſunt iſta. *Ad ſecundum dicendum, quòd forma non excedit materiæ proportionem, ſed ſunt eiuſdem generis ſimpliciter; etiam gratia, & gloria ad idē genus referuntur; quia gratia nihil eſt aliud, quàm quædam inchoatio gloriæ in nobis.* Hæc ille. Nota ly *in nobis*, & ſubaudi, viatoribus.

14 Quamuis non ſit neceſſaria, non tamen inutilis erit digreſſio præſens; vnde pro noſtræ doctrinæ intelligentia eſt obſeruandum, quòd gratia ſanctificans quamuis ſit vnus idemquè habitus in via, & in patria, tamen in patria incomparabiliter eſt ſeipſa perfectior, quàm quando erat in via. Idquè ex eo colligi poteſt. Quia ex gratia pro vt in via, effluit fides, & enygmatica Deitatis cognitio: Ex gratia verò pro vt in patria, effluit lumen gloriæ, ſeù (vt clarius loquamur) gratiam viæ ſequitur fides, gratiam verò patriæ, ſequitur lumen gloriæ, & viſio clara Dei. Hoc non obſcurè docet D. Thomas 3. p. quæſt. 27. art. 5. ad 2. vbi loquens de gratia ſanctificante Beatæ Mariæ Virginis ait, quòd *in Beata Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima quaſi diſpoſitiua per quam reddebatur idonea ad hoc, quòd eſſet Mater Chriſti, & hæc fuit perfectio ſanctificationis. Secunda fuit ex præſentia Filij Dei, in eius vtero incarnati; Tertia autem eſt perfectio finis, quàm habet in gloria.* Secundam dicit eſſe potiorem prima, & tertiam ſecunda.

D.Thom.

15 Circa quam Diui Thomæ doctrinam, etiam pertranſeunter eſt breuiter obſeruādum, quòd Beatæ Virginis prima gratia ſanctificans fuit maior quacunquè gratia cuicunquè Sancto collata, & conferenda, non ſolùm diuiſiuè, ſed etiam collectiuè, loquendo de Sanctis viatoribus, etiam Angelis.

16 Nequè oppoſitum huius tenet Caietanus loco citato, quamuis Medina ſuper eumdem articulum dicat, *Caietanum ſentire Beatæ Virginis gratiam in vtero, non fuiſſe maiorem gratia ſupremo Angelo collata*; non enim vt puto, hanc habuit doctrinam Caietanus, vt eius verba teſtantur. *Aduerte*, inquit, *quòd cum in littera concluditur Beatam Virginem præ cæteris gratiam habuiſſe, non fit comparatio ad Angelos, ſed homines tantùm. Tum quia eſt ſermo de gratia data Beatæ Virgini in vtero Matris, quam cōſtat fuiſſe minorē gratia Angelorū beatorum. Tum quia ſermo eſt* (Nota) *de viatorum gratia, vt patet ex reſponſione ad 2. vbi in Beata Virgine perfectiſſima gratia ponitur, gratia quæ fuit inter compræhenſores.* Et paucis interiectis, ſic ait. *Nec hæc ideò dicta ſunt, quaſi Angeli habeant in Cælo maiorem gratiam, quàm Beata Virgo, hoc enim eſt falſum, quoniam ipſa eſt Domina Angelorū; ſed ideò dicta ſunt, vt hæc littera exponatur ad litteram de gratia ſāctificationis in vtero, &c.* Hæc ille. Vbi numquàm Caietanus dixit, Beatam Virginem habuiſſe minorem gratiam, gratia Angelo ſupremo collata, ſed ſolùm dixit cōparationem gratię Beatæ Virginis in vtero, non ſe extendere ad Angelorum Beatorum gratiam, quaſi diceret; Gratia ſanctificans qua Deus animam Beatæ Virginis in vtero decorauit, eſſe maiorē cæteris gratijs quibuſcunquè viatoribus infuſis, non verò maiorem gratia compræhenſorum. Et meritò, Quia quantumcunq; creſcat gratia ſanctificans in viatoribus, ſemper tamen gratia cuiuſcunquè compræhenſoris eſt altioris conditionis, & ſtatus, eò quia vt dicebamus, gratiæ compræhenſoris debetur naturali ſequela lumen gloriæ, fruitio, & poſſeſſio omnis boni.

Caiet. Medina.

Dices

Digitized by Google

17 Dices. Poteſt diuino miraculo fieri, vt alicui creaturæ viatrici communicetur lumen gloriæ, ac viſio Beatifica, ſtante eadem quantitate ſanctificantis gratiæ, quam habet in via. Ergo gratia ſanctificans non eſt tam magnæ, ac ſuperexcellentis perfectionis, vt ſuperet cuiuſcunquè gratiæ viæ perfectionem.

18 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, Quia licet diuino miraculo fieri poſſit, vt alicui viatori communicetur lumen gloriæ, & viſio beatifica per modum tranſeuntis habenti gratiam viæ, tamen in tali caſu non confertur lumen gloriæ iuxta quantitatem gratiæ: Quoniam ſi animæ adeſſet gratia talis, cui lumen gloriæ correſpondeat, abſquè omni comparatione, excederet perfectionem gratiæ viæ, in tanto nimirum exceſſu, quantus exceſſus eſt inter ſtatum viæ, & patriæ. & hæc ſint pertranſeunter dicta; Conferunt tamen ad excellentiam gratiæ patriæ ſuper lumen gloriæ explicandam.

19 Dices inſuper. Per gratiam habitualem eſſentiæ animæ inhęrentem, homo non eſt formaliter beatus, nec proximè viſionem, aut fruitionem elicit; per lumen gloriæ verò immediatè viſionem producit. Ergo perfectius eſt lumen gloriæ, quàm gratia habitualis eſſentiæ animæ inhærens. Prima, & ſecunda antecedentis pars conceduntur à nobis. Probatur autem conſequentia. Primò. Quia ille habitus eſt perfectior, quo immediatè beatitudinem acquirimus. Secundò. Ille habitus eſt perfectior, quo ſumus perfectiores: ſed per habitum quo immediatè beatitudinem adipiſcimur, ſumus perfectiores, quàm per habitum ſanctificantis gratiæ. Ergo. Probatur minor. Quia perfectiores ſumus quando actu conſequimur beatitudinem, quàm ante. Ergo.

20 Reſpondetur, diſtinguendo ſecundam partem antecedentis, Per lumen gloriæ verò immediatè viſionem producit, tanquàm per potentiam ſanctificantis gratiæ, prout in patria, concedo antecedens. Non tanquàm per potentiam ſanctificantis gratiæ prout in patria, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad cuius primam probationem diſtinguo antecedens, Ille habitus eſt perfectior, in ordine ad alios habitus formaliter operatiuos, quo immediatè beatitudinem acquirimus, concedo antecedens. In ordine ad habitum radicaliter operatiuum, nego antecedens. Nam ſubſtantia, ſeù eſſentia, non eſt immediatè, ſed radicaliter operatiua; potentia verò eſt immediatè operatiua, & eſt præſtantior eſſentia, quàm potentia. Valeat igitur antecedens, de habitu immediatè operatiuo in ordine ad alios habitus de ſe formaliter, & proximè operatiuos; Nam fides eſt habitus conferens ad beatitudinem, & ſimiliter charitas viæ, tamen lumen glorię eſt præſtantius iſtis; Quia per ipſum proximè, & immediatè viſio beatifica producitur.

21 Ad ſecundam probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem, Reſpondetur primò diſtinguendo antecedens, Perfectiores ſumus quando actu conſequimur beatitudinem, quàm ante, propter ſanctificantem gratiam vt in patria, tanquàm per principium radicale viſionis, concedo antecedens. Propter lumen gloriæ, magis quàm per ſanctificantem gratiam, vt in patria, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Sumus igitur perfectiores quando actu conſequimur beatitudinem, quia habemus ſanctificantem gratiam in ſtatu perfectiori, quando ſcilicet, ab, ea mediante ſpeciali Dei actione, in intellectum effluit lumen gloriæ.

22 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo antecedens. Perfectiores ſumus phyſicè, quando actu beatitudinem acquirimus quàm ante, concedo antecedens. Perfectiores ſumus metaphyſicè, nego antecedens.

23 Explicatur iſta reſponſio; Quando actu beatitudinem conſequimur, habemus eſſentiam animæ habitu ſanctificantis gratiæ coruſcantem, voluntatem charitate feruentem, intellectum lumine gloriæ perfuſum, & Deum per viſionem actu productam, perfectè poſſeſſum: perfectius autem eſt habere ſanctificantem gratiam, charitatem, lumen glorię, & viſionem beatificam, quàm ſolam ſanctificantem gratiam, & hoc eſt quod intelligimus per ly perfectiores ſumus phyſicè, quando, &c. ſi verò per metaphyſicam abſtractionem, ex vna parte, habitum ſanctificantis gratiæ, & ex altera habitum luminis glorię pręcisè conſideremus, dicimus, quòd perfectiores ſumus per hoc, quòd habitum ſanctificantis gratiæ habemus, quàm lumen gloriæ. Nam per gratiam ſanctificantem ſumus formaliter conſortes diuinæ naturæ, in ratione naturæ: per lumen gloriæ verò efficimur deiformes, quoad efficacitatem agendi, non autem quoad rationem formalem diuinæ naturæ, vt diuina natura eſt.

24 Dices inſuper. Ergo ad minus ex dictis ſequitur, quòd lumen gloriæ eſt præſtantius habitu ſanctificantis gratiæ, pro vt eſt in via. Nam gratiæ ſanctificanti pro vt in via debetur fides.

25 Reſpondetur diſtinguendo conſequens. Quo ad conditionem ſtatus, concedo conſequentiam, Quoad rationem formalem, nego conſequentiam. Etenim gratia ſanctificans, etiam pro vt eſt in via, facit nos con-

conſortes diuinæ naturæ, in ratione naturæ, quod lumen gloriæ non facit, ſed ſupponit.

26 Dico ſecundò. Si teneamus conſtitutiuũ Dei eſſe ipſum intelligere per eſſentiam, gratia ſanctificans, & lumen gloriæ ſunt habitus æquè perfecti formaliter, quoad modum verò participandi, eſt perfectior gratia ſanctificans, quàm lumen gloriæ.

Hoc dictum ex probationibus explicabitur, Probatur prima pars. Quia iuxta hunc dicendi modum, vterquè habitus eſt immediatà diuinæ naturæ in ratione naturæ, participatio. Probatur verò ſecunda pars. Quia gratia participatur per modum eſſentiæ, lumen verò gloriæ per modum potentiæ operatiuæ, & ſic quamuis in Deo lumen gloriæ, intellectio, & intellectualitas ſint formaliſſimè natura diuina, tamen à nobis quoad modum participandi, ſola gratia ſanctificans participatur per modum eſſentiæ, vt patet.

DISPVTATIO LXXII.

VTRVM PER POTENTIAM DEI ABSOLVTAM poſſit dari aliqua qualitas perfectior lumine gloriæ, qua perfectius videatur Deus.

Per Unicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Referuntur Opiniones, & vera ſententia ponitur, & probatur.

Nauarret.

1 NOſter Baltaſſar Nauarrete hic controuerſia 39. §. 2. & ſignanter §. *Nihilominus*, tenet quòd Deus poteſt producere aliam qualitatem, qua ſecluſo lumine gloriæ Beatus videat diuinam eſſentiam altiori quodam modo.

2 Communiter tamen Theologi affirmãt, eſſe omninò impoſſibilem aliam qualitatem à lumine gloriæ diſtinctam, qua perfectiori, & altiori modo videatur Deus.

Pro determinatione ergo veritatis, Dico, Huiuſmodi qualitatem implicare.

3 Probatur primò. Eſt impoſſibilis alia vita ęterna perfectior ea quam modo habent beati, & comprehenſores. Ergo eſt impoſſibilis alia qualitas lumine gloriæ perfectior, qua perfectiori modo videatur Deus. Antecedens patet. Probatur conſequentia; Quia hæc vita ęterna conſiſtit in viſione Dei, quæ mediante lumine gloriæ, non autem mediante alia qualitate perfectiori elicitur. Ergo.

4 Probatur ſecundò. Quia verbis aſſeritur eſſe poſſibilem aliquem modum eminentiorem, ac perfectiorem cognoſcendi Deũ, re tamen ipſa, nec ſuſpicio inſinuatur, in quo conſiſtat iſte altior, perfectiorquè modus cognoſcendi Deum; tenetur enim affirmatiuam ſuſtinens ſententiam, aſſignare in quo conſiſtat hic perfectior cognoſcendi modus.

5 Probatur tertiò. Quia iuxta Nauarrete opinionem, non poteſt rectè explicari quid nomine luminis gloriæ intelligatur. Ergo. Probo antecedens. Quia ſi nomine luminis gloriæ intelligitur id, quo Deus clarè videri poteſt, ſequitur contra Nauarrete, quòd omne lumen quo videtur Deus, cum omni poſſibili perfectione, eſt lumen gloriæ; quòd ſi lumen gloriæ non eſt, explicet ipſe vſquè ad qualem, quantamq; perfectionis ſummam, lumen quo poſſumus videre Deum, dicitur lumen gloriæ, ita vt poſt dictum lumen, ſuccedat lumen eminentius, ac perfectius, quod quidem eſt prorſus ineſplicabile, & captu impoſſibile.

6 Probatur quartò. Si eſſet poſſibilis aliqua qualitas in ratione luminis, lumine gloriæ perfectior, eſſet etiam poſſibilis viſio perfectior viſione, quæ de facto nobis promittitur, & in patria in præmium eſſentiale confertur: ſed hoc eſt falſum ergo. Sequela

Digitized by Google

Sequela eſt euidens. Quia quo perfectius eſt lumen, eò perfectior eſt viſio per ipſum producta, Probatur minor. Quia ſi eſſet poſſibilis, eſſet etiam de facto, quod ita probo, Vltima hominis beatitudo conſiſtit in altiſſima eius operatione, quæ eſt ipſum intelligere, vt ait Diuus Thomas art. 1. huius quæſtionis, ſed de facto vltima hominis beatitudo datur. Ergo de facto illa altiſſima operatio debet dari. Patet conſequentia ex maiori. Quia in illa altiſſima operatione hominis beatitudo conſiſtet. D.Thom.

Quæ contra hanc determinationem Nauarrete, inſtaurat nullam habēt ſubſiſtentiam; Vide Conzalez hic diſputatione 28. ſectione 2. Nauaret. Conzal.

DISPVTATIO LXXIII.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT PRÆSTANTIVS viſione Beatifica.

Per unicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 QVamuis lumen gloriæ, & viſio beatifica reſpiciant vnum, idemquè ob ectum, non propterea ſunt eiuſdem omninò perfectionis, ſed vnum de duobus, alterum debet in perfectione excedere. Vnde pro determinatione veritatis,

Dico breuiter. Viſio beatifica eſt ſimplicior nobilior lumine gloriæ.

Probatur primò. Viſio beatifica eſt ex natura ſua inuariabilis, & menſuratur æternitate participata, non per hoc, quòd eſt à lumine gloriæ, immò ex hoc, lumen gloriæ habet, vt æternitate participata menſuretur; Quia eſt principium viſionis claræ Dei, quæ ex hoc, quòd immediatè terminatur ad Deum, ſecundùm quòd in ſe eſt æternitate participata menſuratur. Ergo viſio beatifica eſt nobilior lumine gloriæ.

2 Probatur ſecundò. Viſio clara Dei eſt præmium eſſentiale creaturæ rationalis, ſeu vltima illius beatitudo, non autem lumen gloriæ. Ergo eſt præſtantior lumine gloriæ.

Confirmatur. Quia lumen gloriæ, ideo ita nuncupatur, quia per ipſum acquiritur gloria in actu ſecundo, quæ eſt clara Dei viſio. Ergo &c.

3 Probatur tertiò. Quia Viſio beatifica producitur ab intellectu, à lumine gloriæ, & à diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, tanquàm ab vno proprio, ac integro principio; dico tanquàm ab vno proprio principio. Quia etiam dependet à Deo, vt à cauſa effectiua, & agente vniuerſali, quod ad præſens non eſt neceſſarium. Ergo viſio beatifica eſt nobilior lumine gloriæ. Antecedens ſupponitur ex dictis. Probatur conſequentia. Quia effectus, vt effectus, participat perfectionem à cauſa: ſed viſio beatifica dependet ab intellectu, lumine, & diuina eſſentia veluti ab vna propria, & integra ſui cauſa: Ergo debet illi ineſſe perfectio, correſpondens intellectui, lumini, & diuinæ eſſentiæ. Intellectui quidem, vt eleuato per lumen correſpondet ſecundùm quòd eſt vitalitas ſupernaturalis: Lumini verò, ſecundum quòd eſt ſupernaturalis intellectio: Diuinæ eſſentiæ tandem, ſecundùm quòd inuariabilis eſt, & æternitate participata menſuratur, necnon quamdam Deitatis perfectiorem participationem, & vnionem habet. Ergo ex hoc, quòd viſio beatifica habet ſpecialem perfectionem, quatenus diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis cauſanti correſpondet, eſt perfectior lumine gloriæ.

4 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis hoc modo. Cauſa eſt nobilior ſuo effectu, quando non eſt inſtrumentalis; ſed lumen gloriæ eſt cauſa viſionis, & non inſtrumentalis. Ergo lumen gloriæ eſt nobilius viſione beatifica.

Reſpon-

5 Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed lumen gloriæ eſt cauſa viſionis, & aliquo modo effectus, concedo minorem. Eſt cauſa, & aliquo modo effectus, concedo minorem. Ergo, &c. nego conſequentiam. & ratio negationis eſt; quia ſi lumen gloriæ eſt cauſa effectiua viſionis eleuatiuè; ipſum autem lumen reſpicit viſionem tanquàm finem; & quia cauſa finalis eſt ſimpliciter perfectior effectiua. ideo, &c. vide diſp. 61.

DISPVTATIO LXXIV.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SVBIECTETVR in intellectu agente, an verò in intellectu poſſibili.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Refertur opinio Aureoli, & veritas ſtabilitur.

Aureol. Capreol. 1 AVreolus apud Capreolum in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 3. ad argumenta Aureoli. 3. loco contra ſecundam concluſionem tenet, lumen gloriæ tenere ſe ex parte intellectus agentis.

Communiter tamen Theologi affirmant lumen gloriæ tenere ſe ex parte intellectus poſſibilis, illiq; ſubiectari, ſiuè dicatur quòd intellectus agens, & poſſibilis realiter identificentur, ſiuè quòd ſola ratione diſtinguantur. vnde pro determinatione veritatis,

2 Dico breuiter. Lumen gloriæ ſubiectatur in intellectu poſſibili, nullatenus verò in intellectu agente.

Probatur. Lumen gloriæ ponitur ad fortificandum intellectum intelligentem. Ergo ponitur in intellectu poſſibili.

3 Probatur ſecundò. Lumen gloriæ non ponitur ad cauſandam ſpeciem diuinæ eſſentiæ. Ergo non ponitur in intellectu agente. Antecedens patet. Probatur conſequentia. Quia intellectus agens, in tantùm illuminat poſſibilem, in quantùm ſpeciem in eo cauſat.

Huius rationis efficacia ex eo manifeſtè colligitur, quòd D. Thomas 3. p. quæſt. 9. art. 4. ponit, ac reſolutè defendit in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam, quia in eo fuit intellectus agens, cuius propria operatio eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles illas in intellectum poſſibilem immittendo. D. Thom.

4 Dices. Lumen gloriæ ponitur vt diſpoſitio intellectus ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis. Ergo ſe tenet ex parte intellectus agentis. Probo conſequentiam. Quia intellectus agens diſponit intellectum poſſibilem ad ſuſcipiendam ſpeciem intelligibilem.

5 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Lumen gloriæ ponitur vt diſpoſitio intrinſeca intellectus, ſeù inhærens intellectui, concedo antecedens; vt diſpoſitio extrinſeca, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem reſpondetur per idem. Vide Capreolum loco citato; & Nauarrete controuerſia 40. Capreol. Nauarret.

DISPVTATIO

DISPVTATIO LXXV.

VTRVM LVMEN GLORIÆ POSSIT ILLVSTRARE intellectum ad videnda entia ſupernaturalia creata, immediatè in proprio genere.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, atquè Doctorum opiniones referuntur.

1 LVmen gloriæ illuſtrare intellectum creatum ad videndum Deum vt eſt in ſe, ſiuè formaliter, ſiuè effectiuè, communis eſt catholicorum ſententia, iuxta Sacri Concilij Viennenſis determinationem, in ſuperioribus allatam, & explicatam. Videri etiam in Deo clarè viſo myſteria gratiæ, ac cœtera entia ſupernaturalia creata mediante eodem lumine gloriæ, eademquè viſione qua Deus ipſe videtur, vt certum ex dicendis infra ſupponimus; ſolummodo in præſenti indagamus, Vtrum lumen gloriæ poſſit intellectum creatum illuſtrare ad cognoſcenda entia ſimpliciter ſupernaturalia creata, immediatè in ſe ipſis. *Viennen.*

2 Negant nonnulli, ita Aluarez 3. p. quæſt. 11. diſp. 61. Vnde docet quòd anima Chriſti Domini per ſcientiam inditam nō cognouit dona ſupernaturalia, & myſteria gratiæ euidenter, vt ſunt in ſe ipſis. Idem tenēt Gabrera ibidem diſp. 7. Cippull. dub. 4. & 5. non obſtante quòd contra Aluarez cū Gabrera dicat animā Chriſti Domini p ſcientiam infuſam ſupradicta entia ſupernaturalia euidenter, imo, & comprehēſiuè, vt in ſe ipſis ſunt, cognouiſſe. *Aluarez. Gabrera. Cipullus.*

3 Alij autem dicunt per habitum luminis gloriæ intellectum creatum illuſtrari ad videndum omnia quæ Chriſtus Dominus per ſcientiam inditam, & infuſam cognouit; quæ non ſolùm ſunt entia ſupernaturalia creata, V. g. Gratia, Fides, Spes, Charitas, lumen gloriæ, Viſio clara Dei, &c. verùm etiam, ea quę entitatiuè naturalia ſunt, V. g. cogitationes cordium, futura libera, & contingentia, &c. Ita Suarez 3. p. tom. 1. quæſt. 11. art. 1. diſp. 29. ſect. 4. Licet in fine ſectionis ſic concludat. *Nihilominus tamen quia res noua eſt, nolo eam definire, ſed difficultatem eius inſinuaſſe ſufficiat.* *Suarez.*

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRo determinatione ergo veritatis. Dico primò. Falſum eſt aſſerere lumen gloriæ eſſe habitum vnicum, ac ſingularem totius ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti. *D.Thom.*

Probatur primò, authoritate D. Thomæ 3. p. quæſt. 11. art. 6. vbi expreſsè docet ſcientiam inditam animæ Chriſti fuiſſe diſtinctam ſecundùm diuerſos habitus.

5 Probatur ſecundò; Quia lumen gloriæ ponitur ad illuſtrandum intellectum vt cognoſcat Deum vt eſt in ſe, & ea quæ alio inferiori lumine cognoſci non poſſunt. Ergo.

Confirmatur. Quia lumen gloriæ eſt ſimpliciter ſupernaturale, & alias ad cognoſcenda entia entitatiuè naturalia, eſt ſufficiens lumen naturalis ordinis. Ergo &c.

6 Dico ſecundò. Probabiliſſimum mihi eſt, quòd lumen glorię illuſtrat intellectum ad cognoſcenda entia ſupernaturalia creata in ſe ipſis quidditatiuè. *Aluarez.*

Probatur. Quia iuxta doctrinam Aluarez, anima Chriſti Domini per ſcientiam infuſam

Digitized by Google

non cognouit quidditatiuè viſionem beatificam; eò quià cognoſci quidditatiuè non poteſt, niſi mediante lumine gloriæ.

Gabrera. Cipullus. Et iuxta doctrinā Gabreræ, Cippulli, & aliorum, anima Chriſti Domini cognouit huiuſmodi myſteria gratiæ quidditatiuè, & comprehenſiuè.

Bañes. 7 Et inſuper Magiſter Bañes 2. 2. quæſt. 5. artic. 1. ad 3. aſſerentes, quòd Chriſtus Dñus per ſc. etiam inditam myſteria gratiæ euidēter cognoſcebat, etiam ſi lumine gloriæ caruiſſet, ſic reijcit. *Scio, inquit, eſſe aliquos Theologos, qui opinantur quòd per ſcientiam infuſam cognoſcebat Chriſtus Dominus ita euidenter myſteria gratiæ, & habitus infuſos, in ſe ipſo, & in nobis, vt etiam ſi careret lumine gloriæ haberet eamdem euidentiam per ſciētiam infuſam. Mihi tamen nunquā in huiuſmodi opinio placuit. Nam pari ratione poſſet affirmari lumen gloriæ eſſe cognoſcibile quantùm ad propriam, & ſpecificam rationem, ab aliquo intellectu carente lumine gloriæ; quod videtur incredibile. Quia lumen gloriæ excedit omne aliud lumē, & eſt alterius, & ſuperioris ordinis.*

8 Quibus poſitis ſic conficio argumentum. Chriſtus Dominus euidenter, & ad minus quidditatiuè, per ſcientiam non formaliter beatam cognoſcit gratiam ſanctificantem, viſionem beatificam, &c. ſed horum omnium lumine aliquo, ipſo lumine gloriæ inferiori non poteſt quidditatiuam habere cognitionem. Ergo per lumen gloriæ veluti per proportionatum illuſtrans.

Caiet. D. Thom. 9 Confirmatur ex Caietano ibidem art. 6. in fine, qui docet, quòd D. Thom. in corp. *ponens ſcientiam altioris ordinis in anima humana* Chriſti Domini, *poſuit ſpecies altioris ordinis, & lumen alterioris ordinis, ſub quo clarè cognoſcuntur ea, quæ per ſpecies infuſas repræſentantur*: ſed ſupradicta entia ſupernaturalia ſub nullo alio lumine inferiori ipſo lumine gloriæ, clarè, & quidditatiuè cognoſcuntur. Ergo per lumen gloriæ.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta in contrarium diſſoluuntur.

10 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò contra primum dictum. Lumen per quod videtur obiectum nobilius, eſt ſufficiens ad illuminandum potentiam vt cognoſcat obiectum minus nobile: ſed lumen gloriæ eſt per quod videtur obiectum nobiliſſimum, nempè Deus. Ergo eſt ſufficiens ad illuminandum intellectum vt cognoſcat obiectū minus nobile. Ergo etiam vt cognoſcat cogitationes cordium, futura contingentia, & cętera obiecta naturalia, quæ Chriſtus Dominus per ſcientiam inditam cognoſcebat. Maior eſt euidens, & explicatur; Nam lumen Solis v. g. quod ſufficiens eſt ad illuminandum mediū, ad hoc vt Sol ipſe videatur, eſt ſufficiēs quoquè ad idem illuminandum, vt videatur albedo. Et ſimiliter potentia viſiua Aquilæ habens in ſe virtutem videndi Solem, per eamdem habet virtutem videndi colores: Ergo ita ſimiliter lumen intelligibile perfectius, per quod intellectus illuminatur ad cognoſcendum obiectum magis perfectum, eſt ſufficiēs ad eumdem intellectum illuſtrandum, vt obiecta inferiora cognoſcat. Minor etiam eſt clara, lumen enim gloriæ ſe habet vt radius, & ſplendor Solis ſpiritualis, qui procedit à Deo in intellectum, & per quem intellectus creatus Deum clarè cognoſcit.

11 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Lumen per quod videtur obiectum nobilius, & eſt eiuſdem ordinis cum lumine quo videtur obiectum minus nobile, eſt ſufficiens, &c. concedo maiorem. Et non eſt eiuſdem ordinis, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt cōſequentia, & ratio negationis eſt, quia lumen gloriæ eſt ordinis diuini, & determinatum ad illuſtrandum intellectum vt poſſit videre Deum, & tantùm alia à Deo, quæ per lumen inferius ipſo, quidditatiuè cognoſci non poſſunt.

12 Doctrina eſt D. Thomæ p. p. quæſt. 66. art. 3. ad 4. vbi quęrens *Vtrum Cœlum Empyreum ſit concreatum materiæ informi*, & contra concluſionem ſic arguens. *Inter corpora cœleſtia inuenitur aliquod corpus, partim diaphanum, & partim lucidum, ſcilicet, corpus ſydereum, inuenitur etiam aliquod Cœlum totum diaphanum, quod aliqui nominant Cœlum aqueum, vel criſtallinum. Si ergo eſt aliud ſuperius Cœlum, oportet quòd ſit totum lucidum: ſed hoc eſſe non poteſt; quia ſic continuè aer illuminaretur, nec vnquā nox eſſet. Non ergo Cœlum Empyreum materiæ informi eſt concreatum.* D. Thom.

13 Sic reſpondet. *Poteſt aliter dici, quòd habet lucem Cœlum Empyreum, non condenſatam, vt radios emittat, ſicut corpus Solis, ſed magis ſubtilem; vel habet claritatem gloriæ, quæ non eſt conformis cum claritate naturali.* Hæc ille. Vbi nota, quòd Cœlum Empyreum quamuis maximam habeat claritatem, non tamen hæc inferiora illuſtrat; quia claritas illius eſt claritas gloriæ, non verò horum inferiorum ſplendor; Ita ſimiliter lumen gloriæ illuſtrat intellectum in ordine ad gloriam, & in ordine ad ea, quæ ſpectant ad gloriam.

Obij-

Digitized by Google

14 Obijcies ſecundo contra ſecundum dictum. Lumen gloriæ eſt vnus habitus. Ergo reſpicit vnum obiectum formale, adæquatum, ac ſpecificatiuum: Sed ſi per lumen gloriæ cognoſcerentur entia ſupernaturalia in ſeipſis quidditatiuè, & immediatè, eiuſdem habitus eſſent duo ſpecificatiua; vel lumen gloriæ non eſſet vnus habitus ſpecie. Ergo falſum eſt quòd per lumen gloriæ poſſunt entia ſupernaturalia creata in ſeipſis immediatè videri. Probatur iſta conſequentia. Quia entia ſupernaturalia creata eſſent vnum obiectum luminis gloriæ ſpecificatiuum: Deus autem clarè viſus eſſet alterum. Ergo. Prima verò conſequentia eſt euidens; quia habitus ſpecificatur per obiectum. Subſumptio verò minoris etiam patet; quia entia ſupernaturalia creata eſſent vnum luminis gloriæ ſpecificatiuum, Deus clarè viſus eſſet alterum. Ergo. Vltima autem conſequentia ex ſuis antecedentibus eſt manifeſta.

15 Reſpondetur quòd ſpeciale genus habitus, ſpecialem rationem requirit; Lumen autem gloriæ eſt habitus præſtantiſſimus, ac cęteris virtuoſior. Vnde peculiari ratione de illo loquendum eſt. Reſpondetur igitur diſtinguendo antecedens. Lumen gloriæ eſt vnus habitus abſolutè, & formaliter, concedo antecedens. Lumen gloriæ eſt vnus habitus ex ſuppoſitione, & virtualiter, nego antecedens. Ergo &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens ſimul cum ſubſumptione minoris.

16 Explicatur iſta reſponſio. Lumen gloriæ ſi abſolutè, & præcisè accipitur primò, & per ſe petit intellectum illuſtrare, ac fortificare ad cognoſcendum Deum vt in ſe eſt; ſuppoſito verò ſpeciei creatæ interuentu, reſpectu entium ſupernaturalium, quæ proprias poſſunt habere ſpecies ipſorum repræſentatiuas, etiam ſufficienter, & ſi non ſic connaturaliter exigenter, ſicut ſe habet ad illuſtrandum intellectum vt poſſit videre Deum, poteſt intellectum illuſtrare, & de facto illuſtrat ad videnda entia ſupernaturalia creata, quæ lumine, ipſo lumine gloriæ, inferiori videri non poſſunt.

17 Obijcies vltimò. Per vnum idemquè numerò lumen gloriæ illuſtratur intellectus ad producendam, eliciendamq; vnam numerò viſionem, ita vt per tale lumen non poſſit niſi hæc numerò viſio produci. Ergo per tale lumen nequè etiam poſſet intellectus aliud lumen gloriæ cognoſcere à ſe numerò diſtinctum. Et ſic per lumen gloriæ exiſtens in Paulo non poſſet cognoſci lumen gloriæ exiſtens in Petro.

18 Reſpondetur negando antecedens. Nam vt dicemus infra, per idem numerò lumen gloriæ illuſtratur intellectus vt poſſit tantam viſionem producere; quòd autem producat hanc viſionem, nempè Dei vt productiui harum, vel aliarum creaturarum aliunde prouenit.

19 Reſpondetur ſecundò, tranſeundo antecedens, & negando conſequentiam; Et ratio diſparitatis eſt, quia licet idem numero lumen gloriæ reſpectu obiecti primarij determinet intellectum ad vnam numero actionem propter idem numero obiectum: reſpectu tamè obiecti ſecundarij non ita ſe habet: eo quia ſunt plura obiecta ſecundaria. Quare, &c.

20 Vnde autem oriatur quòd aliquis minus Beatus, & conſequenter cum minori lumine ? videat plures creaturas, quam alius Beatus cum maiori lumine, quidam dicunt minus Beatum videre quidem plura, non in verbò, ſed extra verbum; ſed hoc infra art. ſequenti breuiter reſoluemus.

21 Diſputari quoquè poſſet, Vtrum de facto aliquando contigiſſe, dici poſſit, quòd aliquis myſteria ſupernaturalia, ſicuti ſunt viſio clara Dei, & lumen gloriæ intuitiuè, & quidditatiuè cognouerit, abſquè eo quòd diuinam eſſentiam ſimul intueretur, V. g. Paulus in raptu diuinam intuens eſſentiam, habuit lumen gloriæ, & quidditatiuè, ac intuitiuè viſionem claram Dei cognouit per gloriæ lumen, quæritur vtrum tranſacta diuinæ eſſentiæ viſione, remanſerit lumen gloriæ ad cognoſcendam quidditatiuè viſionem, cuius memoriam habebat. Dicendum tamen eſt, quòd tranſacta diuinæ eſſentiæ viſione non remanſit clara, & quidditatiua viſionis cognitio, ſed quo ad an eſt. Non enim verum eſt, viſionem claram Dei Paulum intuitiuè, & quidditatiuè cognouiſſe poſt raptum. Vide quæ diximus ſupra art. 2. diſp. 32. cap. 3. à num. vſquè ad vltimum.

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXVI.

VTRVM IDEM NVMERO LVMEN GLORIÆ illuſtret intellectum ad videndum omne aliud gloriæ lumen in proprio genere, an ſolùm ad cognitionem ſui ipſius.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 SVpponimus præcedentis diſputationis determinationem, qua ſuppoſita; pro determinatione veritatis, Dico primò. Vnum lumen gloriæ in indiuiduo, non poteſt eſſe ratio repræſentatiua alterius luminis gloriæ numero diſtincti.

Probatur. Species repræſentatiua vnius albedinis non eſt repræſentatiua alterius albedinis numero diſtinctæ, & ſpecies Franciſci non eſt repræſentatiua Pauli, &c. Ergo ſpecies vnius luminis gloriæ non eſt repræſentatiua alterius luminis numero diſtincti. Præſentis dicti veritas pendet ex ſupradictis.

2 Dico ſecundò. Idem numero lumen gloriæ eleuatiuè, ſufficienter illuſtrat intellectum ad cognoſcendum omne aliud lumen gloriæ.

Probatur. Quia ſuppoſito quòd intellectus V. g. Petri ſit lumine gloriæ illuſtratus, & quòd eidem ſpecies luminis gloriæ exiſtentis in Paulo infundatur, eſt proportionatus, vt poſſit illius cognitionem elicere.

3 Confirmatur. Quia infimus Angelus per lumen ſibi connaturale ſufficienter illuſtratur ad cognoſcendum intuitiuè, & quidditatiuè lumen intellectuale cuiuſcumquè Angeli, etiam ſupremi, ſuppoſita ſpeciei repræſentatione. Ergo ſimiliter quodcunquè lumen gloriæ ſufficienter illuſtrat intellectum ad cognoſcendum quodcumquè aliud lumen gloriæ creatum, ſuppoſita illius ſpeciei infuſione.

DISPVTATIO LXXVII.

VTRVM VNVM NVMERO LVMEN GLORIÆ illuſtret intellectum ad cognoſcendum in Deo has numero creaturas, ita vt non alias per illud in Deo videre poſſit.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & diſputationis reſolutio ſtabilitur.

1 COntrouerſa eſt inter Theologos præſens diſputatio; Quidam enim affirmant aliquem intellectum Beati ideo in Deo has, & non alias intueri creaturas, quia habet in ſe tale numero lumen gloriæ ad cognoſcendum Deum, & in eo has, & non alias creaturas. Ita Conzalez art. 8. Conzal. diſp. 31. ſect. 1. num. 15. & deinceps per totam ſectionem. ~~Faſolus art. 8. dubit.~~ Faſolus. ~~num. 123. ad eandem ſententiam videtur inclinare~~, Nauarrete contr. 44. §. *ſequitur* Nauarret. *præterea*, & deinceps.

Alij

Digitized by Google

2 Alij autem dicunt, lumen gloriæ illuſtrare intellectum ad videndum Deum ſiuè formaliter, ſiuè effectiuè, in tanta intenſione, quòd verò cognoſcantur in Deo hæ potius creaturæ, quàm aliæ; prouenire ex diuerſo concurſu diuinæ eſſentiæ vnitæ in ratione ſpeciei ad repræſentandas has, & non alias creaturas, iuxta luminis gloriæ quantitatem. Ita Arrubal diſp. 26. cap. 4. Machin diſp. 19. ſect. 5. Becanus tract. 1. cap. 9. quæſt. 13. num. 16.

Arrubal. Machin.

3 Pro determinatione autem veritatis Dico primò. Probabile eſt aſſerere idem numero lumen gloriæ illuſtrare intellectum ad cognoſcendum Deum in tanta intenſione, non verò ad cognoſcendum in eo has, & non alias creaturas.

Probatur primò. Quia lumen gloriæ eo ipſo quòd eſt ſufficiens ad cognoſcendum Deum cognitione intenſa vt quatuor, non obligat Deum ad repræſentandum ſeipſum intellectui vt cauſam harum, & non aliarum creaturarum; quod idem patet quando creaturæ ad inuicem differentes, ſunt eiuſdem ſpeciei, & intenſiorem obiecti primarij non arguunt cognitionem. V.g. lumen gloriæ per quod cognoſcitur Deus, & in Deo cognoſcuntur duo homines, ſeù, & Deus cognoſcitur vt duorum hominum productiuus nempè Petri, & Pauli, non videtur ratio quare idem numero lumen de ſe non ſit ſufficiens illuſtrare intellectum ad cognoſcendum in Deo duos alios homines, Petro, & Paulo æquales, ſeù ad cognoſcendum Deum vt productiuum duorum hominum à præcedentibus diuerſorum.

4 Probatur ſecundò. Quia nulla in contrarium obſtat authoritas D. Thomæ, vel conuincens ratio.

5 Dico ſecundò. Probabile eſt quòd idem numero lumen gloriæ illuſtrat intellectum ad cognoſcendum Deum taliter, quòd per illud in Deo videantur aliquæ creaturæ determinatè, & non aliæ.

Probatur. Quia lumen gloriæ eſt diſpoſitio intellectus ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis. Ergo tale lumen eſt diſpoſitio intellectus ad taliter ſuſcipiendam diuinam eſſentiam, in ratione, ſcilicet quaſi talis ſpeciei: ſed diuina eſſentia in ratione ſpeciei taliter vnita, repræſentat has, & non alias creaturas. Ergo.

6 Confirmatur. Quia in naturalibus forma vnitur materiæ iuxta proportionem diſpoſitionis, taliter quòd licet forma in ſe perfectiori modo poſſet operari, tamen ſemper operatur iuxta proportionem, & menſuram diſpoſitionis. Ergo ſimiliter diuina eſſentia quæ intellectui creato vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis iuxta diſpoſitionem luminis gloriæ, repræſentat has, & non alias creaturas ſecundùm luminis gloriæ exigentiam.

7 Sed contra hanc determinationem obijcies aliquis contra primum dictum, authoritate D. Thomæ quæſt. 8. de verit. art. 4. vbi docet, ac declarat, quòd ideo vnus beatus iſtas creaturas potius quàm illas videat, ex duplici capite prouenire, quia ſcilicet, iſtæ potius, quàm illæ ad eius ſtatum pertinent, & quia aliquæ creaturæ in ipſa eſſentia Dei ſunt manifeſtiores, & aliæ latentiores. Ergo hinc prouenit, quòd hoc numero lumen gloriæ pertinet ad has creaturas in Deo cognoſcendas, & non ad alias.

D.Thom.

8 Confirmatur. Tanta viſio eſt à tanto lumine. Ergo talis viſio eſt à tali lumine: ſed viſio qua videntur in Deo hæ creaturæ eſt diſtincta ab ea qua viderentur in Deo aliæ creaturæ. Ergo viſio qua videntur in Deo hæ creaturæ, eſt à tali lumine taliter, & non aliter, intellectum illuſtrante.

9 Reſpondetur locum D. Thomæ nullo modo primæ opinioni ſuffragari. Etenim D. Thomas in ſupradicto loco non docet, neque declarat, ex quo proueniat, quòd ideo vnus Beatus iſtas creaturas potius quàm illas videat, ſed quare aliquas, & non omnes, & quomodo latentiores ac manifeſtiores. Docet enim quòd ad cognoſcendos effectus latentiores in Dei virtute requiritur maior virtus, quàm ad cognoſcendos effectus manifeſtiores. Ex quo non rectè ſequitur iſta conſequentia, nimirum, ergo per tale numero lumen cognoſcuntur hæ creaturæ in Deo, taliter quòd non aliæ. Et ratio eſt manifeſta; quia ſtat vt aliquæ creaturæ æquè latenter, vel æquè manifeſtè contineantur in omni potentia diuinæ virtutis; quo poſito, ſtat veritas Angelicæ doctrinæ abſque veritate opinionis primæ, vt diſcurrenti patet; Et vt verum fatear, primam opinionem probabilem exiſtimo magis propter authoritatem Doctorum illam defendentium, & propter rationem à nobis in ſecundo dicto poſitam, quàm propter aliorum Doctorum rationes, vel authoritatem ex D. Thoma adductam. Quoniam rationes ipſorum ſunt ſatis debiles, & infirmæ, & D. Thomæ authoritas nullatenus ſuffragatur ei.

10 Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo talis viſio à tali lumine, materialiter, concedo conſequentiam. A tali formaliter, nego conſequentiam. Senſus eſt, quòd intellectus tali lumine illuſtratus elicit viſionem Dei talem, quæ ad has, & non ad alias creaturas terminatur; non quidem ex lumine tali, tanquàm ex ratione propria, ac determinante intellectum ad hanc, harum creaturarum cognitionem in Deo; quoniam

hoc

Digitized by Google

hoc prouenit ex voluntaria coniunctione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei, volentis hæc, & non alia creata obiecta in ſe viſa, repræſentare; quæ ex alio capite videns, meruit hæc, & non alia obiecta videre.

11 Ratio igitur tanteitatis immediata, & propria beatificæ viſionis, ex ſola tanteitate luminis gloriæ procedit: ratio verò taleitatis quòd ſcilicet hæ, & non aliæ creaturæ in diuina eſſentia videantur, duplex eſt, meritoria, & formalis. Meritoria, ſunt videntis merita, ratione ſcilicet ſtatus merentis; quia nimirum ad ſtatum vnius Beati pertinent hæ, & non aliæ creaturæ. Cauſa verò formalis eſt ipſamet diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis vnita, vt harum, & non aliarum creaturarũ repręſentatiua in actu exercito. Quòd ſi lumẽ gloriæ tanquàm tertiam rationem miſcere velimus; dicamus lumen gloriæ tale, vel tale in indiuiduo, eſſe cauſam ſufficientem, non tamen propriam.

12 Ad rationem autem pro ſecundo dicto poſitam, quæ aliquod videtur in D. Thomæ doctrina habere fundamentum; eo quòd 1.2. quæſt. 65. art. 2. ad primum dicet, quòd modus actionis ſequitur diſpoſitionem agentis. Ex quo videtur ſequi, quòd diuinæ eſſentiæ agendi modus in intellectu Beati in ratione ſpeciei intelligibilis ſit ſecundùm modum diſpoſitionis præcedentis, & concomitantis ipſam, quæ eſt lumen gloriæ. Reſpondetur tamen diſtinguendo antecedens. Lumen gloriæ eſt diſpoſitio intellectus ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, quo ad intentionem viſionis producendæ, concedo antecedens; Quo ad determinationem circa hæc, & non alia ſecundaria obiecta, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et per idem patet ad confirmationem.

D.Thom.

13 Ad argumentum pro prima opinione contra ſecundum dictum, Reſpondetur obligationem non procedere à lumine, ſed ex parte ſubiecti, à conditione, ſeù ab exigentia ſtatus Deum videntis, & à voluntate diuina volente manifeſtare ſe intellectui creato vt harum, & non aliarum creaturarum cauſa: quapropter ſua libera voluntate intellectum creatum tali lumine gloriæ illuſtrat.

DISPVTATIO LXXVIII.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIC ILLVSTRET INTELlectum creatum, vt in nullius obiecti creati cognitione poſſit errare.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 SVpponit præſens diſputatio, quòd ſi per impoſſibile vel poſſibile (vt ego exiſtimo) intellectus creatus eſſet lumine gloriæ illuſtratus, & Deum clarè non videret, vtrum ex vi huiuſmodi illuſtrationis intellectus creatus poſſit circa aliquod obiectum in aliquem incidere errorem, quo poſito pro determinatione veritatis,

2 Dico breuiter. Intellectus creatus lumine gloriæ illuſtratus nullo modo poteſt errare.

Probatur; Quia non poteſt errare circa ea, quæ per ipſam immediatè intellectus cognoſcere poteſt; neque circa ea quæ lumine naturali cognoſci poſſunt, vel ab alterius reuelatione dependent. Ergo nullo modo poteſt errare. Conſequentia patet. Probatur antecedens quo ad primam partem; Quia circa ea quæ ſunt contra luminis naturalis inclinationem, ſeù illuſtrationem intellectus non poteſt habere erroneum aſſenſum. Ergo neque circa ea, quæ manifeſtè ſunt contra luminis gloriæ inclinationem, aut illuſtrationem. Probatur ſecunda pars. Quia lumen gloriæ quamuis non illuſtret intellectum ad cognoſcenda omnia

Digitized by Google

omnia obiecta creata immediatè intellectũ illuſtrando, & effectiuè cum ipſo ad illorum cognitionem concurrendo, concurrit tamen directiuè, dirigendo ſcilicet lumen naturale; Lumen enim naturale ex coniunctione ad lumen gloriæ perficitur, dirigitur, ac firmatur, non ſolùm ſpeculatiuè, verùm etiam practicè; cum ſit lumen immediatè, & clarè intellectum illuſtrans ad primam veritatem inſpiciendam. Ergo. Probatur vltima pars. Quia lumen gloriæ illuſtrat intellectum ſpeculatiuè, & practicè. Ergo per ipſum intellectus rectè dirigitur, vt diſcernere poſſit, vtrum à dicente, mendaciter, an fideliter aliquid proferatur.

3 Sed contra iſtam determinationem obijcies primò. Intellectus creatus illuſtratus lumine fidei poteſt errare etiam quantùm ad ea quæ fidei ſunt; vt patet de fideli in hæreſim incidente; Ergo etiam intellectus illuſtratus lumine gloriæ poteſt errare quantùm ad ea quæ per ipſum cognoſcuntur.

4 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt manifeſta; quia intellectus per lumen fidei illuſtratur obſcurè, non autem euidenter, vt per tale lumen conuinci poſſit ad aſſentiendum ijs, quæ fidei ſunt: at verò per lumen gloriæ illuminatur euidenter. Vnde ad ipſorum aſſenſum non prærequiritur pia affectione voluntatis.

5 Obijcies ſecundò. Lumen gloriæ per nos, non illuſtrat intellectum ad cognoſcendam omnem creatam veritatem. Ergo per lumen naturale poteſt errare etiamſi illud eſſet lumini gloriæ coniunctum.

6 Reſpondetur explicando antecedens. Lumen gloriæ non illuſtrat intellectum creatum ad cognoſcendam omnem creatam veritatem, formaliter illuſtrando, & cum intellectu ad ipſorum cognitionẽ immediatè coefficiendo, concedo antecedens. Dirigendo lumen naturale, atquè in ſuo eſſe firmando, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Quamuis igitur lumen gloriæ non illuſtret intellectum creatum ad cognoſcenda omnia obiecta creata, illuminat tamen eum, ne in ſuo lumine naturali diſcurſiuo compoſitiuo, vel apprehenſiuo ab aliquo alio fallatur.

7 Obijcies tertiò. Poteſt Diabolus mendacium proferre alicui lumine gloriæ illuſtrato vt verum: ſibi tamen ſoli notũ, ſed in tali caſu nulla eſt implicantia vt intellectus taliter illuſtratus à Diabolo decipi poſſit. Ergo intellectus lumine gloriæ illuſtratus, in aliquo poteſt errare. Probatur, & declaratur maior. Quia poteſt Diabolus alicui Beato dicere cogitaui hoc, taliter quòd illud ſit veriſimile cogitaſſe. Et inſuper nulla eſt implicantia quòd tali præbeatur aſſenſus.

8 Reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ratio negationis efficaciſſima eſt; quia intellectus ille lumine tam perfecto perfuſus rectè ſcit Diabolum eſſe mendacem, & conſequenter nequit prębere ſuo dicto efficacem aſſenſum, ſed ſolummodo iudicabit, illud in ſe veriſimile eſſe, & poſſe eſſe falſum, & fortè re ipſa falſum, quia à patre mendacij eſt prolatum.

9 Licet ergo dicamus intellectum creatum lumine gloriæ illuſtratum nullatenus errare poſſe, nec ſpeculatiuè, nec practicè; non tamen dicimus, quòd per tale lumen omne cognoſcibile ſcit; poteſt enim, imo contingit de facto multa neſcire.

DISPVTATIO LXXIX.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT VIRTVS Theologica.

Per Vnicum caput expeditã.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 Dico breuiter. Lumen gloriæ eſt virtus Theologica.

Probatur. Quia lumen gloriæ habet totum illud quod requiritur ad rationem virtutis Theologicæ. Ergo eſt verè, & propriè virtus Theologica. Conſequentia patet. Probatur antecedens. Quia lumen gloriæ habet Deum vt in ſe eſt pro obie-

ſto,

ĉto, & per illud homo rectè ordinatur in Deum, à ſolo Deo infunditur, & ſola diuina reuelatione in Sacra Scriptura, ſeù in Sacris Concilijs eſt reuelatum. Ergo. Antecedens patet quo ad omnia. Conſequentia eſt euidens; Quia hoc intelligitur nomine virtutis Theologicæ.

2 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis. Quia tres eſſe dicuntur virtutes Theologicæ, nempè Fides, Spes, & Charitas. Ergo omnes aliæ virtutes à numero Theologicarum virtutum excluduntur.

3 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, Tres, &c. loquendo de virtutibus viæ, concedo antecedens. De virtutibus patriæ, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

4 Quòd autē ſermo ſit de virtutibus Theologicis viæ, Diuus Paulus inſinuat dum ait, *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas. Nunc*, quaſi diceret, de virtutibus quæ nunc, ſeù in hoc ſtatu nobis in ordine ad Deum infunt eſt ſermo. Ita Caietanus 2.2. quæſt. 17. art. 5. §. *Ad hoc dicitur*, circa finem, vbi ſic ait. *Licet poſſit dici quòd numerus virtutum Theologicarum non intelligitur aſſignatus niſi in præſenti vita, iuxta illud Apoſtoli Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas.* Vide Aluarez 1.2. quæſt. 62. art. 3. 6. ad 2. quamuis ibidem etiam dicat quòd *lumen gloriæ eſt habitus ſuperior, & perfectior habitibus tàm virtutum, quàm donorum ſupernaturalium, & habet eminenter rationem virtutis Theologicæ, & doni Spiritus Sancti.* 1. Cor. 13. Caiet. Aluarez.

DISPVTATIO LXXX.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT VNVM ſpecie in omnibus intellectibus.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo determinatione veritatis Dico breuiter. Habitus luminis gloriæ eſt vnus in omnibus ſecundùm ſpeciem atomam.

Probatur. Habitus luminis gloriæ habet vnum obiectum formaliter, ac ſpecificè, vnum quoquè modum tendendi ad idem obiectum. Ergo eſt vnus habitus ſecundùm ſpeciem.

2 Sed contra hanc determinationem obijciet aliquis primò. Lumen gloriæ collatum Paulo in raptu, & lumen gloriæ collatum Sanctis in Patria, ſunt lumina ſpecificè diſtincta. Ergo. Probatur antecedens. Quia lumen collatum Paulo, fuit de ſe tranſiens, lumen verò Beatis infuſum, eſt de ſe permanens. Ergo ſpecificè diſtinguuntur.

3 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, ſimiliter nego antecedens. Nam lumen gloriæ Paulo in raptu collatum, fuit habitus; nō quidem per modum habitus, ſeù per modum permanentis; ſed per modum diſpoſitionis, ſeù per modum tranſeuntis; ſed quia de hoc iterum art. ſequenti ſermo redibit, ideo pro nunc hactenus.

4 Obijcies ſecundò. Iuxta probabilem opinionem, intellectus creatus poteſt videre Deum mediante aliquo auxilio actuali præuio, ac de ſe tranſeunte. Ergo habitus luminis gloriæ eſſet formaliter ab illo diſtinctus: ſed aliàs eſſet quoquè lumen gloriæ; eò quia ſufficienter illuſtraret intellectum ad videndum Deum vt eſt in ſe. Ergo.

Reſpondetur, mihi dictam opinionem non probari.

5 Sed admiſſa tanquam probabili eadem opinione, dico quòd habitus luminis gloriæ, & illud præuium actuale auxilium diſtingui ſpecificè quo ad modum exiſtendi, non quo ad efficaciam; Et quia in præſenti diſputatione ſermo eſt de habitu luminis gloriæ, idcirco non eſt de præuio actuali auxilio, quod ipſi non admittimus, immorandum.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXXI.

VTRVM LVMEN GLORIÆ A SOLO DEO producatur.

Per vnicum caput expedità.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Nulla creatura poteſt tanquàm cauſa principalis producere lumen gloriæ.

Probatur. Quia ſi aliqua creatura poſſet vt cauſa principalis lumen glorię producere, vel hoc haberet ex natura ſua, vel ex aliqua virtute ſuperaddita: Neutrum dici poteſt. Ergo. Maior patet. Probatur minor; & quidem quo ad primam partem eſt euidens; quia lumen gloriæ eſt immediata participatio luminis increati, & infiniti qua infinitum, & ſupernaturale eſt: ſed implicat aliqua creatura cui ex natura ſua conueniat producere huiuſmodi entia. Ergo. Probatur minor. Quia tunc ſi eſſet poſſibilis huiuſmodi creatura, lumen gloriæ, & cœtera ſimilia entia immediatè participarent id à quo procederent, & ſic non eſſent immediata participatio luminis increati, & infiniti. Ex ijs quæ ſupra diſp. 47. diximus, hæc omnia manifeſta ſunt.

2 Quò ad ſecundam verò partem, probatur minor. Quia non poteſt fingi, ſeù data fingendi licentia, nō poteſt aſſignari, quæ, & qualis ſit ſuperaddita virtus ex ſua natura luminis gloriæ productiua vt cauſa principalis.

3 Dico ſecundò. Lumen gloriæ poteſt ab aliqua creatura produci tāquàm à cauſa inſtrumentali, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè concurrente, & cauſante.

Probatur. Quia poteſt dari, & de facto datur inſtrumentum non ſolùm moraliter, verum etiam phyſicè cauſans ſanctificantem gratiam, & huiuſmodi eſt Sacratiſſima Chriſti humanitas tanquàm inſtrumentum coniunctum Deitatis. Ergo ipſamet humanitas Chriſti vt eiuſdem Deitatis inſtrumentum potuit Beatorum intellectibus, gloriæ lumen infundere. Ergo.

4 Dico tertiò. Non eſt improbabile aſſerere de facto lumen gloriæ cauſari ab humanitate Chriſti tanquàm ab inſtrumento phyſico, imo veriſimile, & pium. Ita Suarez 3. p. diſp. 31. ſect. 1. concl. 2. Et quidam alij moderni. Suarez

Probatur. Chriſti humanitas eſt inſtrumentum ſanctificantis gratiæ. Ergo etiam eſt inſtrumentum luminis gloriæ. Antecedens ſupponitur; Probatur autem conſequentia. Quia Chriſtus Dominus ſicut eſt caput prædeſtinatorum quò ad rationem gratiæ, ita quoquè eſt ipſorum caput quò ad rationem gloriæ.

Cōfirmatur primò. Sacratiſſima Chriſti humanitas eſt diuinitatis inſtrumentum cōiunctū. Ergo non ſolùm gratiam, ſed etiam gloriam inſtrumentaliter cauſat.

5 Confirmatur ſecundò, ex illo Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra*, & ex illo Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Ergo ſi hæc teſtimonia de gratiæ collatione, ac miraculoſorum operum productione intelliguntur; quare ad luminis gloriæ infuſionem extendi non debent; cum ad maiorem Chriſti, gloriæ noſtræ capitis, dignitatem pertineant? Matt. 28. Luc. 6.

6 Confirmatur tertiò. Quia in Concilio Epheſino Can. 11. *Caro Chriſti propter vnionem quam habet ad Verbum uocatur viuificatrix*. Ergo quarè propter eandem ad verbum vnionem, vocari non debet beatificatrix? Cōc. Eph.

Confirmatur quartò. Quia D. Thomas 3. p. quæſt. 52. art. 1. in corp. ait, *Chriſtum deſcendentem ad inferos, Sanctis Patribus, qui pro ſolo originali detinebantur in inferno, lumen æternæ gloriæ infudiſſe*. Ergo. D. Thom.

7 Dico tandem. Valde pium eſt aſſerere ex cicatricibus Sacratiſſimæ Chriſti humanitatis, & præſertim à latere, redemptis Deum videntibus, lumen gloriæ manare.

Probatur. Cicatrices, ſeù Chriſti Domini ſacra-

ſceratiſſimæ plagę, non credentibus fidem cauſant, credentibus augent. Ergo fruentibus, lumen gloriæ cauſare, veriſimile eſt. Antecedens videtur ſuaderi; quia Thomas Chriſti Apoſtolus quondam de Chriſti Reſurrectione incredulus, & dicens ei Dñs, *Mitte manum tuam in latus meum*; plagas tangens, ſtatim atquè fidem quam perdiderat recepit, ardentiuſquè retinuit. Ergo ſignum eſt, quòd ex plagis in hac vita, fides, & in altera, lumen gloriæ manat. Conſequentia videtur ex antecedente ſuaderi.

8 Quòd lumen gloriæ à Chriſto Domino veluti prædeſtinatorum capite, redemptis infundatur, veluti ab inſtrumento deitatis, mihi valde probabile eſt: Quòd verò per cicatrices omnibus fluat, potius eſt deuota meditatio, quàm vera opinio; ſed de his hactenus.

9 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis. Quia lumen gloriæ eſt cauſa principalis actus viſionis beatificæ. Ergo poterit etiam dari aliquis habitus luminis gloriæ, qui ſit ab aliquo alio habitu, tanquàm à cauſa principali. Antecedens ex ſupradictis patet. Probatur autem conſequentia à paritate.

10 Reſpondetur concedendo antecedens, & negãdo conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; quia actus vitalis potentiæ creatæ intrinſecè petit à potentia produci, vel ad minus connaturaliter, ſiuè ſit actus naturalis, ſiuè ſupernaturalis: At verò habitus non petit à potentia produci, & præcipuè ſupernaturalis, ſed tantummodo ponitur in potentia, vt per eum poſſit ſimpliciter, vel facilius actum producere.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum videntium eſſentiam Dei, vnus perfectius videat.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quod videntium eſſentiam Dei, vnus alio perfectius non videat. Dicitur enim 1. Ioan. 3. Videbimus eum, ſicuti eſt; ſed ipſe vno modo eſt. Ergo vno modo videbitur ab omnibus. Non ergo perfectius, & minus perfectè.

2 Præterea, Auguſ. dicit in lib. 83. q. quòd vnam rem non poteſt vnus alio plus intelligere. Sed omnes videntes Deum per eſſentiam, intelligunt Dei eſſentiã: Intellectu enim videtur Deus, non ſenſu; vt ſupra habitum eſt. Ergo videntium diuinam eſſentiam vnus alio non clarius videt.

3 Præterea. Quòd aliquid altero perfectius videatur, ex duobus cõtingere poteſt, vel ex parte obiecti viſibilis, vel ex parte potentiæ viſiuæ videntis. Ex parte autem obiecti; per hoc, quòd obiectũ perfectius in vidente recipitur; ſcilicet ſecundùm perfectiorem ſimilitudinem, quod in propoſito locum non habet. Deus enim non per aliquam ſimilitudinem, ſed per eius eſſentiam præſens eſt intellectui eſſentiam eius videnti. Relinquitur ergo, quòd ſi vnus alio perfectius eum videat, quòd hoc ſit ſecundùm differentiam potentiæ intellectiuæ. Et ita ſequitur, quòd cuius potentia intellectiua naturaliter eſt ſublimior, clarius eum videat. Quod eſt inconueniens, cum hominibus promittatur in beatitudine æqualitas Angelorum.

Sed contra eſt, quod vita æterna in viſione Dei conſiſtit; ſecundùm illud Io. 17. Hæc eſt vita æterna, &c. Ergo ſi omnes æqualiter Dei eſſentiam vident, in vita æterna omnes erunt æquales; cuius contrarium dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. Stella differt à Stella in claritate.

Reſpondeo. Dicendum, quod

FORMATIO Articuli.

QVadripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit concluſionem. Secundò, impugnat probationẽ, (1.Io.3.) quæ ex ratione ſpeciei poſſet oriri. Tertiò, probat rationem accipiendam eſſe ex perfectiori luminis gloriæ participatione. Quartò, propriam ſtatuit rationem. (D.Aug.)

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Videntium Deum per eſſentiam vnus alio perfectius eum videbit.*

Quò ad ſecundum, Reijcit quandam falſam rationem, quę pro vera cõcluſione poſſet adduci, hoc modo. *Videre Deum perfectius non erit per aliquam Dei ſimilitudinem perfectiorem in vno, quàm in alio. Nam illa viſio nõ eſt futura per aliquam ſimilitudinem.*

Quò ad tertiũ ſic pbat, quia *hoc erit per hoc, quòd intellectus vnius habebit maiorem virtutem, ſeù facultatem ad videndum Deum, quàm alterius. Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato ſecundùm ſuam naturam, ſed per lumen gloriæ. Ergo intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit.* Maior patet, & minor ſupponitur ſupra art. 4. & 5. rectè probata, & hic breuiter inſinuat eius probationem; Quia ſcilicet, *lumen gloriæ intellectum in quadam Deiformitate conſtituit*; non autem facultas naturalis intellectus.

Quò ad quartum, ſic cõcluſionem probat. *Plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate. Ergo qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, & beatior erit*: ſed videntiũ Deum aliquis plus habet de charitate, quàm alius. (Io.17.) Et hanc propoſitionem veluti omninò, & apud omnes certam ſupponit, & implicitè ſubintellexit. Ergo. (1.Cor.5.) Conſequentia principalis eſt euidens. Probat antecedens. Vbi eſt maior charitas, ibi eſt

maius deſiderium, ſubaudi, videndi Deũ Ergo plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate. Probatur conſequentia; Quia *deſiderium quodammodo facit, deſiderãtem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati*. Ergo plus debetur de lumine gloriæ ei, qui plus habet de charitate. (art. 1. huius quæſt.)

Ad primum argumẽtum reſpondet, explicando authoritatem Sacræ Scripturæ *Videbimus eum ſicuti eſt*, ſi hoc aduerbium, *ſicuti determinat modũ viſionis ex parte rei viſæ*, concedit. Si accipiatur taliter vt determinet *modum viſionis ex parte vidẽtis*, negat. Sacra autem Scriptura intelligenda eſt in primo, non in ſecundo ſenſu. Videatur explicatio in textu. (art. præc.)

Ad ſecundum argumentum eodem modo reſpondet, explicando authoritatem D. Auguſtini. *Vnam rem non poteſt unus alio plus intelligere, quo ad modum rei intellectæ*, cõcedit: quo *ad modum intelligendi*, negat. Eiuſdem reſponſionis explicatio, legatur in textu.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo conſequens. *Relinquitur ergo quòd unus alio perfectius eum uideat, quòd hoc ſit ſecundùm differentiam potentiæ intellectiuæ*, Per diuerſam facultatem, *glorioſam*, concedit. Per diuerſam facultatem, *naturalem*, negat.

*quod videntium Deum per eſſentiam unus alio perfectius eum uidebit. Quod quidem non erit per aliquam Dei ſimilitudinem perfectiorem in uno, quàm in alio: cum illa uiſio non ſit futura per aliquam ſimilitudinem, * ut oſtenſum eſt. Sed hoc erit per hoc, quòd intellectus unius habebit maiorem uirtutem, ſeu facultatem ad uidendum Deum, quàm alterius. Facultas autem uidendi Deum non competit intellectui creato ſecundum ſuam naturã; ſed per lumen gloriæ; quod intellectum in quadam deiformitate conſtituit, * ut ex ſuperioribus patet.*

Vndè intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum uidebit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate; quia ubi eſt maior charitas, ibi eſt maius deſiderium. Et deſiderium quodammodo facit deſiderantem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati; unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum uidebit, & beatior erit.

Ad primum ergo dicendum, quòd cum dicitur, uidebimus eum ſicuti eſt: hoc aduerbium, ſicuti, determinat modum viſionis ex parte rei uiſæ; ut ſit ſenſus: uidebimus eum ita eſſe, ſicuti eſt; quia ipſum eſſe uidebimus, quod eſt eius eſſentia. Non autem determinat modum uiſionis ex parte uidentis; ut ſit ſenſus; quòd ita erit perfectus modus uidẽdi: ſicut eſt in Deo perfectus modus eſſendi.

Et per hoc etiam patet ſolutio ad ſecundum. Cum enim dicitur, quòd rem unam unus alio melius non intelligit, hoc habet ueritatem, ſi referatur ad modum rei intellectæ; quia quicunque intelligit rem eſſe aliter, quàm ſit, non uerè intelligit; non autem, ſi referatur ad modum intelligendi; quia intelligere unius eſt perfectius, quàm intelligere alterius.

Ad tertium dicendũ, quòd diuerſitas uidendi non erit ex parte obiecti; quia idem obiectum omnibus præſentabitur, ſcilicet Dei eſſentia; nec ex diuerſa participatione obiecti per differentes ſimilitudines, ſed erit per diuerſam facultatem intellectus, non quidem naturalem, ſed glorioſam, ut dictum eſt. † (art. præc.)

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRo tituli intelligentia breuiter obſerua, ly, *perfectius*, quoniam non accipitur de maiori perfectione extenſiua, ſed intenſiua, pro vt idem ſonat, perfectius videre, quòd videre maiori claritate, ac profunditate.

Concluſio D. Thomæ eſt ex fide certa vt diſputatione ſequenti patebit.

2 *Quod quidem non erit per aliquam Dei ſimilitudinem perfectiorem in uno, quàm in alio; cum illa uiſio non ſit futura per aliquam ſimilitudinem.* Circa quod obſerua, quòd D. Thomas potuiſſet alia via rationem ex ſimilitudine perfectiori accepta, reprobare; Quia ſcilicet, ſi Deus per ſimilitudines creatas videretur, vnus alio perfectius eum videre non poſſet; Quia illa ſpecies eſſet comprehenſiua Dei, & conſequenter ex ratione ſpeciei non haberetur ratio perfectioris cognitionis. Placuit tamen ei omnia breuiter expedire, per hoc, quòd non ſit per ſimilitudinem creatam, Dei clara cognitio.

3 Poſſet quoquè dici, quòd id circo Diuus Thomas per negationem ſimilitudinis creatæ Deum repræſentantis, rationem perfectioris cognitionis reprobauit; Quia quæcunquè ſimilitudo creata eſſet immediatè alicuius obiecti creati repræſentatiua, & conſequenter, Deus per ſimilitudinem creatam non ſolùm impreſſam, verum etiam obiectiuam, cognoſceretur; & ſic videntium Dei eſſentiam, perfectius vnus alio videret; quia vnus Deum inſpiceret in aliquo obiecto perfectiori, & alius in imperfectiori; Et propterea meritò ex vna breui propoſitione ſufficienter probauit intentum, Quia nimirum, viſio non erit per aliquam ſimilitudinem impreſſam, & obiectiuam, perfectiorem in vno quàm in alio.

Digitized by Google

non cognouit quidditatiuè viſionem beatificam; eò quià cognoſci quidditatiuè non poteſt, niſi mediante lumine gloriæ.

Gabrera. Cipullus. Et iuxta doctrinā Gabreræ, Cipulli, & aliorum, anima Chriſti Domini cognouit huiuſmodi myſteria gratiæ quidditatiuè, & comprehenſiuè.

Bañes. 7 Et inſuper Magiſter Bañes 2. 2. quæſt. 5. artic. 1. ad 3. aſſerentes, quòd Chriſtus Dñus per ſc. etiam inditam myſteria gratię euidēter cognoſcebat, etiam ſi lumine gloriæ caruiſſet, ſic reijcit. *Scio, inquit, eſſe aliquos Theologos, qui opinantur quòd per ſcientiam infuſam cognoſcebat Chriſtus Dominus ita euidenter myſteria gratiæ, & habitus infuſos, in ſe ipſo, & in nobis, vt etiam ſi careret lumine gloriæ haberet eamdem euidentiam per ſciētiam infuſam. Mihi tamen nunquā in huiuſmodi opinio placuit. Nam pari ratione poſſet affirmari lumen gloriæ eſſe cognoſcibile quantùm ad propriam, & ſpecificam rationem, ab aliquo intellectu carente lumine gloriæ; quod videtur incredibile. Quia lumen gloriæ excedit omne aliud lumē, & eſt alterius, & ſuperioris ordinis.*

8 Quibus poſitis ſic conficio argumentum. Chriſtus Dominus euidenter, & ad minus quidditatiuè, per ſcientiam non formaliter beatam cognoſcit gratiam ſanctificantem, viſionem beatificam, &c. ſed horum omnium lumine aliquo, ipſo lumine gloriæ inferiori non poteſt quidditatiuam habere cognitionem. Ergo per lumen gloriæ veluti per proportionatum illuſtrans.

Caiet. D.Thom. 9 Confirmatur ex Caietano ibidem art. 6. in fine, qui docet, quòd D. Thom. in corp. *ponens ſcientiam altioris ordinis in anima humana* Chriſti Domini, *poſuit ſpecies altioris ordinis, & lumen altioris ordinis, ſub quo clarè cognoſcuntur ea, quæ per ſpecies infuſas repræſentantur*: ſed ſupradicta entia ſupernaturalia ſub nullo alio lumine inferiori ipſo lumine groriæ, clarè, & quidditatiuè cognoſcuntur. Ergo per lumen gloriæ.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta in contrarium diſſoluuntur.

10 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò contra primum dictum. Lumen per quod videtur obiectum nobilius, eſt ſufficiens ad illuminandum potentiam vt cognoſcat obiectum minus nobile: ſed lumen gloriæ eſt per quod videtur obiectum nobiliſſimum, nempè Deus. Ergo eſt ſufficiens ad illuminandum intellectum vt cognoſcat obiectū minus nobile. Ergo etiam vt cognoſcat cogitationes cordium, futura contingentia, & cętera obiecta naturalia, quæ Chriſtus Dominus per ſcientiam inditam cognoſcebat. Maior eſt euidens, & explicatur; Nam lumen Solis v. g. quod ſufficiens eſt ad illuminandum mediū, ad hoc vt Sol ipſe videatur, eſt ſufficiēs quoquè ad idem illuminandum, vt videatur albedo. Et ſimiliter potentia viſiua Aquilæ habens in ſe virtutem videndi Solem, per eamdem habet virtutem videndi colores: Ergo ita ſimiliter lumen intelligibile perfectius, per quod intellectus illuminatur ad cognoſcendum obiectum magis perfectum, eſt ſufficiēs ad eumdem intellectum illuſtrandum, vt obiecta inferiora cognoſcat. Minor etiam eſt clara, lumen enim gloriæ ſe habet vt radius, & ſplendor Solis ſpiritualis, qui procedit à Deo in intellectum, & per quem intellectus creatus Deum clarè cognoſcit.

11 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Lumen per quod videtur obiectum nobilius, & eſt eiuſdem ordinis cum lumine quo videtur obiectum minus nobile, eſt ſufficiens, &c. concedo maiorem. Et non eſt eiuſdem ordinis, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt cōſequentia, & ratio negationis eſt, quia lumen gloriæ eſt ordinis diuini, & determinatum ad illuſtrandum intellectum vt poſſit videre Deum, & tantùm alia à Deo, quæ per lumen inferius ipſo, quidditatiuè cognoſci non poſſunt.

12 Doctrina eſt D. Thomæ p. p. quæſt. 66. art. 3. ad 4. vbi quęrens *Vtrum Cœlum Empyreum ſit concreatum materiæ informi*, & contra concluſionem ſic arguens. *Inter corpora cœleſtia inuenitur aliquod corpus, partim diaphanum, & partim lucidum, ſcilicet, corpus ſydereum, inuenitur etiam aliquod Cœlum totum diaphanum, quod aliqui nominant Cœlum aqueum, vel criſtallinum. Si ergo eſt aliud ſuperius Cœlum, oportet quòd ſit totum lucidum: ſed hoc eſſe non poteſt; quia ſic continuè aer illuminaretur, nec vnquā nox eſſet. Non ergo Cœlum Empyreum materiæ informi eſt concreatum.* D Thom.

13 Sic reſpondet. *Poteſt aliter dici, quòd habet lucem Cœlum Empyreum, non condenſatam, vt radios emittat, ſicut corpus Solis, ſed magis ſubtilem; vel habet claritatem gloriæ, quæ non eſt conformis cum claritate naturali.* Hæc ille. Vbi nota, quòd Cœlum Empyreum quamuis maximam habeat claritatem, non tamen hæc inferiora illuſtrat; quia claritas illius eſt claritas gloriæ, non verò horum inferiorum ſplendor; Ita ſimiliter lumen gloriæ illuſtrat intellectum in ordine ad gloriam, & in ordine ad ea, quæ ſpectant ad gloriam.

Obij-

Digitized by Google

14 Obijcies ſecundo contra ſecundum dictum. Lumen gloriæ eſt vnus habitus. Ergo reſpicit vnum obiectum formale, adæquatum, ac ſpecificatiuum: Sed ſi per lumen gloriæ cognoſcerentur entia ſupernaturalia in ſeipſis quidditatiuè, & immediatè, eiuſdem habitus eſſent duo ſpecificatiua; vel lumen gloriæ non eſſet vnus habitus ſpecie. Ergo falſum eſt quòd per lumen gloriæ poſſunt entia ſupernaturalia creata in ſe ipſis immediatè videri. Probatur iſta conſequentia. Quia entia ſupernaturalia creata eſſent vnum obiectum luminis gloriæ ſpecificatiuum: Deus autem clarè viſus eſſet alterum. Ergo. Prima verò conſequentia eſt euidens; quia habitus ſpecificatur per obiectum. Subſumptio verò minoris etiam patet; quia entia ſupernaturalia creata eſſent vnum luminis gloriæ ſpecificatiuum, Deus clarè viſus eſset alterum. Ergo. Vltima autem conſequentia ex ſuis antecedentibus eſt manifeſta.

15 Reſpondetur quòd ſpeciale genus habitus, ſpecialem rationem requirit; Lumen autem gloriæ eſt habitus præſtantiſſimus, ac cęteris virtuoſior. Vnde peculiari ratione de illo loquendum eſt. Reſpondetur igitur diſtinguendo antecedens. Lumen gloriæ eſt vnus habitus abſolutè, & formaliter, concedo antecedens. Lumen gloriæ eſt vnus habitus ex ſuppoſitione, & virtualiter, nego antecedens. Ergo &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens ſimul cum ſubſumptione minoris.

16 Explicatur iſta reſponſio. Lumen gloriæ ſi abſolutè, & præcisè accipitur primò, & per ſe petit intellectum illuſtrare, ac fortificare ad cognoſcendum Deum vt in ſe eſt; ſuppoſito verò ſpeciei creatæ interuentu, reſpectu entium ſupernaturalium, quæ proprias poſſunt habere ſpecies ipſorum repræſentatiuas, etiam ſufficienter, & ſi non ſic connaturaliter exigenter, ſicut ſe habet ad illuſtrandum intellectum vt poſſit videre Deum, poteſt intellectum illuſtrare, & de facto illuſtrat ad videnda entia ſupernaturalia creata, quæ lumine, ipſo lumine gloriæ, inferiori videri non poſſunt.

17 Obijcies vltimò. Per vnum idemquè numerò lumen gloriæ illuſtratur intellectus ad producendam, eliciendamq; vnam numerò viſionem, ita vt per tale lumen non poſſit niſi hæc numero viſio produci. Ergo per tale lumen neque etiam poſſet intellectus aliud lumen gloriæ cognoſcere a ſe numerò diſtinctum. Et ſic per lumen gloriæ exiſtens in Paulo non poſſet cognoſci lumen gloriæ exiſtens in Petro.

18 Reſpondetur negando antecedens. Nam vt dicemus infra, per idem numerò lumen gloriæ illuſtratur intellectus vt poſſit tantum viſionem producere; quòd autem producat hanc viſionem, nempè Dei vt productiui harum, vel aliarum creaturarum aliunde prouenit.

19 Reſpondetur ſecundò, tranſeundo antecedens, & negando conſequentiam; Et ratio diſparitatis eſt, quia licet idem numero lumen gloriæ reſpectu obiecti primarij determinet intellectum ad vnam numero actionem propter idem numero obiectum: reſpectu tamē obiecti ſecundarij non ita ſe habet: eo quia ſunt plura obiecta ſecundaria. Quare, &c.

20 Vnde autem oriatur quòd aliquis minus Bea tus, & conſequenter cum minori lumine videat plures creaturas, quàm alius Beatus cum maiori lumine, quidam dicunt minus Beatum videre quidem plura, non in verbò, ſed extra verbum; ſed hoc infra art. ſequenti breuiter reſoluemus.

21 Diſputari quoquè poſſet, Vtrum de facto aliquando contigiſſe, dici poſſit, quòd aliquis myſteria ſupernaturalia, ſicuti ſunt viſio clara Dei, & lumen gloriæ intuitiuè, & quidditatiuè cognouerit, abſquè eo quòd diuinam eſſentiam ſimul intueretur, V. g. Paulus in raptu diuinam intuens eſſentiam, habuit lumen gloriæ, & quidditatiuè, ac intuitiuè viſionem claram Dei cognouit per gloriæ lumen, quæritur vtrum tranſacta diuinæ eſſentiæ viſione, remanſerit lumen gloriæ ad cognoſcendam quidditatiuè viſionem, cuius memoriam habebat. Dicendum tamen eſt, quòd tranſacta diuinæ eſſentiæ viſione non remanſit clara, & quidditatiua viſionis cognitio, ſed quo ad an eſt. Non enim verum eſt, viſionem claram Dei Paulum intuitiuè, & quidditatiuè cognouiſſe poſt raptum. Vide quæ diximus ſupra art. 2. diſp. 32. cap. 3. à num. vſquè ad vltimum.

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXVI.

VTRVM IDEM NVMERO LVMEN GLORIÆ illuſtret intellectum ad videndum omne aliud gloriæ lumen in proprio genere, an ſolùm ad cognitionem ſui ipſius.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 SVpponimus præcedentis diſputationis determinationem, qua ſuppoſita; pro determinatione veritatis, Dico primò. Vnum lumen gloriæ in indiuiduo, non poteſt eſſe ratio repræſentatiua alterius luminis gloriæ numero diſtincti.

Probatur. Species repræſentatiua vnius albedinis non eſt repræſentatiua alterius albedinis numero diſtinctæ, & ſpecies Franciſci non eſt repræſentatiua Pauli, &c. Ergo ſpecies vnius luminis gloriæ non eſt repræſentatiua alterius luminis numero diſtincti. Præſentis dicti veritas pendet ex ſupradictis.

2 Dico ſecundò. Idem numero lumen gloriæ eleuatiuè, ſufficienter illuſtrat intellectum ad cognoſcendum omne aliud lumen gloriæ.

Probatur. Quia ſuppoſito quòd intellectus V. g. Petri ſit lumine gloriæ illuſtratus, & quòd eidem ſpecies luminis gloriæ exiſtentis in Paulo infundatur, eſt proportionatus, vt poſſit illius cognitionem elicere.

3 Confirmatur. Quia infimus Angelus per lumen ſibi connaturale ſufficienter illuſtratur ad cognoſcendum intuitiuè, & quidditatiuè lumen intellectuale cuiuſcumquè Angeli, etiam ſupremi, ſuppoſita ſpeciei repræſentatione. Ergo ſimiliter quodcunquè lumen gloriæ ſufficienter illuſtrat intellectum ad cognoſcendum quodcumquè aliud lumen gloriæ creatum, ſuppoſita illius ſpeciei infuſione.

DISPVTATIO LXXVII.

VTRVM VNVM NVMERO LVMEN GLORIÆ illuſtret intellectum ad cognoſcendum in Deo has numero creaturas, ita vt non alias per illud in Deo videre poſſit.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & diſputationis reſolutio ſtabilitur.

1 COntrouerſa eſt inter Theologos præſens diſputatio; Quidam enim affirmant aliquem intellectum Beati ideo in Deo has, & non alias intueri creaturas, quia habet in ſe tale numero lumen gloriæ ad cognoſcendum Deum, & in eo has, & non alias creaturas. Ita Conzalez art. 8. disp. 31. ſect. 1. num. 15. & deinceps per totam ſectionem. Conzal. Reſolus art. 8. dubit. num. 123. ad eandem ſententiam videtur inclinare, Reſolus. Nauarrete contr. 44. §. *ſequitur præterea*, & deinceps. Nauarret.

Alij

2 Alij autem dicunt, lumen gloriæ illuſtrare intellectum ad videndum Deum ſiuè formaliter, ſiuè effectiuè, in tanta intenſione, quòd verò cognoſcantur in Deo hæ potius creaturæ, quàm aliæ; prouenire ex diuerſo concurſu diuinæ eſſentiæ vnitæ in ratione ſpeciei ad repræſentandas has, & non alias creaturas, iuxta luminis gloriæ quantitatem. Ita Arrubal diſp. 26. cap. 4. Machin diſp. 19. ſect. 5. Becanus tract. 1. cap. 9. quæſt. 13. num. 16. Arrubal. Machin.

3 Pro determinatione autem veritatis Dico primò. Probabile eſt aſſerere idem numero lumen gloriæ illuſtrare intellectum ad cognoſcendum Deum in tanta intenſione, non verò ad cognoſcendum in eo has, & non alias creaturas.

Probatur primò. Quia lumen gloriæ eo ipſo quòd eſt ſufficiens ad cognoſcendum Deum cognitione intenſa vt quatuor, non obligat Deum ad repræſentandum ſeipſum intellectui vt cauſam harum, & non aliarum creaturarum; quod idem patet quando creaturæ ad inuicem differentes, ſunt eiuſdem ſpeciei, & intenſiorem obiecti primarij non arguunt cognitionem. V.g. lumen gloriæ per quod cognoſcitur Deus, & in Deo cognoſcuntur duo homines, ſeù, & Deus cognoſcitur vt duorum hominum productiuus nempè Petri, & Pauli, non videtur ratio quare idem numero lumen de ſe non ſit ſufficiens illuſtrare intellectum ad cognoſcendum in Deo duos alios homines, Petro, & Paulo æquales, ſeù ad cognoſcendum Deum vt productiuum duorum hominum à præcedentibus diuerſorum.

4 Probatur ſecundò. Quia nulla in contrarium obſtat authoritas D. Thomæ, vel conuincens ratio.

5 Dico ſecundò. Probabile eſt quòd idem numero lumen gloriæ illuſtrat intellectum ad cognoſcendum Deum taliter, quòd per illud in Deo videantur aliquæ creaturæ determinatè, & non aliæ.

Probatur. Quia lumen gloriæ eſt diſpoſitio intellectus ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis. Ergo tale lumen eſt diſpoſitio intellectus ad taliter ſuſcipiendam diuinam eſſentiam, in ratione, ſcilicet quaſi talis ſpeciei: ſed diuina eſſentia in ratione ſpeciei taliter vnita, repræſentat has, & non alias creaturas. Ergo.

6 Confirmatur. Quia in naturalibus forma vnitur materiæ iuxta proportionem diſpoſitionis, taliter quòd licet forma in ſe perfectiori modo poſſet operari, tamen ſemper operatur iuxta proportionem, & menſuram diſpoſitionis. Ergo ſimiliter diuina eſſentia quæ intellectui creato vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis iuxta diſpoſitionem luminis gloriæ, repræſentat has, & non alias creaturas ſecundùm luminis gloriæ exigentiam.

7 Sed contra hanc determinationem obijciet aliquis contra primum dictum, authoritate D. Thomæ quæſt. 8. de verit. art. 4. vbi docet, ac declarat, quòd ideo vnus beatus iſtas creaturas potius quàm illas videat, ex duplici capite prouenire, quia ſcilicet, iſtæ potius, quàm illæ ad eius ſtatum pertinent, & quia aliquæ creaturæ in ipſa eſſentia Dei ſunt manifeſtiores, & aliæ latentiores. Ergo hinc prouenit, quòd hoc numero lumen gloriæ pertinet ad has creaturas in Deo cognoſcendas, & non ad alias. D.Thom.

8 Confirmatur. Tanta viſio eſt à tanto lumine. Ergo talis viſio eſt à tali lumine: ſed viſio qua videntur in Deo hæ creaturæ eſt diſtincta ab ea qua viderentur in Deo aliæ creaturæ. Ergo viſio qua videntur in Deo hæ creaturæ, eſt à tali lumine taliter, & non aliter, intellectum illuſtrante.

9 Reſpondetur locum D. Thomæ nullo modo primæ opinioni ſuffragari. Etenim D. Thomas in ſupradicto loco non docet, nequè declarat, ex quo prouenia t, quòd ideo vnus Beatus iſtas creaturas potius quàm illas videat, ſed quare aliquas, & non omnes, & quomodo latentiores ac manifeſtiores. Docet enim quòd ad cognoſcendos effectus latentiores in Dei virtute requiritur maior virtus, quàm ad cognoſcendos effectus manifeſtiores. Ex quo non rectè ſequitur iſta conſequentia, nimirum, ergo per tale numero lumen cognoſcuntur hæ creaturæ in Deo, taliter quòd non aliæ. Et ratio eſt manifeſta; quia ſtat vt aliquæ creaturæ æquè latenter, vel æquè manifeſtè contineantur in omni potentia diuinæ virtutis; quo poſito, ſtat veritas Angelicæ doctrinæ abſquè veritate opinionis primæ, vt diſcurrenti patet; Et vt verum fatear, primam opinionem probabilem exiſtimo magis propter authoritatem Doctorum illam defendentium, & propter rationem à nobis in ſecundo dicto poſitam, quàm propter aliorum Doctorum rationes, vel authoritatem ex D.Thoma adductam. Quoniam rationes ipſorum ſunt ſatis debiles, & infirmæ, & D. Thomæ authoritas nullatenus ſuffragatur ei.

10 Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo talis viſio à tali lumine, materialiter, concedo conſequentiam. A tali formaliter, nego conſequentiam. Senſus eſt, quòd intellectus tali lumine illuſtratus elicit viſionem Dei talem, quæ ad has, & non ad alias creaturas terminatur; non quidem ex lumine tali, tanquàm ex ratione propria, ac determinante intellectum ad hanc, harum creaturarum cognitionem in Deo; quoniam hoc

Digitized by Google

hoc prouenit ex voluntaria coniunctione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei, volentis hæc, & non alia creata obiecta in ſe viſa, repræſentare; quæ ex alio capite videns, meruit hæc, & non alia obiecta videre.

11 Ratio igitur tanteitatis immediata, & propria beatificæ viſionis, ex ſola tanteitate luminis gloriæ procedit: ratio verò taleitatis quòd ſcilicet hæ, & non aliæ creaturæ in diuina eſſentia videantur, duplex eſt, meritoria, & formalis. Meritoria, ſunt videntis merita, ratione ſcilicet ſtatus merentis; quia nimirum ad ſtatum vnius Beati pertinent hæ, & non aliæ creaturæ. Cauſa verò formalis eſt ipſamet diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis vnita, vt harum, & non aliarum creaturarũ repræſentatiua in actu exercito. Quòd ſi lumẽ gloriæ tanquàm tertiam rationem miſcere velimus; dicamus lumen gloriæ tale, vel tale in indiuiduo, eſſe cauſam ſufficientem, non tamen propriam.

12 Ad rationem autem pro ſecundo dicto poſitam, quæ aliquod videtur in D. Thomæ doctrina habere fundamentum; eo quòd 1.2. quæſt. 65. art. 2. ad primum docet, quòd modus actionis ſequitur diſpoſitionem agentis. Ex quo videtur ſequi, quòd diuinæ eſſentiæ agendi modus in intellectu Beati in ratione ſpeciei intelligibilis ſit ſecundùm modum diſpoſitionis præcedentis, & concomitantis ipſam, quæ eſt lumen gloriæ. Reſpondetur tamen diſtinguendo antecedens. Lumen gloriæ eſt diſpoſitio intellectus ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis, quo ad intentionem viſionis producendæ, concedo antecedens; Quo ad determinationem circa hæc, & non alia ſecundaria obiecta, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et per idem patet ad confirmationem.

D.Thom.

13 Ad argumentum pro prima opinione contra ſecundum dictum, Reſpondetur obligationem non procedere à lumine, ſed ex parte ſubiecti, à conditione, ſeù ab exigentia ſtatus Deum videntis, & à voluntate diuina volente manifeſtare ſe intellectui creato vt harum, & non aliarum creaturarum cauſa: quapropter ſua libera voluntate intellectum creatum tali lumine gloriæ illuſtrat.

DISPVTATIO LXXVIII.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIC ILLVSTRET INTELlectum creatum, vt in nullius obiecti creati cognitione poſſit errare.

Per Vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 SVpponit præſens diſputatio, quòd ſi per impoſſibile vel poſſibile (vt ego exiſtimo) intellectus creatus eſſet lumine gloriæ illuſtratus, & Deum clarè non videret, vtrum ex vi huiuſmodi illuſtrationis intellectus creatus poſſit circa aliquod obiectum in aliquem incidere errorem, quo poſito pro determinatione veritatis,

2 Dico breuiter. Intellectus creatus lumine gloriæ illuſtratus nullo modo poteſt errare.

Probatur; Quia non poteſt errare circa ea, quæ per ipſam immediatè intellectus cognoſcere poteſt; neque circa ea quæ lumine naturali cognoſci poſſunt, vel ab alterius reuelatione dependent. Ergo nullo modo poteſt errare. Conſequentia patet. Probatur antecedens quo ad primam partem; Quia circa ea quæ ſunt contra lùminis naturalis inclinationem, ſeù illuſtrationem intellectus non poteſt habere erroneum aſſenſum. Ergo neque circa ea, quæ manifeſtè ſunt contra luminis gloriæ inclinationem, aut illuſtrationem. Probatur ſecunda pars. Quia lumen gloriæ quamuis non illuſtret intellectum ad cognoſcenda

omnia

Digitized by Google

omnia obiecta creata immediatè intellectû illuſtrando, & effectiuè cum ipſo ad illorum cognitionem concurrendo, concurrit tamen directiuè, dirigendo ſcilicet lumen naturale; Lumen enim naturale ex coniunctione ad lumen gloriæ perficitur, dirigitur, ac firmatur, non ſolùm ſpeculatiuè, verùm etiam practicè; cum ſit lumen immediatè, & clarè intellectum illuſtrans ad primam veritatem inſpiciendam. Ergo. Probatur vltima pars. Quia lumen gloriæ illuſtrat intellectum ſpeculatiuè, & practicè. Ergo per ipſum intellectus rectè dirigitur, vt diſcernere poſſit, vtrum à dicente, mendaciter, an fideliter aliquid proferatur.

3 Sed contra iſtam determinationem obijcies primò. Intellectus creatus illuſtratus lumine fidei poteſt errare etiam quantùm ad ea quæ fidei ſunt; vt patet de fideli in hæreſim incidente; Ergo etiam intellectus illuſtratus lumine gloriæ poteſt errare quantùm ad ea quæ per ipſum cognoſcuntur.

4 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt manifeſta; quia intellectus per lumen fidei illuſtratur obſcurè, non autem euidenter, vt per tale lumen conuinci poſſit ad aſſentiendum ijs, quæ fidei ſunt: at verò per lumen gloriæ illuminatur euidenter. Vnde ad ipſorum aſſenſum non prærequiritur pia affectione voluntatis.

5 Obijcies ſecundò. Lumen gloriæ per nos, non illuſtrat intellectum ad cognoſcendam omnem creatam veritatem. Ergo per lumen naturale poteſt errare etiamſi illud eſſet lumini gloriæ coniunctum.

6 Reſpondetur explicando antecedens. Lumen gloriæ non illuſtrat intellectum creatum ad cognoſcendam omnem creatam veritatem, formaliter illuſtrando, & cum intellectu ad ipſorum cognitionē immediatè coefficiendo, concedo antecedens, Dirigendo lumen naturale, atquè in ſuo eſſe firmando, nego antecedens. Ergo &c, nego conſequentiam. Quamuis igitur lumen gloriæ non illuſtret intellectum creatum ad cognoſcenda omnia obiecta creata, illuminat tamen eum, ne in ſuo lumine naturali diſcurſiuo compoſitiuo, vel apprehenſiuo ab aliquo alio fallatur.

7 Obijcies tertiò. Poteſt Diabolus mendacium proferre alicui lumine gloriæ illuſtrato vt verum: ſibi tamen ſoli notū, ſed in tali caſu nulla eſt implicantia vt intellectus taliter illuſtratus à Diabolo decipi poſſit. Ergo intellectus lumine gloriæ illuſtratus, in aliquo poteſt errare. Probatur, & declaratur maior. Quia poteſt Diabolus alicui Beato dicere cogitaui hoc, taliter quòd illud ſit veriſimile cogitaſſe. Et inſuper nulla eſt implicantia quòd tali præbeatur aſſenſus.

8 Reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ratio negationis efficaciſſima eſt; quia intellectus ille lumine tam perfecto perfuſus rectè ſcit Diabolum eſſe mendacem, & conſequenter nequit præbere ſuo dicto efficacem aſſenſum, ſed ſolummodo iudicabit, illud in ſe veriſimile eſſe, & poſſe eſſe falſum, & fortè re ipſa falſum, quia à patre mendacij eſt prolatum.

9 Licet ergo dicamus intellectum creatum lumine gloriæ illuſtratum nullatenus errare poſſe, nec ſpeculatiuè, nec practicè; non tamen dicimus, quòd per tale lumen omne cognoſcibile ſcit; poteſt enim, imo contingit de facto multa neſcire.

DISPVTATIO LXXIX.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT VIRTVS Theologica.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 Dico breuiter. Lumen gloriæ eſt virtus Theologica.

Probatur. Quia lumen gloriæ habet totum illud quod requiritur ad rationem virtutis Theologicæ. Ergo eſt verè, & propriè virtus Theologica. Conſequentia patet. Probatur antecedens. Quia lumen gloriæ habet Deum vt in ſe eſt pro obiecto,

Digitized by Google

ĉto, & per illud homo rectè ordinatur in Deum, à ſolo Deo infunditur, & ſola diuina reuelatione in Sacra Scriptura, ſeù in Sacris Concilijs eſt reuelatum. Ergo. Antecedens patet quo ad omnia. Conſequentia eſt euidens; Quia hoc intelligitur nomine virtutis Theologicæ.

2 Sed contra iſtam determinationem objiciet aliquis. Quia tres eſſe dicuntur virtutes Theologicæ, nempè Fides, Spes, & Charitas. Ergo omnes aliæ virtutes à numero Theologicarum virtutum excluduntur.

3 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, Tres, &c. loquendo de virtutibus viæ, concedo antecedens. De virtutibus patriç, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

4 Quòd autē ſermo ſit de virtutibus Theologicis viæ, Diuus Paulus inſinuat dum ait, *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas. Nunc*, quaſi diceret, de virtutibus quæ nunc, ſeù in hoc ſtatu nobis in ordine ad Deum inſunt eſt ſermo. Ita Caietanus 2.2. quæſt.17. art.5. §. *Ad hoc dicitur*, circa finem, vbi ſic ait. *Licet poſſit dici quòd numerus virtutum Theologicarum non intelligitur aſſignatus niſi in præſenti vita, iuxta illud Apoſtoli Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas.* Vide Aluarez 1.2. quæſt.62. art.3. §. ad 2. quamuis ibidem etiam dicat quòd *lumen gloriæ eſt habitus ſuperior, & perfectior habitibus tàm virtutum, quàm donorum ſupernaturalium, & habet eminenter rationem virtutis Theologicæ, & doni Spiritus Sancti.* 1. Cor. 13. Caiet. Aluarez.

DISPVTATIO LXXX.

VTRVM LVMEN GLORIÆ SIT VNVM ſpecie in omnibus intellectibus.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo determinatione veritatis Dico breuiter. Habitus luminis gloriæ eſt vnus in omnibus ſecundùm ſpeciem atomam.

Probatur. Habitus luminis gloriæ habet vnum obiectum formaliter, ac ſpecificè, vnum quoquè modum tendendi ad idem obiectum. Ergo eſt vnus habitus ſecundùm ſpeciem.

2 Sed contra hanc determinationem objiciet aliquis primò. Lumen gloriæ collatum Paulo in raptu, & lumen gloriæ collatum Sanctis in Patria, ſunt lumina ſpecificè diſtincta. Ergo. Probatur antecedens. Quia lumen collatum Paulo, fuit de ſe tranſiens, lumen verò Beatis infuſum, eſt de ſe permanens. Ergo ſpecificè diſtinguuntur.

3 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, ſimiliter nego antecedens. Nam lumen gloriæ Paulo in raptu collatum, fuit habitus; nō quidem per modum habitus, ſeù per modum permanentis; ſed per modum diſpoſitionis, ſeù per modum tranſeuntis; ſed quia de hoc iterum art. ſequenti ſermo redibit, ideo pro nunc hactenus.

4 Objicies ſecundò. Iuxta probabilem opinionem, intellectus creatus poteſt videre Deum mediante aliquo auxilio actuali præuio, ac de ſe tranſeunte. Ergo habitus luminis gloriæ eſſet formaliter ab illo diſtinctus: ſed aliàs eſſet quoquè lumen gloriæ; eò quia ſufficienter illuſtraret intellectum ad videndum Deum vt eſt in ſe. Ergo.

Reſpondetur, mihi dictam opinionem non probari.

5 Sed admiſſa tanquàm probabili eadem opinione, dico quòd habitus luminis gloriæ, & illud præuium actuale auxilium diſtingui ſpecificè quo ad modum exiſtendi, non quo ad efficaciam; Et quia in præſenti diſputatione ſermo eſt de habitu luminis gloriæ, id circo non eſt de præuio actuali auxilio, quod ipſi non admittimus, immorandum.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXXI.

VTRVM LVMEN GLORIÆ A SOLO DEO producatur.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Nulla creatura poteſt tanquàm cauſa principalis producere lumen gloriæ.

Probatur. Quia ſi aliqua creatura poſſet vt cauſa principalis lumen gloriç producere, vel hoc haberet ex natura ſua, vel ex aliqua virtute ſuperaddita: Neutrum dici poteſt. Ergo. Maior patet. Probatur minor; & quidem quo ad primam partem eſt euidens; quia lumen gloriæ eſt immediata participatio luminis increati, & infiniti qua infinitum, & ſupernaturale eſt: ſed implicat aliqua creatura cui ex natura ſua conueniat producere huiuſmodi entia. Ergo. Probatur minor. Quia tunc ſi eſſet poſſibilis huiuſmodi creatura, lumen gloriæ, & cœtera ſimilia entia immediatè participarent id à quo procederent, & ſic non eſſent immediata participatio luminis increati, & infiniti. Ex ijs quæ ſupra diſp. 47. diximus, hæc omnia manifeſta ſunt.

2 Quò ad ſecundam verò partem, probatur minor. Quia non poteſt fingi, ſeù data fingendi licentia, nō poteſt aſſignari, quæ, & qualis ſit ſuperaddita virtus ex ſua natura luminis gloriæ productiua vt cauſa principalis.

3 Dico ſecundò. Lumen gloriæ poteſt ab aliqua creatura produci tāquàm à cauſa inſtrumentali, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè concurrente, & cauſante.

Probatur. Quia poteſt dari, & de facto datur inſtrumentum non ſolùm moraliter, verum etiam phyſicè cauſans ſanctificantem gratiam, & huiuſmodi eſt Sacratiſſima Chriſti humanitas tanquàm inſtrumentum coniunctum Deitatis. Ergo ipſamet humanitas Chriſti vt eiuſdem Deitatis inſtrumentum, potuit Beatorum intellectibus, gloriæ lumen infundere. Ergo.

4 Dico tertiò. Non eſt improbabile aſſerere de facto lumen gloriæ cauſari ab humanitate Chriſti tanquàm ab inſtrumento phyſico, imo veriſimile, & pium. Ita Suarez 3. p. diſp. 31. ſect. 1. concl. 2. Et quidam alij moderni. Suarez

Probatur. Chriſti humanitas eſt inſtrumentum ſanctificantis gratiæ. Ergo etiam eſt inſtrumentum luminis gloriæ. Antecedens ſupponitur; Probatur autem conſequentia. Quia Chriſtus Dominus ſicut eſt caput prædeſtinatorum quò ad rationem gratiæ, ita quoquè eſt ipſorum caput quò ad rationem gloriæ.

Cōfirmatur primò. Sacratiſſima Chriſti humanitas eſt diuinitatis inſtrumentum cōiunctū. Ergo non ſolùm gratiam, ſed etiam gloriam inſtrumentaliter cauſat.

5 Confirmatur ſecundò, ex illo Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*, & ex illo Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Ergo ſi hæc teſtimonia de gratiæ collatione, ac miraculoſorum operum productione intelliguntur; quare ad luminis gloriæ infuſionem extendi non debent; cum ad maiorem Chriſti, gloriç noſtræ capitis, dignitatem pertineant? Matt. 28. Luc. 6.

6 Confirmatur tertiò. Quia in Concilio Epheſino Can. 11. *Caro Chriſti propter vnionem quam habet ad Verbum uocatur uiuificatrix*. Ergo quarè propter eamdem ad verbum vnionem, vocari non debet beatificatrix? Cōc. Eph.

Confirmatur quartò. Quia D. Thomas 3. p. quæſt. 52. art. 1. in corp. ait, *Chriſtum deſcendentem ad inferos, Sanctis Patribus, qui pro ſolo originali detinebantur in inferno, lumen æternæ gloriæ infudiſſe*. Ergo. D. Thom.

7 Dico tandem. Valde pium eſt aſſerere ex cicatricibus Sacratiſſimæ Chriſti humanitatis, & præſertim à latere, redemptis Deum videntibus, lumen gloriæ manare.

Probatur. Cicatrices, ſeù Chriſti Domini

ſacratiſſimæ plagę, non credentibus fidem cauſant, credentibus augent. Ergo fruentibus, lumen gloriæ cauſare, veriſimile eſt. Antecedens videtur ſuaderi; quia Thomas Chriſti Apoſtolus quondam de Chriſti Reſurrectione incredulus, & dicens ei Dñs, *Mitte manum tuam in latus meum*; plagas tangens, ſtatim atquè fidem quam perdiderat recepit, ardentiuſquè retinuit. Ergo ſignum eſt, quòd ex plagis in hac vita, fides, & in altera, lumen gloriæ manat. Conſequentia videtur ex antecedente ſuaderi.

8 Quòd lumen gloriæ à Chriſto Domino veluti prædeſtinatorum capite, redemptis infundatur, veluti ab inſtrumento deitatis, mihi valde probabile eſt: Quòd verò per cicatrices omnibus fluat, potius eſt deuota meditatio, quàm vera opinio; ſed de his hactenus.

9 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis. Quia lumen gloriæ eſt cauſa principalis actus viſionis beatificæ. Ergo poterit etiam dari aliquis habitus luminis gloriæ, qui ſit ab aliquo alio habitu, tanquàm à cauſa principali. Antecedens ex ſupradictis patet. Probatur autem conſequentia à paritate.

10 Reſpondetur concedendo antecedens, & negādo conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; quia actus vitalis potentiæ creatæ intrinſecè petit à potentia produci, vel ad minus connaturaliter, ſiuè ſit actus naturalis, ſiuè ſupernaturalis: At verò habitus non petit à potentia produci, & præcipuè ſupernaturalis, ſed tantummodo ponitur in potentia, vt per eum poſſit ſimpliciter, vel facilius actum producere.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum videntium eſſentiam Dei, vnus perfectius videat.

FORMATIO Articuli.

QVadripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit concluſionem. Secundò, impugnat probationē, quæ ex ratione ſpeciei poſſet oriri. Tertiò, probat rationem accipiendam eſſe ex perfectiori luminis gloriæ participatione. Quartò, propriam ſtatuit rationem. 1.Io.3. D.Aug.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Videntium Deum per eſſentiam vnus alio perfectius eum videbit.*

Quò ad ſecundum, Reijcit quādam falſam rationem, quę pro vera cōcluſione poſſet adduci, hoc modo. *Videre Deum perfectius non erit per aliquam Dei ſimilitudinem perfectiorem in vno, quàm in alio. Nam illa viſio nō eſt futura per aliquam ſimilitudinem.*

Quò ad tertiū ſic probat, quia *hoc erit per hoc, quòd intellectus vnius habebit maiorem virtutem, ſeù facultatem ad videndum Deum, quàm alterius. Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato ſecundùm ſuam naturam, ſed per lumen gloriæ. Ergo intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit.* Maior patet, & minor ſupponitur ſupra art. 4. & 5. rectè probata, & hic breuiter inſinuat eius probationem; Quia ſcilicet, *lumen gloriæ intellectum in quadam Deiformitate conſtituit*; non autem facultas naturalis intellectus.

Quò ad quartum, ſic cōcluſionem probat. *Plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate. Ergo qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, & beatior erit*: ſed videntiū Deum aliquis plus habet de charitate, quàm alius. Et hanc propoſitionem veluti omninò, & apud omnes certam ſupponit, & implicitè ſubintellexit. Ergo. Conſequentia principalis eſt euidens. Probat antecedens. Vbi eſt maior charitas, ibi eſt Io.17. 1.Cor.5.

AD ſextum ſic proceditur. *Videtur quod videntium eſſentiam Dei, vnus alio perfectius non videat. Dicitur enim 1. Ioan. 3. Videbimus eum, ſicuti eſt; ſed ipſe uno modo eſt. Ergo vno modo videbitur ab omnibus. Non ergo perfectius, & minus perfectè.*

2 *Præterea, Auguſ. dicit in lib. 83. q. quòd vnam rem non poteſt vnus alio plus intelligere. Sed omnes videntes Deum per eſſentiam, intelligunt Dei eſſentiā: Intellectu enim videtur Deus, non ſenſu; vt ſupra habitum eſt. Ergo videntium diuinam eſſentiam vnus alio non clarius videt.*

3 *Præterea. Quòd aliquid altero perfectius videatur, ex duobus cōtingere poteſt, vel ex parte obiecti viſibilis, vel ex parte potentiæ viſiuæ uidentis. Ex parte autem obiecti; per hoc, quòd obiectū perfectius in vidente recipitur; ſcilicet ſecundùm perfectiorem ſimilitudinem, quod in propoſito locum non habet. Deus enim non per aliquam ſimilitudinem, ſed per eius eſſentiam præſens eſt intellectui eſſentiam eius videnti. Relinquitur ergo, quòd ſi vnus alio perfectius eum uideat, quòd hoc ſit ſecundùm differentiam potentiæ intellectiuæ. Et ita ſequitur, quòd cuius potentia intellectiua naturaliter eſt ſublimior, clarius eum videat. Quod eſt inconueniens, cum hominibus promittatur in beatitudine æqualitas Angelorum.*

Sed contra eſt, quod vita æterna in viſione Dei conſiſtit; ſecundùm illud Io. 17. Hæc eſt vita æterna, &c. Ergo ſi omnes æqualiter Dei eſſentiam uident, in uita æterna omnes erunt æquales; cuius contrarium dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. Stella differt à Stella in claritate.

Reſpondeo. Dicendum, quod

maius deſiderium, ſubaudi, videndi Deū. Ergo plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate. Probatur conſequentia; Quia *deſiderium quodammodo facit, deſiderātem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati.* (art. 2. huius quæſt.) Ergo plus debetur de lumine gloriæ ei, qui plus habet de charitate.

Ad primum argumētum reſpondet, explicando authoritatem Sacræ Scripturæ *Videbimus eum ſicuti eſt*, ſi hoc aduerbium, *ſicuti determinat modū* (art. præc.) *viſionis ex parte rei viſæ*, concedit. Si accipiatur taliter vt determinet *modum viſionis ex parte vidētis*, negat. Sacra autem Scriptura intelligenda eſt in primo, non in ſecundo ſenſu. Videatur explicatio in textu.

Ad ſecundum argumentum eodem modo reſpondet, explicando authoritatem D. Auguſtini. *Vnam rem non poteſt unus alio plus intelligere, quo ad modum rei intellectæ*, cōcedit: quo *ad modum intelligendi*, negat. Eiuſdem reſponſionis explicatio, legatur in textu.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo conſequens. *Relinquitur ergo quòd unus alio perfectius eum uideat, quòd hoc ſit ſecundùm differentiam potentiæ intellectiuæ*, Per diuerſam facultatem, *glorioſam*, concedit. Per diuerſam facultatem, *naturalem*, negat.

*quod videntium Deum per eſſentiam unus alio perfectius eum uidebit. Quod quidem non erit per aliquam Dei ſimilitudinem perfectiorem in uno, quàm in alio: cum illa uiſio non ſit futura per aliquam ſimilitudinem, * ut oſtenſum eſt. Sed hoc erit per hoc, quòd intellectus unius habebit maiorem uirtutem, ſeu facultatem ad uidendum Deum, quàm alterius. Facultas autem uidendi Deum non competit intellectui creato ſecundum ſuam naturā; ſed per lumen gloriæ; quod intellectum in quadam deiformitate conſtituit, * ut ex ſuperioribus patet.*

Vndè intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum uidebit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate; quia ubi eſt maior charitas, ibi eſt maius deſiderium. Et deſiderium quodammodo facit deſiderantem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati; unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum uidebit, & beatior erit.

Ad primum ergo dicendum, quòd cum dicitur, uidebimus eum ſicuti eſt: hoc aduerbium, ſicuti, determinat modum viſionis ex parte rei uiſæ; ut ſit ſenſus: uidebimus eum ita eſſe, ſicuti eſt; quia ipſum eſſe uidebimus, quod eſt eius eſſentia. Non autem determinat modum uiſionis ex parte uidentis; ut ſit ſenſus; quòd ita erit perfectus modus uidendi: ſicut eſt in Deo perfectus modus eſſendi.

Et per hoc etiam patet ſolutio ad ſecundum. Cum enim dicitur, quòd rem unam unus alio melius non intelligit, hoc habet ueritatem, ſi referatur ad modum rei intellectæ; quia quicunque intelligit rem eſſe aliter, quàm ſit, non uerè intelligit; non autem, ſi referatur ad modum intelligendi; quia intelligere unius eſt perfectius, quàm intelligere alterius.

Ad tertium dicendū, quòd diuerſitas uidendi non erit ex parte obiecti; quia idem obiectum omnibus præſentabitur, ſcilicet Dei eſſentia; nec ex diuerſa participatione obiecti per differentes ſimilitudines, ſed erit per diuerſam facultatem intellectus, non quidem naturalem, ſed glorioſam, ut dictum eſt. † (art. præc.)

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRo tituli intelligentia breuiter obſerua, ly, *perfectius*, quoniam non accipitur de maiori perfectione extenſiua, ſed intenſiua, pro vt idem ſonat, perfectius videre, quòd videre maiori claritate, ac profunditate.

Concluſio D. Thomæ eſt ex fide certa vt diſputatione ſequenti patebit.

2 *Quod quidem non erit per aliquam Dei ſimilitudinem perfectiorem in uno, quàm in alio; cum illa uiſio non ſit futura per aliquam ſimilitudinem.* Circa quod obſerua, quòd D. Thomas potuiſſet alia via rationem ex ſimilitudine perfectiori accepta, reprobare; Quia ſcilicet, ſi Deus per ſimilitudines creatas videretur, vnus alio perfectius eum videre non poſſet; Quia illa ſpecies eſſet comprehenſiua Dei, & conſequenter ex ratione ſpeciei non haberetur ratio perfectioris cognitionis. Placuit tamen ei omnia breuiter expedire, per hoc, quòd non ſit per ſimilitudinem creatam, Dei clara cognitio.

3 Poſſet quoquè dici, quòd idcirco Diuus Thomas per negationem ſimilitudinis creatæ Deum repræſentantis, rationem perfectioris cognitionis reprobauit; Quia quæcunquè ſimilitudo creata eſſet immediatè alicuius obiecti creati repræſentatiua, & conſequenter, Deus per ſimilitudinem creatam non ſolùm impreſſam, verum etiam obiectiuam, cognoſceretur; & ſic videntium Dei eſſentiam, perfectius vnus alio videret; quia vnus Deum inſpiceret in aliquo obiecto perfectiori, & alius in imperfectiori; Et propterea meritò ex vna breui propoſitione ſufficienter probauit intentum, Quia nimirum, viſio non erit per aliquam ſimilitudinem impreſſam, & obiectiuam, perfectiorem in vno quàm in alio.

Digitized by Google

4 Sed his præſuppoſitis dubium occurrit. Quia licet viſio nõ eſſet futura per aliquam creatam ſimilitudinem, eſt tamen de facto per ipſammet diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis perfectiori modo vni, quàm alteri vnitam. Ergo poſſet pro concluſionis bona ratione aſſignari ratio ſpeciei; nempè quòd vnus alio perfectius Deum videt, per hoc, quòd vnus perfectiùs alio, diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei ſibi habet vnitam. Ergo immeritò à D. Thoma excluditur ratio perfectioris viſionis ex perfectiori ſimilitudine.

5 Reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens. Ergo poſſet pro concluſionis bona, & non propria ratione, &c. concedo conſequentiam. Ergo poſſet pro concluſionis bona, & propria ratione, &c. nego conſequentiam. Etenim licet iſta ſit bona ratio, quare ſcilicet, vnus Beatus perfectius Deum videt, quia Deus in ratione ſpeciei perfectiori modo vnitur vni, quàm alteri; tamen ratio quare perfectiori modo vnitur vni, quàm alteri eſt, quia perfectior virtus, ſeù facultas Deum videndi, perfectior eſt in vno, quàm in altero. Ergo &c. nego vltimam conſequentiam. Quia D. Thomas excluſit rationem per ſimilitudinem creatam dumtaxat, tanquàm falſam.

6 *Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.* Hæc propoſitio eſt cauſalis meritoriè; & ſenſus eſt, quòd habens plus de charitate, meretur vt plus luminis gloriæ illi infundatur. Vnde charitas hic accipitur pro charitate viæ, non pro charitate patriæ. Quoniam ſi ſermo ſit de charitate patriæ, dicendum eſt, cauſaliter loquendo, quòd plus participabit de charitate, qui plus habet de lumine gloriæ; Etenim charitas patriæ menſuratur ſecundùm quantitatem luminis, & viſionis.

7 *Vbi eſt maior charitas, ibi eſt maius deſiderium*, ſubaudi, videndi Deum. Nam homo per charitatem ordinatur ad beatitudinem ſempiternam (quæ in Dei clara viſione conſiſtit) appetendam. Per hæc eadem verba manifeſtè conſtat, quòd D. Thomas loquitur de charitate pro vt eſt in via. Loquitur enim de charitate ad quam ſequitur deſiderium videndi Deum: ad charitatem autem patriæ non ſequitur deſiderium, ſed delectatio Dei viſi.

8 *Deſiderium quodammodo facit deſiderantem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati.* Propoſitio, hæc attenta ponderatione eget, & vt ipſa rectè intelligatur, & ad intelligendum, quòd deſiderium non eſt ipſa formalis, & actualis diſpoſitio, qua videns Deum immediatè diſponitur, vt quidam intellexiſſe videntur. Senſus ergo verborum D. Thomæ eſt iſte, quòd deſiderium videndi Deum, ex charitate procedens, reddit deſiderantem aptum, ac præparatum, vt lumen gloriæ recipiat, ſitquè illi debitum; Et quo maius fuerit deſiderium, eo maior meritoria aptitudo erit in deſiderante ad maius lumen gloriæ recipiendum.

9 Dicitur, quòd deſiderium facit deſiderantem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati; eo quia deſiderium feruorem amantis ad rem amatam nondumquè poſſeſſam dicit. Et ſi vis ex eodem D. Thoma huius veram percipere intelligentiam, vide eum 1.2. quæſt. 28. art. 5. in reſponſione ad obiecta vbi hæc aurea habet verba. D.Thom.
Amori attribui poſſunt quatuor effectus proximi, ſcilicet, liquefactio, fruitio, languor, & feruor, inter quæ primum eſt liquefactio, quæ opponitur congelationi. Ea enim quæ ſunt congelata, in ſe ipſis conſtricta ſunt, Vt non poſſint de facili ſubintrationem alterius pati: ad amorem autem pertinet, quòd appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, pro Vt amatum eſt in amante. Vnde cordis congelatio, Vel duritia, eſt diſpoſitio repugnans amori: ſed liquefactio importat quamdam mollificationem cordis, quæ exhibet ſe cor habile, Vt amatum in ipſum ſubintret. Si ergo amatum fuerit præſens, & habitum, cauſatur delectatio, ſiuè fruitio: Si autem fuerit abſens, conſequuntur duæ paſſiones, ſcilicet, triſtitia de abſentia, quæ ſignificatur per languorem. Vnde & Tullius in 3. de Tuſculanis quæſt. maximè triſtitiam ægritudinem nominat, & intenſum deſiderium de conſecutione amati quod ſignificatur per feruorem. Tullius.
Hæc ille.

DISPV-

DISPVTATIO LXXXII.

VTRVM BEATI IN PATRIA ÆQVALI VISIONE Deum videant.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Hæreticorum opinio refertur, & veritas Catholica roboratur.

1 QVIdam hæretici, omnes Beatos in patria, pari, & æque perfecta viſione Deum videre exiſtimarunt. Ita Iouinianus Romanus, quōdam Monachus, & deinde ſanctitatis clauſtra relinquens, & ad laicalem ſtatum, vnde exierat rediens, vitam viuens luxurioſam, inter alia impia dogmata dixit, nullam in via inter electos diſparitatem eſſe meritorum, nec demeritorum, & in patria omnes Beatos in beatitudine, in viſione ſcilicet, & fruitione, omneſquè damnatos in tormentorum paſſione eſſe pares. Iouinian.

2 Eumdem errorem ſequutus eſt Lutherus, ſed alio modo ductus, quia ſcilicet docuit Sanctos, & electos, nō per iuſtitiam, & ſanctitatem illis intrinſecè inhærentem, ſanctos, iuſtoſquè nuncupari, ſed ſola extrinſeca Dei acceptatione. Lutherus.

3 Hunc eumdem errorem, vt probabilem ſententiam exiſtimauit Durandus, qui in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 15. contra ſeipſum ſic arguens, *quia unus intellectus humanus eſt beatior alio, etiam intellectus humanus poteſt eſſe æque beatus, ſicut intellectus Angelicus; ſed illud non poteſt eſſe, niſi ponatur in intellectu humano lumen gloriæ. Ergo. Probat minorem. Quia ſi non exigitur lumen gloriæ ad videndum Deum, tunc inter homines non poterit eſſe diuerſus gradus viſionis, &c.* Durand.

4 Sic reſpondet. *Poteſt reſponderi dupliciter. Primò quòd ſicut aliquibus quandoquè viſum eſt, quantùm ad uiſionem diuinæ eſſentiæ, & eorum quæ in ipſa naturaliter uidentur, non erit differentia inter homines beatos, imò ſic omnes accipient unum denarium, & erunt æquales in hoc, primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi, quantumcumquè portauerint pondus diei, & æſtus, ſed differentia ſolùm eſt, quantùm ad illa, quæ reuelat Deus uoluntariè, quorum cognitio non pertinet ad beatitudinem eſſentialem, & etiam quantùm ad dotes corporis, & quoſdam gradus dignitatis, in quibus quidam excedunt alios, & Beata Virgo, & Chriſtus homo, omnes Angelos, & per idem patet, quòd homo poteſt uenire ad gradus Angelorum, uel excedere aliquos, quia ordines Angelorum non diſtinguuntur penes uiſionem diuinæ eſſentiæ, ſed penes modum recipiendi diuerſas illuminationes, in quibus homines poſſunt æquari Angelis, uel eos excedere pro uoluntate Dei reuelantis.* Hæc ille. Duo tantùm poſſunt Durandum excuſare, Primum eſt, humilis illius proteſtatio quæ in principio, & in fine eius operis reperitur, qua omnia Eccleſiæ correctioni ſubijcit. Secundum eſt; Quia hanc doctrinam per ſequentem reſponſionem, quam immediatè ſubdit correxiſſe videtur, ſic enim à prima ad ſecundam tranſit reſponſionem; *Vel poteſt dici aliter, & melius, ac ſecurius.* Ac ſi dixiſſet, prima reſponſio ſecura non eſt, & conſequenter, nequè ex propria mente adducta.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

5 PRo determinatione veritatis Dico breuiter. Non omnes viſiones beatificæ ſunt in Patria in perfectione æquales. Hoc dictum eſt de fide certum, ac in Concilijs determinatum.

Dicunt quidam, fuiſſe determinatum in Concilio Pelenſi ſub Sergio Papa, ita Conzalez hic diſput. 29. ſect. 1. Pelenſe. Serg. Pap. Conzal.

Sed in primis corrigenda eſt prima littera Concilij, quia voluit dicere in Concilio Thelenſi, & fuit error imprimentis. Secundò falſum eſt, errorem Iouiniani fuiſſe Thelenſ.

dam-

Digitized by Google

damnatum à Sergio Papa; nam ſub nullo Pontifice hoc nomine nuncupato, fit mentio de hoc Iouiniani errore, neque Concilium Thelenſe ſub Sergio fuit celebratum, vt ex libris Conciliorum conſtat.

Aquilien. Syricius. Bañes.

6 Alij dicunt, in Concilio Aquilienſi apud Africam congregato, iuſſu Syricij Pontificis. Ita Bañes hic ante dubium.

Damaſ.

Sed Concilium Aquilienſe celebratum fuit ſub Damaſo 1. non verò ſub Syricio, vt in libris Conciliorum videri poteſt.

Telenſe. Syricius. Baronius.

7 Dicunt alij in Concilio Telenſe nuper relato ſub Syricio Papa fuiſſe damnatum. Ita Alfonſus de Caſtro de hæreſibus verbo *beatitudo* hæreſ. 7.

Sed in primis corrigenda eſt illa particula, Telenſe, eſt enim mendosè dicta, nam debet dici Teleptenſe, vt aduertit Baronius tom. 5. circa Annum Chriſti 418.

Secundò. Quia in tali Concilio Telenſe, ſeù Teleptenſe recitata eſt epiſtola decretalis Syricij Romani Pōtificis ad Africanos Epiſcopos data, & quid aliud ibidem actum ſit, nihil apparet, vt obſeruat Baronius ibidem fol. 417.

Recupit. Suarez.

8 Pater Recupitus accepit hoc ex Baronio, ſicut Suarez ſed in quo Concilio vltra Florentinum, noſtrum dictum determinatum fuiſſe, non declarat. quod facere potuiſſet cum Baronio tom. 4. iam iam adducendo.

Iouinian.

9 Dicendum ergo eſt, hoc dictum contra Iouinianum determinatum eſſe in Concilio Mediolanenſi, quod fuit Concilium Prouinciale octoginta Epiſcoporum, ſub Syricio Papa celebratum, vt rectè aduertit Baronius tom. 4. circa Annum Chriſti 390. fol. 624. damnatur autem Iouiniani error in ſupradicto Concilio, in reſcripto Epiſcoporum ad Syricium Papam his verbis. *Nec miramur ſi Luporum rabiem grex Domini perhorruerit, in quibus Chriſti vocem non recognouit. Agreſtis enim vlulatus eſt, nullam virginitatis gratiam, nullum caſtitatis ordinem reſeruare, promiſcuè omnia uelle confundere, diuerſorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quamdam cœleſtium remunerationum inducere, quaſi Chriſto una ſit palma, quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli præmiorum.*

Florent. Eugen. 4.

10 Hoc idem in Concilio Florentino determinatum eſt ſub Eugenio 4. ibi enim, determinatur, à Beatis videri Deum perfectius pro diuerſitate meritorum. Vbi aduerte, quòd Sacrum Concilium vtrumquè determinat, & quòd Beati diuerſa habent merita, & quòd vnus alio perfectius Deum videt, hæc enim ſunt Concilij ſeſſ. vltima in litteris vnionis verba. *Beati intuentur clarè ipſum Deum Trinum, & Vnum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alius alio, perfectius videt.*

Trident.

11 Et in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 32. ſic decernitur. *Si quis dixerit hominis iuſtificati &c. non verè mereri augmentum gratiæ, uitam æternam, & ipſius uitæ æternæ (Si tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem, atquè etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.* Satis etiam clarè hoc idem dictum, teſtimonia Sacræ Scripturæ teſtantur, inter quæ inſigne teſtimonium eſt illud Chriſti ex illo Ioann. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt,* quem locum explicans Diuus Auguſtinus tract. 67. in Ioannem ſic ait. *Multæ manſiones diuerſas meritorum in una uita æterna, ſignificant dignitates.* & tom. 6. lib. de Sancta Virginitate cap. 26. ſic ait. *Quia uerò in ipſa uita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ ſunt manſiones apud Patrem:* & tom. 7. lib. 3. de anima, & eius origine cap. 11. hunc Sacræ Scripturæ locum de gloria cœleſti interpretatur, his verbis. *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquas manſiones eſſe extra Regnum Dei, quas eſſe, Dominus dixit, in domo Patris ſui, ſi uis eſſe catholicus,* & verſus eiuſdem capitis finem, ſic ait. *Manſiones autem aliquas conſtitutas in domo Dei ſeparare à Regno Dei, quàm ſit à ueritate deuium, puto quòd iam intelligas.* Ioan. 14. D.Aug.

12 Et Doctor Angelicus noſter Sanctus Thomas ſuper eumdem locum lect. 1. ſic explicat. *Manſiones multæ ſunt, hoc eſt, diuerſæ participationes beatitudinis ipſius.* & 3. cont. gent. cap. 58. hoc idem teſtimonium explicans, hæc verba profert. *Hinc eſt quòd ad hanc felicitatis differentiam deſignandam, Dominus dicit Ioan. 14. in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Per hoc autem excluditur error quorumdam dicentium omnia præmia eſſe æqualia.* Hæc ille. Vbi obſerua quanti ponderis ſit prædictum teſtimoniū, quòd Diuus Thomas ait, quòd per ſupradicta verba *excluditur error quorumdam dicentium omnia præmia eſſe æqualia.* Qui error fuit Iouiniani, & ſequacium eius. D.Thom.

13 Et Sanctus Beda lib. de Sancta Virginitate cap. 6. ſic ait. *Quia in ipſa uita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ ſunt manſiones apud Patrem, & in multis manſionibus honoratur alius, alio clarius.* Beda.

Et Sanctus Cyrillus lib. 9. in Ioann. cap. 31. ſic ait. *Hæc multitudo manſionum, differentiam gloriæ ſignificat.* Idem dicunt Sanctus hilarius in illud Pſal. 64. *Beatus quem elegiſti,* & Sanctus Anſelmus ſuper illud Matth. 20. *cum ueniſſent.* Ergo, &c. Cyrillus. Pſalm. 64. S.Anſel.

14 Ex quibus expoſitionibus patet, Iouiniani Epicurei, ab abſtinentia, & ſanctitate monachali, ad Sardanapalum conuerſi, ridiculam eſſe reſponſionem; nempè, ſupradictum teſtimonium exponendum eſſe, de Eccleſia militante, quæ cum multos contineat Hierarchiæ Ordines, & Domus Dei dicatur, dicitur multas habere manſiones. Iouinian.

15 Nam extant ſupradictæ Sanctorum

ger-

Digitized by Google

Iouinian. germanæ expoſitiones, & verba quæ immediatè Chriſtus ſubiungit, Iouinianum clarè confundunt; Nam Chriſtus ſic ſubiungit. Si *quominus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum; & ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Vbi apertè ſeipſum explicat de gloria cœleſti eſſe locutum.

D.Thom. 16 Hoc idem explicat D. Thomas in cathena aurea ſuper 14. Io: cum Auguſtino, ſic dicens. [Quippè cum dixit, *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quid putamus eſſe domum Dei, niſi templum Dei, de quo Apoſtolus dicit, templum Dei eſtis vos. Hæc ergo domus Dei adhuc ædificatur, adhuc præparatur. Sed quomodo vadit, & parat locum, ſi iam manſiones multæ ſunt? ſed non dum ſunt, ſicut parandæ ſunt, eaſdem enim manſiones, quas prędeſtinando præparauit, præparat operãdo.] Videatur D. Thomas in Catena aurea loco citato. Io. 14. D.Thom.

17 Deinde probatur idem ex illo Apoſt. 1. ad Cor. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum, Stella enim differt à Stella in claritate, ſic, & reſurrectio mortuorum.* 1.Cor.15.

Si reſpondeatur, ſupradictum Sacræ Scripturæ locum intelligendum eſſe de claritate corporum.

18 Contra intelligitur, ac verificatur de claritate corporum. Ergo etiam de claritate animæ. Patet conſequentia; Quia claritas quæ dos corporis eſt, ex animæ beatitudine prouenit. Nam beatitudo animæ communicatur corpori iuxta eius capacitatem.

19 Secundò. Quia ſic communiter Sancti Patres ad hoc propoſitum concludendum exponunt, vnde Diuus Auguſtinus lib. de Sancta Virginitate cap. 26. *Stella,* inquit, *à Stella differt in gloria, ſic, & reſurrectio mortuorum. Hæc ſunt merita diuerſa Sanctorum:* & Diuus Thomas in hoc art. in argumento ſed contra. D.Aug. D.Thom.

20 Reſpondet Iouinianus apud Hieronymum lib. 2. contra Iouinianum, explicando authoritatem allatam, de diſcrimine inter ſpirituales, & carnales. Iouinian. D.Hier.

Contra hanc reſponſionem optimè Diuus Hieronymus obſtat. Quia Diuus Paulus vt ex contextu patet, ſermonem habet de ijs, qui in Cœlo ſunt, vbi homines carnales non inueniuntur, ſed ſpirituales tantùm, ſeu Sancti, qui cum Chriſto in æternum regnant.

21 Probatur etiam ex illo Apoſt. 1. Cor. 15. *Abundantius omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum,* & ſimiliter 1. Cor. 9. dicitur. *Qui parcè ſeminat, parcè, & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet.* & 1. Cor. 3. dicitur. *Vnuſquiſquè autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* & Matthęi 16. dicitur. *Tunc reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* & Apocalipſis 18. dicitur; *Reddite illi, ſicut & ipſe reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundùm opera eius. Quantùm glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* Dicitur etiam Matth. c. 25. *Domine duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo ſuperlucratus ſum. Domine quinquè talenta tradidiſti mihi ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.* In quibus omnibus ſupradictis Sacræ Scripturæ teſtimonijs, manifeſtiſſimè meritorum, demeritorum, præmiorum, ac pœnarum diſparilitas declaratur. Ergo cum ſint diuerſa hominum merita, & inæqualiter præmium hominibus correſpondens, non erit æqualis omnium clara Dei viſio, quæ eſt omnium meritorum tota merces. 1.Cor.15. 1.Cor.9. 1.Cor.3. Matt. 16. Apoc. 18. Matt. 25.

22 Probatur ſecundò ratione; Non omnes intellectus creati ſunt æquales in virtute videndi, nec omnes habent æquale lumen gloriæ. Ergo non omnes æqualiter Deum clarè vident. Hæc ratio efficaciam habet, ſiuè lumen ſit tota ratio videndi, ſiuè non, vt ex modo quo eſt poſita, conſtat. Antecedens patet; & conſequentia probatur. Quia obiectum infinitè cognoſcibile minus perfectè, perfectiuſquè cognoſcitur ſecundùm minus perfectam, perfectioremquè cognoſcendi virtutem.

Probatur tertiò. Non eſt impoſſibile vt vnus intellectus creatus perfectius altero Deum infinitè cognoſcibilem videat. Ergo non eſt cur hoc de facto negetur.

CAPVT TERTIVM.

Parabola vineæ Matthæi 20. catholicè contra Iouinianum exponitur, & declaratur.

23 Contra hanc determinationem eſt principalius Iouiniani argumẽtum ex parabola vineæ Matth. 20. enarrata, vt refert idem Sãctus Hieronymus. Parabola eſt iſta. *Erat quidam Pater Familias qui exijt primò manè conducere operarios in vineam ſuam, conuentione autem facta cum operarijs, ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Hoc idem fecit circa horam tertiam, ſextam, nonam, & vndecimam; *cum ſero autem factum eſſet, præcepit Dominus vineæ,* reddi omnibus laborantibus mercedem æqualem: ſed Pater Familias eſt Deus. Iuxta illud Ioann. 15. *Pater meus agricola eſt.* Operarij verò ſunt fideles, videli- Matt. 20. D.Hier. Io. 15.

videlicet, primi qui ex quo vſus rationis participes facti ſunt, in Eccleſiæ militantis vinea, ſemper Deo ſeruierunt, pondus totius diei, & æſtus portantes, Qui verò circa vndecimam horam, ſunt in vltimo ſuę vitæ conuerſi, & tamen omnes eamdem mercedem recipiunt. Vnde ipſimet dixerunt *hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.*

Vaſquez. Pater Vaſquez hic, diſput. 47. cap. 3. & 4. reſpondet, explicando dictam parabolam, nõ de electis, ſed ait ibi comparationem fieri inter electos, & reprobos, qui omnes ad gratiam, & gloriam vocati ſunt, & qui primò vocati videbantur, dicuntur reprobi; qui verò vltimò, dicuntur electi. Propter hoc, quòd in parabola ſic Chriſtus concludit. *Erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi, multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.*

Vaſquez. 24 Hanc Patris Vaſquez explicationem communiter reijciunt Theologi, tanquàm communi Sanctorum Patrum ſententiæ contrariam. Ita Suarez p.p. lib. 2. cap. 10. num. 11. Conzalez hic diſput. 29. ſect. 2. Collegium Salmant cenſe tract. 2. de viſione Dei, diſput. 4. num. 3. Maldonatus ſuper 20. cap. Matthæi. Faſolus hic dubitatione 1. num. 6. Suarez. Conzal. Salmant. Maldon. Faſolus.

25 Contra autem hanc explicationem arguitur primò; quia, vt in parabola exprimitur, poſtquàm ſerò factum eſt, fuit ſingulis operarijs denarius diſtributus. Sic enim dicitur. *Cum ſerò eſſet factum, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, uoca operarios, & redde illis mercedem.* Acceperunt omnes ſingulos denarios; taliter quòd fuerunt omnes in denario æquales. Ergo non eſt ſermo de reprobis.

26 Secundò. Quia, Primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi, intelligendi ſunt iuxta denarij paritatẽ, primis, nouiſſimiſquè collati. Aliàs, nouiſſimi primis, non pares facti fuiſſent, ſed impares; quod eſt immediatè contra Parabolam. Dixerunt enim primi. PatriFamilias ſic. *Nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti.*

27 Tertiò; Quia ſi etiam reprobos parabola claudit, non poſſet commodè explicari, quare primi aduerſus PatremFamilias murmurabant, quia nouiſſimi ſunt ſibi facti pares. Nam parabola præſupponit primos rectè in vinea per totum diem laboraſſe, ratione cuius boni laboris arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi.

28 Quartò, Quia Parabola loquitur de vocatis ad vineam, ibiquè iuxta PatrisFamilias voluntatem laborantibus, cuius ſigna ſunt, PatrisFamilias amicabilia verba, *Amice*, inquit, *non facio tibi iniuriam*; & redditio denarij *ex conuenti one facta*; Videatur Conzalez hic loco citato.

29 Reſpondetur ergo ſecundò, explicando parabolam de paritate vitæ æternæ obiectiuæ, non autem formalis; & ſenſus eſt; quòd omnes beati ſunt in beatitudine obiectiua pares. Quia, ſcilicet, omnes habent idem obiectum beatificans, nempè, Deum; non tamen omnes eodem modo, & æqualiter Deum vident; ſed diuerſimodè iuxta diuerſitatem meritorum.

30 Doctrina eſt Diui Auguſtini lib. de Sancta Virginitate cap. 26. vbi ſic ait. *Hic eſt ille denarius, merces omnium: Stella tamen à Stella differt in gloria, ſic, & reſurrectio mortuorum. Hæc ſunt merita diuerſa Sanctorum.* & paucis interiectis ſic ait. *Quia ipſa Vita æterna pariter erit omnibus Sanctis, æqualis denarius omnibus attributus eſt. Quia uerò in ipſa Vita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ ſunt manſiones apud Patrem.* D. Aug.

31 Eſt D. Thomæ in 3. cont. gent. cap. 58. vbi eamdem explicans parabolam, ſic ait. *Vnde prædictis non obuiat, quòd Dominus Matthæi 20. omnibus laborantibus in Vinea, licet non æqualiter laborauerint, idem tamen præmium reddendum docet, ſcilicet, denarium: quia idem eſt quod omnibus datur in præmium ad uidendum, & ad fruendum, ſcilicet Deus*; & p. 2. quæſt. 5. art. 2. ad 1. eamdem parabolam eodem prorſus modo explicat dicens. *Ad primum ergo dicendum, quòd Vnitas denarij ſignificat Vnitatem beatitudinis ex parte obiecti, ſed diuerſitas manſionum ſignificat diuerſitatem beatitudinis ſecundùm diuerſum gradum fruitionis.* Videatur Diuus Thomas ſuper Ioan. cap. 14. lect. 1. D. Thom. Matt. 20. D. Thom. Io. 14.

32 Eſt etiã Tertulliani lib. de Monogamia cap. 13. idẽ docẽt, S. Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum; Sanctus Anſelmus in Matthæum cap. 20. Sanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, Echumenius, & alij Patres græci, vt refert Conzalez, Item Nazianzenus orat. in Sanctum baptiſma §. *Verùm dicet.* Beda ſuper Epiſt. 1. Apoſt. ad Cor. 15. Gregorius lib. 4. moralium cap. 31. Tertull. D. Hier. Anſelm. Chryſoſt. Theod. Theophil. Echum. Conzal. Nazianz. Beda. Gregor.

33 Hanc eamdem explicationem ſequuntur communiſſimè Theologi, Riccardus in 4. diſt. 49. art. 2. quæſt. 8. ad 1. Ferrarienſis in 3. cont. gent. c. 58. Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. art. 2. Banes hic, Molina diſput. 1. §. *quòd ſi quis*. Valentia puncto 4. Suarez loco citato. Ripa, Nazarius Conzalez hic, Salmanticenſes loco citato. Faſolus hic dub. 1. Salmeron tom. 7. tract. 33. Pater Ioannes Maldonatus in Matthæum cap. 20. Riccard. Ferrar. Scotus. Bañes. Molina. Valentia. Suarez. Faſolus. Salmer. Maldon.

34 Suppoſito igitur, quòd per denarium intelligatur beatitudo obiectiua, non autem formalis, & quòd beatitudo obiectiua omnibus Beatis eſt æqualis, & vna, nempè Deus; & beatitudo formalis non ſit omnibus vna, & æqualis; Explicandum reſtat quomodo hoc, cum parabolæ ſerie concordari poteſt.

Pro

Digitized by Google

34 Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum, quòd Chriſtus Dominus Matthæi 20. intendit declarare ſimul, & probare hanc propoſitionem. *Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, quam in præcedentis capitis fine præmiſerat; Et ad illam explicandam, ac probandam ſupradictam Patriſfamilias parabolam introduxit. Vnde prius inueſtigandum eſt, quid per primos nouiſsimos, nouiſsimoſquè primos, intelligat; Deinde explicandum, & videndum eſt, quæ geſta parabolæ, Chriſti intento aptari poſsint, & debeant.

Matth. 20

35 Circa primum Doctorum diuerſa placita omitto, & videri poſſunt in ſcriptoribus ſupra dictum locum exponentibus; ſed ſuppono, tàm nouiſsimos, quàm primos, intelligendos eſſe electos, ſeù prædeſtinatos ad gloriam; Nam in parabola aſſeritur, quòd omnes operarij tàm primi, quàm nouiſsimi acceperunt mercedem, ſeù denarium; quod quidem ad explicandum Chriſti Domini dictum, *erunt*, ſcilicet, *primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, principaliter ſeruit. Tum quia in parabola, *nouiſſimi*, dicuntur facti æquales primis, quò ad mercedis retributionem. Ergo omnes ſunt Sancti, nouiſsimi, & primi.

36 Qui igitur ſancti primi à Chriſto dicuntur nouiſsimi, & qui nouiſsimi primi? Non eſt vna expoſitorum ſententia. Nam quidam dicunt per primos intelligi omnes ſanctos ante Chriſti aduentum, & per nouiſsimos, intelligendos eſſe Sanctos ab aduentu Chriſti vſquè ad diem Iudicij Vniuerſalis. Dicuntur autem *primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, quia primi Sancti non ſtatim poſt ipſorum prætioſam mortem ſunt gloria æterna coronati, ſed in Limbo vſquè ad mortem Chriſti retardati: Omnes autem ſancti poſt Chriſti mortem, nouiſsimi, dicuntur primi; quia poſt ipſorum mortem, ſi receſſerint à criminibus expurgati, vel immaculati, ſtatim Deum videbunt. Itaquè nouiſsimi dicuntur primi, non quia prius, ſed quia celerius quàm præcedentes ſancti, ante Chriſti mortem coronati; dicuntur quoquè in beatitudine, eiuſquè duratione pares. Ita Diuus Auguſtinus tom. 10. ſerm. 59. de

37 verb. Dom. non longè poſt principium, vbi ſic ait; *Si ergo illi primi poſt multum tempus, non poſt modicum tempus quamuis ſimul accipiamus, priores videmur accepiſſe; quia merces noſtra non tardauit. Erimus ergo in illa mercede omnes æquales, tanquàm primi nouiſſimi, & nouiſsimi primi. Quia denarius ille vita æterna eſt, & in vita æterna omnes æquales erũt; Quamuis enim meritorum diuerſitate fulgebunt, alius maius, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longior, alteri breuior, quod pariter ſempiternum eſt, quod non habebit finem, nec mihi, nec tibi. Alio modo ibi erit integritas virginalis; Alio modo ibi erit fructus boni operis; alio modo corona paſſionis. Illud alio modo, aliud alio modo; tamen quantùm pertinet ad viuere in æternum, nec ille plus viuit illo. Pariter enim ſine fine viuunt, cum in ſuis quiſquè claritatibus viuat; & ille denarius vita æterna eſt. Non murmuret ergo, qui poſt multum tempus accipit, contra eum qui poſt modicũ tempus accipit. Illi redditur, illi donatur, vtriſq; tamẽ vna res donatur.*

38 Dicunt autem alij, per nouiſſimos intelligendos eſſe Apoſtolos, ſupra omnes alios Sanctos veteris legis conſtitutos. Idquè optimè fundant; quia Chriſtus Dominus poſtquàm Petro ſic dicenti *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Et reſpondit, *Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione cum ſederit filius hominis in Sede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*, ſic concludit, *Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*. Quaſi diceret, multi ante vos ſanctitate fulſerunt; ita videlicet, quòd Sancti ab Adam, Abel, & illius ætatis ſequacibus, vſquè ad Noè, per horam primò mane incipientem. Sancti à Noè cum cœteris illius ætatis Sanctis, vſquè ad Abraham, per horam tertiam. Sancti ab Abraham vſquè ad Moyſen per horam ſextam. Sancti à Moyſe vſquè ad Aduentum Chriſti, per horam nonam; & tandem Sancti ab Aduentu Chriſti vſquè ad diem vniuerſalem Iudicij deſignantur: Sed vos qui nouiſſimi eſtis, præcellitis omnes, quia *ſedebitis ſuper Sedes duodecim, &c.*

Matth. 19

39 Puto quoquè, non tam facilè ſpernendam eſſe illorum Patrum intelligentiam, qui dicunt per primos intelligi eos, qui toto ſuæ vitæ tempore fideliter Domino ſeruierunt; Per nouiſſimos verò, eos qui in vltimo ſuæ vitæ termino ad Dominum conuertuntur, ſicut quidam Doctores reijciunt, ex eò moti, quia Chriſtus Dominus ait, Multos fore primos nouiſſimos, nouiſſimoſquè primos, At verò nõ sũt multi imo, valde pauci tales, qui tam ſerò pœnitentiam agant; Non, inquam, ſpernenda eſt dicta interpretatio; Tum quia, ſi pauci sũt in vltima ætate ſaluati; Vtinam multò plures eſſent, qui à primo inſtanti quo ad vſum rationis peruenerunt, ſemper in dilectione Domini permanſerint. Tum etiam quia non ſic intelligenda eſt horum Sanctorum expoſitio, quaſi alios primos nouiſſimos, & nouiſſimos primos excludere intendant; ſed exponendi ſunt ſicut iam dicemus.

40 Exiſtimo igitur Chriſtum Dominum occaſione accepta de Sanctorũ Apoſtolorũ dicta præcellentia, vniuerſaliorem propoſitionem formaſſe; v3. *Multi erunt primi*

nouiſſimi, & nouiſſimi primi, quia quidam ſunt cęteris ſanctis præſtãtiores, ſicuti eſtis vos; quidam, nouiſsimi dicuntur primi, non quia ſanctiores, ſed quia celerius poſt ipſorum mortem coronati, ſicuti ſunt omnes ſancti poſt Chriſti mortem, per comparationem ad Sanctos, prædefunctos ante mortem eius; Quidam nouiſſimi etiam poſt Chriſti mortem, quia licet ab infantia ſua Deo ſeruire non ſtuduerint, ſed in vltima ſuæ vitæ ætate, vel termino, ad Deum conuerſi, ſpiritum Deo dederunt, multò ante alios ſuę ætatis, inſignis ſanctitatis viros, qui ſemper Deo grati vixerunt. Quidam ex iſtis nouiſſimis, facti ſunt primi; quia auxilia diuina tantæ virtutis, & ponderis receperunt, vt in virtute meritorum, primis ſint effecti æquales, imo aliqui præſtantiores. Æquales quidem, non ſolùm in beatitudine obiectiua, ſed etiam in beatitudine formali, ſi æqualia erunt merita, vtrobiquè: Præſtantiores verò, ſi maiora, & in hoc ſenſu debet intelligi Chriſti Domini propoſitio; quaſi diceret, quòd facta omnium Sanctorum collatione, inter eos, inueniuntur multi, quorum primi ſunt nouiſſimi, & nouiſſimi primi; taliter, quòd ly, *multi*, non debet quo ad ſingulos beatorum ſtatus verificari.

41 Senſus igitur huius propoſitionis, ſcilicet, *Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, eſt iſte. *Multi*, ſed non omnes, *erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, in tota ſcilicet, beatorum collatione, reperiuntur quidam *primi nouiſſimi*, & quidam *nouiſſimi primi*. Et hoc non hortatur fideles vt non niſi ad conuerſionem ſeram reuertantur ad Deum, ſed quòd omni tempore etiam peccatores, dum in hoc ſęculo viuunt, ſpem ſuæ ſalutis habeant, & non deſperent. *Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, quia comparatio eſt inter nouiſſimos, & primos, non inter nouiſſimos, & reliquos, nequè inter primos, & cęteros. Quoniam ſi comparatio fieret cum intermedijs, excederent intermedij, primos, & nouiſſimos, in aliquo magno numero.

42 Quantùm verò ad parabolæ explicationem, non eſt immorandum; eò quia, res geſta in parabola, per extenſum explicatur in textu, ſolummodo, explicanda eſt, pro vt intento propoſitioni Chriſti Domini accomodari debet.

43 Et quia ſupponimus Chriſtum Dominum per primos, & nouiſſimos, intelligere ſanctos, & per denarium diuinam eſſentiam à quolibet beato viſam; ideo eſt obſeruandum, quod iure optimo denarij nomine eſſentia diuina nuncupatur; Nam denarius figuram regis habet; Et quia omnibus Beatis vna, ac indiuiſa diuina eſſentia præſentatur, quæ eſt regia Deitatis imago, ideo meritò nomine denarij vocatur. Dicitur quoquè denarius; quia ſicut mercenarij poſt completum opus, denarium recipiunt tanquàm operis mercedem, ita fideles poſt bonorum operum conſumationem, diuinæ eſſentiæ viſionem in mercedem accipiunt.

44 Poſſet quoquè dici, quòd diuina eſſentia denario comparatur, quia quemadmodum in hoc ſęculo apud diuites, ſeù pecuniæ auidos, denarius ſuper omnia diligitur; Ita diuinæ eſſentiæ viſio, ab electis, ac beatis ſuper omnia amatur.

Differt autem denarius à diuina eſſentia, quia operarij poſtquam denarios in mercedem operis receperunt, in alios conuertunt vſus, panem, vinum, & alia ſibi neceſſaria comparantes; & iuxta hunc ſenſum eſſentia Dei viſa, non poteſt denario comparari.

45 Eſt aliud quoquè diſcrimen, quia in collatione denarij non datur maior, vel minor perfectio: At verò in collatione, ſeù in manifeſtatione eſſentiæ diuinæ inuenitur maior, vel minor perfectio, id eſt maior, vel minor claritas, ſeù claritatis intenſio.

46 Circa illud quòd in parabola dicitur de varietate horarum, poteſt, & optimè, de varietate ſanctorum ad propoſitionem Chriſti Domini coaptari, vt explicatum eſt ſupra.

47 Quò ad illam rem geſtam in parabola aſſertam, quia ſcilicet, primi *murmurabant*; Quæritur à Doctoribus vtrum fuerit murmuratio vitioſa. Dico, quòd quatenus ad parabolam pertinet, murmuratio vitioſa fuit. Nam PaterFamilias qui iuſtus ſupponitur, murmurantes reprehendit, ſed nullum bonum eſt reprehenſione dignum. Ergo. Et inſuper hoc, PaterFamilias euidẽter probat dicens. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum, &c.* Et de hoc, ſe iuſtificare laborat, dicens. *Amice non facio tibi iniuriam, &c.*

48 Dubitatur, circa parabolæ narrationem. Quia dicitur, quòd primi *accipientes murmurabant*, in numero plurali. Et deinde PaterFamilias ait, *Amice*, in numero ſingulari; Si loquebatur omnibus, quare dixit *Amice*, & non amici? Secundò. Si iniuſtè murmurabant, quare eos titulo amicitiæ pertractat?

Reſpondetur ad primum, primò, quòd quamuis omnes primi aduerſus PatremFamilias murmuraſſent, tamen PaterFamilias ad viciniorem inter murmurantes conuerſus, dixit, *Amice*, &c. Quemadmodum vnum ex vicinioribus inter nouiſſimos oſtẽdit, dum dixit *Volo autem, & huic nouiſſimo dare, ſicut, & tibi.*

49 Reſpondetur ſecundò, quòd quamuis eſſent plures primi, multiquè nouiſſimi, loquebatur illis tanquàm vni in Societate.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum reſpondetur primò, eſſe loquendi morem hominis prudentis, & iuſti, etiam in inimicos, titulo afficere honorato, ne durioribus verbis exaſperet, quem ratione conuincere cupit, & propterea PatriFamilias murmurantem, vocauit amicum. Vel dicendum, quòd murmurans ille quamuis in rõne murmurãtis nõ fuiſſet amicus; fuit tñ iuſtus in rõne mercenarij, ſeù operãtis.

50 Quamuis murmuratio in parabolę narratione occurrerit, eaquè vitioſa fuerit, non tamen locum habet inter primos, & nouiſſimos electos. Nullus enim eſt, nec eſſe poteſt, vitioſæ murmurationi locus, propriè loquendo, figuratiuè tamen, poteſt eſſe, ſeù poteſt inter eos concipi murmuratio, quatenus Deus, figuratiuè murmuranti reſpondet, ſuam gratiam ex ſola ſua omnipotentiſsima voluntate independenter à noſtris meritis, operationibuſquè conferre, quando ſcilicet, quibus, & quomodo ſibi placuerit diſpenſare, & hoc expreſsè illa verba indicant, nempè, *Volo autem, & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi, aut non licet mihi quod volo facere?* Apparet quoquè murmurationis occaſio, non ſolùm quia iniquis vt conuertantur ſuam gratiam liberè præſtat, ſed etiam quia aliquando illos ante alios æterna gloria coronat. Dicitur figuratiuè murmuratio, quia hinc oriri ſolet, quando ſcilicet, aliquis non recipit id quod alius, vel minus quàm alius accipit.

Chryſoſt.

51 Vndè eruditè D. Chryſoſtomus hom. 65. in Matth. hæc verba profert. *Non autem oportet ea, quæ in parabolis ſunt, ſecundùm totum quod dicitur, inueſtigare, ſed intentionem propter quam compoſita eſt, intelligere, & nihil vltra ſcrutari. Non ergo inducit hoc, vt oſtendat aliquos eſſe inuidia morſos, ſed vt oſtendat eos tanto potitos honore, quòd etiam inuidiam in alijs poſſet generare;* Et D. Gregorius lib. 4. moralium cap. 31. ait, quòd *iſta murmuratio non eſt aliud quàm dilatio premij, quam ſuſtinuerunt Patres Sancti in limbo vſquè ad paſſionem Chriſti.* D. Greg.

52 Probat tandem Chriſtus Dominus propoſitionem, videlicet, *Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, per hanc aliam *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*, & probat per locum à fortiori. Quaſi diceret; nec mirum ſi *multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, quia etiam verum eſt, quòd multi vocati ſunt, pauci autem inueniuntur electi.

53 Objicies ſecundò. In omnibus damnatis eſt æqualis pœna damni eſſentialis. Ergo in beatis eſt æqualis beatitudo eſſentialis. Patet conſequentia à paritate. Probatur autem antecedens. Quia ſicut beatitudo eſt acceſſus ad Deum vt eſt in ſe, ita pœna damni eſt carentia talis acceſſus.

54 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. In omnibus damnatis eſt æqualis pœna damni, ratione rei qua priuat, concedo. Ratione modi, ab illa recedendi, nego antecedens. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Videantur Medina 1.2. quæſt. 73. art. 7. & Aluarez 1.2. diſp. 184. qui alias habent reſponſiones. Medina. Aluarez.

DISPVTATIO LXXXIII.

VTRVM OMNES VISIONES BEATIFICÆ ſint inæquales.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 PAludanus in 4. diſtinct. 4. quæſt. 1. num. 9. affirmat.

Communiter tamen Theologi tenent, non omnes viſiones beatificas eſſe inæquales. Ita D. Thom. infra, quæſt. 108. art. 8. in corpore. Durandus in 2. diſt. 9. quæſt. 2. Caietanus q. 108. ar. 8. & ſuper Matth. 20. Bañes quæſt. ibidè Suarez quæſt. 62. art. 4. diſp. 7. ſect. 5. Salas 1.2. quæſt. 5. art. 1. n. 4. Gonzalez hic diſp. 19. ſect. 1. num. 4. Ægidius Luſitanus 1.2. lib. 12. quæſt. 9. artic. 3. §. 2. tom. 2. Salmanticenſes tract. 2. de Viſione Dei diſp. 4. dub. 1. Faſolus hic num. 5. Sed pro determinatione veritatis,

D. Thom. Durand. Caiet. Bañes. Suarez. Salas. Gonzal. Luſitanus. Salmant. Faſolus.

2 Dico breuiter. Non omnes viſiones beatificæ ſunt inæquales, ſed quædam ſunt æquales. Non loquimur de poſſibili, ſed de facto; quoniam quis ſanæ mentis, omnes viſiones beatificas poſſe eſſe inæquales, audebit diuinæ omnipotentiæ negare?

Digitized by Google

Luc. 20. Probatur igitur primò, ex illo Lucæ 20. Filij reſurrectionis, erunt æquales Angelis in Cœlo. Hunc locum adducit D. Thom. infra quæſt. 108. ar. 8. citato ad probandum hoc idem intentum.

Faſolus. 3 Faſolus hîc dub. 2. num. 11. circa hanc D. Thomæ explicationem, ſic ait. *Sed quod attinet ad verba Lucæ, & ſimilia quæ habentur Matthæi 22. dicunt quidam recentiores, ea Patres, & expoſitores intelligere præcipuè dicta eſſe, ratione viſionis beatæ. Equidem omnes ferè Patres, & expoſitores legi, & neminem prorſus inuenire potui, qui id diceret. Solum Auguſtinum inuenio qui epiſt. 112. ad Paulinam de videndo Deum cap. 8. ea verba non per expoſitionem, ſed per quamdam accommodationem vſurpat de æqualitate viſionis.*

D. Aug. 4 Contra Faſolum, in primis eſt, Auguſtinus loco citato per ipſum, vbi non per quamdam accommodationem, ſed dictum locum de æqualitate viſionis intelligendum eſſe verè ſupponit. Sic enim ad probandum, quòd Deus videri poteſt, ait, *Hoc enim nobis ſummum præmium in reſurrectione promittitur, quòd erimus æquales Angelis Dei, ac per hoc, ſi nec ipſi eum vident, ſicuti eſt, quomodo nos, ita viſuri ſumus, cum eis æquales in reſurrectione facti fuerimus.* Deinde vide Bedam apud D. Thomam in catena aurea, & ea quæ in huiuſdi ſpeciei dicemus.

5 Probatur ſecundò. Quia omnes paruuli æqualiter peccato originali obſtricti poſt baptiſmum, ſi antequam ad vſum rationis peruenerint, mori contingerit, cum non habeant inæqualia merita, & ſint æquali ſanctificante gratia inſigniti, æqualiter Deum videbunt. Ergo non omnes viſiones ſunt inæquales. Antecedens patet; nam quidquid boni habent paruuli ante rationis vſum, eſt effectus Sacramenti Baptiſmi: ſed aſſignari non poteſt ratio, quarè non ſit in omnibus pueris ratione Sacramenti Baptiſmi, gratia æqualis. Ergo.

6 Confirmatur primò. Ex Sanctis pueris innocentibus, ab Herode propter Chriſtum occiſis; nam vel illi paruuli abſquè vſu rationis mortui ſunt, vel Deus ſua omnipotentia ipſorum rationis vſum accelerauit: vtroquè modo debent iudicari in meritis fuiſſe æquales, & conſequenter in viſione Dei; Ergo illorum viſiones ad minus ſunt æquales. Probatur minor, Quia ſi abſquè rationis vſu mortui ſunt, omnes æqualiter propter Chriſtum occiſi ſunt. Ergo omnes æqualiter à Chriſto, & per Chriſtum coronati ſunt: Si ipſorum accelerauit vſum, quamuis potuerit Deus ſua omnipotentia præſtantiora dona ſufficientis, & efficacis gratię, magis vni, quàm alteri conferre, tamen hoc reuelatum non eſt. Ergo cum omnes æqualiter propter Chriſtum ſint occiſi, piè credendum eſt, quòd omnibus, æqualem gratiam præſtare dignatus eſt. Ergo.

7 Confirmatur ſecundò, ex Sanctis Adultis, nam hoc expreſſum habemus in noſtro Angelico Præceptore Diuo Thoma Aquinate, quem legimus æqualem in gloria fuiſſe Sancto Præſuli Auguſtino, D. Thom. D. Aug. Etenim Diuus Auguſtinus cuidam Fratri noſtro reuelauit oranti, vt in eiuſdem Sancti Thomæ legitur vita, ſic dicens, *Thomas mihi par eſt in gloria virginali præſtans munditia*; ac ſi Auguſtinus diceret, Thomas Aquinas in clara Dei viſione eſt mihi æqualis, quæ corona ſeù aurea dicitur, quamuis ſit me in virginitatis aureola præſtantior. Hoc idem de Sanctis Virginibus Agnete de Monte Politiano, & Senenſi Catherina legitur, vt in vita Beatæ Agnetis aſſeritur. S. Agnes. S. Cather. Item de Sanctis Eccleſiæ Principibus Petro, & Paulo, qui *quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati*; Sic S. Leo ſerm. 1. de Natali Sanctorum Petri, & Pauli ait. S. Leo. *De quorum meritis, nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum: quia illos, & electio pares, & labor ſimilis, & finis fecit æquales.*

8 Probatur tertiò. Quia non eſt aliquod fundamentum ad aſſerendum, quòd nullus Sanctus habeat æqualia merita cum alio Sancto. Ergo. Idem dicendum eſt de præmio. Loquimur in concluſione reſpectu hominum, non verò reſpectu Angelorum. Quia cum vnus Angelus ſit altero perfectior, & Deus donauerit Angelis gratiam, iuxta perfectionem naturalem ipſorum, ideò inter Angelos vnus alio perfectius Deum videt.

CAPVT SECVNDVM.

Argumenta ſoluuntur.

9 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis ex Paludano primò, quia ſunt duo ordines Beatorum, Vnus hominum, & alter Angelorum, tanquam duo latera cœleſtis Hieruſalem: latera autem Hieruſalem ſunt æqualia. Ergo ordo hominum correſpondet ordini Angelorum: Sed Angeli in beatitudine omnes ſunt inæquales. Ergo etiam homines.

Reſpondetur, negando maiorem, nam ſunt quidam ex hominibus ſupra omnes Angelos in vita ęterna conſtituti, vt Virgo Beata, Sanctiſſimus eius Sponſus Ioſeph, Ioannes Baptiſta; & Apoſtoli, quidam ſupra quoſdam; tantum pro qualitate meritorum; Itaquè huiuſmodi Beatorum ordines hominum ſcilicet, ex vna parte, & Angelorum ex altera non admittimus; ſed aſſerimus ibi

ibi multas eſſe manſiones beatorum, iuxta quantitatem meritorum, quorum quædam ſupra Angelos, quędam infra, & quædam Angelis ſociant; Videatur D. Thom. infra quæſt. 108. art. 8. in corp.

10 Obijcies ſecundò; Homines prædeſtinati ſunt, vt Sedes Angelorum qui ceciderunt implerent: Sed Angeli qui ceciderunt, ſi non cecidiſſent, in beatitudine fuiſſent inæquales. Ergo etiam homines loco ipſorum ſubrogati.

11 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Homines prędeſtinati ſunt, vt Sedes Angelorum, qui ceciderunt implerent, ſuperabundanter, concedo; Adæquatè, nego maiorem; Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam.

12 Explicatur iſta reſponſio; Quando dicitur quòd homines ſedes implebunt Angelorum, nō ſic debet intelligi, .i. quot Angeli ceciderunt, tot tantummodo homines ſaluabuntur, cum tanto ſolummodo meritorum cumulo, & gloriæ quantitate, quanta collata fuiſſet Angelis, qui ceciderunt, nam etiamſi Angeli, non cecidiſſent adhuc multi homines prædeſtinati fuiſſent; cum non ſint propter caſum Angelorum prædeſtinati. ſenſus ergo eſt, quòd quantitas gloriæ quæ collata fuiſſet Angelis, ſi permanſiſſent, ex diuina miſericordia fuit generi humano applicata, non tamen iuxta modum, quo eam habuiſſent Angeli, hominibus eſt diſtribuenda.

DISPVTATIO LXXXIV.

VTRVM OMNES VISIONES BEATIFICÆ ſint eiuſdem ſpeciei atomæ.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Recenſentur opiniones.

Maior. 1 IOannes Maior dicit in 4. diſt. 49. quæſt. 11. non omnes viſiones beatificas eſſe eiuſdem ſpeciei atomæ, ſed viſiones hominum diſtingui ſpecincè à viſionibus Angelorum, & ſi non in ratione beatitudinis, ad minus in ratione viſionis, ſeù cognitionis.

2 Communiſſimè tamen Theologi docēt, omnes viſiones claras Dei eſſe eiuſdem ſpeciei atomæ; Ita Diuus Thomas hic, Durandus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. & in 4. diſt. 49. quæſt. 6. num. 5. Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 2. Molina hic diſput. 5. Vaſquez diſput. 47. cap. 5. Suarez p. p. tract. 1. lib. 2. cap. 19. num. 4. Zumel diſput. vltima, Medina p. 2. quæſt. 5. art. 4. ad 1. Nauarrete controuerſia 42. §. 1. Valentia p. 2. diſput. 1. quæſt. 5. puncto 3. §. de tertio. Salas eadem p. 2. tract. 2. diſput. 3. ſect. 9. num. 36. Becanus tract. 1. cap. 9. quæſt. 8. Martinez p. 2. quæſt. 5. art. 4. dub. vnico in fine in reſponſione ad vltimum. Conzalez diſput. 29. ſect. 3. concluſ. 1. num. 25. Salmanticenſes de viſione Dei, diſput. 5. dub. 2. §. 2. non obſtante quòd diſput. 4. §. 5. aſſeruerint viſionem Pauli in via, & eam, quam habet in patria, eſſentialiter eſſe diſtinctas. Faſolus hic dub. 2. & alij.

(In margine: D. Thom. Durand. Sotus. Molina. Vaſquez. Zumel. Medina. Nauarr. Valentia. Salas. Becanus. Martinez. Conzal. Salmant. Faſolus.)

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

3 PRO determinatione ergo veritatis, Dico breuiter. Omnes viſiones claræ Dei ſunt eiuſdem ſpeciei atomæ.

Probatur primò, Ratione ex Diuo Thoma deprompta, de veritate q. 9. art. 1. ad 17. Gratia ſanctificans Animæ humanæ inhæ- D. Thom.

Digitized by Google

hærens, non eſt diuerſæ ſpeciei à gratia ſanctificante, quæ iuſtificat Angelum. Ergo nequè etiã viſio clara Dei in homine, ſpecie diſtinguitur ab ea quæ eſt in Angelo. Antecedens eſt D. Thomæ de verit.quæſt.9. art.1.ad 17. vbi hæc habet verba. *In Angelis ſpecie differentibus, non oportet quòd ſit lumen intelligibile ſpecie differens, ſicut & in corporibus ſpecie differentibus, eſt idem ſpecie color, & hoc eſt præcipuè verum de lumine gratiæ, quę etiam in hominibus, & in Angelis eſt eadem ſpecie.* Probatur igitur conſequentia primò. Quia eſt eadem gratia ſpecie in homine, & Angelo, nõ obſtante quòd homo, & Angelus ſint diuerſa ſpecie, gratiæ ſubiecta. Ergo non obſtante, quòd viſiones claræ Dei Angelorum, & hominum, ſint in diuerſis potentijs ſpecificè diſtinctis, adhuc erunt eiuſdem ſpeciei. Secundò. Quia ſi eſt eadem ſpecie gratia ſanctificans in homine, & in Angelis. Ergo eſt etiam idem ſpecie lumen gloriæ. Ergo etiam viſiones erunt eiuſdem ſpeciei.

D. Thom.

4 Probatur ſecundò, & magis præcedens ratio declaratur. Omnes intellectus creati producunt claras Dei viſiones, non per id, per quod ſpecificè diſtinguūtur, ſed per id per quod in vna ſpecie conueniunt. Ergo omnes claræ Dei viſiones ſunt eiuſdem ſpeciei atomæ. Patet conſequentia. Quia, actus qui ſpecificè diſtinguuntur, propter principiorum ſpecificam diſtinctionem, debent à principijs prodire ſecundùm quòd principia ſpecificè diſtinguuntur, & non ſecundùm quòd principia ſpecificè conueniunt. Probatur igitur antecedens, primò, quia omnes intellectus creati eliciunt claras Dei viſiones per lumen gloriæ, quod etiam per aduerſarios eſt eiuſdem ſpeciei in intellectibus hominum, & Angelorum. Ergo viſiones eliciunt ſecundum quòd in ratione ſpecifica vniuntur, & non ſecũdum quòd ſpecificè diſtinguũtur. Secundò quia dato quòd etiam per propriam cuiuſquè intellectus creati virtutem, claræ Dei viſiones eliciantur, tamen per hoc, quòd intellectus hominis V. g. poteſt videre Deum, & intellectus Angeli ſimiliter, non ideò intellectus hominis, & intellectus Angeli ſpecificè diſtinguuntur. Aliundè enim inter intellectum hominis, & intellectum Angeli eſt petenda eſſentialis, ſeù ſpecifica differentia.

5 Probatur tertiò. Omnes intellectus creati, quatenus Deum videntes ſunt, reſpiciunt vnum omninò obiectum formale, ſub vno formali modo tendendi. Ergo omnes omnium intellectuum claræ Dei viſiones, ſunt eiuſdem ſpeciei. Patet conſequentia. Quia actuum ſpecifica diſtinctio prouenit ex diſtinctione ſpecifica obiecti formalis, vel ex diſtincto modo tendendi ad vnum, idemquè obiectum, ita quod, ſi ſit vnum, idemquè obiectum formale; diſtinctus tamen tendendi modus ad illud, actus etiam ſunt ſpecificè diſtincti, vt patet de actu deſiderij, & delectationis reſpectu vnius, eiuſdemquè obiecti; ſi verò ſit vnum obiectum, & vnus tendendi modus potentiæ ad obiectum, nulla poteſt in actibus ſpecifica, & eſſentialis diſtinctio reperiri, quemadmodum licet homo, & brutum, ſeù Leo, & Equus eſſentialiter diſtinguantur, viſio tamen coloris albi, hominis, & bruti, leonis, & equi, eſt vna ſpecificè.

6 Probatur quartò. Iuxta ſententiam Maioris, & Paludani viſiones claræ Dei, ſpecie, & eſſentialiter diſtinguuntur propter diſtinctionem eſſentialem potentiarum, V. g. viſio clara Dei intellectus humani ſpecificè diſtinguitur à viſione clara Dei intellectus Angelici. Hoc ſuppoſito ſic argumentor. Si horum ſententia eſſet vera, ſequeretur, quòd viſio clara Dei Angeli, quemadmodum eſt eſſentialiter diſtincta à viſione clara Dei hominis, ita eſſet quoquè eſſentialiter perfectior: ſed hoc eſt abſurdum. Ergo & idvnde ſequitur. Sequela eſt euidens; Quia vnde habet vt ſit eſſentialiter diſtincta, inde ei prouenit, vt ſit eſſentialiter perfectior, vel imperfectior: ſed viſio clara Dei intellectus Angelici, eſt eſſentialiter diſtincta à viſione clara Dei intellectus humani, per hoc, quòd intellectus Angeli eſt eſſentialiter perfectior intellectu hominis. Ergo viſio clara Dei intellectus Angelici eſſet eſſentialiter perfectior viſione clara Dei, quæ eſt intellectus hominis. Probatur autem minor. Quia viſio clara Dei, quam habet intellectus creatus animæ Chriſti Domini, eſt incomparabiliter cœteris viſionibus, quas habẽt Angeli, excellentior, cum ſit ipſe Rex gloriæ. Similiter viſio clara Dei Beatiſſimæ Virginis Matris Chriſti, eſt omnium viſionum poſt viſionem Chriſti præſtantiſſima, cum de illa cantet Eccleſia, dicens, *exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia regna*.

7 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Beati habentes diuerſa, & maiora merita, differunt in beatitudine eſſentiali. Ergo ipſorum viſiones differunt eſſentialiter. Ergo ſpecificè. Probatur hæc vltima conſequentia. Quia quæ differunt eſſentialiter, differunt ſpecificè. Probatur prima conſequentia. Quia quæ differunt in aliquo eſſentiali, differunt eſſentialiter. Antecedens autem eſt apud omnes verum.

8 Reſpondetur explicando antecedens. Beati habentes diuerſa, & maiora merita differunt in beatitudine eſſentiali accidentaliter, ſeù numericè, concedo. Eſſentialiter, & ſpecificè, nego. Ergo, &c. nego con-

Digitized by Google

conſequentiam. Vnde rectè Sotus ait, quod *Melius diceretur beatus ſecundùm beatitudinē eſſentialem perfectior, quàm eſſentialiter perfectior.*

9 Obijciet ſecundò. Quæ differunt in forma, differunt ſpecie; ſed viſiones beatificæ ad inuicem inæquales differunt in forma. Ergo differunt ſpecificè. Maior patet; Probatur minor. Quia viſio beatifica eſt quædam forma; Ergo quæ differunt in ratione viſionis differunt in ratione formali.

10 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Quæ differunt in forma ſecundùm rationem formalem formæ, differunt ſpecie, tranſeat maior. Quæ differunt in forma ſecundùm rationem materialem formæ, differunt ſpecie, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Quia Viſio beatifica cum ſit forma accidentalis reſpiciens obiectum beatificans, nempè Deum, & ſubiectum beatificatum, habet vnam, vel plures rationes formales, pœnes vnum, vel plura obiecta formalia. Differt verò materialiter, pœnes diuerſam, ſeù maiorem, vel minorem intenſionem circa idem obiectum.

11 Obijciet tertiò. Quia nullus extat Sacræ Scripturæ locus, qui id ſuadeat. Ergo. Probatur antecedens. Quia ſi quis eſſet, maximè Matthæi 22. & Lucæ 20. vbi promittitur benè operantibus æqualitas Angelorum in Cœlo: ſed huiuſmodi loca nō debent intelligi de viſione clara Dei. Ergo. Probatur minor. Quia nullus hæc loca de viſione Dei interpretatus eſt.

Nota ꝙ hoc argumentum cum ſua reſponſione pertinet ad finem præcedentis diſputationis.

12 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & nego minorē. Ad cuius probationem, nego anteced. Videatur enim D. Aug. n. 4. citatus, qui ex propria ſententia hunc locum exponit. Videatur quoquè Sanctus Beda, qui ſic prædicta loca exponit. *Ecce ſpiritualis conuerſatio, id eſt, ſine labe corruptionis, fruitione Dei fruentur, qui ibi erunt, ſed ſicut Angeli Dei viuentes viſione, & fruitione Dei.* Hoc idem accipit, & acceptat Gloſſa Interlinearis, Rabbanus, & nullus ex Sanctis Patribus hunc ſenſum negauit; imo omnes hunc ſenſum ſupponunt. Nam quando explicant de æqualitate Angelorum, quò ad excluſionem actuum venereorum, & ad ſignificandam electorum reſurgentium caſtitatem, ex gloria animæ tanquàm à cauſa prouenire ſupponunt. Vnde Rabbanus explicans dicta Matthæi, & Lucæ loca, ſic ait, *Spiritualis nobis promittitur conuerſatio. Sunt enim ſicut Angeli in Cœlis, qui gloria reſurrectionis innouati, abſquè vllo mortis metu, abſquè vlla labe corruptionis, abſquè vllo terreni ſtatus actu, perpetua Dei viſione fruuntur, ad quam neceſſè eſt æqualitatem Angelicæ dignitatis quiſquis aſcendere deſiderat, &c.*

S. Beda.

Gloſſa. Rabban.

Rabban.

DISPVTATIO LXXXV.

VTRVM DVO INTELLECTVS INÆQVALIS perfectionis naturalis, cum æquali lumine gloriæ, æquè perfectè, an vnus altero, perfectiùs Deum videat.

In ſex capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 Senſus quæſiti eſt, Vtrum intellectus perfectioris luminis naturalis, puta Angelicus, ſi eſſet æquali lumine gloriæ illuſtratus, ac intellectus minus perfectus, puta humanus, perfectiorem viſionem eliciet, propter maiorem perfectionem naturalem, an æquè perfectam, propter æqualem luminis gloriæ illuſtrationem.

2 Scotus, in 3. diſt. 13. q. 3. & in 4. diſt. 50. q. 6. concl. 4. & 5. affirmat duas voluntates cum æquali habitu charitatis, inæqualis tamen virtutis naturalis non æquales, ſed inæquales elicere actus beatificos ſi aliter diuinitus non fuerit prouiſum. Scotus.

Duran-

Digitized by Google

Durãdus. Durandus, in 3. diſt.14. quæſt.1. ad 2. vbi audacter hæc verba profert. *Argumentum ſecundum probat, quòd Angelus poteſt eſſe beatior homine quocumque, etiam Chriſto: & illud non videtur inconueniens. Si enim Deus daret tantum lumen gloriæ Angelo, quantum dedit animæ Chriſti, Angelus eſſet beatior anima Chriſti; quia æquaretur lumine gloriæ, & excederet in lumine naturæ.* Molina, hic diſp.2. Holcot, in ſuis determinationibus quæſt.8. art.1. ad 4. Riccardus in 4. diſt.49. art.1. quæſt.3. Maior quæſt.2. & 10. & pro eadem opinione allegatur Caietanus 3. p. quæſt.10. art.4. ad 3.

Molina. Holcot. Riccard⁹. Maior. Caiet.

Nazar. Nazarius hic cõcl.1.&2.ait, quod *duo intellectus inæquales virtute, pares autem in lumine gloriæ, æqualē habent viſionē diuinæ eſſentiæ, qua ratione viſio eſt diuinæ eſſentiæ, perfectius quatenus in ratione actus vitalis, & intellectionis exit à vidente, non autem vt eſt viſio diuinæ eſſentiæ.*

3 Negant verò Ferrarienſis, in 3. contra gentes cap.55. & 58. Sotus, in 4. diſt.49. quæſt.3. art.2. Medina, 1.2. quæſt.3. art.2. Bañes, hic §. *hoc ſuppoſito*, Suarez, 1.p. lib. 2. cap.21. Vaſquez diſp.47. cap.7. Salas, 1.2. tract.2. diſp.5. ſect.7. num.88. Aluarez de auxilijs diſp.63. Ledeſma, de diuina perfectione quæſt.8. art.8. ad 6. argumentum, Zumel hic, Nauarrete controu.42. Martinez, 1.2. quæſt.3. art.2. dub.3. ad 5. Salmanticenſes, tract.2. diſp.. dub.3. Valentia, hic diſp.. punct.1. in fine, Arrubal, diſp.22. Faſolus, hic dubit.3. concl.4. num.13. & deinceps, Recupitus, lib.6. de verit. quæſt. 8. Syluester, in conflato, quæſt.12. artic.6. §. 2.

Ferrar. Sotus. Medina. Bañes. Suarez. Vaſquez. Salas. Aluarez. Ledeſma. Zumel. Nauarret. Martinez. Salmant. Valentia. Arrubal. Faſolus. Recupit. Syluester.

CAPVT SECVNDVM.

Aliquot propoſitiones ante veritatis determinationem præſupponuntur.

4 ANtequàm determinationem veritatis ſtabiliamus, ac probemus, præſuppono nonnullas propoſitiones; & prima eſt, Beati vident Deum inæqualiter pro diuerſitate, ac inæqualitate meritorum. Ita probatum eſt ſupra, eſtquè de fide certum, vt patet ex Concilio Florentino ſupra adducto. Florẽtin.

Secunda propoſitio eſt iſta, nimirum, Viſio clara Dei, præſertim adultis, datur per modum coronæ. Hæc propoſitio ſequitur ex prima; Illud enim, quod eſt vltimus terminus alicuius, & confertur pro qualitate, & quantitate meritorum eius, datur per modum præmij, & coronæ; conſtat quoquè ex illo Apoſt.2. ad Ti.2. *non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*; & ex illo ad Rom. 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te*, 2.Tim. 2. Rom. 17.

Tertia propoſitio præſupponenda, eſt iſta. Homo iuſtificatus per bona opera, quæ ab ipſo per Dei gratiam fiunt, verè meretur augmentum gratiæ, vitæ æternæ conſecutionem (ſi tamen in gratia deceſſerit) & eiuſdem gloriæ augmentum. Hæc propoſitio eſt de fide certa in Concilio Trident. ſeſſ.6. can.32. determinata. Trident.

5 Quarta propoſitio præſupponenda, eſt iſta. Gloria, & augmentum eius, ita ſunt ab homine per gratiam, vt non ſint ab homine, & non à gratia. Hæc propoſitio eſt ab eodem Sacro Tridentino Concilio ſeſſ. 6. cap.16. inſinuata; vbi ſic dicitur, *Abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſe ipſo, vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona*. Vbi non ſolùm habetur iſta affirmatiua. nimirum, per merita, per gratiam operata, homo conſequitur gloriam; ſed etiam iſta negatiua. Abſit vt homo Chriſtianus in ſe ipſo confidat, vel glorietur, & non in Domino. Trident.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

6 SVpradictis præſuppoſitis, pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Maior, vel minor beatificæ viſionis intenſiua perfectio, tota ex maiori, vel minori luminis gloriæ intenſione procedit, in ratione actus vitalis, atquè etiam viſionis.

Probatur primò. Si intellectus naturaliter perfectior cum æquali lumine gloriæ perfectius videbit Deum, aliqua propoſitio de fide certa, eſſet falſa. Ergo falſum eſt illud vnde ſequitur. Probatur ſequela.

7 Primò. Quia ſequeretur, quòd eſſet falſa prima propoſitio. Sequeretur enim, quòd viſio Dei non eſſet magis, minuſuè perfecta pro qualitate, & quantitate meritorum. Nam exiſtentibus æqualibus meritis in duobus hominibus, quorum alter ſit naturaliter altero perfectior, qui eſt perfectioris intellectus, perfectius videbit Deum non quidem pro qualitate meritorum, quia in ambobus æqualia merita ſupponuntur, ſed ſolùm propter maiorem naturalem ipſorum perfectionem. Ergo ſtante hoc, eſſet

eſſet falſa prima propoſitio, quæ eſt de fide certiſſima.

8 Si dicatur, quòd Concilium vnam dumtaxat habet propoſitionem affirmatiuam, abſquè negatiua excludente oppoſitum. Non enim ita affirmauit perfectius, vel minus perfectè à Beatis videri Deum pro diuerſitate meritorum, vt negauerit hoc quoquè contingere poſſit, pro diuerſitate maioris perfectionis naturalis.

9 Contra hoc effugium arguitur primò. Quia poſito, quòd hoc poſſit etiam pro diuerſitate, ac maiori perfectione naturali contingere, adhuc ſequeretur falſitas propoſitionis de fide certæ. Nam ſint duo homines, vel ſi omnes hominum intellectus ſupponuntur æquales, ſint duo vnus homo, & Angelus alter; Ita videlicet, quòd Angelus, qui maioris perfectionis naturalis exiſtit, ſit minoris meriti; taliter, quòd vbi Angelus præit dignitate, perfectione, & naturali acumine, intellectus hominis æquipollet Angelo propter exceſſum meritorum; in tali caſu Angelus, & homo æqualiter videbunt Deum: ſed in tali caſu ſupradicta fidei propoſitio redderetur falſa. Nam propoſitio de fide eſt illa, nempè, Beati vident Deum magis, vel minus perfectè pro diuerſitate meritorum: ſed in tali caſu habens plura merita non videbit Deum perfectius. Ergo.

10 Secundò. Idem, ſed diuerſimodè exagerando argumentum. Sint duo puta homo, & Angelus, qui ſunt inæqualis perfectionis naturalis, ſed homo habeat merita maiora, quàm Angelus, ita nimirum, quòd hominis merita ſint vt octo, merita verò Angeli vt ſeptem; Angeli autem naturalis perfectio, ita excedat hominis intellectum, vt propter eius perfectionem, ſuper merita vt ſeptem addat intenſionem vt tria; in tali caſu, homo habens maiora merita, videret Deum intenſè vt octo; Angelus verò habens merita vt ſeptem, videret Deum intenſè vt decem. Ergo falſum eſſet, quòd Beati perfectiùs Deum vident pro diuerſitate meritorum. Quia habens maiora merita, minus perfectè videret Deum.

Si dicatur quòd Concilium loquitur de hominibus, quos in perfectione naturali ſupponit æquales.

11 Contra primò. Quia inter phyloſophos, ac Theologos, vtraquè ſententia de inæqualitate, vel æqualitate humanorum intellectuum imperfectione eſt probabilis; imo ſententia Caietani videtur probabilior, videlicet, quòd vna anima eſt ſubſtantialiter indiuidualiter alia perfectior. Anima enim Chriſti Domini etiam ſecundùm perfectionem naturalem, eſt omnium aliarum animarum præſtantiſſima. Ergo falſum eſt Concilium ſupponere omnes intellectus humanos in perfectione naturali eſſe æquales.

12 Tertiò contra primam ſolutionem, & ſecundò contra iam allatam reſponſionem, ſic argumentor. Tota viſio beatifica quam habent Beati confertur eis vt præmium, & corona. Ergo tota ſecundùm totam eius perfectionem debet dari iuxta quantitatem meritorum propriorum, vt in adultis; vel meritorum Chriſti, vt in paruulis; & nullo modo ſecundùm perfectionem naturalem intellectus; Antecedens patet ex ſecunda propoſitione præſuppoſita, & conſequentia etiam eſt euidens. Quia præmium vt præmium, reſpicit meritum, præterquamquòd ex illo Apoſtoli deducitur, ſcilicet, *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*. Vbi præmium, ſeù corona, & etiam merita exprimuntur. *Non coronabitur*; Ecce præmium. *Niſi qui legitimè certauerit*. Ecce merita, & non ſolùm affirmatiuè dicitur, videlicet, coronabitur qui legitimè certauerit, ſed negatiua propoſitio excluditur, non coronabitur, ſi non certauerit. Ergo quia viſio, ita datur vt præmium propter merita, vt ſine meritis non conferatur: ſed ſi intellectus Beati quò perfectior fuerit, eò perfectius Deum videret, viſio beatifica non daretur vt præmium, & corona; quod eſt contra ſecundam D.Thom. propoſitionem.

13 Quartò ſi intellectus naturaliter perfectior, perfectiùs videret Deum, ſequeretur quòd duo habentes æqualia merita, ſed alter perfectioris, ac maioris virtutis eſſet in intelligendo, talis haberet augmentum gloriæ per vires naturales, & non per gratiam Dei: ſed hoc eſt contra tertiam, & quartam propoſitiones, quæ ad fidem pertinent. Nam illa maior gloria, quæ in viſione diuinæ eſſentiæ conſiſtit, proueniret ex maiori perfectione naturali, & non à gratia Dei, vt patet: Hoc autem eſt contra id quod aſſeritur in dictis propoſitionibus. Ergo.

14 Reſpondent Aduerſarij, argumentum probare de poſſibili, non verò de facto.

Contra. Argumentum non ſolùm probat de poſſibili, verumetiam de debito conformitatis, & exigentiæ naturalis, ſed implicat maiorem gloriam conuenire alicui ex debito, aut exigentia naturali. Ergo. Maior patet. Quia argumentum probat quòd intellectus naturaliter perfectior cum æquali lumine gloriæ, naturaliter petit Deum perfectiori modo videre, quàm intellectus naturaliter imperfectior.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Doctrina Scoti, & Scotiſtarum, pro principalis noſtri argumenti ſolutione, ponitur, & impugnatur.

Scotus.

15 Scotus quamuis abſolutè non affirmauerit intellectum Beati actiuè concurrere ad viſionem, ſed locutus ſit modo pro vna, modo pro altera opinione; tamen ſuppoſito quòd actiuè concurrat, docet, quòd de facto, & ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam hebentes æqualia merita, haberent æqualem viſionem, non obſtante quòd eſſent inæqualis perfectionis naturalis. Ita in alio ſimili de voluntate docet in 4. diſt. 50. quæſt. 6. concluſ. 5. vbi per hæc verba contra ſe ipſum dubitat. *Sed dices, ſi ſit æqualis charitas, ita quòd habens voluntatem ignobiliorem, habet tantam charitatem quantam habens nobiliorem volũtatem, & habens nobiliorem, habet ſimplicem charitatem & eſt cauſa æqualis actus; tunc quantùm eſt ex parte actus charitatis; tamen quantùm eſt ex parte actus voluntatis, qui habet voluntatem nobiliorem, habet perfectiorem actum; Et tunc cum charitas ſit ratio merendi, ſequitur quòd inæqualiter meriti, erunt æqualiter Beati.* Et ſic reſpondet. *Reſpondeo, & dico, quòd eſt æqualitas quantitatis in illis in ſpecie actus, tamen eſt inæqualitas proportionis. Inferior enim voluntas agit ſecundùm totum ſuum conatum; ſed voluntas nobilior non, & ſic ſecundùm hoc, non dabitur tanta charitas vni, ſicut alteri proportionaliter.*

16 Ex qua doctrina poteſt ex Scoto ad argumentum reſpõderi, negando ſequelam. Ad cuius probationem etiam ſequela negatur; & ratio negationis eſt, quia in tali caſu eſſet æqualitas quantitatis in ſpecie actus, tamen eſſet inæqualitas proportionis, quia vid. Deus infundens duobus charitatem æqualem, faceret vt inferior agat ſecundùm totum ſuum conatum, nobilior verò non, & ſic non dabitur tantum lumen vni, ſicut alteri proportionaliter.

Tataret.

17 Et quoniam ſupradicti Scoti locus eſt obſcurus, Scotiſtæ eum exponere conãtur. Tataretus enim ibidem §. *vnde tangit*, ſic exponit. *Quia*, inquit, *eſt voluntas, & gratia in vno, & tantumdem in alio, & iſta eſt proportio æqualis quantitatis, quia tot ſunt agentia in vno, vt in alio Beato. Et ſunt duo, ſcilicet voluntas, & gratia: ſed non in omnibus erit proportio æqualis qualitatis; quia non omnes Beati habebunt æqualem conatum.*

Vulpes.

18 Eodem modo Vulpes tom. 1. diſput. 23. art. 13. num. 1. in fine explicat Scotum, vbi dicit, quòd Scoti mens eſt iſta, vid. quòd *caſu poſito, eſſet æqualitas quantitatis in illis, in ſpecie actus; non verò æqualitas proportionis. Hoc eſt, ſicut ex parte vnius forent duo principia partialia effectiua actus, ſcilicet voluntas, & charitas; Ita duo eſſent ex parte alterius; tamen eſſet in eis inæqualitas proportionis. Inferior enim voluntas ageret ſecundùm totum ſuum conatum, ſed voluntas nobilior non, & ſic ſecundùm hoc, etiam dici poteſt, non dari tantam charitatem vni, quanta alteri proportionabiliter præſtatur.*

19 Itaquè mens Scoti iuxta ſupradictos Scotiſtas, conſiſtit in hoc, quòd in caſu poſito, in duobus eſſet æqualitas quantitatis, id eſt, quò ad numerum principiorum eſſet æqualitas; Quia duo ſunt principia operationis vnius, nempè voluntas, & charitas; vel intellectus, & lumen gloriæ; & hæc quoquè duo principia ad alterius cõcurrunt operationem; non tamen æqualis charitas, vel æquale gloriæ lumen vtriquè præſtatur.

20 Sed contra primò. Quia iuxta hanc Scoti doctrinam, Scotus non reſpondet et cathegoricè interrogationi à ſe ipſo propoſitæ. Eius enim interrogatio vt ex præallegatis ipſiuſmet verbis apparet, eſt iſta; Si ſit æqualis charitas duobus, quorum alter habeat voluntatem ignobiliorem, alter verò nobiliorem, ſequeretur, &c. Et reſpondet quòd non eſſet tanta, ſeù æqualis charitas in vno, quanta in altero. Ergo non reſpondet ad caſum ab ipſo ſuppoſitum.

21 Magis vrget inſtantia. Quia caſus non eſt impoſſibilis, ratione cuius impoſſibilitatis poſſet dicere Scotus, nego caſum eſſe poſſibilem, ſeù de facto contingere poſſe. Ergo reſpondens quòd non daretur tanta charitas vni, quanta alteri, non reſpondet quæſito à ſemetipſo propoſito. Suppoſito ſcilicet caſu, &c.

22 Secundò. Quia fruſtra recurrit ad maiorem conatum voluntatis ignobilioris, dicens, quòd *inferior voluntas agit ſecundùm totum ſuum conatum, ſed voluntas nobilior non*, ſi dicit, quòd non æqualis charitas præſtaretur ambobus: quod ita probatur. Quia quòd inferior voluntas agat ſecundùm totum ſuum connatum, ſeù quòd Deus concurrat, cum voluntate inferiori ad concurrendum ſecundùm maiorem conatum, hoc ideo per aduerſarios eſt, vt inferior æquè perfectum actum producat, ſicut ſuperior, cum æquali habitu luminis gloriæ, vel charitatis.

Ter-

23 Tertiò. Quia iuxta hunc dicēdi modum, habens æqualia merita gratiæ, ſed naturaliter perfectioris intellectus, & voluntatis, ſi Deus habenti perfectiorem intellectum, & voluntatem, concurſum ei naturaliter debitū, vt.ſ.cōcurſus ſecūdùm totum conatum naturalem, nō præſtaret, inſufficienter, & auarè eum coronaret; quod eſt contra Dei miſericordiam, iuſtitiam diſtributiuam, eiuſquè liberalitatem. Dicitur enim de Deo, quòd *dat omnibus affluenter; & punit citra condignum, præmiatquè vltra condignum.* Ergo, &c.

24 Probatur ſequela. Quia ſint vnius hominis iuſti merita gratiæ V. g. vt quinquè, & videat Deum intensè vt quinquè, in tali caſu præmium meritorum gratiæ eſſet vt quatuor, an vt quinquè? quodcumquè dicatur, ſequela tenet. Ergo. Probatur minor. Quia ſi dicatur primum, ſequitur quòd meritum vt quinquè, acciperet præmium vt quatuor, & ſic Deus præmiaret citra condignum. Ergo inſufficienter, auarè, &c. Si verò dicatur ſecundum. Contra. Quia ſicut propter maiora merita gratiæ debentur quinquè gradus intenſionis, ſic propter maiorem perfectionem luminis naturalis debetur aliquis perfectionis gradus in fruitione, & viſione. Ergo ſi Deus non concurreret cum perfectiori intellectu, & voluntate, perfectiori concurſu, maiori naturali perfectioni debito, auarè, & non ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam vnicuiquè diſtribueret. Ad iuſtitiam enim diſtributiuam pertinet, tribuere alicui non ſolùm, quod propter merita gratiæ illi cōuenit, verumetiam quod eius naturalis perfectio requirit.

25 Confirmatur primò. Lumen naturale ex cōiunctione ad lumē gloriæ nō deſtruitur, ſed perficitur. Ergo intellectus perfectioris luminis naturalis potens ex ſui natura cum lumine gloriç perfectiorem viſionem producere, naturaliter petit huiuſmodi viſionis perfectionem, niſi diuinitus impediatur; ſed diuinitus impedire, ne aliqua creatura perfectionem ſibi connaturaliter debitam ſortiatur, non eſt liberaliter, abbundanterquè concurrere, ſed auarè, & diminutè. Ergo.

26 Confirmatur ſecundò. Intellectus perfectior lumine gloriæ illuſtratus, poteſt per aduerſarios ſecundùm totum ſuum naturalem conatum operari; à quo ergo impeditur ne ſecundùm totum conatum ſuum naturalem operetur? Non à lumine gloriæ, quia lumen gloriæ non deſtruit, ſed magis lumen perficit naturale. Non à Deo, quia Deus vt vniuerſalis motor tenetur ad omnem naturalem, neceſſariumquè cauſæ ſecundæ conatum concurrere, niſi præter, & ſupra naturæ leges miraculosè agere velit. Nequè à ſe ipſo. Quia intellectus naturaliter perfectior, & lumine gloriæ illuſtratus, eſt ſufficienter, rectequè diſpoſitus, vt ad Dei perfectiorem cognitionem prorumpere poſſit. Ergo agit in quantùm poteſt. Agens enim neceſſarium, & non impeditum, agit quantùm agere poteſt.

27 Confirmatur tertiò. Quia intellectus Angeli naturaliter perfectior, & æquali lumine gloriæ illuſtratus, ac intellectus alicuius hominis, perfectè cognoſcit ſe ipſum, & totum conatum quem habet, & habere poteſt ad videndum Deum. Ergo ſi Deus non præſtat ei concurſum ad eliciendam viſionem ſecundùm totum conatum quem habere poteſt, præbet autem intellectui inferiori vt ſecundùm totum conatum eliciat viſionem, cognoſcit vtiquè quòd poteſt naturaliter magis conari, & quòd non conatur, non quia non vult, ſed quia eſt impeditus à Deo. Ergo Deus non liberaliter, & vltra condignum, ſed citra condignum, ac diminutè cum Angelo concurreret.

28 Hinc apertè colligitur, quàm inepta ſit quorumdam aduerſariorum euaſio, per hoc quòd dicunt ipſos loqui de poſſibili, non de facto; Nam hoc dupliciter contingere poteſt. Primò ita vt ſenſus quæſiti ſit, Vtrum ſuppoſito quòd naturalis intellectus perfectio non poſſit naturaliter perfectiorem viſionem producere, ad minus ſupernaturaliter poſſit; ſicut communiter dicitur, quòd intellectus creatus nequit Deum naturaliter intueri, de facto tamen eſt, quòd per Dei potentiam abſolutam, & ſupernaturaliter, poteſt, & de facto à Beatis inſpicitur. Secundò ita vt ſenſus ſit vtrum ſuppoſito quòd de facto intellectus naturaliter perfectior Deum perfectiùs non videat; eò quia ne videat impeditur à Deo, poſſit de potentia abſoluta perfectius videre; non aliter, ac ſi quæreretur Vtrum ignis à Deo impeditus ne calefaciat, poſſit ſupernaturaliter calefacere; quando igitur iſti Doctores dicunt, de facto intellectum perfectiorem cum æquali lumine gloriæ Deum perfectiùs non videre, poſſe tamen de poſſibili, non loquuntur primo modo, ſed ſecundo.

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

Impugnatur reſpõſio Molinæ,& reliquæ rationes pro concluſione adducuntur.

Molina. 29 RESpondet Molina, quòd vtriquè conferetur æquale lumen,& æqualis viſio, quemadmodum vtriuſquè æqualia ſunt merita;& habens nobiliorem, acutioremquè intellectum, adhuc ſecundùm totum ſuum conatum videbit Deum; verumtamen, ad diuinam pertinebit prouidentiam, intellectus inferioris ſupplere defectum, influendo maiori concurſu cum eo, taliter, quòd ad æqualem, cum intellectu nobiliori poſſit peruenire viſionem.

30 Sed contra hanc reſponſionem multa militant argumenta, & pro nunc contra eam argumentor primò. Quia iuxta hunc reſpondendi modum deberet dici, quòd Deus magis liberaliter ſe gereret cum habente ignobiliorem intellectum,quam cum habente nobiliorem: ſed hoc abſquè vllo prorſus fundamento aſſeritur. Ergo. Probatur ſequela. Quia ſecundùm hanc doctrinam,illi Deus maiorem liberalitatem elargitur, cui maius,ſed minus debitum, confert auxilium: ſed in caſu poſito,Deus maius,& non debitum, habenti inferiorem intellectum, præbebit auxilium. Ergo. Minor etiam patet. Quia ambos æqualia merita habere ſupponimus.

31 Secundò. Quia æqualia habenti merita, ſed minus nobilem intellectum, non tota viſio daretur vt præmium, & corona, ſed quò ad aliquos gradus, vt præmium, & corona;& quò ad aliquos,vt donum. Nam tanta viſio,vt ad æqualitatem viſionis,habentis intellectum perfectiorem, & ſecundùm totum ſuum conatum operantis perueniat,non eſſet quantùm ad omnes intenſionis gradus, meritis videntis debita, vt euidenter conſtat. Ergo.

32 Probatur ſecundò principaliter concluſio. Quia viſio clara Dei eſt ſimpliciter ſupernaturalis, quantùm ad omnes eius intenſionis gradus. Ergo impoſſibile eſt, vt intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ intenſiorem viſionem producat, quàm ſit luminis glorię intenſiua actiuitas. Antecedens ſupponitur ex ſupradictis. Conſequentia verò euidenter deducitur ex antecedenti. Nam effectus ſupernaturalis non correſpondet actiuitati cauſæ naturalis: ſed actiuitas naturalis intellectus eſt actiuitas cauſæ naturalis. Ergo.

33 Probatur tertiò. Ratione D. Thomæ. Quia maior,vel minor viſionis intenſio attenditur pœnes maiorem, vel minorem intellectus facultatem,ſeù virtutem videndi: ſed facultas videndi Deum non competit intellectui creato ſecundùm ſuam naturam, ſeù ſecundùm perfectionem naturalem,ſed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Deiformitate conſtituit. Ergo. D.Thom.

34 Confirmatur. Quia videre Deum eſt actio glorioſa, ſeù formalis, ac ſupernaturalis hominis beatitudo: ſed hoc non poteſt prouenire ex virtute naturali, nequè totaliter,nequè quò ad aliquam eius intenſionem. Ergo. Maior patet ex illo ad Rom. 17. *Hęc eſt vita eterna vt cognoſcāt te.* Rom. 17. Probatur minor. Quia actio glorioſa, ſeù beatitudo ſupernaturalis non acquiritur, non producitur, nec intenditur, niſi per facultatem gloriæ, ſeù glorioſam, gloriæ ſupernaturali proportionatam. Ergo.

35 Probatur quartò. Quia licet meritum de condigno procedat à libero arbitrio, tamen quia tota ratio merendi eſt à gratia, ideo ratio dicti meriti attenditur ſecundùm quantitatem gratiæ, non verò ſecundùm quantitatem virtutis naturalis liberi arbitrij. Ergo ſimiliter, licet viſio procedat ab intellectu creato; quia eſt ab eo mediante lumine gloriæ tanquàm à ratione videndi, ideo tota ratio, & inæqualitas viſionis penſanda eſt ſecundùm luminis gloriæ quantitatem. Argumentum eſt Thomiſtarum, & ſignanter Soti in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 2.

36 Molina hic in reſponſione ad 2. miratur, quòd Sotus hoc argumento ducatur. Molina, Sotus. *Mirandumquè eſt*, inquit, *quòd Sotus ducatur hoc argumento,quod tam facile in ipſum poteſt retorqueri. Meritum de condigno eſt quid ſupernaturale, & tamen maior concurſus potentiæ naturalis cauſa eſt incrementi meriti. Ergo pari ratione melior conatus intellectus efficiet incrementum beatificæ viſionis.*

37 Mirandum non eſt, quòd Sotus illius Magiſtri ſectator,qui eſt diuinæ voluntatis interpres, & nunquàm à veritatis tramite declinauit, argumento conuincente, tanquàm à veritate ducatur; mirandum fortaſſe eſt quomodò Molina potuit in Sotum ſupradicto modo argumentum retorquere. Sotus. Nam Sotus non admittit concurſum potentiæ naturalis eſſe cauſam incrementi meriti,niſi dependenter à gratia, & charitate,veluti à totali ratione merendi, & vt hoc magis tibi eluceſcat, vide Sotum loco citato.

38 Probatur quintò argumento communi Thomiſtarum,quodquè idem Sotus ibidem §. *& re vera,egregium argumentum vocat.* Videns Deum perfectius, maiori ac perfectiori conatu concurrit ad viſionem: ſed

hoc

hoc non poteſt à virtute naturali procedere. Ergo à virtute ſupernaturali luminis gloriæ. Maior patet. Quia ad producendum effectum perfectiorem requiritur conatus perfectior. Ergo perfectiùs Deum videns, perfectiori conatu concurrere debet.

39 Reſpondent aduerſarij dicentes, maiorem viſionis conatum ex vtroquè procedere, ex virtute ſcilicet naturali intellectus, & ex virtute ſupernaturali luminis gloriæ, intelligentes per conatum, ipſam viſionem, ſeù viſionis quantitatem, ita videlicet, quòd virtus ſupernaturalis luminis gloriæ coefficiendo, non formaliter illuſtrando, adiuuat intellectum.

40 Quòd virtus naturalis intellectus non poſſit ad ſupernaturale viſionis augmentum habere partem, probatum eſt ſuprà ex ratione ſupernaturalitatis. Quò verò iſte concurſus coeffectiuus luminis non ſufficiat, etiam ſupra probatum eſt, & inſuper probatur, & declaratur. Quia perfectiùs videns Deum, debet perfectiùs producere viſionem; ſed iuxta horum Doctorum doctrinam, eſſet inintelligibile, quomodo intellectus minoris perfectionis naturalis V. g. cum maiori lumine gloriæ, perfectiùs Deum videat, perfectiuſquè viſionem producat. Ergo. Maior patet. Quia ſupponimus intellectum neceſſariò actiuè ad viſionem ſe habere, quodquè ipſe Molina fatetur. Probatur minor. Quia iuxta horum Doctorum ſententiam, viſio pro vt ab intellectu imperfectiori egreditur, minus perfectè procederet, quàm ea quæ eſt ab intellectu perfectiori; & illa maior eiuſdem viſionis perfectio quæ attenditur ex perfectiori lumine gloriæ, eſt in viſione pro vt à lumine, & non pro vt ab intellectu procedit. Nam vt ipſi quoquè aduerſarij obſeruant, aliud eſt dicere; Intellectus cum lumine producit perfectiorem viſionem; & aliud eſt dicere, quòd intellectus cum lumine, perfectiùs producit viſionem. Eò quia, ipſi dicunt, quòd quamuis ſit viſio in ſe perfectior, tamen ſecundùm quòd ab intellectu procedit, correſpondet ei iuxta naturalem eius perfectionem. Sicuti ſi eſſent duo trahentes nauim, ambo toto proprio conatu trahentes, motus ab vtroquè procedens, eſt perfectior quàm ſi eſſet ab vno tantùm, tamen vterquè ſemper æqualiter ſe habet, ita vt non valeat dicere, quòd trahens. A. perfectiùs trahat coniunctus cum trahente. B. ac ſi ſolus traheret. Molina.

41 Probatur tandem. Amor beatificus eſt iuxta quantitatem viſionis, taliter quòd non poteſt eſſe maior in intenſione, quàm ſit viſionis intenſio. Ergo viſio eſt iuxta quantitatem luminis gloriæ, taliter quòd non poteſt eſſe maior in intenſione, quàm ſit luminis gloriæ intenſio. Antecedens patet. Quia amor ſequitur cognitionem, & amor beatificus ſequitur viſionem beatificam. Ergo ſecundùm menſuram cognitionis, ſeù viſionis, habetur menſura amoris. Probatur autem conſequentia. Quia viſio eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Ergo ſi amor beatificus menſuratur iuxta quantitatem viſionis, quæ eſt tantummodo ſupernaturalis, eadem prorſus ratione viſio debet menſurari iuxta quantitatem luminis gloriæ.

Vide D. Thom. 1.2. q.68. art.6. ad 3. vbi ait quòd *Deus quantò perfectius cognoſcitur, tantò perfectiùs amatur*. D.Thom,

42 Vide quoquè ibidem Caietanum, vbi ſic ait. *Charitas vix nunquàm poteſt peruenire ad æqualitatem charitatis patriæ; Et conſequenter* (Nota) *maximus viator, nunquàm in hac vita habet charitatem æqualem minimo Beatorum, quem tamen in patria excedet in charitate multum*. Et hanc Caietani doctrinam diligenter obſerua, quia eleganter explicat, quòd ſupra diſp. 3. cap. 6. num. 3. & deinceps diximus, nempè, quòd amor Beatæ Virginis in via non excedit amorem Beatorum in patria. Caiet.

CAPVT SEXTVM.

Argumentorum euerſio.

43 SED contra iſtam determinationem obijcies primò ex Scoto. Lumen gloriæ ſi ponitur in intellectu habet rationem principij actiui. Non enim fruſtra ponitur: ſed non poteſt habere rationem principij actiui, niſi potentia ſit actiua, quam habilitat ad agendum. Ergo intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ perfectiùs Deum videbit.

44 Reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed non poteſt habere rationem principij actiui, niſi potentia ſit actiua, per virtutem glorioſam, concedo minorem. Per virtutem naturalem, nego minorem. Supra enim diximus, & declarauimus, quomodo intellectus concurrat actiuè ad viſionem, recipiendo totam proximam agendi virtutem à lumine gloriæ; ſicut aqua calida calefaciendo, totam virtutem calefaciendi recipit à calore; differenter tamen, quia aqua calida per calorem calefacit tanquam per potentiam, non ſolùm non ſuam, verumetiam ſibi contrariam: intellectus verò agit per lumen veluti per habitum, ſibi in ratione potentiæ ſupernaturalis, in ordine ad proprium obiectum, & operationem, conuenientem.

Obij-

Digitized by Google

45 Obijcies ſecundò, Si cum medio demonſtratiuo concurrat medium probabile, producitur actus ſcientiæ intenſior, & cò intenſior, quò medium fuerit efficacius. Ergo incrementum alicuius partis totius cauſæ conducit ad intenſionem effectus, etiam quando effectus eſt altioris ordinis, atquè ſupra facultatem alicuius partialis cauſæ. Ergo intellectus naturaliter perfectior cum æquali lumine gloriæ perfectiorem producet viſionem, non obſtante quòd viſio ſit ſupernaturalis, &c.

46 Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt; quia medium demonſtratiuum, & medium probabile, poſſunt reſpicere idem obiectum, & ad inuicem ſe adiuuare: at verò lumen naturale, & lumen ſupernaturale, non ita ſe habent, ſed lumen ſupernaturale tribuit ſimpliciter poſſe, ita quòd potentia ſecundùm lumen naturale, nullatenus ad illam cognitionem, & ad ſenſum ita certum, peruenire poteſt.

47 Reſpondetur ſecundò, & melius, negando antecedens. Falſum enim omnino exiſtimo, medium probabile conducere ad intenſiorem ſcientificam cognitionem. Eſt enim medium probabile, alterius, & inferioris ordinis, non ſecus ac lumen naturale eſt alterius, & inferioris ordinis reſpectu luminis ſupernaturalis; & ſic ſicut eſt alia cognitio quæ habetur per medium probabile, ab ea, quæ habetur per medium demonſtratiuum, licet ſit reſpectu eiuſdem obiecti; ſic etiam debet eſſe alia omninò cognitio, quæ habetur per medium naturale, ab ea quæ habetur per lumen ſimpliciter ſupernaturale.

48 Obijcies tertiò. Maior, ac minor concurſus potentiæ naturalis conducit ad maiorem intenſionem aliorum actuum ſupernaturalium, ita vt quò maior fuerit concurſus intellectus, aut voluntatis cum habitu fidei, ſpei, aut charitatis ſupernaturalis, eò intenſior producatur actus fidei, ſeù credendi, ſperandi, aut amandi, vt omnes admittunt; actuſquè eſt magis meritorius ſi fiat ab exiſtente in gratia. Ergo pari ratione quò maior fuerit concurſus potentiæ intellectus cum lumine gloriæ, eò intenſior viſio producetur.

49 Reſpondetur negando antecedens. Falſum enim eſt, & à nulla ſana doctrina receptum, quòd maior, vel minor actus ſupernaturalis intenſio, ſit à virtute naturali vt naturalis eſt, quemadmodum etiam falſum eſt, actum ſupernaturalem à ſola virtute naturali produci; quia non minor virtus requiritur ad augmentum, quàm ad operis productionem.

50 Verumenimuerò eſt aduertendum, nos non dicere, quòd quotieſcumquè homo producit fidei aſſenſum, vel ſupernaturalis amoris, ſemper debet illum producere iuxta habitus fidei intenſionem, ita vt ſi habitus fidei ſit intenſus vt quinquè, aſſenſus debeat etiam eſſe intenſus vt quinquè; quia poteſt aliquando non vti habitu ſecundùm totam eius intentionem, ſed poteſt elicere actum intēſum vt vnum, vel vt duo, pro vt Deo placuerit illum applicare (loquor de viatoribus qui ſunt liberi, & in ſtatu libertatis etiam in actibus ſupernaturalibus conſtituti, non autem de compræhenſoribus, qui ſpontanea, delectabili, ſed neceſſaria voluntate totis viribus, ad cognoſcendum Deum, ipſum amandum, eoquè fruendum ſe applicant) & hoc eſt quod communiter dicitur à Theologis. Quod igitur dicimus eſt, quòd vltra intenſionem habitus ſupernaturalis, non poteſt potentia actum intenſiorem ex ſua maiori naturali perfectione elicere; quia illa maior intenſio non eſſet ſupernaturalis, nec meritoria; vel ſi ſupernaturalis, & meritoria eſſet; al quod ſupernaturale, & meritorium eſſet à ſola natura, & non à gratia; quod quàm ſit in fide tutum, Sancta Mater Eccleſia, cui omnes fideles ſubijci debent, & ego præcipuè me, & omnia mea opera humiliter ſuæ correctioni ſubijcio, explicet, ac declaret.

51 Quòd ſi dicas. Fidelis ingenioſus, & ſcientificus, eadem fidei myſteria magis poſſidet, & penetrat, quàm fidelis ruſticus. Ergo intenſiùs credit. Ergo.

52 Reſpondetur, quòd ſuppoſito æquali habitu fidei in ingenioſo, ac ſcientifico, & in ruſtico, vir ingenioſus, ac ſciens fidei myſteria magis penetrat per diſcurſum theologicum, exemplis, & coniecturis rationalibus, explicando; & dubitationibus, ac obiectionibus ſatisfaciendo; non tamen magis intenſum actum fidei producendo.

53 Obijcies quartò. Quia lumen gloriæ non eſt tota virtus agendi. Ergo melior, ac nobilior intellectus nobiliorem, perfectioremquè producet viſionem. Patet conſequentia. Probatur antecedens. Quia ſi lumen gloriæ eſſet tota proxima virtus agendi, ſeù videndi, intellectus non videret, ſed ſubſtentans lumen eſſet.

54 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego ſequelam. Aliud enim eſt eſſe totum videns, & aliud eſſe totam videndi virtutem. Ex primo quod non dicimus, non ex ſecundo quod docemus, ſequitur argumenti ſequela.

55 Obijcies quintò. Intellectus viuit ſecundùm quòd eſt potentia animæ: ſed anima viuit vita naturali. Ergo etiam intellectus: ſed intellectus concurrit ad viſionem ſecundùm quòd viuens eſt. Ergo quò perfectior eſt eius naturalis vita, eo perfectiorem

rem

Digitized by Google

rem producet viſionem.

56 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Intellectus viuit ſecundum quòd eſt potẽtia animæ, vt eleuabilis ad ſupernaturalem vitam, concedo maiorem. Non vt eleuabilis ad ſupernaturalem vitam, nego maiorem. Ad minorem. ſed anima viuit vita naturali, diſtinguo. Non vt eleuata per gratiam ad vitam ſupernaturalem, concedo minorem. Vt eleuata per gratiam ad vitam ſupernaturalem, nego minorem. Nam vt eleuata, duplici vita viuit, naturali ſcilicet, ſed ſubſtantiali; & ſupernaturali, ſed accidentali.

57 Explicatur iſta reſponſio. Intellectus ex hoc, quòd in ſe eſt ſpiritualis, & ab anima intellectiua manat, quæ ſpiritualis eſt, habet duo, & quòd viuat vita naturali, & quòd poſſit eleuari ad vitam ſupernaturalem. ſecundùm quòd naturaliter ab anima manat, viuit vita naturali; ex eo verò, quòd procedit ab anima quæ eſt ſpiritualis, habet vt poſſit viuere vita ſupernaturali. ita ſimiliter intellectus ſecundùm quòd procedit ab anima, quæ in ſe eſt entitas naturalis, viuit vita naturali, ſecundùm quòd verò procedit ab anima vt eleuabili ad vitam ſupernaturalem, habet vt poſſit viuere vita ſupernaturali. Vide quæ diximus ſupra diſp. 47.

58 Obijcies vltimò. Habitus ſubordinantur intellectui, & voluntati. Habitibus enim vtimur cum volumus: ſed ſi intellectus totam credendi virtutem mendicaret à lumine fidei, eſſet è contra. Ergo. Sed idem currit de lumine gloriæ. Ergo.

59 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Habitus ſubordinantur intellectui, & voluntati, quò ad exercitium, ſeù vſum, concedo maiorem. Quò ad virtutem agendi, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

60 Sed aduerte, quòd loquimur de habitibus ſupernaturalibus, & viæ. Nam ſi loquamur de habitibus ſupernaturalibus patriæ, de quo eſt præſens controuerſia, nempè de lumine gloriæ, & charitate patriæ, intellectus, & voluntas vtroquè modo ſubordinantur lumini; eo quia gloriæ lumen virtutem videndi præbet, ac neceſſitat intellectum, quò ad vſum videndi, & voluntatem quò ad vſum amandi vtroquè modo ſubordinat ſibi amor Dei, viſionem claram ſequens.

61 Inſuper aduerte, quòd cum dicimus habitum fidei quò ad vſum ſubordinari voluntati, non intelligimus, quòd ſubordinatur voluntati ſecundùm innatam eius libertatem, ſed voluntatis libertati, motæ tamen, & ſubordinatæ auxilio efficaci ſupernaturali.

62 Omnium horum ratio eſt. Quia ſubordinari alicui (ſi propriè loqui velimus) eſt ſubiacere illi, ſeù illius diſpoſitioni, vel arbitrio ſubditum eſſe: Modo lumen gloriæ non ſubiacet intellectui; eò quia eſt tota virtus agendi, illumquè neceſſitat vt actualiter viſionem eliciat, ſuppoſita tamen diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intima præſentia. Habitus autem fidei præbet totam credendi virtutem, verùm quò ad exercitium, ſubiacet voluntati motæ vt explicaui.

63 Obijcies tandem. Authoritatibus Diui Thomæ. Nam 3.p.quæſt.10.art.4.ad 2. ſic ait. *Viſio diuina eſſentiæ excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturæ, & ideo gradus in ipſa attenduntur magis ſecundùm ordinem gratiæ, in quo Chriſtus eſt excellentiſſimus, quàm ſecundùm ordinem naturæ.* D.Thom.

64 Reſpondetur, ly *magis* interpretandum eſſe aduerſatiuè, non comparatiuè. Sicut ſi quis diceret, cauſam tuam magis tracta cum amico, quàm cum inimico tuo; Magis eſt appetẽda gratia Dei, quàm eius offenſa, & ſenſus eſt; quòd cauſa tractanda eſt cum amico, non cum inimico; Gratia Dei diligenda eſt, non offenſa; ſic in caſu noſtro.

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXXVI.

VTRVM VISIO BEATIFICA SIT COGNITIO complexa, an incomplexa.

Per unicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 Diſputationem hanc pertractant nonnulli, quorum quidam vt eam explicent, magis obſcurant, nec rectè reſoluunt; Vt igitur clarè, ac breuiter reſoluatur, pro determinatione veritatis,

Dico primò. Viſio clara Dei eſt omninò incomplexa entitatiuè, ac ſubiectiuè. Eſt communis apud omnes, & probatur. Quia aliàs in pluribus actibus intellectus conſiſteret; ſed hoc eſt falſum. Ergo.

2 Dico ſecundò. Viſio clara Dei eſt cognitio incomplexa, quatenus terminatur ad Deum.

Volo dicere, quòd viſio clara Dei quatenus ad omne id quod formaliter eſt in Deo terminatur, eſt in ſe incomplexa, eſt obiecti incomplexi, incomplexequè conſiderati.

3 Probatur primò. Quia viſio clara Dei menſuratur æternitate participata tanquã propriã menſura, eſt; cognitionis diuinæ pro vt ad eundem Deum terminatæ, immediata participatio: ſed cognitio diuina quatenus ad Deum terminatur, eſt omninò incomplexa. Ergo ſimiliter cognitio clara Dei creata. Maior patet, & minor à nullo negatur.

4 Probatur ſecundò. Viſio clara Dei terminatur ad Deum vt eſt in ſe, abſquè omni intellectus præciſione: Sed Deus vt eſt in ſe abſquè omni intellectus abſtractione, eſt quid incomplexum, incomplexè conſideratum. Ergo viſio clara Dei quatenus terminatur ad Deum vt in ſe eſt, eſt omninò incomplexa.

5 Dico tertiò. Viſio clara Dei quatenus terminatur ad Deum, & creaturas in Deo, & per Deum viſas, eſt omninò incomplexa modaliter, licet poſſet dici complexa terminatiuè.

Explicatur hoc dictum. Viſio clara Dei, qua videtur Deus, & in Deo videntur creaturæ, immo, & multa alia enunciabilia, eſt incomplexa modaliter, id eſt, non coniungit prædicatum ſubiecto, nec cauſam ad effectum refert, ſed ſimplici intuitu fertur ad Deum, & in Deo intuetur creaturas, & enunciabilia.

6 Probatur. Quia ſic Deus cognoſcens ſe ipſum, & in ſe ipſo creaturas, atquè enunciabilia cognoſcit. Ergo ſic quoquè viſio creata. Patet conſequentia. Quia clara, & creata viſio Dei eſt immediata participatio viſionis increatæ. Antecedens eſt D. Thomæ infra quæſt. 14. articul. 14. vbi D.Thom. quærens vtrum Deus cognoſcat enunciabilia, & reſpondens quod ſic, in corpore hæc verba profert. [Sicut ſcit materialia immaterialiter, & compoſita ſimpliciter, ita ſcit enunciabilia, non per modum enunciabilium, quòd ſcilicet, in intellectu eius ſit compoſitio, vel diuiſio enunciabilium, ſed vnumquodquè cognoſcit per ſimplicem intelligentiam intelligendo eſſentiam vniuſcuiuſquè.]

7 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis ex Martinez, qui oppoſi- Martinez. tum primi dicti ſentire videtur 1. 2. quæſt. 3. art. 5. dub. 2. concl. 3. *Nam per illam notitiam non ſolùm cognoſcitur Deus, Ut ſecundùm ſe eſt aliquid incomplexum, ſed etiam per modum complexionis, hoc eſt, per modum enunciabilis, Ut Deum eſſe Trinum, &c. Ergo talis notitia eſt complexa.*

8 Confirmatur. *Nam fides licet ſit Unicus habitus, importat complexionem, quia cognoſcit complexa de Deo: ſed huiuſmodi melius cognoſcuntur per Uiſionem beatam. Ergo erit complexa.*

Valdè

Digitized by Google

9 Valdè debile eſt argumentum, ac debilior confirmatio. Vnde reſpondetur ad argumentum, negando ſecundam antecedentis partem. Etenim viſio clara Dei quatenus immediatè terminatur ad Deum vt eſt in ſe, eſt tantùm intuitiua, & nullatenus præciſiua. Quando ergo cognoſcitur Deus per modum complexionis, hoc non conuenit viſioni, pro vt immediatè terminatur ad Deum, ſed ſecundùm quòd ſupponitur Deus abſtractiuè cognitus per cognitionem extra viſionem, in diuerſoſquè conceptus diſtributus.

10 Ad confirmationem reſpondetur, concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia minor non ſolùm non proficit, ſed magis officit argumento; eò quia cognoſcere Deum per modum complexionis, prouenit ex imperfecto cognitionis modo; Quia ſcilicet, non ſimplici intuitu tendit ad obiectum. Videatur Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 3. vbi de hac diſputatione loquens ait, quòd *hoc dubium non eſt dignum, vt ſilentio prætermittatur.* Sotus.

DISPVTATIO LXXXVII.

VTRVM VISIO CLARA DEI SIT TANTVM ſimplex apprehenſio, vel iudicium.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 QVidam dicunt, viſionem beatificam non eſſe iudicatiuam, ſed tantùmmodo ſimplicem apprehenſionem Dei. Ita videtur ſentire Ocham in 4. diſt. 13. art. 4. & Recupitus dicit eſſe Scoti in quæſt. 3. prologi §. *nunc autem videndum*, per hoc quòd ibi ſic ait; *Beata viſio non eſt Theologia, ſed eſt quaſi perfecta incomplexa apprehenſio ſubiecti, præcedens naturaliter ſcientiam Theologiæ.* Verùm per hæc verba non debet Scotus pro hac opinione referri; eò quia Scotus non dixit eſſe ſimplicem apprehenſionem, ſed perfectam incomplexam apprehenſionem obiecti. Circa quæ verba ponderanda eſt illa particula, *perfecta*, per quam denotatur non ſolùm obiecti apprehenſio, verumetiam perfecta intellectualis intuitiua apprehenſio, quæ non eſt, nec eſſe poteſt ſimplex apprehenſio cum excluſione iudicij. Ocham. Recupit. Scotus.

2 Martinez 1. 2. quæſt. 3. artic. 5. dub. 2. concl. 4. & Recupitus lib. 6. quæſt. 27. aiunt, quòd viſio Dei non eſt formaliter iudicatiua, benè tamen eminenter, & æquiualenter. Martin. Recupit.

3 Alij verò dicunt, eſſe ſimul apprehenſiuam, & iudicatiuam. Ita Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 3. Molina hîc art. 8. diſput. 6. in reſponſione ad 2. dubium, Suarez p. p. lib. 2. de attributis negatiuis capitulo 18. num. 8. Sotus. Molina. Suarez.

4 Sed pro determinatione veritatis Dico primò. Viſio clara Dei non eſt formaliter ſimplex apprehenſio, neque iudicium,

Digitized by Google

quatenus ſimplex apprehenſio, & iudicium, ſunt duæ operationes intellectus humani.

Probatur. Quia hæ duæ operationes ita ſe habent, quòd in prima, nequè eſt veritas, nequè falſitas. In ſecunda datur veritas, vel falſitas per compoſitionem, vel diuiſionem: ſed vtrumquè Dei claræ viſioni repugnat. Ergo.

5 Dico ſecundò. Viſio clara Dei eſt formaliter apprehenſiua, & iudicatiua Dei, apprehenſione, ac iudicio perfectè acceptis.

Probatur. Quia viſio clara Dei eſt intuitiua, & quidditatiua intellectualis cognitio, Ergo eſt perfectè iudicatiua, & apprehenſiua Dei. Antecedens ſupponitur, Probatur autem conſequentia. Quia implicat vt aliquid clarè intuitiuè, & quidditatiuè per intellectum cognoſcatur, quin perfectè apprehendatur, & iudicetur. Imo, hoc eſt aliquid intuitiuè, & quidditatiuè cognoſci, perfectè apprehendi, ac iudicari.

6 Sed pro totius huius diſputationis clariori intelligentia, eſt breuiter obſeruandum, quòd iudicium formaliter loquendo, & ſecundùm perfectam eius rationem, non dicit, nec includit imperfectionem aliquam; ſed dicit maximam perfectionem, quòd ſi quatenus dicit ſecundam noſtri intellectus operationem imperfectionem includit, non eſt ex ratione formali iudicij, ſed ratione compoſitionis, vel diuiſionis; quemadmodum ſcientia, ſecundùm rationem, formalem ſcientiæ maximam perfectionem dicit, licet quatenus eſt qualitas, imperfectionem accidentis includat. Quando ergo quidam dicunt, viſionem Dei non eſſe formaliter iudicatiuam, non rectè loquuntur; eò quia, ratio formalis iudicij perfectionem dicit, & formaliter reperitur in Deo, quemadmodum ratio ſcientiæ. Quòd ſi loquantur in ordine ad iudicium quatenus eſt ſecunda noſtri intellectus operatio, verum dicunt, ſed non benè loquuntur.

DISPVTATIO LXXXVIII.

VTRVM VISIO CLARA DEI SIT COGNITIO directa, an reflexa.

Per Vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Viſio clara Dei non eſt reflexa ſubiectiuè, ſed obiectiuè.

Probatur prima pars. Quia cognitio reflexa ſubiectiuè, non eſt aliud, quàm reſpicere immediatè cognitionem per quam aliquod aliud obiectum à cognitione diſtinctum, cognoſcebatur: ſed viſio clara Dei non eſt hoc modo reflexa. Ergo. Maior eſt clara, & ſola declaratione indiget. Nam cum dico, ſcio hanc propoſitionem eſſe veram, homo eſt animal rationale, obiectum reflexiuæ cognitionis, eſt iſta propoſitio, homo eſt animal rationale; Obiectum verò reſpectu cognitionis directæ, eſt aliquod incomplexum tanquàm de alio incomplexo verificatum, V.G. cum dico homini conuenit rationalitas. Similiter cum cognoſco aliquod obiectum V. G. hominem, cognitio directa eſt immediatè ad hominem terminata: cum verò cognoſco me cognoſcere hominem, cognitio terminatur immediatè ad totum hoc, quod eſt me cognoſcere hominem. Ergo ſimiliter, &c. Probatur autem minor, quia immediatum viſionis claræ Dei obiectum eſt Deus, ſicuti eſt in ſe. Ergo.

2 Probatur ſecundò. Quia ad ſtatum beatitudinis non ſpectat iſta reflexio, imo, vt ita loquar, impertinenter ſe habet. Ergo non eſt neceſſariò ponenda. Conſequentia eſt euidens. Probatur antecedens inductiuè. Ad cognoſcendum V. G. quòd Summus Pontifex Innocentius X. eſt Romæ,

ſufficit

Digitized by Google

ſufficit illum videre Romæ: cognoſcere verò hanc reflexionem, nempè, ſcio me Innocentium X. videre, ad cognitionis certitudinem, ac veritatem eius cognoſcendam, impertinenter ſe habet. Similiter cognoſcens quòd parieti ineſt albedo, ſufficit ad veritatis cognitionem, dictam inhærentiam rectè cognoſcere. Reflexio autem ſupra hanc veram cognitionem, V.G. dicere, ſcio me ſcire albedinem inhærere parieti, non pertinet ad cognitionem veritatis, & ſic de ſingulis. Ergo quòd videns Deum reflectat ſe ſupra ſe, dicens, ſcio me ſcire, ſeù videre Deum, ad veritatem, & ſtatum dictæ viſionis non ſpectat, imò impertinenter ſe habet.

3 Confirmatur. Quia videns Deum, iam cognoſcit in actu exercito, viſionem illam eſſe veram beatitudinem, ac perpetuò duraturam. Ergo dicta reflexio ſubiectiuè accepta, non pertinet ad beatitudinis ſtatum.

4 Probatur ſecunda pars. Quia diuina eſſentia repræſentans ſeipſam, in ſe ipſa intellectui creato aliquas quoquè repræſentat creaturas. Ergo poteſt ipſam viſionem repræſentare: ſed quòd ipſam de facto repræſentet, pertinet ad ſtatum ſecuritatis, ac delectationis Beatorum. Ergo de facto ſic contingit.

Confirmatur. Quia nulla apparet ratio ad aſſerendum oppoſitum.

5 Dico ſecundò. Poteſt eſſe, quòd nullo modo Beatus videat ſuam viſionem in diuina eſſentia.

Probatur. Poteſt eſſe quòd Beatus nullam in diuina eſſentia intueatur creaturam, ſed ſolam eſſentiam videat. Ergo.

DISPVTATIO LXXXIX.

VTRVM VISIO DEI SIT CERTIOR QVACVNQVè ALIA cognitione naturali, & ſupernaturali.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Viſio clara Dei eſt certior quacumquè alia cognitione.

Probatur. Viſio clara Dei eſt firma adhæſio primæ, ac ſummæ veritati vt in ſe eſt. Ergo eſt certior quacumquè alia cognitione. Probatur conſequentia. Quia nulla alia cognitio eſt huiuſmodi. Ergo nulla alia eſt ita certa. Probatur conſequentia ex antecedenti principali. *Certitudo* enim, ex D.Thoma in 3. diſt. 26. quæſt. 2. art. 4. in corp. *propriè eſt firmitas adhæſionis potentiæ cognoſcitiuæ in ſuum cognoſcibile*. Ergo quò firmior erit adhæſio potentiæ ad ſuum obiectum, eò certior erit cognitio. D.Thom.

2 Probatur ſecundò. Quia viſio clara Dei eſt per intellectum lumine gloriæ illuſtratum, quod eſt luminis increati, ac diuini, quò ad rationem ſupernaturalis claritatis, immediata participatio; Diuina eſſentia eſt illa, qua producitur viſio, & quæ obiectum repræſentat; & tandem Deus qui eſt ſumma claritas, prima, & infallibilis certitudo, eſt obiectum quod videtur; ſed ſola hæc viſio ad ſui certitudinem tam excelſa, ac magna requirit. Ergo viſio clara Dei eſt cœteris certior.

3 Dico ſecundò. Viſio clara Dei eſt certior actu fidei infuſæ. Hoc dictum amplectitur Suarez 1. p. lib. 2. de attrib. negat. cap. 18. num. 3. negatur verò à Salas tom. 1. in 1. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſputatione. 3. ſect. 6. & Recupito lib. 6. quæſt. 29. ſub num. 8. Suarez. Salas. Recupit.

Probatur. Quia viſio clara Dei eſt adeò certa, vt non ſolùm non poſſit illi ſubeſſe falſum, verumetiam neceſſitat intellectum ad actualiter aſſentiendum Deo viſo: At verò actus fidei infuſæ licet ratione ſuæ certitudinis non patiatur, vt poſſit illi ſubeſſe falſum, tamen non neceſſitat intellectum ad aſſentiendum myſterijs reuelatis.

Digitized by Google

Recupit.

4 Reſpondet Recupitus, negando ſequi viſionem eſſe certiorem quam ſit fides. Cum tantùm ſequatur eſſe euidentiorem. Nam eodem argumento concluderetur, etiam ſcientiam eſſe certiorem, quam ſit fides, eo quòd neceſſitet,& determinet ad aſſenſum, & excludat omnem dubitationem, quam non excludit fides.

5 Contra. Euidentia perficit certitudinem reſpectu vnius, & eiuſdem obiecti, Ergo nulla reſponſio. Probatur antecedens. Quia euidentia firmat adhæſionem potentiæ cognoſcitiuæ in ſuum cognoſcibile, taliter, quòd neceſſariò cognoſcentem firmat, Ergo. Antecedens ſupponitur, & aſſeritur ab eodem Recupito ibidem. Conſequentia eſt euidens.

6 Quando autem Recupitus ait, quòd eodem argumento concluderetur etiam ſciētiam eſſe certiorem, quàm ſit fides; paralogizat, quia tranſit de genere in genus. Tranſit enim ad ſcientiam obiecti inferioris ordinis, nempè naturalis, ſeù naturaliter ſcibilis, a fide ſupernaturali: Certior autem eſt actus fidei ſupernaturalis quocumquè actu ſcientifico obiecti naturalis. Et inſuper poteſt dici, quòd actus ſcientiæ naturalis, ratione euidentiç, ſit certior actu fidei infuſæ, ratione neceſſarij aſſenſus; non verò ratione infallibilitatis. Nam ratione infallibilitatis, infallibilior eſt actus fidei quocumquè alio actu ſcientiæ naturalis; Recupitus autem negare nō poteſt, quòd reſpectu eorum quorum ſcientiam naturalem habemus, cognitio ſcientifica eſt certior cognitione, quæ poteſt haberi per fidem humanam.

7 Dices diſparem eſſe rationem. Quia in rebus creatis non poteſt aliunde haberi infallibilis certitudo, ita vt implicet illi ſubeſſe falſum, niſi adueniente euidentia. Nam fidei humanæ poteſt ſubeſſe falſum: At verò reſpectu myſteriorum fidei vltra euidentiam quæ per viſionem habetur, datur infallibilitas ex teſtimonio Dei reuelantis procedens, cui implicat omnino ſubeſſe falſum.

8 Contra. Quia certius eſt quo ad plures certitudinis gradus, quod non ſolùm infallibili innititur teſtimonio, verumetiam obiecto clarè viſo; Et quis negabit cognitionem Dei claram, vt clara eſt, ratione claritatis, ſpecialem certitudinis habere rationem. Et quando à Doctoribus diſtingui ſolet certitudo ab euidentia, ſicut cum dicitur quòd fides ſupernaturalis excedit ſciētiam naturalis, ordinis ratione certitudinis, ratione verò euidentiæ exceditur ab ea. Sermo eſt de certitudine ratione infallibilitatis, non ratione firmæ, ac neceſſariæ adhæſionis.

9 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Primorum principiorum cognitio eſt ita certa, vel non minus certa, quàm viſio clara Dei. Ergo viſio clara Dei non eſt certior cæteris cognitionibus. Antecedens patet, Quia per omnem potentiam implicat, quòd primo principio poſſit ſubeſſe falſum; cuius veritas ſine diſcurſu cognitis tantùm terminis ab intellectu percipitur. V, G. Implicat aliquod ſimul eſſe,& non eſſe, Vel, De quolibet eſt verum dicere, eſt, vel non eſt; Huiuſmodi propoſitiones, ab omni cognoſcente ipſarum terminos, cognoſcuntur vt veræ.

10 Reſpondetur negando antecedens. Nequè verum eſt, vt ſicut aliqua alicuius obiecti cognitio, ſit æquè certa, ſicut alia, quòd ſufficit, vt nullatenus illi poſſit ſubeſſe falſum, ſed neceſſariò aliquid vltra requiritur, nempè, quòd ſint ambæ reſpectu obiecti eiuſdem actualitatis, & cognoſcibilitatis, & æqualiter ad ipſum tendant, ſeù æquali firmitate adhæreant. Modo in caſu noſtro non ita res ſe habet; quia viſio clara Dei eſt reſpectu obiecti, quod eſt ſimpliciſſimus actus, & firma, ac perpetua adhæſione concipitur per viſionem; Primorum verò principiorum cognitio, non eſt reſpectu obiecti quod eſt actus purus, nec perpetua adhæſione, ex ſua natura perſeuerare petit.

11 Reſpondetur ſecundò, negando antecedens; & ratio diſparitatis eſt; quia duplex eſt primum principium; Incomplexum ſcilicet,& complexum. Primum omnium incomplexum, eſt Deus. Iuxta illud ego ſum principium,& finis. Primum principium complexum eſt propoſitio. V. g. de quolibet eſt verum dicere, eſt vel non eſt. Et quia prius eſt incomplexum, quàm complexum, non ſolùm cauſalitate, ſed etiam actualitate, dignitate,& conſequenter certitudine, ideo cognitio clara primi principij incomplexi eſt magis certa, quàm cognitio clara primi principij complexi. Quare, &c.

12 Nec mirum, quia etiam inter ipſas viſiones, vna eſt altera certior, non eò quia vni poſſit ſubeſſe falſum,& alteri non, ſed quia clarius, ac certius vna percipit Deum, quàm altera. Vnde cognitio increata Dei reſpectu ſui ipſius, eſt certior intenſiuè quacunquè alia creata viſione.

DISPV.

Digitized by Google

DISPVTATIO XC.

VTRVM VISIO DEI SIT NECESSARIA OPERATIO, an libera.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Diſputationis reſolutio.

1 PRo determinatione veritatis, relictis Doctorum opinionibus, Dico primò. Viſio clara Dei in fieri, eſt operatio neceſſaria, non ſolùm neceſſitate quò ad ſpecificationem, ſed etiam quò ad exercitium.

Quò ad primam partem, eſt apud omnes certa. Quò ad ſecundam verò, ex cuius probatione, prima à fortiori probata manet, probatur primò. Quia lumen gloriæ eſt habitus ſupernaturalis, ratione cuius eſt intellectui debita actualis Dei præſentia obiectiua. Ergo viſio clara Dei eſt operatio neceſſaria quò ad exercitium. Antecedens ex ſupradictis patet. Probatur autem conſequentia. Quia poſita in actu exercito actualis Dei præſentia obiectiua, neceſſariò ponitur in actu, viſio clara Dei.

2 Probatur ſecundò. Quia viſio clara Dei cauſatur etiam à diuina eſſentia vnita intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis in eſſe completo. Ergo poſita tali vnione neceſſariò producitur viſio.

Dico ſecundò. Viſio clara Dei eſt operatio neceſſaria etiam in conſeruari.

3 Probatur. Quia poſita viſione clara Dei neceſſariò ſequitur actus amoris erga eiuſdem viſionis exiſtentiam. Ergo eſt operatio neceſſaria etiam in conſeruari.

4 Probatur ſecundò. Poſita viſione clara Dei in intellectu, voluntas non poteſt illam nolle, ſed neceſſariò velle tenetur. Ergo eſt neceſſaria quò ad conſeruationem. Probatur antecedens. Quia quando voluntas vult intellectum ab alicuius obiecti contemplatione ceſſare, etiam pro ſua innata libertate, neceſsè eſt vt talem habeat volitionem propter aliquod bonum ſibi, intellectui, vel toti homini, & ſi non abſolutè, ad minus pro hic, & nunc, pro circumſtantiarum qualitate in quibus de facto inuenitur; ſed nullo horum modorum ſuppoſita viſionis exiſtentia voluntas poteſt illius exiſtentiam nolle. Ergo. Maior patet, & explicatur; Quia licet homo ſpeculatiuè rectè ſciat, ſolum Deum ſuper omnia amandum eſſe, & propter eius amorem eiuſquè præceptum fornicandum non eſſe; tamen ratione circumſtantiarum, quæ illum circumdant, V. g. intrinſecus carnis ſtimulus, pulchritudo præſentis laſciuæ mulieris, amore Dei ſuper omnia derelicto, appetit fornicari, & de facto fornicatur, per hoc quòd fornicatio repræſentatur ei per practicum iudicium intellectus tanquàm bonum vtile, ac delectabile. Quare, &c. Probatur autem minor, quia poſita clara Dei viſione, non apparet, nec aſsignari poteſt, etiam data fingendi licentia, quo bono moueri poſſet voluntas ad liberè reſpuendam viſionem. Cum non poſſit aſſignari, quod nam ſit tale bonum ab intellectu Deum actu vidente propoſitum per iudicium practicum, tanquàm magis conuenïens, & vtile, quod poſsit viſioni claræ Dei anteponi.

5 Probatur tertiò. Si voluntas de facto ex ſua innata libertate nollet viſionis claræ Dei, ſui intellectus exiſtentiam, peccaret: ſed poſita viſione clara Dei voluntas peccare non poteſt, ad minus circa ea quæ ad viſionem pertinent. Ergo.

Digitized by Google

DISPVTATIO XCI.

VTRVM VISIO CLARA DEI POSSIT COMMVNICARI exiſtenti in peccato mortali.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 QVidam dixerunt, quòd Beati Deum clarè videntes poſſunt peccare, imo quòd de facto aliquādo peccant. Ita Origenes hom. 23. ſuper Lucam, Iacobus Faber in Opuſc. de triplici Magdalena, vbi ait quòd ſententijs D. Thomæ nō eſt adhęrendum, quippè qui errauit dicēs, Beatos eſſe impeccabiles, vt refert Medina 1. 2. quæſt. 4. art. 4. §. vt igitur.

Origenes Iacobus Faber.

Alij catholicè ſentientes, nempè, quòd videntes Deum non peccant, ſed voluntatem habent ad benefaciendum immutabiliter adhærentem, dicunt, poſſe ſimul eſſe viſionem claram Dei cum peccato habituali. Ita Scotus in 1. diſt. 1. quæſt. 4. Sotus in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2. Victoria diſp. 67. num. 9. Medina 1. 2. loco citato. Aluarez de Auxilijs diſp. 67. num. 9. Martinez 1. 2. loco citato dub. 4.

Scotus. Sotus. Victoria. Medina. Aluarez. Martinez.

2 Alij verò dicunt, quòd viſio clara Dei compatitur ſimul cum peccato mortali actuali. Ita Gabriel in 1. diſt. 1. quæſt. 6. art. 2. concl. 4. & in 2. diſt. 7. quæſt. vltima. & in 4. diſt. n. 49. quæſt. 1. artic. 4. dub. 5. Ocham quæſt. 19 Gregorius diſt. 7. quæſt. 4. Imo Olchot ait, quòd videns Deum, poteſt prorumpere in odium Dei.

Gabriel. Ocham. Gregor. Olchot.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

3 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Videntes Deum in patria nunquam peccabunt.

Hoc dictum eſt de fide certum, & patet ex illo Matthæi 25. *Ibunt hi in ſupplicium eternum, iuſti autem in vitam æternam*. Et ex illo Pſalmi 38. *Non commouebitur in æternum*, *qui habitat in Hieruſalem*. Et Pſalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Et Pſalm. 130. *Habitabunt recti cum vultu tuo*. Et Apoc. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius*. Et Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam*. Et Pſalm. 23. *Quis aſcendet in montem Domini? innocens manibus, & mundo corde*. Et ex illo Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*.

Matth. 25. Pſalm. 38. Pſalm. 83. Pſal. 130. Apoc 3. Pſalm. 14. Pſalm. 23. Matth. 5.

4 Probatur ſecundò ratione. Videntes Deum, volunt voluntate efficaci, in illa viſione permanere. Ergo de facto non peccant, nec aliquando peccabunt. Antecedens patet. Probatur conſequentia. Quia videns Deum optimè ſcit, quòd per peccatum mortale priuabitur viſione Dei. Ergo non habet voluntatem mortaliter peccandi.

5 Probatur tertiò. Videns Deum, cognoſcit eum ſub omni ratione boni, ſub nulla ſibi ratione mali. Ergo nullo modo de facto ab illo recedit per mortale peccatum. Vtrum autem videns Deum, peccet venialiter, vel ad minus peccare poſſit, pertinet ad 1. 2. quæſt. 4. art. 4.

Dico ſecundò. Videns Deum non poteſt peccare, & redditur impeccabilis intrinſecè per viſionem.

6 Probatur. Quia non eſt dabile peccatum niſi propter ignorantiam in intellectu, vel ex eiuſdem culpabili inconſideratione: ſed videns Deum ex ratione viſionis neutrum habere poteſt. Ergo. Maior patet, & declaratur in 1. 2. Minor eſt etiam clara; quia videns Deum cognoſcit euidenter, & in actu ſecundo oſtenditur voluntati, quòd eſt vltimus omnium finis. Ergo cognoſcit ſi aliquod ſibi propoſitum eſt contra eius regulam, vel aſſecutionem. Sed hoc dictum etiam pertinet ad 1. 2.

Dico

Digitized by Google

7 Dico tertiò. Viſio clara Dei non poteſt communicari exiſtenti in peccato mortali habitualiter, ſeù habenti peccati mortalis maculam.

Probatur. Quia conferre alicui claram Dei viſionem, præbendo illi lumen gloriæ, & quòd diuina eſſentia vniat ſeipsā in ratione ſpeciei intelligibilis, eſt effectus amicitiæ Dei. Ergo tenetur etiam Deus cauſare gratiam in eo, ratione cuius poſſit eſſe amicitię obiectum. Conſequentia patet. Quia non poteſt aliquis recipere amicitiæ effectum, niſi vel præſupponatur amicus, vel ſimul de facto, fiat aliquod in ipſo cauſando. Probatur antecedens ex illo Ioan. 14. *Manifeſtabo ei me ipſum*. Et ex illo Lucæ 22. *Et ego diſpono vobis regnum vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*; Quem locum D. Thomas 3. cont. gent. cap. 51. explicat de viſione clara Dei.

Io. 14. Luc. 22. D. Thom.

8 Nec valet cum quibuſdam reſpondere, quòd viſio in ratione beatitudinis, ſub cuius ratione eſt effectus amicitiæ Dei, non poteſt communicari exiſtenti in peccato mortali, at verò in ratione viſionis, poteſt communicari exiſtenti in peccato mortali, & ſic non eſt effectus amicitiæ Dei.

9 Non inquam, valet, quia viſio clara Dei eſt formaliter conſtitutiua beatitudinis. Eſt enim ipſa beatitudinis eſſentia. Ergo eò ipſo quòd dicitur in ratione viſionis claræ Dei, idem omnino ſonat, ac in ratione beatitudinis.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta ſoluuntur.

10 SED contra huius vltimi dicti determinationem, obijciet aliquis primò. Peccatum mortale non opponitur immediatè viſioni. Ergo non implicat vt peccatum mortale, & viſio, poſſint eſſe ſimul. Antecedens probatur. Quia non apparet in quo formaliter, & immediatè opponantur.

11 Reſpondetur diſtinguendo antecedens; Peccatum mortale non opponitur viſioni formaliter, opponitur verò neceſſariò præſuppoſitiuè, concedo antecedens; Non opponitur formaliter, nequè præſuppoſitiuè, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam.

12 Explicatur iſta reſponſio. Peccatum mortale reddit animam Deo inimicam, ac iuſti odij obiectum. Viſio verò clara Dei procedit ex amore Dei, amore amicitiæ animam diligentis. Amari autem à Deo amore amicitiæ, & ab eodem perfecto odio haberi, oppoſitionem omnimodam dicunt. Quare, &c.

13 Obijcies ſecundò. Primum poteſt ſaluari ſine poſteriori: ſed viſio clara Dei eſt prior rectitudine voluntatis. Ergo. Maior patet. Quia prius non dependet a poſteriori. Ergo. Probatur autem minor. Quia viſio eſt actus intellectus omnino independens à voluntate.

14 Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem. Primum poteſt ſaluari ſine poſteriori, & cum oppoſito ſibi formaliter, vel præſuppoſitiuè, nego maiorem. Primum poteſt ſaluari ſine poſteriori, & non cum ſibi oppoſito, concedo maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Quia viſio clara Dei, & peccati macula habitualis, opponuntur modo iam dicto; Quia ſcilicet anima cui communicatur clara viſio Dei, eſt obiectum amoris amicitię Dei. Anima verò peccato mortali infecta, eſt iuſti odij Dei obiectum; & ſic vna, & eadem anima eſſet Deo grata, & ingrata, eſſet obiectum dilectionis amicitiæ Dei, & non eſſet obiectum illius.

15 Reſpondetur ſecundò, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Viſio eſt actus intellectus omnino independens à voluntate, præſupponens tamen actum diuini amoris erga animam, tanquàm à Deo dilectam dilectione amicitiæ, concedo antecedens. Et non præſupponens actum diuini amoris erga animam, &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

16 Pro cuius intelligentia obſerua primò, quòd intellectus, & voluntas ſunt potentię animæ; & conſequenter non ſunt per ſe primò diuini amoris, vel iuſti illius odij obiecta, ſed anima.

17 Obſerua ſecundò, quòd quamuis inter potentias animæ ſit aliqualis, originis, ac naturæ ordo, tamen priuſquam Deus conferat animæ dilectæ viſionem, quæ eſt vltimus creaturæ rationalis finis, cauſat in anima ſanctificantem gratiam, & in voluntate charitatem, vt poſſit eſſe diſpoſita ad tam præclarum effectum euehenda. Quare prius debet à voluntate maculam auferre peccati, per charitatis infuſionem, & deinde lumine gloriæ intellectum perfundere, ac tandem ſe ipſam in ratione ſpeciei intelligibilis vniri, ad hoc vt intellectus viſionem de facto producat.

18 Cauſa deceptionis in hac re, & in alijs conſimilibus materijs eſt, quia Theologi de intellectu, & voluntate diſcurrunt, ac ſi intellectus, & voluntas eſſent duo ſuppoſita operantia, quod tamen re vera non eſt; debet igitur in caſu noſtro, anima prius eſſe dilectionis Dei amicabile obiectum, per ſanctificantis gratiæ receptionem, & conſequenter per rectitudinem voluntatis, quę fit per charitatem, & deinde ad Dei viſionem eleuari.

Solet

Digitized by Google

19 Solet in hoc articulo diſputari, Vtrum viſio Dei quatenus ad Deum terminatur, ſit cognitio propriè ſcientifica. Sed hoc apparebit ex ijs, quæ tom. immediatè ſequenti dicemus queſt. 14. art. 1. Solet etiam diſputari Vtrum viſio clara Dei ſit cognitio practica, vel ſpeculatiua. Sed hoc etiam reſoluetur eadem quæſt. art. 15.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam, ipſum comprehendant.

FORMATIO ARTICVLI.

TRIpartita eſt corporis diſtributio. Primò ponit concluſionem bimembrem. Secūdò declarat quid ſit aliquid cōprehēdi. Et tertiò ꝓbat primā cōcluſionis partē in hoc articulo principaliter intentam.

Quò ad primū, cōcluſio eſt iſta. *Comprehendere Deum impoſſibile eſt cuicumquè intellectui creato; attingere verò mente Deum qualitercumquè, magna eſt beatitudo vt dicit Auguſtinus.*

Philip. 3.

1. Cor. 9.

Aug. lib. de viden. do Deum epiſt. 11.

Quò ad ſecundum ait, quòd *illud comprehenditur, quod perfectè cognoſcitur, & quòd illud perfectè cognoſcitur, quod tantùm cognoſcitur, quantùm eſt cognoſcibile.*

Quòd autem verū ſit, quòd *illud comprehenditur quod perfectè cognoſcitur* ſic manifeſtat, quia *ſi id quod eſt cognoſcibile per ſcientiam demonſtratiuam, opinione teneatur, ex aliqua ratione probabili concepta, non comprehenditur; puta, ſi hoc quod eſt trangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, aliquis ſciat per demonſtrationem, cōprehendit illud. Si verò aliquis eius opinionem accipiat probabiliter, per hoc quod à ſapientibus, vel pluribus ita dicitur, non comprehendet ipſum, quia non pertingit ad illum perfectum modum cognitionis, quo cognoſcibilis eſt.*

Quò ad tertium, ratio pro concluſione eſt iſta. *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoſcitur: ſed nullus intellectus creatus pertingere poteſt ad illum perfectum modum cognitionis diuinæ eſſentiæ quo cognoſcibilis eſt.* Ergo *impoſſibile eſt* ꝙ *intellectus creatus Deum comprehendat.* Maior eſt ab eodem D. Thoma ex ratione comprehenſiuæ cognitionis præſuppoſita, ac declarata. Probat minorem. *Deus infinitè cognoſcibilis eſt: ſed nullus intellectus creatus poteſt Deum infinitè cognoſcere.* Ergo. Maior patet. *Quia vnumquodquè ſic cognoſcibile eſt, ſecundùm quòd eſt ens actu.* Ergo *Deus cuius eſſe eſt infinitum, infinitè cognoſcibilis eſt.* Probat minorē. Quia *lumen gloriæ creatum in quocunquè intellectu creato receptum non poteſt eſſe infinitum.* Ergo *impoſſibile eſt quod aliquis intellectus creatus Deum infinitè cognoſcat.* Antecedens ſupponitur tanquàm omnino certum. Probat verò conſequentiam. Quia in

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quòd videntes Deum per eſſentiam ipſum comprehendant. Dicit enim Apoſt. Phil. tertio. Sequor autem, ſi quomodo cōprehendam. Non autem fruſtra ſequebatur. Dicit enim ipſe, primæ Corinth. nono. Sic curro, non quaſi in incertum. Ergo ipſe comprehendit; & eadem ratione alij, quos ad hoc inuitat dicens: ſic currite, vt comprehēdatis.

*2 Preterea. Vt dicit Auguſtin. in libro de * videndo Deum ad Paulinam, illud comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem: cum Deus ſit ſimplex: ergo à quocunquè videtur per eſſentiam, comprehenditur.*

*Si dicatur, quod videtur totus, ſed non totaliter. contra. Totaliter, vel dicit modum videntis, vel modum rei viſæ. Sed ille, qui videt Deum per eſſentiam videt eum totaliter, ſi ſignificetur modus rei viſæ: quia videt eum, ſicuti eſt: * vt dictum eſt.*

Similiter videt eum totaliter, ſi ſignificetur modus videntis, quia tota virtute ſua intellectus, Dei eſſentiam videbit. Quilibet ergo videns Deum per eſſētiam, totaliter eum videbit. Ergo eum comprehendet.

Sed contra eſt, quod dicitur Hier. trigeſimoſecundo. Fortiſſime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi; magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. Ergo comprehendi non poteſt.

*Reſpondeo, Dicendum, quòd comprehendere Deum impoſſibile eſt cuicunquè intellectui creato; attingere verò mente Deum qualitercunquè, magna eſt beatitudo, * vt dicit Auguſt.*

Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd illud comprehenditur, quod perfectè cognoſcitur; perfectè autem cognoſcitur, quod tantùm cognoſcitur, quantùm eſt cognoſcibile.

Vndè, ſi id, quod eſt cognoſcibile per ſcientiam demonſtratiuam, opinione teneatur ex aliqua ratione probabili concepta, non comprehenditur; puta, ſi hoc, quod eſt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, aliquis ſciat per demonſtrationem, comprehendet illud.

Si verò aliquis, eius opinionem accipiat probabiliter, per hoc, quòd à ſapientibus, vel pluribus ita dicitur, non com-

Epiſt.112 c.9. .o.1. *in tantùm intellectus creatus diuinam eſſentiam, perfectius, vel minus perfectè cognoſcit, in quantum maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur.*

Ad primum argumentũ reſpondet, explicando maiorem. *Sequor autem ſi quo modo comprehendam*, cõprehẽſione largè accepta, concedit maiorem. *Sequor autem ſi*

q.7.ar.1. *quo modo comprehendam*, ſtrictè, & propriè negat maiorem. Tunc conceſſa minori, ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Reſponſio clarè manifeſtatur in textu, legatur in illo.

Ad ſecundum argumentũ reſpondet explicando authoritatem Diui Auguſtini. *Illud comprehenditur, quod ita totum uidetur, ut nihil eius lateat uidentem*, & ita *perfectè uidetur ſicut uiſibile eſt*; quod eſt dicere, *totaliter*, concedit maiorem, & in hoc ſenſu explicat Auguſtinum.

comprehendet ipſum; quia non pertingit ad illum perfectum modum cognitionis, quo cognoſcibilis eſt.

Nullus autem intellectus creatus pertingere poteſt ad illum perfectum modum cognitionis diuinæ eſſentiæ, quo cognoſcibilis eſt. quod ſic patet.

Vnumquodquè enim ſic cognoſcibile eſt, ſecundum quòd eſt actu. Deus igitur, cuius eſſe eſt infinitum, † Vt ſupra oſtenſum eſt, infinitè cognoſcibilis eſt. Nullus autem intellectus creatus poteſt Deum infinitè cognoſcere.

In tantùm enim intellectus creatus diuinam eſſentiam perfectiùs, vel minus perfectè cognoſcit, inquantùm maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur.

Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumquè intellectu creato receptum, non poſſit eſſe infinitum, impoſſibile eſt, quòd aliquis intellectus creatus Deum infinitè cognoſcat.

D.366. *Vndè impoſſibile eſt, quòd Deũ d comprehendat.*

D.668. *Ad primum ergo dicendùm, quod comprehenſio dicitur dupliciter.*

Vno modo ſtrictè, & propriè, ſecundùm quòd aliquid includitur in comprehendente. Et ſic nullo modo Deus comprehenditur, nec intellectu, nec aliquo alio: quia, cum ſit infinitus, nullo finito includi poteſt; Vt aliquid finitum eum infinitè capiat: ſicut ipſe infinitus eſt. Et ſic de comprehenſione nunc quæritur.

Alio modo comprehenſio largius ſumitur, ſecundùm quòd comprehẽſio inſequutioni opponitur. Qui enim attingit aliquem, quando iam tenet ipſum, comprehendere eum dicitur. Et ſic Deus comprehenditur à beatis, ſecũdùm illud Cantic. tertio.

Cant.3. *Tenui eum nec dimittam. Et ſic intelliguntur authoritates Apoſtoli de comprehenſione. Et hoc modo comprehenſio eſt una de tribus dotib. animæ, quæ reſpondet ſpei, ſicut uiſio fidei, & fruitio charitati. Non enim apud nos omne, quod uidetur, iam tenetur, uel habetur, quia uidentur interdum diſtantia, uel quæ non ſunt in poteſtate noſtra.*

Nequè iterum omnib⁹, quæ habemus fruimur; uel quia non delectamur in eis; uel quia non ſunt ultimus finis deſiderij noſtri; ut deſiderium noſtrum impleant, & quietent. Sed hæc tria habent beati in Deo; quia, & uident ipſum, & uidendo tenent ſibi præſentem, in poteſtate habentes ſemper eum uidere, & tenentes fruuntur, ſicut ultimo fine deſiderium implente.

Ad ſecundum dicendum, quòd non propter hoc Deus incomprehenſibilis dicitur, quaſi aliquid eius ſit, quod non uideatur; ſed quia non ita perfectè uidetur, ſicut uiſibilis eſt; ſicut cùm aliqua demonſtrabilis propoſitio per aliquam probabilem rationem cognoſcitur, non eſt aliquid eius, quod non cognoſcatur, nec ſubiectum, nec prædicatum, nec compoſitio; ſed tota non ita perfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt.

Quod ita totum uidetur, ut nihil eius lateat uidentem, ſed non ita perfectè videtur ſicut viſibile eſt, quod eſt dicere, videtur *totus*, *& non totaliter*, negat maiorem; & in hoc ſenſu dicit non loquutum eſſe Auguſtinum, quòd optimè probat. Quia Auguſtinus *diffiniendo comprehenſionem, dicit quòd totum comprehenditur uidendo, quod ita uidetur ut nihil eius lateat uidentem: aut cuius fines circumſpici, uel circumſcribi poſſunt.*

Ad tertium reſpondet ad interrogationem propoſitam in maiori, dicens, *quòd totaliter, dicit modum obiecti, non quidem, ita quòd totus modus obiecti non cadat ſub cognitione, ſed quia modus obiecti non eſt modus cognoſcentis*; & ſẽſus eſt, quòd videns Deum, videt totum, ſed non totaliter, id eſt non infinitè, ſeù perfectè ſicut viſibilis eſt.

Epiſt.112 *Vndè Augu?. * diffiniendo comprehenſionẽ dicit, quòd totum comprehenditur uidendo; quòd ita uidetur, ut nihil eius lateat uidentem; aut cuius fines circumſpici, uel circumſcribi poſſint; tunc enim fines alicuius circumſpiciuntur, quando ad finem in modo cognoſcendi illam rem peruenitur.*

Ad tertium dicendum, quòd totaliter, dicit modum obiecti, non quidem, ita quòd totus modus obiecti non cadat ſub cognitione; ſed quia modus obiecti non eſt modus cognoſcentis. Qui igitur uidet Deum per eſſentiam, uidet hoc in eo, quod infinitè exiſtit; & infinitè cognoſcibilis eſt.

Sed hic infinitus modus non competit ei; ut ſcilicet, ipſe infinitè cognoſcat. Sicut aliquis probabiliter ſcire poteſt, aliquam propoſitionem eſſe demonſtrabilem, licet ipſe eam demonſtratiuè non cognoſcat.

Digitized by Google

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 Concluſio eſt bimembris vt patet, ſed quò ad primam eius partem, à Diuo Thoma in hoc articulo eſt intenta, poſita autem eſt bimembris, vt completam Diui Auguſtini proferret ſententiam.

Concluſio eſt de fide omninò certa, vt longiori ſermone conſtabit diſputatione ſequenti.

Vnde ſi id quod eſt cognoſcibile per ſcientiam demonſtratiuam opinione teneatur, ex aliqua ratione probabili concepta, non comprehenditur, puta ſi hoc quòd eſt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, aliquis ſciat per demonſtrationem, comprehendit illud, &c.

2 Contra hanc D. Thomæ doctrinam, poſſet aliquis tripliciter dubitare. Primò, Quia ſequeretur quòd cognoſcens propoſitionem demonſtrabilem demonſtratiuè, non verò probabiliter, ſeù opinatiuè, nequè etiam eam comprehenderet; quod eſt contra D. Thomæ intentum. Ergo. Probatur ſequela. Quia non cognoſceret eam omnibus modis quibus cognoſcibilis eſt. Ergo non comprehenderet. Antecedens patet, Quia non cognoſceret eam ~~omnibus modis quibus cognoſcibilis eſt~~. Conſequentia probatur. Quia tunc aliquid comprehenſiuè cognoſcitur, quando cognoſcitur omnibus modis quibus cognoſcibile eſt.

3 Secundò. Quia ſequeretur, quòd cognoſcens propoſitionem probabilem probabiliter, comprehenderet eam; quod non videtur admittendum. Probatur ſequela à paritate.

Tertiò. Quia ſequeretur, quòd Deus non comprehenderet propoſitionem demonſtrabilem, quod eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela. Quia Deus non cognoſcit propoſitionem demonſtrabilem per demonſtrationem.

4 Reſpondetur ad primam obiectionem negando ſequelam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Non cognoſceret eam omnibus modis quibus ab extrinſeco, cognoſcibilis eſt, concedo antecedens. Non cognoſceret eam omnibus modis quibus ex ſua natura cognoſcibilis eſt, nego antecedens. Modo in caſu noſtro propoſitio demonſtrabilis non petit ex ſua natura vt probabiliter cognoſcatur, ſed vt per demonſtrationem.

5 Ad ſecundam obiectionem reſpondetur, propoſitionem dici probabilem, vel probabiliter cognoſcibilem, non ex ſui natura; quoniam quælibet propoſitio dicit verum, aut falſum; ſuppoſito tamen quòd propoſitio probabilis nominetur ſi ab aliquo quo ad omnem eius probabilitatis modum cognoſceretur, comprehenderetur quidem extrinſecè, non intrinſecè, ſed hoc nihil contra Diui Thomæ doctrinam.

6 Ad tertiam obiectionem reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Deus non cognoſcit propoſitionem demonſtrabilem per demonſtrationem; diſcurrendo, ſeù modo imperfecto, concedo antecedens. Non cognoſcit per demonſtrationem, cognoſcit verò ſimplici intuitu omnem eius demonſtrabilitatem, concedo antecedens. Vt igitur propoſitio demonſtrabilis comprehenſiuè cognoſcatur, neceſſe eſt, vt cognoſcatur per demonſtrationem, ab intellectu diſcurrente, vel vt ſimplici intuitu eius demonſtratio conſpicitur. Diuus Thomas autem appoſuit primam partem, quia exemplificauit de intellectu humano, qui opinatiuè quoquè propoſitionem demonſtrabilem cognoſcere poteſt.

7 *In tantùm enim intellectus creatus diuinam eſſentiam perfectiùs, vel perfectè cognoſcit, in quantùm maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur.* Vnde habes præcedentis diſputationis determinationem eſſe D. Thomæ, ac dum in 3. p. quæſt. 10. art. 4. ad 2. dixit *magis*, &c. ly *magis* interpretari debere, aduerſatiuè, non comparatiuè.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO XCII.

VTRVM DE FIDE CERTVM SIT, QVÒD BEATI lumine gloriæ perfuſi, non comprehendant, nec per potentiam Dei abſolutam, poſſint comprehendere Deum.

In quinque capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 CErtum fidei dogma eſt, Deum virtute naturali à nullo intellectu creato cõprehendi poſſe, vt ſupra ar. 1. & 4. probauimus. Solùm igitur in præſenti, in cõtrouerſiam ducimus, vtrum ſit de fide, quòd nequè mediante lumine gloriæ Deus de facto à Beatis comprehendatur, nequè comprehendi poſſit.

Vaſquez. 2 Pater Gabriel Vaſq. hic diſp. 52. c. 2. ingenuè fatetur, eſſe planè temerariũ abſolutè docere, Deum à Beatis comprehẽdi poſſe. Cum cõmunis Scholaſticorum Schola oppoſitũ doceat: Vtrum autem ſit de fide certum, Deum à beatis per lumen gloriæ de facto comprehẽdi, vel comprehendi poſſe, comprehenſione more Scholaſticorum accepta, Negatiuè reſpondet. Nam quamuis exiſtimet, *de fide eſſe, Deum à beatis non poſſe comprehendi, ſi comprehenſio accipiatur vt definitur à quibuſdam, pro notitia æqualis perfectionis cum ipſo obiecto*. Et quòd loquendo de comprehenſione Scholaſtico rigore accepta, *aliorum iudicio definiendam*, relinquere dicat; re tamen vera, abſolutè, ac reſolutè oppoſitum tenet. Loca enim Sacrę Scripturæ quibus diuinæ maieſtatis incomprehenſibilitas commendatur; Adducit, ſoluit, & pro oppoſita parte interpretenda eſſe, magnopere fatigatur.

Lateran. 3 Capite quoque 3. Concilium Lateranenſe, & Sanctos Latinos Eccleſiæ Patres, Dei incomprehenſibilitatem, clarè, firmiterquè docentes, non de Beatis, ſed de Viatoribus ſermocinari contendit. Et c. 4. ait quòd ſi Sancti ex Græcis Patribus, Dei incomprehenſibilitatem docuerint, *eorum ſententiam, nihilominus referre*. Itaquè Sacræ Scripturę, Conciliorum, Sanctorumquè Patrum teſtimonia, expreſsè Deum incomprehenſibilem acclamantia in ordine ad beatos funditus aufert. Imo num. 25. in fine, ſic concludit. *Ex quibus omnibus perſpicuè patet, non ſolum ex Patribus certum non eſſe, quod aduerſarij aſſerunt, ſcilicet, Deum à Beatis non comprehendi, ſed etiam ex aliquibus ſecundum ipſorum phraſim oppoſitum poſſe colligi; ac proinde ne communem ſcholaſticorum ſententiam, qui negant Deum à Beatis comprehendi, deſeramus, oportebit ipſos Patres, ita interpretari, vt nomine comprehenſionis claram Dei notitiam intellexerint*.

4 Tandem vt in hac re poſſit aliorum doctorum habere ſequelam, hæc in principio ſecundi præcitati capitis, callidè verba profert. *Nullus præter Sotum in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 1. & recentiores quoſdam Theologos, apertè dicit, id eſſe de fide certum*. Et certè ſuæ magnæ expectationi, rei ſucceſſit euentus. Nam ex glorioſa præclariſſimorum Theologorum corona, Solus Vulpes tom. 1. diſp. 24. art. 2. Secutus eſt eum; Vulpes. Vbi audacter hæc verba promit. *Dico ſecundò, Non eſſe dogma fidei negare Deum comprehendi à Beatis, accipiendo comprehenſionem, pro adæquata rei cognitione*.

5 Cœterum nullus alius diuinæ ſubſtantiæ incomprehenſibilitatem, etiam in ordine ad beatos auſus eſt pronunciare non eſſe de fide. *Omnes enim poſteriores ſequuti ſunt Soti cenſuram*; vt aduertit Faſolus Sotus. hic dub. 1. num. 1. ita Molina hic, §. *In hac* Faſolus. *poſteriori*, Bañes hic in explicatione articu- Molina. li, Suarez 1. p. lib. 2. de attributis negati- Bañes. uis cap. 5. & 3. p. quæſt. 10. diſp. 26. concl. Suarez. 1. Zumel in annotationibus, Medina, 3. p. Zumel. quæſt. 10. art. 2. Gabrera, eadem quæſt. Medina. diſp. 2. Valentia hic quæſt. 12. punct. 5. Gabrera. Trigoſius p. p. quæſt. 7. art. 1. dub. 7. Salas Valentia. 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 6. Arrubal hic, Trigoſius. diſputatione 23. Conzalez diſputatione 30. Salas. ſectione 1. num. 6. Granada tom. 1. in 1. p. Arrubal. tract. 5. diſputatione 52. ſect. 2. num. 13. Cõzalez. Granada.

Digitized by Google

Ripa. Faſolus. Recupit. Palumb.

Ripa hic, Faſolus vbi ſupra, Recupitus lib.6. quæſt.40. num.2. Palumbus in doctrina, & ſcholaſtico examine ad art.6. & 7. Vbi loquens de hac opinione Vaſqueſij, hæc verba profert. *Certè à communi ſenſu quem Scholaſtici docent, non eſt ſine cenſura recedendum*. Hoc idem inſinuare videtur noſter Albertus Magnus, Angelici Eccleſiæ Doctoris Magiſter, in 3. diſt. 14. art. 1, vbi loquens de ſcientia beata animæ Chriſti, ſic ait. *Si diceremus Deum includi comprehenſione capacitatis animæ Chriſti, videtur mihi, quòd hoc redũdaret in blaſphemiam Deitatis Chriſti, & tantum docemus tam humanitati ſuæ, quòd derogaremus diuinitati eiuſdem.*

Albertus Magnus.

D.Thom.

Et D. Thomas hic in argumento Sed contra, probans Deum à beatis non comprehendi de facto, nec comprehendi poſſe, authoritatem Sacræ Scripturæ aſſumit, & eſt illa, quam cæteri Theologi afferunt ad probandum eſſe de fide, Deum à beatis comprehendi non poſſe. Sic enim ait, *Sed contra eſt quòd dicitur Hierem. 32. Fortiſſime, Magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi, Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. Ergo comprehendi non poteſt.* Ecce igitur quomodo D. Tho. in hoc art, Deum a Beatis nõ comprehendi de facto, nec comprehendi poſſe, dupliciter probat. Primò, in argumento Sed contra, authoritate Sacræ Scripturæ; Deinde ratione, in corpore. Ergo quatenus authoritate Scripturæ eam probat, exiſtimat illam eſſe de fide. Ergo non benè Vaſquez ait, quòd ſolus Sotus dixit, Deum a beatis non comprehendi, eſſe de fide.

Hiere.32.

D.Bonau.

Et D. Bonauentura in 3. diſt. 14. quæſt. 2. vbi quærit *Vtrum anima Chriſti cognoſcendo comprehendat ipſum verbum*, & negatiuè reſpondens, circa medium corporis, ſic ait. *Rurſus ſi Deum ponimus immenſum, quia hoc credimus, & fatemur; neceſſe eſt ponere, quòd nunquã ab intellectu finito comprehenditur totaliter.* & in fine corporis, ſic concludit. *Et concedendæ ſunt rationes ad partem iſtam*. Inter rationes autem pro iſta parte, ſunt quædam Sanctorum authoritates. Ergo ad minus inſinuatiuè D. Bonauentura ſuſtinet eſſe de fide. Idem tenet Albertinus tom. 1. quæſt. 4. Theologica ex p. princ. philoſophico num. 1. vbi, quamuis dicat, *quòd hæc ſententia euidenter probari non poſſit ex ſcripturis*; ſubdit autem, quòd *probatur ex communi Patrum, & ex Concilio Lateranenſe ſub Innocentio III.*

CAPVT SECVNDVM.

Nonnullæ comprehenſibilitatis acceptiones prælibantur, & vera incomprehenſibilitatis ratio ſtabilitur.

6 ANte huius controuerſiæ determinationem, obſeruandum eſt, quòd Nominales, quinquè comprehenſionis acceptiones aſſignant. Prima eſt, quando obiectum ita videtur, vt nihil illius lateat cognoſcentem. Secunda, quando ita aliquod videtur, vt eius partes ad inuicem diſcernantur. Tertia eſt, quando videtur aliqua res optimo modo, quo videri poteſt. Quarta eſt, quando videtur obiectũ, quantùm ad omnia prædicata quæ ei conuenire poſſunt. Quinta eſt, quando cognoſcentis cognitio habet eandem proportionem cum alijs cognitionibus, quam habet res cognita, cum alijs rebus.

7 His poſitis, Nominales dicunt, Deum primo modo comprehenſibilem eſſe, omnibus verò ſequentibus modis; incomprehẽſibilem. Nam non eſt comprehenſibilis ſecundo modo. Quia Deus non habet partes. Non tertiò, quia videre Deum optimo modo, eſt videre Deum infinitè, & infinita viſione, Non quarto, quia vt aiunt, quæ Deo tribui poſſunt, ſunt infinita. Non tandem quinto, quia non eſt dabilis aliqua cognitio creata, quæ ſic ſit ſupra alias cognitiones, ſicut Deus ſupra alias entitates.

8 Tam multiplex, & varia comprehenſionis acceptio, propria voluntate ſtatuitur, inutilis eſt, & vana. Contra quos ſingillatim prima, quarta, & quinta relictis, quidam ſic argumentantur contra ſecundam. Si ſecunda acceptio eſſet congrua, ſequeretur quòd Angelus, & Anima intellectiua, eſſent incomprehenſibiles. Nam ſunt ſubſtantiæ ſpirituales indiuiſibiles.

Sed hæc ratio non conuincit; Quia Angelus, & anima, & ſi non habeât partes phyſicas, nempè materiam, & formam, habent tamen partes ſuo modo, eſſentiam ſcilicet, & exiſtentiam; Potentias, quibus operantur, intellectum videlicet, & voluntatem.

9 Arguo igitur primò ſic. Sequeretur, quòd punctum eſſet omninò incomprehẽſibile. Eſt enim omninò indiuiſibile. & ſic neque Deus illud comprehenderet. Secundò, Quia eo modo quo Deum ab intellectu creato comprehendi Theologi negant, à ſe ipſo comprehendi fatentur; Nam Deus quatenus abſolutè incomprehenſi-

bilis

bilis nominatur, dicit exceſſum cognoſcibilitatis, ſupra intellectiuam virtutem, taliter, quòd eius comprehenſio, ſibi ſoli ſeruatur: ſed Deus nequè etiam à ſe ipſo comprehenditur, iuxta hunc comprehenſionis modum. Ergo hæc comprehẽſionis acceptio, impertinens eſt, ad explicandam diuinæ maieſtatis incomprehenſibilitatem, tanquàm proprium Dei prædicatum.

10 Contra tertiam, ſic arguitur; Quia illa poſita, ſequeretur, quòd nec Iota vnum, aut vnus apex, à quocumquè Angelo etiam perfectiſſimo, & ſupremo, comprehendi poſſet: ſed hoc eſt ridiculum, & falſum. Ergo. Minor patet. Probatur ſequela; quia quacumquè modo creato poſito, ſemper dabilis eſt perfectior; & quocumquè poſito, nullus eorum eſt optimus modus, ſed ſolus modus cognoſcendi Dei, eſt optimus. Ergo.

Confirmatur; Quia iuxta hanc comprehenſionis rationem, non eſſet proprium Dei prædicatum, non poſſe ab intellectu creato comprehendi, ſed omni entitati etiam minimæ, commune.

D.Aug. 11 D.Auguſtinus tom.2.epiſt. 112.c.8. ſic definit cognitionem comprehenſiuam. *Totum comprehenditur, quod ita videtur, vt nihil eius lateat uidentem; aut cuius fines circumſpici poſſent.*

D.Thom. D.Thomas autem hic, ſic deſcribit: *Illud cõprehenditur, quod perfectè cognoſcitur: Illud autem perfectè cognoſcitur, quod tantùm cognoſcitur, quantùm cognoſcibile eſt.*

Vaſquez. 12 Vaſquez hic diſp.52.c.2.num 5. deſcriptionem D.Thomæ, ab ea quam tradit D. Auguſtinus putat omnino diuerſam. Nam loco citato, poſtquàm D. Thomæ doctrinam tradidit, hæc verba ſubiunxit. *Cæterum vt fatear mei ingenij tarditatem, hic modus explicandi incomprehenſibilitatem Dei, difficilis mihi videtur, dum definitionem traditam ab Auguſtino conſidero. Comprehendere enim rem aliquam, omnibus in locis, vbi ab Auguſtino, & alijs Patribus definitur, nihil aliud eſt, quàm totum quod eſt in re aliqua, ita cognitione complecti, vt nihil illius verè lateat, ſed appareat ſicuti eſt.*

Becanus. Et Becanus ſequens veſtigia Vaſquez, cap.9. quæſt.11.num.5. ſic ait. *Ex dictis colligo, Deum non comprehendi à Beatis, ſecundùm mentem Diui Thomæ; At ſecundùm Auguſtinum comprehendi quidem, quò ad naturalia, non tamen quò ad libera conſilia, & decreta.*

D.Thom. D.Aug. 13 Sine fundamento loquuntur; Idem enim omninò, quod D.Thomas docet hic, dicit D.Auguſtinus. Nam D. Thomas in hoc articulo hoc argumentum ſecundo loco proponit contra concluſionem. *Dicit Auguſtinus in lib. de videndo Deum ad Paulinam, illud comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem: ſed ſi Deus per eſſentiam videtur, totus videtur, & nihil eius latet videntem; cum Deus ſit ſimplex. Ergo à quocumquè videtur per eſſentiam, comprehenditur.* Hoc eſt Argumentum, vbi comprehenſionis definitio ab Auguſtino tradita ponitur. Per hæc autem verba reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quòd non propter hoc Deus incomprehenſibilis dicitur, quaſi aliquid eius ſit, quod non videatur; ſed quia non ita perfectè videtur, ſicut viſibilis eſt*, & paucis interiectis, ſic ſequitur. *Vnde Auguſtinus diffiniendo comprehenſionem dicit, quòd totum comprehenditur videndo, quòd ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumſpici, vel circumſcribi poſſunt; tunc enim fines alicuius circumſpiciuntur, quando ad finem in modo cognoſcendi illam rem peruenitur.* Ecce quomodo comprehenſio iuxta mentem D.Thomæ, à comprehenſione ſecundùm mentem Auguſtini, non recedit.

14 Idem Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap.18. ſic ait. *Quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* ly *finitur*, non debet neceſſariò intelligi poſitiuè, ſed ſufficit ſi aliquando intelligatur negatiuè, id eſt cognoſcibilitas comprehenſi, cognoſcentis virtutem cognoſcitiuam non excedit. Quando igitur dixit Auguſtinus quòd *comprehenſio eſt*, quando *totum ita videtur vt nihil eius lateat videntem.* Sic intelligitur, quando ſcilicet, res *ita perfectè videtur, ſicut viſibilis eſt.* Et ſic D.Thomas ab Auguſtino non differt, ſed quod D.Auguſtinus dixit D.Thomas clarius explicauit. *Conſiderauit Vaſquez Diui Auguſtini definitionem* (vt ipſe teſtatur) *eam tamen rectè intellexiſſet, ſi Doctoris Angelici germanam explicationem, lynceis oculis crebrius conſideraſſet.* D.Aug.

15 Eſt deniquè obſeruandum, quòd hoc nomen, comprehenſio, dupliciter accipi poteſt. Primò, pro tentione, ſeù poſſeſſione alicuius. Secundò, pro incluſione alicuius intra comprehendentem, vel adæquatione comprehenſi cum comprehendente. Exemplum primi, cum quis aliquem inſequitur, & ad illum perueniens, manu tenet eum, tunc dicitur comprehendere primo modo, iuxta illud Lucæ 22. *comprehendentes autem eum duxerunt ad domum principis Sacerdotum.* Exemplum ſecundi. Cum aqua clauditur intra vas. Vel cum vna quantitas bipalmaris, alteri quantitati bipalmari commenſuratur. Loquendo igitur de comprehenſione propriè dicta, illud propriè comprehenditur, quod perfectè cognoſcitur. Et illud propriè non comprehenditur, vel eſt incomprehenſibile, quod perfectè non cognoſcitur, vel non eſt perfectè cognoſcibile. Luca.22.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

PRo determinatione ergo veritatis, Dico primò. De fide certum eſt à Beatis Deum de facto comprehendi, comprehenſione primo modo accepta.

1. Cor. 9. Philip. 3.

16 Probatur primò, ex illo 1. ad Corint. 9. *Sic currite vt comprehendatis*. Et ex illo ad Philipp. 3. *Sequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo, & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu*.

Probatur ſecundò. Quia de fide certum eſt, omnes beatos Deum vt in ſe eſt, de facto videre, vt conſtat ex teſtimonijs diſput. 11. præcitatis: ſed videre Deum vt in ſe eſt, eſt comprehendere Deum iuxta primam præcedentis aduertentiæ acceptionem. Ergo. Et hinc eſt, quòd omnes beati dicuntur comprehenſores, hoc enim intuitu vocantur comprehenſores; quia ſcilicet, quem deſiderauerant, ſunt conſecuti.

17 Dico ſecundò, De fide certum eſt, Deum eſſe incomprehenſibilem à beatis lumine gloriæ perfuſis accipiendo comprehenſionem, pro exacta, ſeù adæquata eius cognitione.

Vaſquez. Vulpes.

Hoc dictum eſt contra Vaſquez, & Vulpes, minus tamen excuſatus Vulpes quam Vaſquez; Etenim Vaſquez non inſpexit quòd omnes poſteriores ipſius dictum diligentiſſimè contemplantes, ipſoquè non obſtante, vna voce dixerunt, Dei incomprehenſibilitatem à quocumquè intellectu creato, eſſe de fide; quos tamen Vulpes ante optimè vidit, aut ſi non vidit, vidiſſe tenebatur. Et Ambo meminiſſe debebant, quòd planè temerarium exiſtimant, oppoſitum ſuſtinere, non aliunde conuicti; niſi quia contra communem ſcholaſticorum ſententiam opinari, temerarium eſt. Negare autem Dei incomprehenſibilitatem eſſe de fide certam, Sacræ Scripturæ authoritates, ac Sanctorum teſtimonia quæ ad id probandum adduci ſolent eneruando, eſt contra omnium ſcholaſticorum intelligentiam. Ergo non ſine aliqua temeritatis nota, eſſe de fide negari poteſt.

Hiere. 32.

18 Probatur igitur primò hoc dictum, Authoritate Sacræ Scripturæ ex illo Hierem. 32. vbi Heremias alloquens Deum, ſic ait. *Fortiſſime, Magne, potens, Dominus exercituum, nomen tibi, Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*, quod idem ſonat, ac incomprehenſibilis quocumquè intellectus creati obtutu.

19 Quem locum S. Hieronymus, qui in exponendis Sacris Scripturis ab Eccleſia Doctor maximus appellatur, ſic ait. *Quem non comprehendit cogitatio, quomodo poteſt ſermo comprehendere?* & hæc verba accipiuntur à Gloſſa Interlineari dicti capitis. Vbi Nicolaus de Lyra, ſic ait. *Quia quantumcumquè Deum cognouerit intellectus creatus, remanet tamen ab eo incomprehenſus*. Sed quid dico? His accedit diuinæ voluntatis interpres, qui ſuper hunc articulum in argumento *Sed contra* recitatum Hieremiæ locum ad probandum quòd Beati Deum videntes non comprehendunt, adducit, vt vidimus num. 5. & cum eo omnes ſcholaſtici hanc controuerſiam aliqualiter pertractantes. Gloſſa. Lyranus. Vaſquez.

20 His tamen non obſtantibus Vaſquez huic germanæ interpretationi audacter ſe opponit, ſic dicens. *Ego tamen exiſtimo, Hieremiam non fuiſſe locutum de incomprehenſibilitate eſſentiæ, & ſubſtantiæ Dei, ſed conſiliorum eius, de quibus dixerat Magnus conſilio*. ita diſp. 52. cap. 2. ſub num. 4. & num. 6. ſic explicat dicens. *Dicitur itaquè Deus incomprehenſibilis cogitatu, quia niſi ipſe palam reuelet cognoſci non poſſunt ea quæ ipſe facere cogitauit*.

21 Hoc autem teſtimonium eſt adeo clarum ad probandum noſtræ concluſionis intentum, vt ſi nullius exiſteret explicatio, ſolum ſufficiat. Quæ repugnantia eſt de Dei ſubſtantia illud interpretari? Non Sanctorum Patrum aduerſa explicatio, non Theologorum contraria interpretatio, nequè oppoſitum inſinuat ipſiuſmet textus vera ſyntaxis. Hoc vltimum, in quo Vaſqueſij imaginatio fundatur, patet. *Nam Propheta ad Dominum orat, in qua oratione, multa einſdem excelſa attributa promit;* ſic enim Sacra refert hiſtoria. *Et oraui*, inquit propheta, *ad Dominum, poſtquàm tradidi librum, &c.* & deinde ſubdit. *Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem Patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos, Fortiſſime, Magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi, Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu, &c.* Orationi poſſunt omnia ad Dei dignitatem pertinentia miſceri; nonne eidem orationi hæc alia, & multo plura inſerere potuit, Immortalis, inuiſibilis, &c.? Cum igitur hunc locum communiter Scholaſtici de incomprehenſibilitate diuinæ ſubſtantiæ interpretentur, cum illis eſt tenendum, communi enim ſcholaſticorum ſententiæ acquieſcendum, non autem temerè cõtra eos eſt ſuſcipienda contentio.

22 Eſt etiam alius Sacræ Scripturæ locus, ad Rom. 11. *O quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis eius conſiliarius fuit*. Et Iob cap. 11. dicitur *Forſitan veſtigia eius comprehendes, & vſquè ad perfectum omnipotentem reperies?* Rom. 11. Iob. 11.

Reſpon-

Digitized by Google

Vaſquez. 23 Reſpondet Vaſquez, ſub num.6. quòd in dictis locis eſt ſermo de incomprehenſibilitate conſiliorum, ac iudiciorum Dei, quæ à nullo inueſtigari poſſunt, niſi ab eo, cui ſibi placuerit reuelare. *Quibus*, inquit, *planè verbis, non de ipſa eſſentia in ſe, ſed de rebus quas conſilio ſuo, dicitur decreuiſſe, loquitur: Cur ſcilicet, Iudæi reprobati, gentiles verò electi fuerint.* & ad locum ex Iob, ſic ait. *Loquebatur non de eſſentia Dei clarè à Beatis viſa, ſed de vijs, hoc eſt conſilijs Domini, quæ ſecundùm ſe comprehendi repugnat, niſi reuelentur.*

24 Sed contra ſic argumentor. Iudicia, & conſilia Dei ſic à Sacra Scriptura incomprehenſibilia dicuntur, quemadmodum re vera comprehendi non poſſunt ſed iudicia Dei non ſolùm ſunt incomprehenſibilia, quia proprijs intellectualis creaturæ viribus neſciuntur, niſi diuinitus reuelentur; verumetiam, quia omnia iudicia eius ab intellectu creato etiam beato, in diuina eſſentia cognoſci non poſſunt. Ergo Sacra Scriptura non ſolùm loquitur de incomprehenſibilitate in reſponſione poſita, ſed etiam de incomprehenſibilitate diuinæ ſubſtantiæ. Maior patet. Quia Sacra Scriptura loquens de ijs quæ ad diuinam pertinent perfectionem, non debet ad vnum membrum reſtringi, & ad alterum non extendi, niſi ob aliquam repugnantiam, ad minus ex eiuſdem modo loquendi prouenientem; quod quidem in ſupradictis authoritatibus non contingit. Nam licet eius intentum ſit, inſinuare occultum eſſe Dei iudicium, quòd Iudæi fuerunt reprobati, & Gentiles electi; Attamen hoc ex quodam vniuerſali principio deducit, videlicet *Incomprehenſibilia ſunt Iudicia Dei.* Minor autem eſt certa, & ab eodem Vaſquez aſſeritur diſp.53. cap.4. vbi explicans modum quo Dei ſubſtantia ſit ab intellectu creato etiam beato, omnino incomprehenſibilis, dicit, quòd ideo ſubſtantia incomprehenſibilis eſt, quia non videtur quantùm ad ea quæ eminenter, & virtualiter ſunt in eo, & ſic ait. *Et hoc pacto exiſtimo non poſſe Deum à nobis comprehendi. Nam quamuis beatus videat in Deo, quicquid in eo eſt formaliter, non tamen videt omnia, quæ ipſum conſequi, & ab eo pendere poſſunt, Nec enim poſſibilia omnia neque futura, quæ ex conſilio Dei pendent cognoſcit beatus. Quo circa rectè dicitur, ipſum Deum à beato non comprehendi.* Ergo iudicia Dei non ſolùm ſunt incomprehenſibilia, quia neſciuntur niſi diuinitus reuelentur; Verumetiam, quia omnia iudicia eius ab intellectu creato in diuina eſſentia cognoſci non poſſunt, nè diuina comprehendatur eſſentia (Ad hominem contra Vaſquez loquor) quoniam ſi quis diceret, diuina conſilia poſſe ab intellectu creato in diuina eſſentia videri, hoc modo incomprehenſibilia eſſe negaret.

25 Nec minus efficax eſt alius Scripturæ locus ex illo 1. ad Timot.6. *Lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, neque videre poteſt.* Qui locus ſi intelligatur de inacceſſibili luce, inacceſſibilitate intuitionis, debet intelligi per vires hominis, vel cuiuſcumque intellectualis creaturæ. Si verò de inacceſſibilitate comprehenſionis, intelligendus eſt reſpectu cuiuſcumque, & abſolutè. & iuxta hanc explicationem hunc locum Sancti Patres, & ſcholaſtici intellexerunt, & præſertim D.Thomas ar. 1. huius quæſt. ad 1. vbi diligenter ponderanda eſt illa particula, *inacceſſibilem*, quæ non ſolùm actum, ſed etiam potentiam excludit; & quòd etiam ſermo ſit de incomprehenſibilitate, Vaſquez ipſe fatetur, ſupra diſputatione 37. cap.6. num.20. §. *Cæterum.* 1. Tim. 6. D.Thom.

26 Reſpondet Vaſquez diſp.52. cap.2. n.9. huius loci ſenſum eſſe, quòd *à nullo intellectu humano ſed neque Angelico, propria virtute videri, aut comprehendi poſſe.*

27 Contra ſic argumentor. Ergo iam habemus ex Sacra Scriptura Deum eſſe incomprehenſibilem. Tunc ſic vltra. Sed quòd Deus lucem habitat inacceſſibilem, inacceſſibilitate intuitionis, in tantùm explicatur per vires naturæ, in quantùm omninò certum eſt, Deum à Beatis in Patria clarè videri. Ergo ſi nulla catholicorum extat opinio, docens Deum à Beatis comprehenſiuè videri; irrationabiliter ſupradictus Scripturæ locus, quantùm ad comprehenſiuè cognoſci, ad intellectum creatum virtute ſuæ naturæ cognoſcentem coarctatur. Mira certè res iſta eſt, Sancti Patres, & omnes ſcholaſtici hunc locum, inter alias explicationes, de cognitione comprehenſiua exponunt; & nec Vaſquez, nec vllus catholicorum affirmat, Deum ab intellectu creato comprehendi, aut comprehendi poſſe, Sacra Scriptura vocat Deum incomprehenſibilem in loco adducto, vt Vaſquez ipſe concedit, & nihilominus acriter contendit, ſcripturam loqui tantùm per vires naturæ.

CAPVT QVARTVM.

Probatur ex Concilio Lateranenſe.

28 Probatur ſecundò, Authoritate Concilij Lateranenſis, ſub Innocentio III. celebrati, & refertur de ſumma Trinitatate cap. *Damnamus*, vbi ſic dicitur, *Credimus, & confi-* Lateran.

confitemur cum Petro, quòd vna quædam res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Vbi determinatur, de fide Deum incomprehenſibilem eſſe, & hoc iuxta mentem Petri Lombardi, qui ſcholaſticorum caput, meritò nuncupabatur.

29 Reſpondet Vaſquez, cap. 3. n. 10. quòd quando concilium Deum incomprehenſibilem confitetur, non autem mediante lumine gloriæ.

Imo retorquet argumentum, reſponſionemquè confirmat, his verbis. *Verumtamen cum eodem capite dicatur ineffabilis, & tamen lumine gloriæ, beati, ſicut clarè vident, ſic etiam lingua mentis ipſum effari, & exprimere poſſint, ſicuti eſt, nec ipſorum mente dicatur ineffabilis, ſic etiam nec ipſis dicetur incomprehenſibilis.*

30 Retorſio nulla eſt, quia quamuis Deus abſolutè à Sacro concilio *ineffabilis*, & abſolutè, *incomprehenſibilis* nominetur, nihilominus Deum eſſe ineffabilem contingit dupliciter, ineffabilem ſcilicet adæquatè, & ineffabilem inadæquatè; Deus autem per vires naturæ, vt in ſe eſt, omni modo eſt ineffabilis; à Beato eſt effabilis inadæquatè, ideſt non quantùm ad omnia quæ formaliter, & virtualiter, ſunt in Deo; At verò Deum eſſe comprehenſibilem, vno duntaxat modo cõtingere poteſt, nam idem eſt, comprehendere Deum, ac adæquatè, & omnibus modis quibus cognoſcibilis eſt, cognoſcere Deũ.

31 Et contra Vaſquez ſicut prius, ſic argumentor; Quòd Deus ſit ineffabilis à Beatis, quò ad quidditatiuam eius cognitionẽ, non negatur cõmuniter à Theologis; Quòd autem ſit comprehẽſibilis ab intellectu creato, etiam beato, nullus catholicorum affirmat. Ergo Dei ineffabilitas reſpectu intellectus creati per vires naturæ explicari poteſt, non reſpectu beati; Eiuſdem verò incomprehenſibilitas eodem modo explicari non poteſt. Probatur iſta conſequentia. Quia omnes negant Deum à Beatis poſſe comprehendi, etiam Vaſquez, taliter quòd temerarium exiſtimat affirmare; non autem negant Deum à beatis poſſe quidditatiuè effari.

Vaſquez. 32 Contra Vaſquez inſtat Suarez, 3. par. diſput. 26. ſect. 1. ſic authoritatem Concilij exagerando; Quia *Concilium tàm abſolutè, & ſimpliciter, definit eſſe Deum incõprehenſibilem ſicut immutabilem, ſicut ergo, ita immutabilis eſt, vt etiam de potentia abſoluta mutari non poſſit, Ita incomprehenſibilis eſt, ut nulla ratione à creatura comprehendi poſſit.*

33 Reſpondet Vaſquez, *diuerſam eſſe rationem, Nam incommutabilis dicitur abſolutè, non ſolùm quia à nullo contrario, ſed quia nec à ſe ipſo mutari poſſit, & ſicut incomprehenſibilis non dicitur à ſe ipſo, ſed à creatura, ſic etiam nõ negatur comprehendi poſſe à creatura ſi ipſe ſe velit reuelare.*

34 Contra primò, Quia apud omnes notum eſt, quòd Deus ſe ipſum comprehenſiuè cognoſcit, & conſequenter, quando incomprehenſibilis dicitur à creatura, ſub intelligendum eſt; cuius ratio eſt, quoniam incomprehenſibilitas ſecũdùm quòd eſt prædicatum Dei, dicit perfectionem; eò quia dicit intelligibilitatem eius ſecundùm quòd virtutem intelligentis excedit; & propterea quando Deus incomprehenſibilis nominatur, debet intelligi, à creatura, ſi autem etiam à ſe ipſo, incomprehenſibilis eſſet, excederet ſui ipſius intelligendi virtutem; & ſic Deus in ratione intelligentis, eſſet imperfectus, & idcirco, quando Deus incomprehenſibilis dicitur, non intelligitur, nec intelligi poteſt à ſe ipſo: At verò, eſſe immutabile, eſt prædicatum dicens perfectionem, quatenus excludit mutationem ab alio, & etiam à ſe ipſo; quapropter, quando Deus dicitur immutabilis, non ſolùm intelligitur à creatura, ſed etiam à ſe ipſo.

35 Tunc ſic argumentor. Sicut Deus dicitur immutabilis à ſe, & à creatura, propter ſui infinitam, ſeù omnimodam perfectionem; Ita quoquè propter eiuſdem perfectionem, quam ſupra creaturas dicit eſt incomprehenſibilis à creatura. Ergo ſicuti eſt de fide quòd Deus eſt immutabilis à ſe, & à creatura, Ita etiam eſt de fide, quòd eſt incomprehenſibilis.

36 Si dicas; Quòd hoc non obſtante, poteſt Deus creaturam, reddere immutabilem per gratiam, Ergo ſimiliter, quamuis per naturales vires creatura intellectualis non poſſit comprehendere Deum, poterit per gratiam.

37 Reſpondeo diſparem eſſe rationem; quia ex hoc quòd creatura immutabilis ſit per gratiam, non coæquatur Deo in aliqua ratione, At verò, ſi creatura comprehenderet Deum, coæquaretur ei ad minus in ratione intelligibilis, & intelligentis.

38 Argumentor ſecundò contra reſponſionem Vaſquez; Quia voluntariè dicit, quòd non negatur à Concilio comprehendi poſſe à creatura, ſi ipſe velit reuelare: Quia Deus non poteſt velle reuelare, quod reuelari non poteſt: ſed Dei comprehenſibilitas nulli creaturæ communicari poteſt, vt communiter tanquàm omnino certum Scholaſtici tenent, & Vaſquez cum eis, & aliàs Concilium abſolutè Deum incomprehenſibilem confitetur. Ergo.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

Ex Sanctis Patribus Confirmatur.

39 TAndem Dei incomprehenſibilitatem eſſe de fide, Authoritatibus Sanctorum, ſatis manifeſtè probatur, & adducam eas quas Vaſquez cap. 3. & 4. affert, & explicat. Eas tamen contra ipſum, magis exagerando, & roborando. Vaſquez.

Sanctus Gregorius 10. moralium cap. 7. ſeù 10. ſic ait. *Si hunc* (ideſt Deum) *in claritate ſua quandoquè conſpicimus; non tamen eius eſſentiam plenè contuemur.* Et huius rationem ſic aſsignat. *Angelica enim, vel humana mens, &c. Sed tamen eius fulgorem comprehendere, nec dilatata ſufficit.*

40 Reſpondet Vaſquez num. 20. his verbis. *Verùm ego exiſtimo, Gregorium loqui non de beatis videntibus Deum ſicuti eſt, ſed tam de hominibus quàm de Angelis uiatoribus tamen, & ſine lumine gloriæ, ſola gratia contemplationis prædictis.* Vaſquez.

41 Contra. Sanctus Gregorius explicans illud Pſalm. 33. *Videbunt Regem in decore ſuo.* Explicat de viſione clara Dei. Per hæc verba, *videbunt Regem in ipſo fulgore diuinitatis ſuæ.* Ergo cum ſic dicit, *Si hunc in claritate ſua conſpicimus, &c.* ineptè de viatoribus ſine lumine gloriæ explicatur. Pſalm. 33

42 Confirmatur. Quia Sanctus Gregorius non fuit illius opinionis, quam Vaſquez (temerè tamen) Chryſoſtomo imponit, videlicet, quòd Beati in Patria Deum vt in ſe eſt, non videbunt, ſed ſu[illegible], clarè, & intuitiuè ab omni beato videri. Si igitur aliquod D. Gregorij ad id probandum deſideraremus teſtimonium, poteſt nè aptius inueniri quam, hoc, nempè, Beati Deum in ſua claritate conſpiciunt. Ergo ineptè de viatoribus, & ſine lumine gloriæ in præallegato loco explicatur. Huic accedit, quòd ſola irrationabili voluntate; & nulla contextus neceſsitate conſtringitur. Sed quia ſic vult Vaſquez Sacram Scripturam, ſanctoſquè Patres loqui.

43 Eſt etiam eiuſdem Gregorij euidentior locus, Nam 18. Moralium cap. 28. aut, 27. in fine vbi ſic ait. *Nec tamen videbimus eum, ſicut videt ipſe ſe ipſum; longè quippè diſpariliter, videt creator ſe, quàm videt creatura creatorem. Nam quantùm ad immenſitatem, Dei quidem nobis modus figitur contemplationis; quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creatura ſumus.* D. Greg.

44 Teſtimonium hoc valdè clarum eſt, taliter quòd Diuum Gregorium de Beatis Deum videntibus non loqui, negare erubuit.

Sed Reſpondet ſic. *Differentiam aſſignare inter Deum, & intellectum creatum, non quòd Deus ſe ipſum comprehendat, vt dicunt ſcholaſtici, creatus verò intellectus ipſum Deum non comprehendat; ſed quia Deus videns ſe ipſum in ſe quieſcit, non ad alium tranſit, vt in eo quieſcat: nos verò videndo Deum in ipſum quodammodo, per alas viſionis tendimus, vt in ipſo quieſcamus.*

45 Sed Contra. Quia licet ex modo quo creator videt ſe ipſum, & creatura creatorem, rectè ſupradicta diſparitas aſſignetur; tamen ex verbis à Gregorio allegatis optimè, hoc diſcrimen, nempè quòd Deus ſe ipſum comprehenſiuè cognoſcit, intellectus verò creatus Deum videns comprehenſiuè non cognoſcit, explicat ibi Gregorius. Nam dicens quòd *diſpariliter videt creator ſe, quàm creatura creatorem.* Huius rationem reddit, *Quia*, ſcilicet, *quantùm ad immenſitatem, Dei quidem nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creatura ſumus.* Sed ex hoc quòd creatura ſumus, habemus vtrumquè, nempè, quòd non in nobis metipſis quieſcimus, ſed ad illum quodammodo per alas viſionis tendimus, verumetiam, quia non poſſumus ad tam præclaram eius cognitionem peruenire, vt creatorem comprehendamus, vt manifeſtius D. Gregorium legenti conſtabit.

46 Sanctus Beda id ipſum enucleat ſuper illud 1. Io: 3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Vbi teſte Suarez 3. p. diſp. 26. ſect. 1. citata ſic ait. *Promittitur vobis videre Deum, nam comprehendi concedi non poteſt.* Sed Vaſquez, ſuppreſſo tamen eius nomine, ſic eum reprehendit. *Sed hæc verba conficta ſunt*, & verum dicit, in Beda enim non reperiuntur; Verumtamen, eſt leuis Vaſquez conſolatio; quoniam, & ſi verbaliter, Beda non dixerit, pronunciauit in ſenſu. Sic enim ibi ait. *Scimus quia cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt; non ſicut eum homines viderunt, quando voluit, in ſpecie qua voluit, non in natura, qua in ſemetipſo, etiam cum videretur latuit, ſed ſicut eſt; Quod ab eo à Moyſe petebatur, cum ei diceretur, oſtende mihi temetipſum, ab eo qui cum eo facie ad faciem loquebatur, non quia Dei plenitudinem, quiſquam, non ſolùm oculis corporis, ſed vel ipſa mente, aliquando comprehendit. Aliud eſt enim videre, alud eſt totum videndo comprehendere.* Beda. Suarez.

Digitized by Google

Vaſquez. 47 Reſpondet Vaſquez ſic. *Ego verò cenſeo illa eſſe de viatoribus accipienda*. Et cum diſtinguit, inter videre, & videndo comprehendere, aſſignat differentiam inter viſionem in figura corporea, in qua à Moyſe videbatur, & comprehenſionem; *ſed non inter claram viſionem naturæ diuinæ in ſe, & comprehenſionem illius*.

48 Contra. Quia Beda intendit explicare illud 1. Io: 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*, & propterea ſubiungit, quòd hanc viſionem Moyſes videre cupiebat, non autem eam quæ comprehenſiua eſt Deitatis, quoniam huiuſmodi impoſſibilis eſt; Et ideo ſubdit inter videre, & comprehendere, diſtinctionem. Quaſi diceret, Moyſes non appetijt Deitatem comprehendere, quod impoſſibile eſt; Sed videre, quod poſſibile eſt, & in alia vita promittitur. 1.Io. 3.

49 Sanctus quoquè Auguſtinus, de viſione Dei perſpicaciſſimus diſputator, multis in locis id expreſsè teſtatur. Nam epiſt. 112. de videndo Deum cap. 7. & 8. exponens illam D. Ambroſij ſuper Luc. lib. 1. cap. 1. propoſitionem, videlicet, *Et ideo Deum nemo uidit unquàm, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem conſpexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit enim ad utrumquè referendum eſt*. Verba paulò ante ex Beda à nobis adducta ſubiunxit, quæ ipſe met Beda à D. Auguſtino tranſcripſit. Vbi aduerte, quòd D. Auguſtinus explicãs Ambroſium, duo quoquè Sacræ Scripturæ teſtimonia quæ ſibi aduerſari videntur, explanat; Vnum eſt. *Deum nemo uidit unquam*. Alterum. *Videbimus eum ſicuti eſt*. Iuxta primum teſtimonium loquutus eſt Ambroſius; cum negat Deum, oculo corporis, aut mentis videri poſſe. Et interpretatur eum de cognitione comprehenſiua, Quando autem Moyſes inhians Deum videre dicebat, *Oſtende mihi te ipſum*, loquebatur iuxta ſecundũ; pœnes quem dicendi modum ſæpe ſæpius adducit illam Chriſti Domini propoſitionem Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum uidebunt*. D. Aug. D. Ambr. Matt. 5.

50 Quòd autem ita ſit, ex verbis eiuſdem D. Auguſtini optimè conſtat. Etenim poſt quàm D. Ambroſij verba in cap. 5. retulerat. Sic cap. 6. exorſus eſt. *Si hæc uerba intelligis, quid reſtat, quod à me amplius requiratur, cum iam illa quæ difficilis uidebatur ſoluta ſit quæſtio? Diſcretum eſt quippe, quomodo dictum ſit; Deum nemo uidit unquam, & quomodo Deum iuſti antiqui uiderint*. & in fine ſeptimi capitis dicens, quòd quidam viderunt Deum in ſpecie qua illis ipſe voluit apparere, non in natura propria, quòd ſi in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat, non tamen comprehenſiuè, eius enim comprehenſio omnes videntes latere dicit. Eo quia, *Aliud eſt uidere. Aliud eſt totum uidendo comprehendere*. D. Aug. D. Ambr.

51 Reſpondet Vaſquez num. 15. quòd *quamuis hoc uerum ſit in uiſione corporali alicuius rei, in uiſione tamen clara diuinæ eſſentiæ, nunquam Auguſtinus hanc differentiam aſſignat*. Vaſquez.

52 Contra. Quia D. Auguſtinus loco citato ſupradictam diſtinctionem aſſignat, vt explicet verba illa D. Ambroſij, videlicet, *Plenitudinem diuinitatis eius, nemo conſpexit, nemo mente, aut oculis comprehendit*. & docet, quòd quando Ambroſius ait, Deum non poſſe videri, loquitur non de pura, ac ſola viſione, ſed de ea quæ comprehenſiua dicitur. Idquè apertè eius verba declarant. *Viſus, inquit, ad utrumquè referendus eſt, ideſt, & ad oculos, & ad mentem. Porro, ſi propterea Deum nemo uidit unquàm, quia ſicut, ait, diſputatio eius uerba conſideramus, plenitudinem diuinitatis eius, nemo conſpexit, nemo mente, aut oculis comprehendit*. D. Ambr.

53 Confirmatur; Quia D. Auguſtinus dictam diſtinctionem ponit, immediatè poſt quàm hæc verba compleuerat. *Non quia Dei plenitudinem quiſquàm non ſolùm oculis corporis, ſed uel ipſa mente aliquando comprehendit*. Ergo loquitur de vtraquè viſione, mentis, & corporis. D. Aug.

54 Et tom. 9. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 4. in principio. Sic ait. [Sciendum igitur, Deũ nullis verbis propriè exprimi, nulla poſſe cogitatione comprehendi, quomodo enim immenſus, & incomprehenſibilis prædicaretur, ſi humanæ locutioni, vel meditationi includeretur? Nunc autem patet quàm ſit admirabilis, cum omnibus linguis ſit indicibilis, omnibus cordibus ſit incogitabilis.]

Reſpondet Vaſquez, num. 16. *De uiatoribus Auguſtinum loqui*.

55 Contra, Primò, Quia deinceps Diuus Auguſtinus cepti ſermonis de Dei ineffabilitate, atquè incomprehenſibilitate, proſequens probationem, & incipiens à Dialectica vſquè ad Animas, Angeloſquè beatos aſcendens probat Deum ab omnibus iſtis creaturis incomprehenſibilem eſſe.

56 Secundò, Quia D. Auguſtinus ibidem, à deſcriptione Animæ, & Angelorum, ad Deum gradatim aſcendens, de Deo loquens, ſic ait. *Deus ſpiritus, eſt eſſentia inuiſibilis, omni creaturæ incomprehenſibilis, &c.* Vbi inuiſibilitas, ab oculis corporalibus, & incomprehẽſibilitas, reſpectu omnis creaturæ, tanquàm duo prædicata ad diuinam eſſentiam pertinentia ſtatuit, quorum vnum, Deum ſuper omnia corporea; Alterum verò ſuper omnia creata, eſſe demonſtrat. Non vocauit Deum incomprehenſibilem ab omni virtute naturali, dixit, ſed quòd eſt, *Omni creaturæ incomprehenſibilis*. Aliud enim eſt abſolutè dicere,

Digitized by Google

dicere, Deus eſt *incomprehenſibilis omni creaturæ*. & aliud, Deus eſt incomprehenſibilis virtute naturali cuiuſcumquè creaturæ. Primum affirmare eſt impoſſibile, & non ſolùm ſecundùm; D. Auguſtinus autem vt ex verborum tenore conſtat, primo modo locutus eſt. Aliàs incomprehenſibilitas, non deberet vnum ex prædicatis quidditatis eius in ordine ad creaturas aſſignari.

57 Idem docet tom. 10. de Verbis Domini ſerm. 38. exponens illud Ioa: 1. *In principio erat Verbum*, vbi ſic ait. *Dictum eſt, & Deus erat Verbum, de Deo loquimur, quid mirum ſi non comprehendis? Si enim comprehendis non eſt Deus;* & poſt non multa. *Quid ergo*, inquit, *de illo Verbo fratres dici poteſt? Ecce de corporibus dicimus ſubiacentes oculis noſtris, non illa poſſunt comprehendere aſpectu; Quis ergo oculis cordis comprehendit Deum? ſufficeret ut attingat, ſi purus eſt oculus; Si autem attingit, tactu quodam attingit incorporeo, & ſpiritali, non tamen comprehendit, & hoc ſi purus eſt; & homo fit beatus contingendo corde illud quod ſemper beatum manet, & eſt illud ipſa beatitudo perpetua, & unde fit homo viuens vita perpetua, &c.* Io.1.

Vaſquez.

58 Reſpondet Vaſquez numero eodem, ſicut ſupra, nempè D. Auguſtinum loqui de Viatore.

Contra. Quia .l. in præcedentibus de Viatore loquatur, tamen in verbis præcitatis loquitur de homine beato, vt patet, & ea quæ in ſui confirmationem affert, ſequenti capite diſſoluemus.

59 Et tomo 3. de Geneſi ad litteram lib. 4. cap. 6. in fine capitis, ſic ait. *Quamquam, & ſi corda mundiſſima, & mentes ſimpliciſſimas gereremus, ſanctiſquè Angelis, iam eſſemus æquales, nonutiquè nobis, ita eſſet nobis nota diuina ſubſtantia, ſicut ipſa ſibi.* Quid clarius dici poteſt?

Vaſquez. D. Aug.

60 Reſpondet Vaſquez, num. 18. quòd quando Diuus Auguſtinus ait, *non utiquè ita eſſet nobis, &c. ſicut ipſa ſibi*, ſic debet intelligi; quia Deus *Sic ſe nouit, ut inueniat ſe eſſe quod nouit; anima* autem humana beata, *ita nouit Deitatem, ut Deitas non ſit.*

61 Contra primò, Quia licet ſit vera dicta diſparitas, oportet recurrere ad radicem, quare ſcilicet, Deus ſic ſe nouit, vt inueniat ſe eſſe quod nouit; Anima verò non item; & eſt, quia Deus ſe nouit quantùm cognoſcibilis eſt. Ergo infinitè; & conſequenter cognitione infinita, quæ eſt ipſe Deus: At verò anima cognoſcens Deum, non niſi finitè cognoſcit. Ergo non eſt Deus quem cognoſcit.

62 Secundò, Quia loco iam relato, Diuus Auguſtinus inueſtigat, quomodo Deus omnia diſponit; & dicit quòd ea cognoſcit, in ſe, quia ſcilicet, ita ſe ipſum perfectè cognoſcit, vt in ſe ipſo omnia alia à ſe cognoſcat; ſic enim ait. *Quo ergo modo iſta cernebat, ut ita diſponeret? Quo, niſi eo quo ſolus poteſt?* Et deinde ſubdit, *Verum tamen nos mortales, & peccatores, quorum animas aggrauant corpora corruptibilia, & quorum ſenſum multa cogitantem terrena deprimit cogitatio, quamquàm & ſi corda mundiſſima, & mentes ſimpliciſſimas gereremus, ſanctiſquè Angelis, &c.*

63 Et tom. 9. in lib. Meditationum cap. 19. ſic ait. *Et ideo certum eſt corporeis oculis te non poſſe ſentiri, ſed nec ab ullo mortalium in propria eſſentia aliquando potuiſſe uideri. Hinc etenim patenter datur intelligi, quòd unde Angeli te intuentur, inde & nos poſt hanc uitam te uidebimus; ſed nec ipſi profectò te uidere poſſunt ſicuti es, nulli deniquè alij tota, niſi tibi ſoli nota eſt omnipotens Trinitas.* Hæc ille.

64 Et in libro Soliloquiorum cap. 31. circa medium in eodem tom. 9. ad Deum verſus ſic locutus eſt; *Quis tu? Tu Domine Deus meus, uerus, & ſolus omnipotens, & æternus, & incomprehenſibilis, & immenſus, qui ſemper uiuis, & nihil moritur in te, immortalis enim es habitans æternitatem, mirabilis oculis Angelorum, inenarrabilis, inperſcrutabilis, & innominabilis.* & non poſt multa, ſic ſubdit. *Quid eſt quod dixi, cognoui te? Nonne tu es Deus incomprehenſibilis, & immenſus?* & paulò poſt. *Nonne tu es ſolus tui ipſius; maximus cognitor, & mirabilis contemplator?* Et paucis interiectis, *Sola*, inquit, *Trinitas tua, ſoli ſibi integrè nota eſt.* & poſt pauca. *Non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro ſuper eſſentialiter, ſuper intelligibiliter eſſe dignoſceris, quoniam ſupereminentialr, & occulta diuinitate ſuper omnem rationem, intellectum, & eſſentiam inacceſſibiliter habitas in te ipſo, ubi lux inacceſſibilis, & lumen inperſcrutabile, & incomprehenſibile, & inenarrabile: Ad quod non attingit aliquod lumen, quoniam incontemplabile, & inuiſibile, & ſuperrationale, & ſuperintelligibile, & ſuperinacceſſibile, & ſupercommutabile, & ſuperincommunicabile creditur, quod nullus unquàm Angelorum, uel hominum uidit, ſed nec uidere poteſt.* & paulò poſt, ſic ait, *Hoc enim eſt Cœlum Cœli Domino, quia nulli notum niſi Domino.* & poſt pauca. *Soli quidem tibi Trinitas integrè nota eſt. Trinitas Sancta, Trinitas ſupermirabilis, & ſuperinſcrutabilis, & ſuperinacceſſibilis, & ſuperincomprehenſibilis.*

65 Reſpondet Vaſquez num. 18. primò. *Hos libros non eſſe Auguſtini, magis certum eſt.* Vaſquez.

66 Reſpondet ſecundò, explicando huiuſmodi loca de cognitione Dei per vires naturæ, ita vt ſenſus ſit, quòd *clarè non poſſit tota Trinitas naturaliter ab aliquo, niſi à ſe ipſa uideri.*

Vaſquez. 47 Reſpondet Vaſquez ſic. *Ego verò cenſeo illa eſſe de viatoribus accipienda*. Et cum diſtinguit, inter videre, & videndo comprehendere, aſſignat differentiam inter viſionem in figura corporea, in qua à Moyſe videbatur, & comprehenſionem; *ſed non inter claram viſionem naturæ diuinæ in ſe, & comprehenſionem illius.*

48 Contra. Quia Beda intendit explicare illud 1. Io: 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*, & 1.Io. 3. propterea ſubiungit, quòd hanc viſionem Moyſes videre cupiebat, non autem eam quæ comprehenſiua eſt Deitatis, quoniam huiuſmodi impoſſibilis eſt; Et ideo ſubdit inter videre, & comprehendere, diſtinctionem. Quaſi diceret, Moyſes non appetijt Deitatem comprehendere, quod impoſſibile eſt; Sed videre, quod poſſibile eſt, & in alia vita promittitur.

49 Sanctus quoquè Auguſtinus, de viſione Dei perſpicaciſſimus diſputator, multis in D. Aug. locis id expreſsè teſtatur. Nam epiſt. 112. de videndo Deum cap. 7. & 8. exponens illam D. Ambroſij ſuper Luc. lib. 1. cap. 1. D. Ambr. propoſitionem, videlicet, *Et ideo Deum nemo uidit unquàm, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem conſpexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit enim ad utrumquè referendum eſt.* Verba paulò ante ex Beda à nobis adducta ſubiunxit, quæ ipſemet Beda à D. Auguſtino tranſcripſit. Vbi aduerte, quòd D. Auguſtinus explicās Ambroſium, duo quoquè Sacræ Scripturæ teſtimonia quæ ſibi aduerſari videntur, explanat; Vnum eſt. *Deum nemo uidit unquam.* Alterum. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Iuxta primum teſtimonium loquutus eſt Ambroſius; cum negat Deum, oculo corporis, aut mentis videri poſſe. Et interpretatur eum de cognitione comprehenſiua; Quando autem Moyſes inhians Deum videre dicebat, *Oſtende mihi te ipſum*, loquebatur iuxta ſecundū; pœnes quem dicendi modum ſæpe ſæpius adducit illam Chriſti Domini propoſitionem Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi* Matt. 5. *Deum uidebunt.*

50 Quòd autem ita ſit, ex verbis eiuſdem D. Auguſtini optimè conſtat. Etenim poſt quàm D. Ambroſij verba in cap. 5. retulerat. Sic cap. 6. exorſus eſt. *Si hec uerba* D. Aug. D. Ambr. *intelligis, quid reſtat, quod à me amplius requiratur, cum iam illa quæ difficilis uidebatur ſoluta ſit quæſtio? Diſcretum eſt quippe, quomodo dictum ſit; Deum nemo uidit unquam, & quomodo Deum iuſti antiqui uiderint*. & in fine ſeptimi capitis dicens, quòd quidam viderunt Deum in ſpecie qua illis ipſe voluit apparere, non in natura propria, quòd ſi in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat, non tamen comprehenſiuè, eius enim comprehenſio omnes videntes latere dicit. Eo quia, *Aliud eſt uidere. Aliud eſt totum uidendo comprehendere.*

51 Reſpondet Vaſquez num. 15. quòd *quamuis hoc uerum ſit in uiſione corporali alicuius rei, in uiſione tamen clara diuinæ eſſentiæ, nunquam Auguſtinus hanc differentiam aſſignat*. Vaſquez.

52 Contra. Quia D. Auguſtinus loco citato ſupradictam diſtinctionem aſſignat, vt explicet verba illa D. Ambroſij, videlicet, D. Ambr. *Plenitudinem diuinitatis eius, nemo conſpexit, nemo mente, aut oculis comprehendit.* & docet, quòd quando Ambroſius ait, Deum non poſſe videri, loquitur non de pura, ac ſola viſione, ſed de ea quæ comprehenſiua dicitur. Idquè apertè eius verba declarant. *Viſus*, inquit, *ad utrumquè referendus eſt, ideſt, & ad oculos, & ad mentem. Porro, ſi propterea Deum nemo uidit unquàm, quia ſicut, ait, diſputatio cuius uerba conſideramus, plenitudinem diuinitatis eius, nemo conſpexit, nemo mente, aut oculis comprehendit.*

53 Confirmatur; Quia D. Auguſtinus dictam diſtinctionem ponit, immediatè poſt D. Aug. quàm hæc verba compleuerat. *Non quia Dei plenitudinem quiſquàm non ſolum oculis corporis, ſed uel ipſa mente aliquando comprehendit*. Ergo loquitur de vtraquè viſione, mentis, & corporis.

54 Et tom. 9. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 1. in principio. Sic ait. [Sciendum igitur, Deū nullis verbis propriè exprimi, nulla poſſe cogitatione comprehendi, quomodo enim immenſus, & incomprehenſibilis prædicaretur, ſi humanæ locutioni, vel meditationi includeretur? Nunc autem patet quàm ſit admirabilis, cum omnibus linguis ſit indicibilis, omnibus cordibus ſit incogitabilis.]

Reſpondet Vaſquez, num. 16. *De uiatoribus Auguſtinum loqui*.

55 Contra, Primò, Quia deinceps Diuus Auguſtinus cepti ſermonis de Dei ineffabilitate, atquè incomprehenſibilitate, proſequens probationem, & incipiens à Dialectica vſquè ad Animas, Angeloſquè beatos aſcendens probat Deum ab omnibus iſtis creaturis incomprehenſibilem eſſe.

56 Secundò, Quia D. Auguſtinus ibidem, à deſcriptione Animæ, & Angelorum, ad Deum gradatim aſcendens, de Deo loquens, ſic ait. *Deus ſpiritus, eſt eſſentia inuiſibilis, omni creaturæ incomprehenſibilis, &c.* Vbi inuiſibilitas, ab oculis corporalibus, & incomprehēſibilitas, reſpectu omnis creaturæ, tanquàm duo prædicata ad diuinam eſſentiam pertinentia ſtatuit, quorum vnum, Deum ſuper omnia corporea; Alterum verò ſuper omnia creata, eſſe demonſtrat. Non vocauit Deum incomprehenſibilem ab omni virtute naturali, dixit, ſed quòd eſt, *Omni creaturæ incomprehenſibilis*. Aliud enim eſt abſolutè

dicere,

Digitized by Google

dicere, Deus eſt *incomprehenſibilis omni creaturæ.* & aliud, Deus eſt incomprehenſibilis virtute naturali cuiuſcumquè creaturæ. Primum affirmare eſt impoſſibile, & non ſolùm ſecundùm; D. Auguſtinus autem vt ex verborum tenore conſtat, primo modo locutus eſt. Aliàs incomprehenſibilitas, non deberet vnum ex prædicatis quidditatis eius in ordine ad creaturas aſſignari.

Io. 1.

57 Idem docet tom. 10. de Verbis Domini ſerm. 38. exponens illud Ioa: 1. *In principio erat Verbum*, vbi ſic ait. *Dictum eſt, & Deus erat Verbum, de Deo loquimur, quid mirum ſi non comprehendis? Si enim comprehendis non eſt Deus;* & poſt non multa. *Quid ergo*, inquit, *de illo Verbo fratres dici poteſt? Ecce de corporibus dicimus ſubiacentes oculis noſtris, non illa poſſunt comprehendere aſpectu; Quis ergo oculis cordis comprehendit Deum? ſufficeret ut attingat, ſi purus eſt oculus; Si autem attingit, tactu quodam attingit incorporeo, & ſpiritali, non tamen comprehendit, & hoc ſi purus eſt; & homo fit beatus contingendo corde illud quod ſemper beatum manet, & eſt illud ipſa beatitudo perpetua, & Unde fit homo Uiuens Uita perpetua, &c.*

Vaſquez.

58 Reſpondet Vaſquez numero eodem, ſicut ſupra, nempè D. Auguſtinum loqui de Viatore.

Contra. Quia .l. in præcedentibus de Viatore loquatur, tamen in verbis præcitatis loquitur de homine beato, vt patet, & ea quæ in ſui confirmationem affert, ſequenti capite diſſoluemus.

59 Et tomo 3. de Geneſi ad litteram lib. 4. cap. 6. in fine capitis, ſic ait. *Quamquam, & ſi corda mundiſſima, & mentes ſimpliciſſimas gereremus, ſanctiſquè Angelis, iam eſſemus æquales, non utiquè nobis, ita eſſet nobis nota diuina ſubſtantia, ſicut ipſa ſibi.* Quid clarius dici poteſt?

Vaſquez. D. Aug.

60 Reſpondet Vaſquez, num. 18. quòd quando Diuus Auguſtinus ait, *non Utiquè ita eſſet nobis, &c. ſicut ipſa ſibi*, ſic debet intelligi; quia Deus *Sic ſe nouit, ut inueniat ſe eſſe quod nouit; anima* autem humana beata, *ita nouit Deitatem, ut Deitas non ſit.*

61 Contra primò, Quia licet ſit vera dicta diſparitas, oportet recurrere ad radicem, quare ſcilicet, Deus ſic ſe nouit, vt inueniat ſe eſſe quod nouit; Anima verò non item; & eſt, quia Deus ſe nouit quantùm cognoſcibilis eſt. Ergo infinitè; & conſequenter cognitione infinita, quæ eſt ipſe Deus: At verò anima cognoſcens Deum, non niſi finitè cognoſcit. Ergo non eſt Deus quem cognoſcit.

62 Secundò, Quia loco iam relato, Diuus Auguſtinus inueſtigat, quomodo Deus omnia diſponit; & dicit quòd ea cognoſcit, in ſe, quia ſcilicet, ita ſe ipſum perfectè cognoſcit, vt in ſe ipſo omnia alia à ſe cognoſcat; ſic enim ait. *Quo ergo modo iſta cernebat, ut ita diſponeret? Quo, niſi eo quo ſolus poteſt?* Et deinde ſubdit, *Verum tamen nos mortales, & peccatores, quorum animas aggrauant corpora corruptibilia, & quorum ſenſum multa cogitantem terrena deprimit cogitatio, quamquam & ſi corda mundiſſima, & mentes ſimpliciſſimas gereremus, ſanctiſquè Angelis, &c.*

63 Et tom. 9. in lib. Meditationum cap. 29. ſic ait. *Et ideo certum eſt corporeis oculis te non poſſe ſpectari, ſed nec ab ullo mortalium in propria eſſentia aliquando potuiſſe uideri. Hinc etenim patenter datur intelligi, quòd unde Angeli te intuentur, inde & nos poſt hanc uitam te uidebimus; ſed nec ipſi profectò te uidere poſſunt ſicuti es, nulli deniquè alij tota, niſi tibi ſoli nota eſt omnipotens Trinitas.* Hæc ille.

64 Et in libro Soliloquiorum cap. 31. circa medium in eodem tom. 9. ad Deum verſus ſic locutus eſt; *Quis tu? Tu Domine Deus meus, uerus, & ſolus omnipotens, & æternus, & incomprehenſibilis, & immenſus, qui ſemper uiuis, & nihil moritur in te, immortalis enim es habitans æternitatem, mirabilis oculis Angelorum, inenarrabilis, inperſcrutabilis, & innominabilis.* & non poſt multa, ſic ſubdit. *Quid eſt quod dixi, cognoui te? Nonne tu es Deus incomprehenſibilis, & immenſus?* & paulò poſt. *Nonne tu es ſolus tui ipſius maximus cognitor, & mirabilis contemplator?* Et paucis interiectis, *Sola*, inquit, *Trinitas tua, ſoli ſibi integrè nota eſt*, & poſt pauca. *Non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro ſuper eſſentialiter, ſuper intelligibiliter eſſe dignoſceris, quoniam ſupereminentiali, & occulta diuinitate ſuper omnem rationem, intellectum, & eſſentiam inacceſſibiliter habitas in te ipſo, ubi lux inacceſſibilis, & lumen inperſcrutabile, & incomprehenſibile, & inenarrabile: Ad quod non attingit aliquod lumen, quoniam incontemplabile, & inuiſibile, & ſuperrationale, & ſuperintelligibile, & ſuperinacceſſibile, & ſuperincommutabile, & ſuperincommunicabile creditur, quod nullus unquàm Angelorum, uel hominum uidit, ſed nec uidere poteſt.* & paulò poſt, ſic ait, *Hoc enim eſt Cælum Cæli Domino, quia nulli notum niſi Domino.* & poſt pauca. *Soli quidem tibi Trinitas integrè nota eſt. Trinitas Sancta, Trinitas ſupermirabilis, & ſuperinſcrutabilis, & ſuperinacceſſibilis, & ſuperincomprehenſibilis.*

65 Reſpondet Vaſquez num. 18. primò. *Hos libros non eſſe Auguſtini, magis certum eſt.* Vaſquez.

66 Reſpondet ſecundò, explicando huiuſmodi loca de cognitione Dei per vires naturæ, ita vt ſenſus ſit, quòd *clarè non poſſit tota Trinitas naturaliter ab aliquo, niſi à ſe ipſa uideri.*

67 Reſpondet tertiò, explicando ſupradicta loca, eo modo quo locum de Geneſi ad litteram explicauerat, nempè quòd Trinitas *ab alijs non ita perfectè poſſit videri ſicut à ſe ipſa*. Quia ipſa cognoſcens, eſt idem quod ipſamet cognita.

Contra primam reſponſionem arguitur, Quia quando nullum adeſt firmum aliorum Doctorum fundamentum, non poteſt rationabiliter dici, aliquem librum non eſſe illius Doctoris, cui cõmuniter adſcribitur. Hic enim reſpondendi modus, facilè omnia argumenta ex authoritate prompta diſſoluit.

68 Contra ſecundam, Eadem verba D. Auguſtini ſtrepere non deſinunt. Etenim D. Auguſtinus ait, quòd ſola Trinitas ſibi integrè nota eſt, taliter quòd nullus Angelorum vnquàm vidit, nec videre poteſt.

69 Contra tertiam, ſimiliter, Quia Auguſtinus ait, quòd Trinitas ſoli ſibi integrè nota eſt; & deinde eam tanquam ſuperincomprehenſibilem, veneratur; qui loquendi modus non eò tendit, vt ſolùm demonſtret nullam inter Deum cognoſcentem, & ſe ipſum cognitum eſſe differentiam, ſed potius ad oſtendendam eiuſdem diuinæ Maieſtatis ſuperexcedentem cognoſcibilitatem, veluti omnino inadæquabilem intellectiuitati creatæ.

70 Tandem eſt alius cœteris præſtantior in D. Auguſtino locus, nam tom. 3. in quæſtiunculis de Trinitate, quæſtiuncula 14. vbi interrogatio eſt iſta. *Quomodo Beatus Ioannes Euangeliſta dicit, Deum nemo vidit vnquam, & ipſe Dominus in alio loco, Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt, & Apoſtolus inuiſibilem Deum dicit*. ſic reſpondet. *Videri enim poteſt Deus, ideſt intelligi ſecundùm ſuæ donum gratiæ, ſiuè ab Angelis, ſiuè ab Animabus Sanctorum, plenam verò diuinitatis naturam, nec Angelus quilibet, nec Sanctorum aliquis perfectè intelligere poterit, Ideo incomprehenſibilis dicitur Deus*. Hęc ille. D. Aug. Teſtimonium eſt pluſquàm clarum, & niſi Vaſquez, ſe non vidiſſe diſſimulare voluit, vidiſſe tenebatur, dum de mente Auguſtini alia expendit teſtimonia dicens, D. Auguſtinum loqui de viatoribus, aliquando viribus naturæ, & aliquando negando illorum librorum Authorem fuiſſe Auguſtinum.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam, omnia in Deo videant.

FORMATIO ARTICVLI.

Corporis diſtributio conſiſtit in vnica concluſione negatiua, eiuſquè vnica probatione & in vno corollario.

li. 4. dial. c. 43 & li. 2. mor. c. 3

Concluſio eſt iſta. *Intellectus creatus videndo diuinam eſſentiam, non videt in ipſa omnia, quæ facit Deus, vel facere poteſt*.

Probatio eſt iſta. *Ille intellectus poteſt cognoſcere omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuũ, qui cauſam totaliter comprehendit: ſed nullus intellectus creatus videndo Deum poteſt cognoſcere omnia, quæ Deus facit, vel poteſt facere. Ergo. Minor patet. Quia hoc eſſet comprehendere eius virtutem. Maior probatur. Quia quantò aliqua cauſa perfectius videtur, tantò plures eius effectus in ipſa videri poſſunt. Ergo ille intellectus, &c.* Antecedens probatur, ac manifeſtatur ſic. *Qui enim habet intellectum eleuatum, ſtatim vno principio demonſtratiuo propoſito, ex ipſo multarum concluſionum cognitionem accipit. Quod non conuenit ei, qui debilioris intellectus eſt, ſed oportet, quòd ei ſingula explanentur.* Conſe-

AD Octauũ ſic proceditur. Videtur, quod videntes Deũ per eſſentiam, omnia in Deo videant. Dicit enim Greg. in quarto dialog. Quid eſt, quod non videant, qui videntem omnia vident? ſed Deus eſt videns omnia. Ergo qui vident Deum, omnia vident.*

Item. Quicumquè videt ſpeculum, videt ea, quæ in ſpeculo reſplendent. Sed omnia, quæcumquè fiunt, vel fieri poſſunt, in Deo reſplendent, ſicut in quodam ſpeculo; ipſe enim omnia in ſeipſo cognoſcit. Ergo quicumquè videt Deum, videt omnia, quæ ſunt, & quæ fieri poſſunt.

2 Præterea. Qui intelligit id, quod eſt maius, poteſt intelligere minima, ut dicitur † tertio, de Anima. Sed omnia, quæ Deus facit, vel facere poteſt, ſunt minus, quàm eius eſſentia. Ergo quicumquè intelligit Deum, poteſt intelligere omnia, quæ Deus facit, vel facere poteſt.

libr. 3. de anim.

3 Præterea. Rationalis creatura omnia naturaliter ſcire deſiderat; ſi igitur videndo Deum, non omnia ſciat, non quietatur eius natu-

ſequentia autem principalis probatur. *Quia manifeſtum eſt, quòd ſic aliqua videntur in Deo, ſecundùm quòd ſunt in ipſo: ſed omnia alia ſunt in Deo, ſicut effectus ſunt virtute in ſua cauſa.*

Corollarium autem eſt iſtud. *Horum, quæ Deus facit, vel facere poteſt, tantò aliquis* c.7 à me. *intellectus plura cognoſcit, quantò perfectius Deum videt.* Hoc ſpecialiter non probat, ſed ex prædictis manifeſtè deducit.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorem, quæ eſt D. Gregorij D.177. authoritas. *Quid eſt quod non videant, quò ad ſufficientiam obiecti viſi*, ſufficienter omnia continentis, concedit maiorem, & in hoc ſenſu locutus eſt D. Gregorius. Quid eſt quod non videant de facto, negat maiorem: & in hoc ſenſu non locutus eſt D. Gregorius. Tunc cõceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundum reſpondet, diſtinguendo maiorem. Quicumquè videt ſpeculum comprehenſiuè, videt ea quæ in ſpeculo reſplendent, concedit maiorem: Quicumquè videt ſpeculum non comprehenſiuè,

turale deſiderium.

Et ita uidendo Deum non erit beata; quod eſt inconueniens. Videndo igitur Deum omnia ſcit.

Sed Contra eſt, quòd Angeli uidẽt Deum per eſſentiam, & tamen non omnia ſciunt. Inferiores enim Angeli purgantur à ſuperioribus à neſcientia; ut dicit Dionyſ. † 7. capit. Cæleſt. Hierarch. Ipſi etiam neſciunt futura contingentia, & cogitationes cordium. Hoc enim ſolius Dei eſt. Nõ ergo quicumquè uident Dei eſſentiam, uident omnia.

Reſpondeo. Dicendum, quòd intellectus creatus uidendo diuinam eſſentiam non uidet in ipſa, omnia quæ facit Deus, uel facere poteſt.

Manifeſtum eſt enim, quod ſic aliqua uidentur in Deo, ſecundùm quòd ſunt in ipſo. Omnia autem alia ſunt in Deo, ſicut effectus ſunt uirtute in ſua cauſa.

Sic igitur uidentur omnia in Deo, ſicut effectus in ſua cauſa. Sed manifeſtum eſt, quòd quantò aliqua cauſa perfectius uidetur, tantò plures eius effectus in ipſa uideri poſſunt. Qui enim habet intellectum eleuatum, ſtatim uno principio demonſtratiuo propoſito, ex ipſo multarum concluſionum cognitionem accipit.

Quod non conuenit ei, qui debilioris intellectus eſt, ſed oportet, quòd ei ſingula explanentur. Ille igitur intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui cauſam totaliter ar. præc. *comprehendit.*

*Nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere poteſt, * ut oſtenſum eſt. Nullus igitur intellectus creatus uidendo Deum, poteſt cognoſcere omnia, quæ Deus facit, uel poteſt facere.*

Hoc enim eſſet comprehendere eius uirtutem. Sed horum, quæ Deus facit, uel facere poteſt, tantò aliquis intellectus plura cognoſcit, quantò perfectius Deum uidet.

Ad primum ergo dicendum, quòd Greg. loquitur quantùm ad ſufficientiam obiecti, ſcilicet Dei, quod quantùm in ſe eſt, ſufficienter continet omnia, & demonſtrat. Non tamen ſequitur, quòd unuſquiſquè uidens Deum, omnia cognoſcat, quia non perfectè comprehendit ipſum.

Ad ſecundum Dicendum, quòd uidens ſpeculum, non eſt neceſſarium, quòd omnia in ſpeculo uideat, niſi ſpeculum uiſu ſuo comprehendit.

Ad tertium Dicendum, quòd licet maius ſit uidere Deum, quàm omnia alia; tamen maius eſt uidere ſic Deum, quòd omnia in eo cognoſcantur, quàm uidere ſic ipſum, quòd non omnia, ſed pauciora, uel plura cognoſcantur in eo. Iam enim † oſtenſum eſt, quòd multitudo cognitorum in Deo, conſequitur modum uidendi ipſum, uel magis perfectum, uel minus perfectum.

*Ad Quartum Dicendum, quòd naturale deſiderium rationalis creaturæ eſt ad ſciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc ſunt ſpecies, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo uidebit quilibet uidens eſſentiam diuinam. Cognoſcere autem alia ſingularia, & cogitata, & facta eorum, non eſt de perfectione intellectus creati; nec ad hoc eius naturale deſiderium tendit; nec iterum cognoſcere illa, quæ non dum ſunt, ſed fieri à Deo poſſunt. Si tamen ſolus Deus uideretur, qui eſt fons, & principium totius eſſe, & ueritatis, ita repleret naturale deſiderium ſciendi, quòd nihil aliud quæreret: & beatus eſſet. Vndè dicit * Auguſt. quinto, confeſſ. Infelix homo, qui ſcit omnia illa, ſcilicet creaturas: te autem neſcit, Beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat.*

Qui uerò te, & illa nouit, non propter illa beatior eſt: ſed propter te ſolum beatus.

negat maiorem. Tunc admiſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium reſpõdet admiſſa maiori, diſtinguendo minorem, ſed omnia quæ Deus facit, vel facere poteſt ſunt minus quã eius eſſentia, ſecundùm quòd proponitur, concedit minorem; ſecundùm quòd ab arguente intenditur, negat minorem. Ergo, &c. negat conſequentiam.

Vbi aduerte, quòd minor propoſitio vt iacet, veriſſima eſt: attamen ab arguente ſic intelligitur, ſed minus eſt videre omnia alia à Deo, quàm ipſum Deum, vt rectè inſinuat D. Thomas, dum reſpondens ad minorem ait, *quòd licèt maius ſit videre Deũ, quàm omnia alia,* in cor. ar. *tamen maius eſt videre ſic Deum, quòd omnia in Deo cognoſcantur, quàm videre ſic ipſum, quòd non omnia, ſed pauciora, vel plura cognoſcantur in eo.*

Ad quartum reſpondet diſtinguendo antecedens; Rationalis creatura omnia illa quæ pertinent ad D.177. perfectionem intellectus, ſcire deſiderat, concedit antecedens. Omnia vniuerſaliter, & abſolutè, negat antecedens.

SVPER

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRO tituli intelligentia eſt obſeruandum, quòd quamuis eorum quæ ſunt in Deo, quædam ſint in ipſo formaliter; quædam autem virtualiter, & perconſequens ly, *omnia*, vtroquè modo poſſet intelligi; tamen quia quò ad ea, quæ formaliter ſunt in Deo, articulo præcedenti ſatisfactum eſt, ideo, vt ex diſcurſu articuli conſtat, ly *omnia* accipitur pro ijs quæ virtualiter tantum, ſunt in Deo, mediatè, vel immediatè.

2 Concluſio D. Thomæ eſt de fide certa, vt patet ex pluribus Sacræ Scripturæ teſtimonijs, in quibus Beatis ſpiritibus aliquorum obiectorum neſcientia declaratur; Vnde Pſalm. 23. Spiritus Angelici dicunt, *Quis eſt iſte rex gloriæ?* & Marci 13. dicit Chriſtus Dominus, quòd *de die illo nemo ſcit, nequè Angeli Dei, &c.*

Pſal. 23. Marci. 13.

3 *Sic aliqua uidentur in Deo, ſecundùm quòd ſunt in ipſo*. Dubium occurrit. Quia ſequeretur, quod Deus non cognoſceret creaturas exiſtentes extra ipſum; quod eſt falſum, & & contra illud Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*. Probatur ſequela. Quia creaturæ exiſtentes in propria menſura non conſiderantur ſecundùm quòd ſunt intra Deum, ſed ſecundùm quòd extra ipſum exiſtunt.

Geneſ. 1.

4 Reſpondetur explicando prius D. Thomæ propoſitionem, ex cuius explicatione nulla eſt dubitationis occaſio. Quando D. Thomas ait, quòd *ſic aliqua videntur in Deo, ſecundùm quòd ſunt in ipſo* ly, *ſic*, & ly, *ſecundùm quòd*, non ſumitur ligitur quantùm ad modum proprium exiſtendi rei cognitæ; quoniam hic exiſtendi modus rei creatæ eſt extra Deum exiſtere, ſeù in propria menſura eſſe, ſed intelligitur, quatenus ſignificat modum eſſendi cognoſcentis, & ſenſus eſt, quod licet res creata ſit aliquid extra Deum, tamen cum in omnibus ſuis modis ſit dependens à Deo, & Deus in omnium rerum cognitione, non incipiat à rebus, ſed à ſe ipſo, vt quæſt. 14. dicemus, ideo nulla eſt cōtra D. Thomam dubitatio, quoniam res creata licet ſit extra Deum quò ad propriam eius exiſtentiam, tamen continetur in Deo tanquàm in cauſa, & ſic Deus cognoſcens ſe ipſum immediatè tanquàm creaturarum cauſam, cognoſcit quoquè creaturas. Hoc autem iam, iam amplius declarabitur.

Omnia autem alia ſunt in Deo, ſicut effectus ſunt uirtute in ſua cauſa.

5 Contra. Sed non ſolùm hoc, quia ſunt in Deo tanquàm in ſpeculo voluntario. Ergo malè, vel diminutè locutus eſt D. Thomas.

6 Reſpondetur cum communi ſententia Thomiſtarum; quòd D. Thomas loquitur de modo eſſendi, qui propriè competit Deo reſpectu creaturarum: eſſe autem in Deo creaturas tanquàm in ſpeculo, methaphoricè dicitur; Deus enim eſt verè, & propriè creaturarum cauſa, cum verè, & propriè eas in eſſe producat. Non autem eſt verè, & propriè creaturarū ſpeculum. Cum creaturæ ſui ſpecies in eſſentiam diuinam non immittant. Videatur Caietanus hìc.

7 *Manifeſtum eſt quòd quantò aliqua cauſa perfectiùs uidetur, tantò plures eius effectus in ipſa uideri poſſunt.*

Et inſuper. *Sed horum quæ Deus facit, uel facere poteſt, tantò aliquis intellectus plura cognoſcit, quantò perfectius Deum uidet.*

8 Dubium in primis occurrit. Quia ſi tantò aliquis intellectus plura cognoſcit, quātò perfectiùs Deum videt, videtur eſſe inextricabile in via D. Thomæ, quomodo ſcilicet, ſuſtineri poſſit, quòd quilibet Beatus videt in Verbo omnia, quæ ad eius ſtatum pertinent. Nam poteſt eſſe aliquis minus Beatus ad quem plura pertineant, quàm ad magis Beatum. V.G. poteſt eſſe, quòd aliquis Summus Pontifex ſit Beatus, minus tamen Beatus quàm cœteri alij Sancti, ad quorum ſtatum minora, & multò pauca pertinent. Ergo vel dicendum eſt, quòd minus Beatus eſſet beatior, quàm magis Beatus, vel quòd falſa ſit D. Thomæ doctrina, nempè, quòd tantò aliquis intellectus plura cognoſcit, quantò perfectiùs Deum videt.

9 Secundò. Quia ex prima propoſitione, D. Thomas non rectè deducit intentum, quia licet vera ſit, nihilominus ad eius intentum nullatenus conferre videtur; non enim ſequitur, quòd ea ſuppoſita, qui plures effectus videt in cauſa, perfectiùs debeat cauſam intueri.

10 Prior difficultas, Theologos ſolet ita turbare, vt multi multa dicant, pauci autem attendant, vt ſaluent propoſitionis D. Thomæ rigoroſam veritatem, qui tamen nec argumenta ſoluunt, nec mentem D. Thomæ percipiunt.

11 Mihi autem dicendum occurrit, relictis aliorum dicendi modis, quòd omnes creaturæ tam poſſibiles, quàm in aliqua differentia temporis exiſtentes, cognoſcuntur in Deo tanquàm in cauſa; poſſibiles quidem tanquàm in cauſa factiua, ſeù productiua; exiſtentes autem in aliqua temporis differentia, tanquàm in cauſa faciente, ſeù producente, gubernante, conſeruante, &c. & ſemper quantò plures effectus cognoſcuntur in Deo tanquàm in cauſa, tantò perfectiùs cognoſcitur Deus.

Cum

Cum hoc tamen diſcrimine; quia cognoſcens plures creaturas poſſibiles in Deo, perfectiùs intenſiuè cognoſcit Deum; eò quia perfectiùs penetratiuè contemplatur eum: cognoſcens verò plures effectus in aliqua temporis differentia exiſtentes, perfectiùs cognoſcit Deum, non intenſiuè, ſed extenſiuè; eò quia non penetratiuè, plures huiuſmodi creaturas cognoſcit, ſed eas videt in Deo tanquàm in cauſa liberè ſe determinante, & ſuæ diuinæ voluntatis decretum oſtendente; qua explicatione poſita, firma, & inconcuſſa manet D. Thomæ doctrina, & ratio dubitandi priori loco poſita, euaneſcit. Suppoſito enim, quòd beati vident in Verbo omnia exiſtentia in aliqua temporis differentia, quæ ad eius ſtatum pertinent, ſequitur quòd perfectiùs Deum videant, non intenſiuè, ſed extenſiuè. Ratio autem perfectioris eſſentialis beatitudinis, attenditur pœnes perfectiorem intenſiuam viſionis; non autem extenſiuam. Vnde aduerte, quòd D. Thomas non dixit, intenſius, ſed *perfectius* vident. Idquè eruditè obſeruauit Caietanus 1. 2. quæſt. 4. art. 5. vbi in alio ſimili, ſic ait. *Ad rationem ergo in oppoſitum dicitur, quòd eſt ibi ſophiſma conſequentis, à magis perfecta operatione, ad magis intenſam deſcendendo; Perfectum enim communius eſt, quàm intenſum.* Vnde in forma ad primum dubium. D. Thom. Caiet.

12 Reſpondetur, quòd ſuppoſita noſtra expoſitione, non ſolùm non videtur inextricabile in via D. Thomæ quomodo, &c. Sed iam extricatum eſt; & ad rationem dubitandi reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia videns in Deo plures effectus ſemper perfectius videt Deum, intenſiuè, vel extenſiuè, vt explicatum eſt.

Ad ſecundum dubium reſpondetur, negando ſequelam; quia dicere quòd ex perfectiori cognitione cauſæ, plura videntur in cauſa; & è contra, dicuntur ad conuertentiam;

13 *Ille igitur intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui cauſam totaliter comprehendit.* Hæc propoſitio dependet ex comprehenſionis ratione. *Illud enim comprehẽditur, quòd perfectè cognoſcitur*: Sed tunc perfectè cognoſcitur cauſa, quando omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuum cognoſcuntur in cauſa. Ergo.

Ex hac quoquè doctrina rectè colligitur, quòd Deus ideo ab intellectu creato comprehendi non poteſt, quia omnia poſſibilia ab intellectu creato in Deo cognoſci non poſſunt.

14 Dices. Si per impoſſibile, poſſibilia non eſſent infinita, ſequeretur, quòd Deus eſſet comprehenſibilis: ſed hoc non eſſet admittendum. Ergo. Probatur ſequela. Quia ad cognoſcendum in Deo multitudinem finitam obiectorum, non requiritur virtus infinita, ſed ſufficit virtus finita; Sed huiuſmodi virtus finita non repugnat intellectui creato. Ergo. Probatur minor. Quia ſi poſsibilia eſſent finita, adhuc Deus eſſet infinitus, & conſequenter infinitè cognoſcibilis. Ergo ex cognitione omnium poſſibilium in Deo, nõ rectè arguitur comprehenſibilitas eius.

15 In aſſignanda diuinæ incomprehenſibilitatis ratione, variant Theologi, & nonnulli variaſſe quoquè dicunt D. Thomam, dicentes, quòd in præcedenti articulo aſsignauit vnam rationem, nempè, quia Deus non eſt perfectè ab intellectu creato cognoſcibilis, & conſequenter ideo non eſt comprehenſibilis, quia non eſt infinitè ab intellectu creato viſibilis; Et in præſenti articulo aliam rationem adduxit, nimirum quia non poſſunt in Deo cognoſci omnes effectus poſsibiles. D. Thom.

16 Verùm licet varij fuerint Theologi in hac re, vnam rationem ſectantes, & alteram impugnantes; D. Thomas tamen, firmiter vnam adduxit rationem, & eſt iſta, quia ſcilicet, Deus non perfectè cognoſcitur: & ratio quam in præſenti adduxit articulo, eſt explicatiua præcedentis, quaſi diceret, tunc Deus perfectè, & infinitè cognoſcitur, quando in eo omnes effectus poſsibiles (qui infiniti ſunt,) omnimodè cognoſcuntur.

17 Ad rationem autem dubitandi, reſpondetur, concedendo ſequelam, imo totum in argumento aſſumptum, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia nos loquimur de Deo vero, & argumentum proponitur de Deo impoſsibili. Dato enim caſu, quòd non eſſent infinita poſsibilia, eſſet alius Deus, ab eo qui verè modo eſt, & conſequenter de illo impoſsibili Deo, eſſet de illius incomprehenſibilitate alius dicendi modus, quia videlicet Deus non poſſet ab intellectu creato infinito lumine, infinitaquè viſione videri, ideo comprehendi non poſſet; modo autem, quia infinita ſupponimus eſſe poſsibilia, dicimus, quòd tunc infinitè cognoſcitur, quando in eo infiniti effectus poſsibiles cognoſcuntur.

18 *Naturale deſiderium rationalis creaturæ eſt ad ſciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc ſunt ſpecies, & genera rerum, &c.* Vbi habes, quòd quilibet Beatus videbit in Deo omnia rerum genera, ſpecies, & rationes earum, ad hoc vt naturale deſiderium per viſionem beatificam impleatur.

19 *Cognoſcere,* &c. *non eſt de perfectione intellectus creati.* Non eſt ſenſus, quòd non ſit perfectio ſingularia cognoſcere. Sed ſenſus eſt, quòd intellectus creati natura,

dictam

dictam non poſtulat perfectionem.

19 Hinc ſequitur, quòd quilibet Beatus in Deo videbit omnia quæ ad ſuum ſtatum pertinent; quæ autem ſint, quæ ad ſtatum beatificum pertinere dicantur, diſcurre pro diuerſorum beatorum qualitate, & officio.

20 Pro conſumata huius articuli intelligētia, multæ ſolent à Doctoribus diſputationes longiſſimè pertractari. Vtrum ſcilicet creaturæ cognoſcantur in Deo tanquam in Idea, Vtrum tanquàm in cauſa, Quomodo cognoſcantur decreta diuina, & creaturæ in aliqua temporis differentia exiſtentes, & alia ad diuinam incomprehenſibilitatem pertinentia, quæ in 2. tomo quæſt. 14. artic. 2. & 13. ex profeſſo à nobis diſputabuntur.

21 Diſputationibus autem duabus immediatè ſequentibus, inueſtigabimus, Vtrum diuinitus fieri poſſit, quòd videatur diuina eſſentia, non viſis omnibus attributis, eiuſq; perſonalitatibus; Non quia ſic doctrina articuli petit, quoniam loquitur tantummodo de ijs quæ ſunt aliud à Deo; Sed quia ea quæ ſunt in Deo quædam formaliter, quædam autem virtualiter ſunt in eo, ideo, relictis quæ virtualiter ſunt in Deo, inquirimus, de ijs quæ formaliter ſunt in ipſo.

DISPVTATIO XCIII.

VTRVM POSSIT INTVITIVè VIDERI DEI ESSENTIA, non viſis eius attributis.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 PRo tituli intelligentia, præſupponendum eſt, eſſentiam Dei, in præſenti accipi pro aliqua formalitate, ab attributorum formalitatibus, aliquo modo diſtincta. Aliquo, inquam modo reali, eo modo quo Scotus exiſtimat eſſentiam Dei, eiuſquè attributa ex natura rei differre, Rationis verò, eo modo quo Thomiſtæ dicunt, eſſentiam, & attributa, ratione ratiocinata diſtingui. Ratio autem huius eſt; Quia ſi nullatenus eſſentia diuina eſt ab eius attributis diuerſa, non datur huic diſputationi locus. Eſſet enim quærere, Vtrum eſſentia poſſit intuitiuè videri, eadem eſſent a non viſa. Quærimus igitur, Vtrum eſſentia Dei quatenus eſt ab attributis aliquo modo diſtincta, poſſit videri, non viſis eius attributis.

Scotus. 2 Scotus affirmat, & vt melius loquar, Scotiſtæ affirmant, Scotus verò, licet de cognitione eſſentiæ in ordine ad eius attributa non affirmet expreſsè; conſequenter tamen ad eius doctrinam affirmat, quatenus ait, poſſe videri eſſentiam non viſis perſonis. Ita in 1. diſt. 1. quæſt. 7. §. *quantùm ad iſtum articulum*. Rada controuerſia 6. Rada.
Baſſolus in 3. diſtinct. 14. quæſt. 2. artic. 2. Baſſolus
§. *contra tertiam*, qui tamen non abſolutè, ſed irreſolutè, ſeù dubitatiuè loquitur. Paludanus in 4. diſt. 49. quæſt. 5. artic. 3. Paludan.
ratione 2.

3 Negatiuam verò partem ſuſtinent communiter Theologi præter citatos. Ita D. D.Thom.
Thom. hic, ad 2. & 3. & 2. 2. quæſt. 2. ar. 8. D.Bonau.
Sanctus Bonauentura in 3. diſt. 14. artic. 1. Henricus.
Henricus quodlib. 2. quæſt. 4. & quodlib. Adam.
13. quæſt. 1. Adam in 1. diſt. 1. quæſt. 12. art. 1. concluſione 1. Argentina quæſt. 3. Argentin.
art. 2. ratione 5. & 6. Durandus in 4. diſt. Durand.
49. quæſt. 3. hanc eamdem ſententiam videtur præſupponere num. 5. circa principium vbi ait, quòd *intellectus videns diuinam eſſentiam ex natura talis viſionis, videt ea quę ſunt realiter in ipſa, vt ſunt perſonæ diuinæ, & relationes perſonarum, & modi emanationum*, idquè ait, *ſupponitur tanquàm clarum, quia*

viſa

Digitized by Google

Viſa clarè aliqua natura, videntur ea, quæ ſunt naturaliter in ipſa, ſed in eſſentia diuina ſunt perſonæ, & relationes earum, & origines, & modi emanationum. Ex quibus verbis cum alibi non dicat oppoſitum, videtur colligi, ſermonem extendere etiam ad omnipotentiam Dei abſolutam. Capreolus, in 4. diſt. 49. quæſt. 6. art. 3. ad argumenta Aureol §. *dicitur* 7. Riccardus, in 2. quæſt. 8. Maior, quæſt. 2. Caietanus, 2. 2. quæſt. 2. art. 8. ad 3. Sotus, in 4. diſtin. 49. quæſt. 3. artic. 3. concl. 2. Bañes hic, art. 7. dubitat. 2. Zumel, ibidem diſputatione 2. Molina, in hoc articul. diſputatione 4. Suarez 1. p. Summæ Theologiæ, tract. 1. lib. 2. cap. 22. num. 8. & cap. 23. Valentia puncto 6. quæſtiunc. 2. ad 1. Vaſquez diſputatione 48. cap. 2. Salas, 1. 2. tract. 2. diſputatione 4. ſectione 2. Becanus, tract. 1. cap. 9. quæſt. 12. num. 2. & 4. Nazarius articul præcedenti controu. 1. & 2. Arrubal, diſp. 24. cap. 1. Gabrera 3. p. q. 10. ar. 2. diſp. 5. Medina 1. 2. q. 11. ar. 4. & 3. p. q. 3. art. 3. Conzalez hic diſp. 32. ſectione 1. Ioannes de S. Thoma, Collegiū Salmant. tract. 2. diſp. 7. dub. 1. Faſolus, hic dub. 2. Recup. lib. 6. q. 32. Machin, hic diſp. 19.

Capreol. Riccard. Maior. Caiet. Sotus. Bañes. Zumel. Molina. Suarez. Valent. Vaſquez. Salas. Becanus. Nazarius. Arrubal. Gabrera. Medina. Cōzalez. Ioa: de S. Thoma. Salmant. Faſol. Recup. Machi.

CAPVT SECVNDVM.

In quo cognitio intuitiua ſenſitiua, diſcriminatur à cognitione intuitiua intellectiua.

4 ANte huius diſputationis deciſionem, eſt obſeruandum, quòd viſio ſenſitiua, in multis à viſione intellectiua differt. Nam viſio ſenſitiua poteſt eſſe obſcura; viſio autem intellectiua eſt neceſſariò clara, ita vt implicet eſſe viſionem intellectiuam, & eſſe obſcuram. Ratio autem huius eſt; Quia viſio ſenſitiua ex triplici capite eſt obſcuritatis capax; Ex parte obiecti, Medij, & potentiæ. Ex parte quidem obiecti, poteſt eſſe obſcura, quando obiectum in ſe minimum habet de lucido, ſeu colorato, & potentia viſiua non eſt in ſummo intenſionis, ſeu perſpicacitatis. Ex parte medij, quando medium non eſt ſufficienter illuminatum, vel eſt improportionata diſtantia. Ex parte verò potentiæ, quando potentia eſt adeò debilis, & impedita, vt non obſtante obiecti claritate, medij illuſtratione, atquè proportionata diſtantia, ſit inſufficiens, clarè obiectum intueri; vt oculus noctuæ reſpectu Solis; vel oculus infirmus, liuore, vel aliquo alio humore grauatus: At verò viſio intellectiua, eò ipſo quòd viſio talis eſt, dicitur clara; quia obiectum intelligibile ſi intelligitur, & ita benè intelligitur, vt quamuis in ſe ſit minimæ entitatis, atquè intelligibilitatis, tamen intelligibiliter videri dicatur, incapax eſt, vt ex parte obiecti nuncupetur obſcura. Non ex parte medij repræſentantis, puta ſpeciei, quia ſpecies intelligibilis repræſentat obiectum ſicuti eſt: nequè ex parte medij ſitualis, quia ſupponimus obiectum eſſe ſufficienter, ac proportionatè intra intellectum præſens. Nequè tandem ex parte potentiæ; quia ſupponimus potentiam ſufficienter eſſe illuſtratam, aliàs non diceretur videre.

5 Ex quo ſequitur, quòd omnis potentiæ viſiuæ cognitio, dicitur viſio ſiuè clara ſit, ſiuè obſcura; potentiæ verò intellectualis viſio, non dicitur qualiſcūquè intellectualis cognitio, ſed cognitio intellectus diſtincta, & clara, rei exiſtentis, vt exiſtentis, non ratione diſcurſus.

6 Et in caſu noſtro clarius hoc apparet; Etenim Dei intuitio, ex nullo capite poteſt dici obſcura. Non quidem ex parte obiecti, quod eſt ipſa intellectualis claritas per eſſentiam. Non ex parte luminis gloriæ, quod eſt claritatis intellectualis per eſſentiam, immediata participatio, ratione cuius, eò ipſo quòd per tale lumen, obiectum cognoſcitur, non obſcurè, ſed clarè videtur.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

7 PRo determinatione veritatis, Dico breuiter. Implicat contradictionē videri eſſentiā Dei, nō viſis omnib' eius attributis. Probatur primò hoc dictum authoritate Sacræ Scripturæ. Dicitur enim Ioannis 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Ioan. 14. Quæ verba, ſanè noſtram indicant concluſionem. Per hoc enim quòd Xp̄s Dn̄s dixit, *Qui videt me, videt & Patrem* manifeſtè explicat de facto omnes beatos videre eſſētiā ſimul, & perſonas. Per hoc autem quòd ſequitur; *non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt*, manifeſtè declarat, oppoſitū euenire non poſſe, & hoc etiam ſpectat ad diſput. ſeq. Ergo ſi nō poteſt videri Pater Æternus, quin videatur Filius, & è cōtra, multò fortiùs deducitur, nō poſſe videri eſſētiā, quin cętera eius attributa videantur. Patet iſta conſequentia. Quia ideo videns Filium viſione intellectuali, debet videre Patrē, & è contra; quia Filius, & Pater vnū ſunt in eſſētia, licet perſonaliter diſtinguātur; ſed eodē prorſus modo attributa diuina cū eſſētia ſūt vnū, abſq; eo quòd ad inuicem aliqua reali differentia diſtinguantur. Ergo.

8 Confirmatur authoritate Diui Thomæ 2. 2. quæſt. 2. art. 8. ad 3. vbi ſic ait; *Summa* D. Thom.

ma bonitas Dei ſecundùm modum quo nunc intelligitur per effectus , poteſt intelligi abſquè Trinitate perſonarum : ſed ſecundum quòd intelligitur in ſe ipſo, pro ut videtur à Beatis , non poteſt intelligi ſine Trinitate perſonarum , & 3. p. quæſt. 3. art. 3. ait eſſe *impoſſibile , quòd ſi cognoſcitur Deus ſicuti eſt , circumſcribatur per intellectum aliquid à Deo , & quòd aliud remaneat ; Quia totum quod eſt in Deo, eſt vnum ſalua diſtinctione perſonarum* . Vbi quamuis D. Thomas loquatur de cognitione eſſentiæ in ordine ad perſonas , nihilominus fundamentum conſiſtit in vnitate inter eſſentiam,& perſonas. Ergo .

9 Probatur ſecundò. Quia eſſentia diuina, & attributa illius ſunt vna ſimpliciſſima entitas realiter formaliter, formalitate rei . Ergo videns intuitiuè eſſentiam , implicat quin videat omnia eius attributa . Antecedens ſupponitur hìc, tanquàm omninò verum , contra Scoticam doctrinam, aſſerentem, eſſentiam , eiuſquè attributa diſtingui realiter formaliter,ſeù ex natura rei ; probabitur autem infra. Probatur conſequentia . Quia ſi poſſet intuitiuè videri eſſentia non viſis attributis, viſio eſſet , & non eſſet viſio , quod implicat ; aut dicendum eſt , eſſentiam,& attributa illius, non eſſe vnum realiter,vt in antecedenti aſſeritur . Ergo . Probatur ſequela. Quia eſſet viſio, per hoc quòd ſic ſupponitur. Non verò eſſet viſio ; Quia vnum abſtraheretur ab alio,non quidem abſtractione reali , vt in antecedenti ſupponitur,ſed abſtractione rationis.Nam quæ ſunt vnum,& idem in re,ita ſe habent, quòd ſi cognitio terminatur ad vnum,non verò ad alterum , cognitio eſt abſtractiua vnius ab altero , vel vnum realiter non eſt alterum : ſed in caſu noſtro cognitio terminaretur ad vnum,& non ad alterum, & vnum ex natura rei non diſtinguitur ab altero. Ergo non eſſet viſio , vel eſſentia diuina eiuſquè attributa, non ſunt vna ſimpliciſſima entitas realiter formaliter ex natura rei .

10 Confirmatur . Si poſſet videri eſſentia non viſis eius attributis , intellectus præſcinderet eſſentiam ab attributis : ſed hoc eſt contra eſſentialem rationem cuiuſcunquè intuitionis. Ergo implicat videri eſſentiam Dei,non viſis eius attributis, Probatur ſequela . Quia hoc eſt præſcindere vnum prædicatum ab alio , apprehendere vnum,non apprehendendo aliud per eamdem potentiam apprehenſibile: ſed in caſu noſtro apprehenderetur eſſentia Dei ab intellectu , non autem apprehenderentur eius attributa per eumdem intellectum apprehenſibilia . Ergo intellectus videns eſſentiam Dei , non verò eius attributa , præſcinderet eſſentiam ab attributis.Minor eſt euidens . Quia cognitio præciſiua eſt omninò contradiſtincta à cognitione intuitiua .

11 Dixi, præſcindere non eſſe aliud niſi apprehendere vnum , non apprehendendo aliud , per eamdem potentiam apprehenſibile . Quia ſi vnum non ſit per eamdem potentiam apprehenſibile , ſaluaretur vtiquè cognitio intuitiua cum apprehenſione vnius , & non alterius . Nam viſio ſenſitiua qua apprehenditur color , non apprehenſo ſapore in pomo , eſt intuitiua , non præciſiua . Eò quia ſapor non eſt apprehenſibilis à potentia viſiua ; cum ſit extra latitudinem ſui obiecti adæquati .

12 Et quia poſſet dici, ſaporem,& colorem realiter formaliter diſtingui , imo realiter ſicuti res à re ; ideo ſit aliud exemplum . Albedo V.G. eſt qualitas viſibilis, ſi tamen apprehendatur in ratione qualitatis ,non verò in ratione albedinis , ſeù in ratione talis qualitatis , puta viſibilis, quamuis albedo vt qualitas, & vt talis qualitas , ſint vna realitas, ac formalitas formalitate rei, talis apprehenſio eſſet abſtractiua , ſeù præciſiua , non intuitiua ; quia vtraquè ratio eſt ab intellectu apprehenſibilis .

13 Probatur tertiò . Viſio intuitiua Deitatis eſt neceſſariò clara ; & quidditatiua ; Ergo implicat videri eſſentiam non viſis eius attributis . Antecedens ſupponitur . Probatur autem conſequentia . Quia implicat clarè , & quidditatiuè Dei eſſentiam videri,& eius attributa ſibi identificata non intueri .

14 Fortius hæc ratio inſtauratur etiam contra Scotum ; & ſic argumentor . Videns clarè,& quidditatiuè eſſentiam Dei , aut per eamdem cognoſcit aliquo modo eius attributa,aut nullo modo. Si primum ; Aut cognoſcit intuitiuè , aut abſtractiuè . Si primum ; Ergo intentum . Si ſecundum contra primò . Ergo non eſſet omninò cognitio intuitiua , ſed partim intuitiua , & partim abſtractiua . Intuitiua quidem , quatenus terminaretur ad eſſentiam , abſtractiua verò , quatenus terminaretur ad attributa , quòd ſine vllo prorſus fundamento dicitur . Secundò . Quia implicat clarè , quidditatiuè, & intuitiuè videre eſſentiam , & obſcurè ſimul , cognoſcere attributa : ſed ſi videns clarè eſſentiam , & per eamdem cognitionem abſtractiuè cognoſceret attributa , in confuſo, & non clarè illa cognoſceret . Ergo . Maior probatur primò . Quia voluntariè negaretur . Secundò . Quia attributa Dei cognoſcerentur ex vi claræ, & ſimplicis intuitionis eſſentiæ , non per deductionem , ſeù per diſcurſū. Ergo vel nullo modo cognoſcuntur,vel ſi viſa eſſentia intelligūtur, non abſtractiuè, ſed intuitiuè cognoſci debēt.Tertiò,Quia attributa ex vi claræ intuitionis eſſētię diuinę aliquo modo cognita, debent

Digitized by Google

debent cognoſci,ſecundùm quòd in eſſentia diuina exiſtunt, & eo modo quo eidem eſſentiæ conueniunt: ſed in opinione Scoti ſunt vnum realiter entitatiuè cum eſſentia Dei,& aliàs, ſecundùm explicitas ipſorum rationes, eſſentiæ diuinæ conueniunt.Ergo implicat ea abſtractiuè cognoſcere,per eamdem cognitionem qua intuitiuè videtur eſſentia.

15 Si dicatur ſecundum, nempè quòd nullo modo; Contra. Quia cognitio qua videtur eſſentia,eſt clara, intuitiua, & quidditatiua: ſed implicat intuitiuè,clarè, & quidditatiuè cognoſcere alicuius eſſentiam, & nullo modo,ad minus in confuſo, cognoſcere,vtrum tali eſſentię aliqua conueniant attributa, nec ne? Ergo implicat videre eſſentiam,& nullam attributorum habere cognitionem.

16 Si dicatur, quòd non ideo intellectus videret eſſentiam,non viſis attributis; quia videlicet, intellectus ſua cognitione eſſentiam præſcinderet ab attributis; ſed quia Deus concurreret cum intellectu ad viſionem eſſentiæ,non autem ad viſionem attributorum.

17 Contra primò.Quia hoc dici non poteſt ab ijs, qui aſſerunt eſſentiam, & attributa nulla reali diſtinctione diſtingui. Nam eſſentia,& eius attributa,nulla reali actuali differunt diſtinctione. Ergo implicat, vt cognitio intuitiua Dei terminetur ad eſſentiam vt intuibilem, & quòd Deus concurrat ad viſionem vt terminatam ad eſſentiam, & non ad attributa. Probatur iſta conſequentia. Quia cognitio intuitiua quatenus terminatur ad obiectum vt intuibile,ſola ratione diſtinguibile, non terminatur ad illud vt ratione diſtinctum, ſed vt realiter identificatum. Ergo.

18 Contra ſecundò.Quia cognitio intuitiua eſſentiæ eſt clara, & quidditatiua. Ergo clarè terminatur ad Deum vt in ſe eſt. Ergo etiam ſi attributa eſſent ab eſſentia ex natura rei diſtincta, realiter tamen, cum eſſentia identificata,implicat clarè, intuitiuè, & quidditatiuè videre eſſentiam,non viſis attributis cum ea identificatis.

19 Confirmatur. Cognitio intuitiua per Scotum eſt obiecti ſecundùm quòd exiſtens, & ſecundùm quòd præſens in aliqua exiſtentia actuali ſeù quæ eſt quidditatis rei ſecundùm eius exiſtentiam actualem; vel quæ eſt rei præſentis ſecundùm talem exiſtentiam, ſeù ſecundùm quòd eſt faciei ad faciem, & ſecundùm quòd eſt præſentialiter exiſtens. Ita Scotus in 2. diſt. 3. quæſt.9. §. ad quæſt. igitur, & deinceps. Ergo eſt impoſſibile,vt videatur eſſentia diuina, quin cœtera eius attributa videantur. Probatur iſta conſequentia. Quia ſi videretur eſſentia, & non viderentur eius attributa. Vel è contra, cognitio intuitiua eſſentiæ eſſet rei præſentis in ratione eſſentiæ, non verò in ratione attributorum, & è contra. Ergo non eſſet cognitio eſſentiæ ſecundùm quòd eſt exiſtens, & ſecundùm quòd eſt præſens in ſua exiſtentia actuali, ſeù ſecundùm talem exiſtentiam. Etenim actualis exiſtentia Dei non eſt abſquè diuinorum attributorum formalitatibus. Vnde nota illam Scoti particulam videlicet, *rei præſentis ſecundùm talem exiſtentiam*; quia exiſtentia Dei talis eſt vt ſit eſſentiæ diuinæ,eiuſquè attributorum omnium,exiſtentia.

CAPVT QVARTVM.

Argumentorum euerſio.

20 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Eſſentia diuina diſtinguitur ex natura rei ab attributis ſuis. Ergo poteſt videri non viſis attributis. Probatur conſequentia. Quia tota Thomiſtarum ratio quare non poteſt videri eſſentia non viſis attributis, eſt quia eſſentia, & attributa ſunt vna ſimpliciſſima entitas.

21 Reſpondetur primò, negando antecedens, & ſic fermè communiter Thomiſtæ reſpondent, & re vera reſponſio ſicut inter Thomiſtas eſt vniuerſalis,ſic & vera; ſed de hac re diſputabimus alibi.

Reſpondetur ſecundò,gratis admiſſo, & non conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego antecedens. Illa enim ratio vniuerſaliter à Thomiſtis aſſignata optima eſt, ſed non tota. Ratio autem totalis eſt,quæ ex dictis in corpore diſputationis adduximus accipienda.

22 Obijcies ſecundò. Ideo non poſſet videri eſſentia quin videantur omnia attributa, quia eſt de ratione cognitionis intuitiuæ,vt feratur ad obiectum exiſtens ſecundùm quòd eſt in ſe; ſed hoc non eſt de cognitionis intuitiuæ eſſentia. Ergo tota concluſionis ratio nulla eſt. Probatur minor. Quia viſio corporea eſt verè, & propriè intuitiua: ſed non ſemper fertur ad rem ſecundùm quòd eſt in ſe; Nam videtur remus nõ fract⁹,vt fractus in mari. Videntur colores varij in collo colũbæ, & itidem in Iride,qui tamen re vera non ſunt. Similiter Sol,&Luna videntur bipalmares, & tamen re ipſa ſunt multò grandiores. Item per viſionem corpoream videtur color, non verò ratio qualitatis, quæ eſt illi eſſentialiter identificata; Et tandem ſtante potentia viſiua corporea, benè,& æquè diſpo-

diſpoſita, poſſet diuinitus fieri vt albedo quatuor palmorum V.G. viſui obiecta, vt non per omnes quatuor palmos, ſed per duos dumtaxat ſpeciem immittat, in tali caſu potentia viſiua perciperet albedinem ſub illis duobus palmis, quorum habet ſpeciem, non verò ſub omnibus quatuor; & hoc non obſtante, illa cognitio diceretur intuitiua, abſquè eo quòd feratur ad totam albedinem. Ergo ſimiliter diuina eſſentia poſſet repræſentare ſe ipſam cum vno, vel altero eius attributo, non repræſentando cœtera. Quare, &c.

23 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Ideo, &c. quia eſt de ratione cognitionis intuitiuæ, claræ, & quidditatiuæ, vt feratur ad obiectum exiſtens ſecundùm quòd eſt in ſe, concedo maiorem. Quia eſt de ratione cognitionis intuitiuæ, ſenſitiuæ, & obſcuræ, &c. nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

24 Dices. Quid ergo eſt de ratione cognitionis intuitiuæ ſenſitiuæ?

Dico, quòd de eius ratione eſt, vt feratur ad obiectum exiſtens, verè, vel apparenter, ſine omni abſtractione. Vnde non inconuenit, vt cognitio viſiua ſenſitiua percipiat obiectum aliter quàm re vera ſit; & hoc propter potentiæ viſiuæ ſenſitiuæ imperfectionem, quæ pluribus indiget adminiculis, quibus deficientibus à vera obiecti cognitione impeditur. Vnde, Remus non fractus, videtur vt fractus in mari, ex defectu diſtantiæ, & medij, puta aquæ, intra quam eſt remus, quæ cum ſit circumiacens, remum rectum repræſentat fractum; Et in collo columbæ videntur colores, qui ibi non ſunt, propter debilitatem potentiæ, & indebitam obiecti diſtantiam; quoniam ſi proportionatè eſſet collo columbæ approximata, cognoſceret vtiquè, non adeſſe colores, qui ibi de longinquo apparent; quod idem de Iride dicimus. Item Sol, & Luna videntur bipalmares, propter diſtantiam, quæ potentiæ viſiuæ corporeæ neceſſaria eſt, vt ſit talis, vel tanta, ad percipiendum ſenſibile proprium, quò ad eius propriam quantitatem. Quod verò dicitur de viſione corporea percipiente rationem albedinis, ſeù coloris, non verò rationem qualitatis; dico, potentiam viſiuam percipere rationem qualitatis viſibilis, rationem verò qualitatis à ratione coloris abſtractam, non percipere, nec percipere poſſe; quia hoc eſt abſtractiuæ operationis munus; Quòd tandem, obiectum intuibile quatuor palmorum, poſſit immittere ſui ſpeciem, quo ad duos dumtaxat palmos, hoc ideo eſt, quia quamuis ſit vnum realiter, poteſt tamen abſquè reali diuiſione in ratione intuibilis realiter diuerſificari, propter quantitatem diuiſibilem quam habet.

25 Obijcies tertiò. Attributa Dei ſunt infinita. Ergo a ſingulis, non cognoſcuntur omnia. Antecedens probatur. Quia Deus ſecundùm attributa abſoluta, eſt infinitis modis imitabilis, & participabilis. Conſequentia probatur. Quia ad cognoſcendas infinitas Dei perfectiones, requiritur infinitum lumen, ſicut ad cognoſcendum Deum, infinitis modis.

26 Reſpondetur primò. Tranſeat antecedens, & negatur conſequentia. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Ad cognoſcendas infinitas Dei perfectiones, infinitè, requiritur infinitum lumen, concedo antecedens. Finitè, nego antecedens. Nam ſi infinita eſſent Dei attributa, non eſſent realiter diſtincta, ſed realiter identificata, & per ſimplicem intuitum, non per eſſentiæ maiorem penetrationem viderentur: Ad cognoſcendum verò Deum infinitis modis, non ſufficit ſimplex Dei intuitus, ſed requiritur infinita Deitatis penetratio.

27 Reſpondetur ſecundò, negando antecedens. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia illa participabilitas infinita Dei, non arguit diuerſitatem attributalis perfectionis, ſed eiuſdem attributi maiorem, ac maiorem intenſionem. V.G. omnipotentia Dei, eſt vnum attributum; hoc tamen modo, ſecundùm quòd poteſt producere decem homines, conſideratur vt magis perfecta intenſiuè, quàm ſecundùm quòd poteſt producere nouem; & hoc reſpectu eorum quæ non dicunt, nec arguũt, ſeù non poſtulant perfectionem ſimpliciter infinitam, reſpectu quorum non arguitur magis perfecta virtus intenſiuè, ſed explicatiuè. V.G. potentia Dei vt potens creare vnum Angelum, eſt æquè infinita intenſiuè, ac ſecundùm quòd poteſt creare Angelos infinitos: dicta autem calculatio in huiuſmodi, magis ac magis explicat eamdem infinitam Dei perfectionem, non verò maiorem. Eò quia, Dei potentia vnius Angeli creatiua, eſt ſimpliciter infinita; & conſequenter quatenus conſideratur vt potens creare duos Angelos, eadem perfectio magis explicatur.

28 Obijcies quartò. Nullus Beatus videt omnes ideas, quæ formaliter ſunt in Deo. Ergo falſum eſt, quòd omnes beati videant omnia attributa Dei, & omnia quæ formaliter ſunt in Deo. Antecedens ſupponitur. Probatur autem conſequentia. Quia ideo attributa debẽt videri ab omni vidente Deum, quia formaliter ſunt in Deo. Ergo ſi Ideæ ſunt formaliter in Deo, & non videntur omnes ab omni vidente Deum, ſtat vt videatur Deus, & non attributa illius.

29 Reſpondetur concedendo antecedens, & ne-

& negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt; Quia idea in mente diuina dicit eſſentiam, & ordinem ad creaturas. Quò ad primam rationem videtur ab omni vidente Deum; quò ad ſecundam verò non.

30 Obijcies quintò. Si videns eſſentiam videret omnia eius attributa comprehenderet eam: ſed hoc non eſt alicui intellectui creato concedendum. Ergo. Probatur ſequela. Quia cognoſcens omnia prædicata eſſentialia, ac proprietates alicuius naturæ, comprehendit illam: ſed cognoſcens diuinam eſſentiam, eiuſquè attributa, cognoſcit naturam diuinam, omneſquè proprietates eius. Ergo.

31 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Cognoſcens omnia prædicata eſſentialia alicuius naturæ, omneſquè proprietates eius, comprehenderet, &c. ſi illa prædicata non continerent aliud virtualiter, concedo antecedens. Si continent aliud virtualiter, nego antecedens. Ad cognoſcenda enim huiuſmodi prædicata comprehenſiuè, neceſsè eſt, vt quantùm ad ea, quæ formaliter, & virtualiter continet, cognoſcantur.

32 Contra. Si cognoſcitur diuina eſſentia quantùm ad ea quæ formaliter ſunt in ea. Ergo etiam quantùm ad ea, quæ virtualiter. Probatur conſequentia. Quia omnes modi quibus Deus eſt cognoſcibilis, etiam quatenus virtualiter continet creaturas, formaliter ſunt in Deo: ſed per nos omnia quæ formaliter ſunt in Deo, videntur ab omni vidente Deum. Ergo.

33 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem. Omnes modi, &c. Formaliter ſunt in Deo, & dicunt ordinem ad aliud à Deo, concedo maiorem. Et non dicunt ordinem ad aliud à Deo, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

34 Contra. Vel Deus dicit realem, ac tranſcendentalem ordinem ad creaturas, vel rationis tantùm. Si ſecundum, impertinenter ſe habet ad comprehenſiuam cognoſcibilitatem eius. Si primum, Hoc eſt falſum. Et inſuper, ſequeretur arguentis intentum. Quia illa relatio eſſet formaliter in Deo. Ergo videretur ab omni vidente Deum.

35 Reſpondetur, Deum dicere ordinem realem ad creaturas, ordinem quidem, non qui ſit relatio, ſed ordinem connexionis, & cauſalitatis, & huiuſmodi connexio non videtur ab omni vidente Deum.

36 Obijcies ſextò. Immenſitas, & Æternitas, ſunt attributa Dei: ſed huiuſmodi non videntur à Beatis. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Quia non poteſt videri immenſitas, niſi ſingula loca per ipſam repleta videantur. Nec poteſt videri æternitas, niſi omnes durationes in particulari ſub illa incluſæ intueantur.

37 Reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cognoſcendum enim clarè immenſitatem, ſufficit cognoſcere, poſſe omnia, vel infinita replere loca, ſi infinita poſſibilia forent; Et ſimiliter, ad cognoſcendam æternitatem intuitiuè, ſufficit clarè diuinum eſſe inſpicere, cuius æternitas eſt propria menſura.

38 Obijcies ſeptimò. Poteſt cognoſci intuitiuè exiſtentia, abſquè eò quòd cognoſcatur intuitiuè exiſtentia in particulari. Ergo poteſt cognoſci intuitiuè aliquod Dei attributum vt exiſtens, abſquè eò quòd videatur eius exiſtentia in particulari. Probatur antecedens. Quia Angelus cognouit humanitatem Chriſti intuitiuè. Ergo intuitiuè cognoſcebat exiſtentiam: ſed non cognoſcebat intuitiuè exiſtentiam creatam, quoniam ſupponimus in humanitate Chriſti non fuiſſe exiſtentiam creatam. Nequè exiſtentiam increatam. Quia extra Verbum, ſeù extra viſionem beatificam videri non poteſt. Ergo cognoſcebat intuitiuè humanitatem Chriſti vt exiſtentem, abſquè eò quòd cognoſceret intuitiuè exiſtentiam in particulari. Probatur antecedens. Quia Angelus non cognoſcebat humanitatem Chriſti vt poſſibilem, nequè vt futuram. Ergo vt præſentem, & vt exiſtentem. Ergo intuitiuè.

39 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Angelus cognouit humanitatem Chriſti intuitiuè, Intuitione incompleta, concedo antecedens. Intuitione completa, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Non cognoſcebat vt poſſibilem, nequè vt futuram, ſed vt præſentem, intuendo naturam humanam vt productam, non tamen intuendo exiſtentiam, ſed illam tantummodo à poſteriori, vel abſtractiuè cognoſcendo, concedo. Intuendo quoquè exiſtentiam, nego antecedens.

40 Explicatur iſta reſponſio. In cuiuſcumquè naturæ creatæ productione, duplex inadæquatus terminus reperitur. Terminus ſcilicet, per ſe productus; & terminus communicatus. Terminus per ſe productus, eſt ipſa natura: terminus verò communicatus, eſt exiſtentia. Nec prius ipſa natura eſt producta, quàm habeat terminum communicatum; ſed dum producitur, terminus, ideſt exiſtentia, ei communicatur

41 (ſuppono doctrinam Thomiſtarum, videlicet, quòd eſſentia diſtinguitur realiter ab exiſtentia) & ſic ſtat, vt natura humana Chriſti Domini clarè, & diſtinctè, ſecundùm terminum productum cognoſcatur, abſquè eo quòd clarè, & diſtinctè terminus communicatus videatur. Quia terminus communicatus, eſt increatus:

Et

Digitized by Google

Et quia cognitio intuitiua completè accepta, debet terminari ad rem, vt eſt in ſe exiſtens, exiſtentia exercitè viſa; ideo dico quòd Angelus cognouit humanitatem Chriſti Domini intuitiuè, intuitione incompleta, non autem intuitione completa. Intuebatur enim humanam Chriſti naturam, eſſe productam; exiſtentiam autem, quæ naturam terminabat, quamuis à poſteriori certò ſciebat adeſſe, quia rectè nouerat, quòd eſt impoſſibile, vt aliqua natura producatur, & per nullam exiſtentiam illi communicatam, exiſtat; non tamen intuebatur exiſtentiam Verbi. Hoc autem in attributorum viſione non contingit. Quia viſio clara eſſentiæ, eſt intuitio clara exiſtentiæ, etiam ſecundùm completam intuitionis rationem.

42 Obijcies octauò. Poteſt Deus impedire intellectum Angeli comprehenſiuè naturam humanam cognoſcentis, ne propriam illius videat exiſtentiam. Ergo poterit quoquè impedire, vt cognitio intuitiuè vno Dei prædicato, alterum non cognoſcatur.

43 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; Quia cognitio intuitiua intellectualis reſpectu obiecti habentis vnam exiſtentiam indiuiſibiliter quantitatiuè, non poteſt ferri ad obiectum niſi ſecundùm totam, exiſtentiam abſquè omni præciſione; Si autem cognoſceretur quantùm ad vnum prædicatum, & non quantùm ad reliqua eamdem exiſtentiam habentia; vel non eſſet intuitiua, ſed præciſiua; vel illud obiectum eſſet realiter diuiſibile quantùm ad exiſtentiam. Quando igitur dicimus, quòd cognitio intuitiua intellectualis, non poteſt ferri ad obiectum exiſtens, niſi etiam tendat ad omne quod eſt vnum cum illa exiſtentia, & quòd non eſt diuiſibile obiectum intuitiuè cognoſcibile intelligibiliter, debet intelligi reſpectu obiecti indiuiſibilis realiter, quantùm ad exiſtentiam; non autem reſpectu obiecti quantùm ad exiſtentiam diuiſibilis. Etenim ſicut poteſt media pars albedinis, oculis corporeis modo ſupradicto videri, altera parte non viſa; Ita diuinitus contingere poteſt, per intuitiuam intellectiuam cognitionem, reſpectu obiecti exiſtentialiter diuiſibilis, &c.

44 Obijcies nonò. Diabolus in Sacramento Altaris cognoſcit in Hoſtia conſecrata eſſe ſubſtantiam panis per ſpecies inditas quas habet: ſed re vera ibi non eſt ſubſtantia panis; cum ſit in verum Corpus Chriſti tranſubſtantiata. Ergo poteſt eſſe cognitio intuitiua intellectualis, & non rei pro vt eſt in ſe.

45 Reſpondetur, negando maiorem. Non enim Diabolus videt ſubſtantiam panis, cum ibi non ſit. Nec poteſt cognitio intuitiua, intellectualis decipi; cum hoc, nequè ex ratione ſpeciei, nequè ex ratione obiecti; nequè ex parte intellectus procedere poſſit. Non ex ratione ſpeciei; quia ſpecies eſt naturalis imago, ſeù ſimilitudo obiecti. Non ex ratione obiecti. Quia quod non exiſtit, non mouet intellectum ad ſuæ exiſtentiæ affirmationem. Nequè ex parte intellectus; quia intellectus tendit ad obiectum pro vt eſt à ſpecie repræſentatum, vel per ſe ipſum præſens. Quomodo autem falli poteſt in cognitione abſtractiua, ſeù compoſitiua, & diſcurſiua, dicemus infra quæſt. 16. Nequè videt ibi adeſſe Corpus Chriſti; ſed ſolummodo poſt Chriſti mortem pro certo tenet, ibi adeſſe Corpus Chriſti, non quia illud ſub Hoſtia intellectualiter videat, ſed propter fidem quam de panis tranſubſtantiatione habet; Propter fidem (inquam) non inditam, ſeù ſupernaturalem, ſed coercetiuam; & per vehementia inditia, ac miracula. In prima autem conſecratione facta in Cœna, antequàm per effectus eſſet certioratus, quòd Chriſtus ſit Deus, nequè etiam fidem coercetiuam habebat, ſed dubius erat, vtrum ſit re vera facta illa admirabilis tráſubſtantiatio, eò vel maximè, quia panis ſubſtantiam, non videbat.

DISPVTATIO

DISPVTATIO XCIV.

VTRVM DIVINITVS FIERI POSSIT, VT INTVITIVè videatur eſſentia Diuina, non viſis perſonis, aut vna perſona, alia non viſa.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Scotus. SCotus in 1.diſt.1.quæſt,2.affirmat,& cum
eo omnes eius aſſeclæ, Idem tenet Salas
c.2.q.3.tract.2.diſp.4.ſect.3.concl.2.
D.Thom. Oppoſitam autem ſententiam tenet D. Thomas
2.2.q.2.art.8. ad 3. & alijs locis diſp.
Caiet. præced.citatis, ipſum ſequuntur, Caietanus
Sotus. ibidem, Sotus in 4.diſt.49.q.3.ar.1. Medi-
Medina. na 1.2.q.11.ar.4.& 3.p.q.3.art. 3. Suarez
Suarez. lib.3.de attrib.negat.cap.23.Vaſquez 1.p.
Vaſquez. diſp.48.cap.2. Molina hic, Gabrera 3. p.
Molina. q.10.art.2.ad 5. Bañes,Zumel, & Conza-
Gabrera. lez hic,Machin diſp. 19. Recupitus lib. 6.
Bañes. Zumel. diſp.31. omneſquè alij Theologi Societa-
Cōzalez. Machin. tis,vno, vel altero excepto. Salmanticen-
Recupit. Salmanti. ſes tract. 2.diſp.7.dub.2.& alij ex adductis diſp.præcedenti.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

2 PRo determinatione veritatis, Dico primò; Non poteſt videri eſſentia diuina non viſis omnibus eius perſonis.

Probatur. Implicat videre eſſentiam diuinam viſione intellectuali, abſquè vlla prorſus abſtractione, & non videre eam ſicuti eſt. Ergo implicat videre eſſentiam diuinam, non viſis omnibus eius perſonis. Probatur antecedens. Quia quocumquè in illo poſito, deficiente,deficit omninò ratio cognitionis intuitiuæ intellectualis. Nam ſi aliquod non videtur ſicuti eſt,ſed aliter quàm eſt, non erit viſio intellectualis quæ infallibilis eſt. Si autem eſſet cognitio eſſentiæ pro ut in ſe abſolutè, & non relatiuè conſiderata, iam intercederet intellectus præciſio. Non enim eſſentia in re,præſcindit à perſonis, ſed ſecundùm cognitionem duntaxat. Ergo ſi ſic cognoſceretur eſſentia, vt cum aliquali præciſione intelligatur, deficeret ratio intuitionis. Conſequentia eſt euidens ex antecedenti.

3 Dico ſecundò. Implicat videri vnam perſonam,alia non viſa.

Probatur primò ratione præcedenti. Probatur ſecundò, Quoniam Perſonæ diuinæ conſtituuntur relationibus: ſed relatiua ſunt ſimul natura cognitione, & tempore. Ergo impoſſibile eſt videre vnam perſonam alia non viſa.

4 Reſpondebit aliquis, negando conſequentiam. Quoniam ſtat, vt vnum relatiuum cognoſcatur intuitiuè, cuius correlatiuum abſtractiuè dumtaxat intelligatur.

5 Contra. Licet hoc ſit verum in illo relatiuorum genere, quorum vnum extra aliud exiſtit, & vnum ab alio omninò realiter eſt diſtinctum, non tamen ſtat,vt viſo vno relatiuo, non videatur, & aliud in eodem relatiuo exiſtens, ac realiter præſens, & ſecundùm rationem eſſentiæ vnum cum alio identificatum: ſed ſic eſt in caſu noſtro, quòd vna perſona diuina,licet ſit realiter ab alia diſtincta,eſt tamen vna in altera indiuiſibiliter, ac inſeparabiliter exiſtens, iuxta illud *Ego in Patre,& Pater in me eſt*. Io.14.
Et ſecundùm rationem eſſentiæ ſunt vnum iuxta illud *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo Pater,Verbum,& Spiritus Sanctus,& hi tres Vnum ſunt*, Ergo. 1.Io.3.

6 Confirmatur. Quia ſi vna perſona diuina intuitiuè videretur,& altera abſtractiuè, quæro per quam ſpeciem fieret perſonæ abſtractiuè cognitæ, repræſentatio? Per eamdem per quam repræſentaretur perſona intuitiuè cognita,an per aliam? Non, ſecundùm, vt patet; Ergo primum. Si primum,

mum, hoc eſt falſum. Quia talis ſpecies non eſt aliud niſi eſſentia diuina: ſed eſſentia diuina non poteſt per ſeipſam abſtractiuè repræſentare vnam perſonam, & alteram intuitiuè. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Argumentorum euerſio.

7 Sed contra iſtam determinationem obijcies primò. Poteſt intuitiuè cognoſci obiectum primarium, non cognito intuitiuè obiecto ſecundario: ſed eſſentia diuina ſecundùm ſe eſt obiectum primarium, perſonæ vero diuinæ ſunt obiecta ſecundaria viſionis beatificæ. Ergo poteſt videri eſſentia non viſis perſonis.

8 Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem. Poteſt intuitiuè cognoſci obiectum primarium, non cognito intuitiuè obiecto ſecundario, exiſtentialiter, eſſentialiter, & entitatiuè diſtincto à primario, concedo maiorem. Exiſtentialiter, eſſentialiter, & entitatiuè indiſtincto à primario, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

9 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo maiorem. Poteſt cognoſci intuitiuè obiectum primarium, non cognito intuitiuè obiecto ſecundario, cognito ex penetratione primarij, concedo maiorem. Cognito ex ſimplici intuitu primarij, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Et ratio negationis eſt, quia perſonæ diuinæ dicuntur obiectum ſecundarium viſionis claræ Dei, non qualitercumquè, ſed vt aliquid ab eſſentia diuina indiſtinctum, per ſimplicem eſſentiæ diuinæ intuitum, & non per maiorem, vel minorem diuinæ eſſentiæ penetrationem; & per conſequens, videns eſſentiam, eodem intuitu videt perſonas, & non poteſt terminari ad eſſentiam, quin terminetur ad perſonas; Et hoc, ad differentiam creaturarum poſſibilium, quæ ſunt obiecta ſecundaria claræ viſionis Dei, tanquàm aliquid omnino ab eſſentia diuerſum, & nō cognoſcuntur in ea, niſi ex illius maiori penetratione. Vnde patet nullum eſſe Scoticum diſcurſum, dum probat maiorem in argumento poſitā, de obiecto ſecundario, quemadmodum ſunt creaturæ, cuius probationem breuitatis cauſa omiſimus.

10 Contra, Sed etiam perſonæ diuinæ poſſunt penetratiuè cognoſci in diuina eſſentia. Ergo nulla reſponſio. Probatur antecedens. Cognoſcens diuinam eſſentiam penetratiuè, cognoſcit illam eſſe communicabilem, & taliter communicabilem, ſicut cognoſcens immutabilitatem illam penetrando, cognoſcit æternitatem ex illa.

11 Reſpondetur, negando antecedens Loquendo de cognitione intuitiua, & argumentum probat de cognitione abſtractiua.

12 Dices. Perſonæ diuinæ continentur virtualiter in eſſentia diuina, Ergo poſſunt cognoſci intuitiuè, ex penetratione intuitiua diuinæ eſſentiæ. Probatur conſequentia. Quia creaturæ poſſibiles, ideo poſſunt in Dei penetratione cognoſci, quia virtualiter continentur in eo. Ergo ſimiliter, &c.

13 Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, nego paritatem. Nam creaturę ſic in Deo tanquàm in cauſa virtualiter continentur, vt non eſſe creaturæ præcedat ipſarum eſſe ad minus cauſalitate, non ſic autem perſona diuina producta in producente.

14 Obijcies ſecundò. Eſſentia diuina in ratione eſſentiæ, pro vt præſcindit per intellectum à perſonis, eſt ſufficiens ratio beatitudinis. Ergo poteſt videri non viſis perſonis diuinis. Antecedens patet. Quia perſonæ diuinæ ſunt obiecta ſecundaria beatæ viſionis. Ergo. Probatur conſequentia, Quia diuina eſſentia non eſt ratio beatitudinis, niſi vt viſio, Ergo.

15 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Eſſentia diuina in ratione eſſentiæ, pro vt præſcindit eſſentia diuina in ratione eſſentiæ, &c. eſt ſufficiens ratio beatitudinis quò ad rationem formalem beatificandi, concedo antecedens. Quò ad beatificationis exercitium, nego antecedens.

16 Itaquè iuxta hunc dicendi modum, eſſentia diuina ſecundùm formalitatem eſſentiæ, eſt ratio beatificandi: At verò beatificat, vt viſa, ſecundùm quòd in ſe eſt; & ratio eſt, quia beatificare in actu exercito, conuenit eſſentiæ, vt intuitiuè cognitæ; de ratione autem cognitionis intuitiuæ, & intellectiuæ, eſt vt feratur ad obiectum vt eſt in ſe, & non ad vnam formalitatem, ita quòd non ad aliam.

17 Obijcies tertiò. Pater Æternus prius origine quàm generet Filium, eſt perfectè beatus; quia nullam perfectionem ſibi intrinſecam habet à perſona producta; beatitudo autem eſt perfectio intrinſeca perſonæ beatæ: ſed in illo priori videtur eſſentia, non viſis omnibus perſonis, ſed vt eſt in vna perſona præciſè. Ergo poteſt videri eſſentia, non viſis perſonis ab intellectu creato.

18 Reſpondetur primò, negando ſuppoſitum maioris. Non enim Pater Æternus eſt prior Filio origine (loquor de prioritate in quo) Pater enim, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres perſonæ coæternæ, & coæquales.

coæquales. Vnde ſiquis interrogaret hoc modo, quando producebatur. Filius, erat, vel non erat? Dicendum eſt, quòd in diuinarum perſonarum productione, non datur quando, Etenim quando eſt id quod ex adiacentia temporis derelinquitur; ſed producitur Filius Æternus, a Patre Æterno, ab Æterno; Et quando dicitur, quòd Filius procedit ex cognitione eſſentiæ, ly (ex) nõ dicit prioritatem in quo, ſed a quo.

19 Reſpondetur ſecundò, Dato, & non conceſſo toto aſſumpto, ſed negando conſequentiam.

20 Ratio autem diſparitatis eſt iſta. Quia ideo Pater Æternus in illo priori originis videt eſſentiam non videndo Filium, quia in illo priori originis eſſet eſſentia, & non eſſet Filius, vt videri poſsit. Quod enim non eſt, non videtur; Si autem Filius eſſet, & prioritas originis nulla in diuinis eſſet; in nullo ſigno poſſet videri eſſentia, quin videantur omnes diuinæ perſonæ: at verò cognoſcens creatum, non ſolùm non eſt in aliquo ſigno originis aliqua perſona diuina prius, verumetiam æternaliter, æternitate ex parte antè, anteceditur à perſonis.

21 Vnde retorquetur in arguentem argumentum. Si perſona Patris non eſſet prior origine perſona Filij, Pater Æternus in nullo ſigno videret eſſentiam, non videndo perſonas, ex hoc præcisè, quia videt eſſentiam intuitiuè, & eſſentia eſt ſimul cum perſonis: ſed cognitio creata in omni ſigno ſupponit eſſentiam cum perſonis. Ergo in nullo ſigno poteſt videre eſſentiam, non intuendo perſonas. Friuolum eſt igitur argumentum ex originis prioritate depromptum.

22 Dices. Si Pater Æternus videt eſſentiam communicatam Filio, Viſio beatifica Patris, aliquid acciperet à Filio: ſed hoc eſt falſum. Ergo.

Reſpondetur, negando ſequelam; & ratio negationis eſt; quia Viſio beatifica Patris non expoſtulat videre Filium, tanquam rationem formalem beatificandi; hoc enim ſpectat ad diuinam eſſentiam in ratione eſſentiæ; ſed requirit, quò ad exercitium beatificationis; quia ſcilicet, eſſentia diuina non beatificat in actu exercito, niſi vt identificata cum Filio, & viſa vt eſt in re.

23 Obijcies quartò. Filio communicatur natura diuina, non verò paternitas, non obſtante inter eſſentiam, & perſonam Patris identitate reali. Ergo poteſt videri eſſentia non videndo perſonalitates, non obſtante eadem reali identitate.

24 Confirmatur. Incarnatio facta eſt in perſona Verbi, non autem in natura diuina. Ergo ſimiliter, poteſt viſio terminari ad eſſentiam, & non ad perſonam verbi. Vel è contra.

25 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; Et ratio diſparitatis eſt; quia licet eſſentia diuina ſit realiter actualiter cum perſona Patris identificata, virtualiter tamen eſt diſtincta: Et inſuper perſonalitas Patris, vt perſonalitas Patris eſt, eſt omninò incommunicabilis, propter relatiuam oppoſitionem, quæ inter Paternitatem, & Filiationem inuenitur: At verò cognitio intuitiua eſſentiæ, terminatur ad obiectum exiſtens, abſquè omni præciſione; Et inſuper eſſentia, & perſonalitas, poſſunt, ac debent intuitiuè cognoſci.

26 Vnde retorqueo argumentum paritate ſeruata. Pater communicat Filio omne id quod ei communicari poteſt, & ſi quid de facto non communicat, ideo eſt, quia incommunicabile eſt. Ergo ſimiliter cognitio intuitiua terminatur ad omne illud, quod intuibile eſt, & ad illud non terminatur, quod intuibile non eſt: ſed eſt intuibilis eſſentia, & intuibilis omnis perſonalitas per eamdem numero intuitionem. Ergo quemadmodum Pater communicat Filio omnia præter Paternitatem, ita quoquè viſio intuitiua terminatur ad eſſentiam, & ad omnem perſonalitatem.

27 Ad confirmationem reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; Et ratio diſparitatis eſt; Quia Incarnatio petit fieri in perſona, & perconſequens, cum perſona, & natura diuina virtualiter diſtinguantur, non eſt neceſsè vt incarnatio facta in perſona, fiat etiam in natura: at verò cognitio intuitiua non petit vt terminetur ad eſſentiam magis, quàm ad perſonas, ſed reſpicit eam ſecundùm quòd eſt, & non ſecundùm quòd præſcindit.

28 Obijcies quintò, contra ſecundum dictũ. Vna perſona diuina eſt realiter ab alia diſtincta. Ergo poteſt vna ſine alia videri.

29 Confirmatur. Verbum terminat generationem actiuam Patris, quam non terminat, nec terminare poteſt Spiritus Sanctus. Ergo ſimiliter vna perſona poteſt terminare viſionem ſine alia.

30 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Vna perſona diuina eſt diſtincta ab alia realiter perſonaliter, ſed non eſſentialiter, concedo antecedens. Realiter, & eſſentialiter, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Reſponſio patet ex dictis.

31 Ad confirmationem reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; quia Filius opponitur relatiuè, non ſolùm Patri, ſed etiam Spiritui Sancto, ratione ſpirationis actiuæ; & propterea poteſt actio generatiua Patris, terminari ad Filium, & à Filio, non autem ad Spiritum Sanctum, & à Spiritu Sancto:

Ooo Viſio

Viſio autem beatifica fertur ad diuinam eſſentiam prout in ſe eſt, & quatenus perſonæ diuinæ in ratione obiecti viſibilis nullatenus opponuntur.

32 Obijcies ſextò. Pater intelligit intellectu vt in ſe. Ergo etiam intelligit eſſentiam vt in ſe: ſed eſſentia vt in Patre, & non vt in Filio, non eſt eſſentia vt communicata tribus. Ergo. Antecedens patet; quia intellectio eſt aliquid vitale. Ergo & intellectus eſt virtus vitalis. Ergo non fit, niſi vt in intelligente. Conſequentia eſt clara; quia vnumquodquè cognoſcitur ſecundùm quòd eſt in cognoſcente.

33 Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Pater intelligit intellectu vt in ſe, ſi ly (vt) reduplicet conditionem intelligendi, concedo, ſi ly, *vt*, neget eſſentiam in illo ſigno in quo eſt in Patre, eſſe communicatam Filio, nego antecedens. Ergo &c. diſtinguo etiam conſequens. Si ly, *vt in ſe ipſo*, dicat conditionem, & modum obijciendi, concedo. Si ly, *vt in ſe ipſo*, neget eamdem eſſentiam obiectam intellectui nõ eſſe communicatam tribus in illo ſigno in quo obijcitur Patri, nego.

34 Obijcies ſeptimò, Quælibet perſona diuina habet propriam rationem beatificandi. Ergo vna poteſt videri ſine alia.

35 Confirmatur. Quælibet perſona diuina habet propriam immaterialitatem. Ergo cognoſcibilitatem.

36 Reſpondetur primò, diſtinguendo antecedens. Quælibet perſona diuina habet propriam rationem beatificandi, quò ad rationem formalem beatificandi, tranſeat; Quò ad beatificationem, nego antecedens.

Reſpondetur ſecundò, negando antecedens. Nam ratio formalis beatificandi, conſiſtit in ſummo bono, quod non ſaluatur in vno prædicato diuino abſquè diuina eſſentia.

37 Ad confirmationem reſpondetur primò, negando antecedens. Reſpondetur ſecundò diſtinguendo antecedens. Quælibet perſona diuina abſtractiuè, & inadęquatè concepta, concedo antecedens. Intuitiuè, & adęquatè, ſeù vt in ſe eſt concepta, nego antecedens. Nam in conceptu adęquato perſonæ diuinæ, includitur etiam eſſentia.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum ea quæ videntur in Deo, à videntibus diuinam eſſentiam, per aliquas ſimilitudines videantur.

FORMATIO ARTICVLI.

CORpus articuli cõtinet vnicam concluſionem, cum vna eiuſdem probatione.

1 Concluſio eſt iſta. *Vidẽtes Deum per ſuam eſſentiam, ea quæ in ipſa eſſentia Dei uident, non uident per aliquas ſpecies, ſed per ipſam eſſentiam diuinam intellectui eorum unitam.*

Probatio ab expoſitoribus variè formatur, verumtamen, vt à verbis litteræ non recedamus, ſic eam formo. *Sic cognoſcitur*

AD nonum ſic proceditur. Videtur quod ea, quæ videntur in Deo, à videntibus diuinam eſſentiam, per aliquas ſimilitudines videantur.

Omnis enim cognitio eſt per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum; ſic enim intellectus in actu fit intellectum in actu, & viſus in actu, viſibile in actu, inquantùm eius ſimilitudine informatur, vt pupilla ſimilitudine coloris. Si igitur intellectus videntis Deum per eſſentiam, intelligat in Deo aliquas creaturas, oportet, quòd earum ſimilitudinibus informetur.

2 Præterea, Ea, quæ prius vidimus, memoriter tenemus. Sed Paulus videns in raptu eſſentiam Dei (vt dicit August. 11. ſuper Geneſ. ad litteram) poſtquam deſijt eſſentiam Dei videre, recordatus eſt multorum, quæ in illo raptu viderat; vnde ipſe dicit, quòd audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui 2.* Co-

vnumquodquè, ſecũdùm quòd ſimilitudo eius eſt in cognoſcente: Sed hoc contingit dupliciter, ſubaudi, non tantùm vnipliciter, *Vno modo*, ſcilicet, *ſecundùm ſe, quando directè eius ſimilitudine informatur. Alio modo ſecundùm quòd informatur ſpecie alicuius, quod eſt ei ſimile; & tunc non dicitur res cognoſci in ſe ipſa, ſed in ſuo ſimili. Alia enim eſt cognitio, qua cognoſcitur aliquis homo in ſeipſo; & alia qua cognoſcitur in ſua* ima-

* 11. ſuper Geneſim cap. 3. & 28 tom 3.

imagine. Ergo ſic vnũquodquè cognoſcitur, ſecundùm quòd ſimilitudo eius aliquo horum modorum eſt in cognoſcente. Tunc vltra. Sed ea quæ videntur in Deo, ſunt in ſic videntibus, per ſimilitudinem ſecundo modo. Ergo *ea quæ uidentur in Deo, non uidentur per aliquas ſimilitudines alias, ſed per ſolam eſſentiam diuinam intellectui præſentem per quam & Deus uidetur.* Maiorē relinquit notam. Probat minorem. *Quæ quæcumquè uni, & eidem ſunt ſimilia, ſibi inuicem ſunt ſimilia.* Ergo *uirtus cognoſcitiua*, nõ vnipliciter ſed, *dupliciter aſſimilari poteſt alicui cognoſcibili; Vno modo ſecundum ſe. Alio modo ſecundum quòd informatur ſpecie alicuius, quod eſt ei ſimile.* Probatur ſubſumptio minoris. Per hoc, quòd Deus videtur per ſe ipſum tanquàm per ſui propriam ſpeciem, vt patet ex 2. art. Sed quæ videntur in Deo ſunt in diuina eſſentia, ſicut cui aſſimilantur. Probat autem ſubſumptionis poſitæ conſequentiam. Quia *Cognoſcere res per earum, ſimilitudines in cognoſcente exiſtentes, eſt cognoſcere eas in ſe ipſis, ſeu in proprys naturis; ſed cognoſcere eas pro ut earum ſimilitudines præexiſtunt in Deo, eſt uidere eas in Deo. Et hæ duæ cognitiones differunt*, ſubaudi, vt iam dictum eſt. Ergo ſi ea quę videntur in Deo, ſunt in ſic videntibus, per ſimilitudinem ſecundo modo, non videntur per aliquas ſimilitudines alias.

Ad primum argu-

Corinth. duodecimo. Ergo oportet dicere: quòd aliquæ ſimilitudines eorum, quæ recordatus eſt, in eius intellectu remanſerint.

Et eadem ratione, quando præſentialiter uidebat Dei eſſentiam, eorum, quæ in ipſa uidebat, aliquas ſimilitudines, uel ſpecies, habebat.

Sed contra eſt, quòd per unam ſpeciem uidetur ſpeculum; & ea, quæ in ſpeculo apparent: ſed omnia ſic uidentur in Deo, ſicut in quodam ſpeculo intelligibili. Ergo ſi ipſe Deus non uidetur per aliquam ſimilitudinem, ſed per ſuam eſſentiam; nec ea, quæ in ipſo uidentur, per aliquas ſimilitudines, ſiue ſpecies uidentur.

Reſpondeo, Dicendum, quòd uidentes Deum per ſuam eſſentiam, ea quæ in ipſa eſſentia Dei uident, non uident per aliquas ſpecies, ſed per ipſam eſſentiam diuinam intellectui eorum unitam.

Sic enim cognoſcitur unumquodquè, ſecundum quòd ſimilitudo eius eſt in cognoſcente. Sed hoc contingit dupliciter. Cum enim quæcunquè uni, & eidem ſunt ſimilia, ſibi inuicem ſint ſimilia, uirtus cognoſcitiua dupliciter aſſimilari poteſt alicui cognoſcibili.

Vno modo ſecundum ſe, quando directè eius ſimilitudine informatur. Et tunc cognoſcitur illud ſecundum ſe.

Alio modo, ſecūdum quòd informatur ſpecie alicuius; quod eſt ei ſimile. Et tunc non dicitur res cognoſci in ſeipſa, ſed in ſuo ſimili.

Alia enim eſt cognitio, qua cognoſcitur aliquis homo in ſeipſo, & alia, qua cognoſcitur in ſua imagine.

Sic ergo cognoſcere res per earum ſimilitudines in cognoſcente exiſtentes, eſt cognoſcere eas in ſeipſis, ſeu in proprijs naturis: ſed cognoſcere eas, pro ut earum ſimilitudines præexiſtunt in Deo, eſt uidere eas in Deo.

Et hæ duæ cognitiones differunt.

Vnde ſecūdum illam cognitionem, qua res cognoſcuntur à uidentibus Deum per ſuam eſſentiam, in ipſo Deo non uidentur per aliquas ſimilitudines alias, ſed per ſolam eſſentiam diuinam intellectui præſentem; per quam, & Deus uidetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd intellectus creatus uidentis Deum, aſſimilatur rebus, quæ uidentur in Deo, inquantùm unitur eſsētiæ diuinæ; in qua rerum omnium ſimilitudines præexiſtunt.

Ad ſecundum dicendum, quòd aliquæ potentiæ cognoſcitiuæ ſunt, quæ ex ſpeciebus primò conceptis alias formare poſſunt. Sicut imaginatio ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri, format ſpeciem montis aurei: & intellectus ex præconceptis ſpeciebus generis, & differentiæ, format rationē ſpeciei, & ſimiliter ex ſimilitudine imaginis formare poſſumus in nobis ſimilitudinem eius, cuius eſt imago.

Et ſic Paulus, uel quicunquè alius uidens Deum, ex ipſa uiſione eſſentiæ diuinæ poteſt formare in ſe ſimilitudines rerum, quæ in eſſentia diuina uidentur. Quæ remanſerūt in Paulo, etiam poſtquàm deſijt Dei eſſētiam uidere. Iſta tamen uiſio, qua uidentur res per huiuſmodi ſpecies ſic conceptas, eſt alia à uiſione, qua uidētur res in Deo.

mentum reſpōdet, diſtinguēdo, ſeù potius explicando antecedens. & ſic formatur. Omnis cognitio eſt per aſſimilationem mediatam, vel immediatam, cognoſcentis ad cognitum, concedit antecedens. Semper immediatam, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia *intellectus creatus uidentis Deum, aſſimilatur rebus quæ uidentur in Deo*, non quidem immediatè, ſed mediatè, *inquantùm*, ſcilicet, *unitur eſſentiæ diuinæ, in qua rerum omnium ſimilitudines præexiſtunt.*

Ad ſecundum argumentum reſpondet, & reſponſio hoc modo formatur. Tranſeat maior in ſubiecta materia, ſed diſtinguitur minor. *Sed Paulus uidens in raptu diuinam eſſentiam poſtquàm deſijt eſſentiam Dei uidere, recordatus eſt*, per alias ſpecies quas ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ formauerat, & non per ſpeciē perquam, & in illo raptu viderat, concedit minorem. *Recordatus eſt*, per eam ſpeciem per quam in raptu viderat, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam. Ea enim quę prius in diuina vidit eſſentia, non in ſe ipſis, & immediatè vidit, ſed mediatè; quatenus verò illorum recordatus eſt, eo vidit in ſe ipſis, & immediatè.

¶b¶

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN titulo, ly, *videantur*, accipitur pro eadem viſione formali; non autem cauſali.

Per aliquas ſimilitudines. Sermo eſt de ſimilitudinibus immediatè obiecta repræſentantibus. Vnde ſenſus quæſiti eſt, ſuppoſito quòd Deus à beatis videatur per ipſam diuinam eſſentiam, vtrum alia à Deo quæ per eamdem viſionem in ipſo videntur, per eamdem diuinam eſſentiam per quam Deus ipſe inſpicitur, videantur, an per proprias ipſarum ſpecies.

2 In corpore. *Sed hoc contingit dupliciter*. Diligenter obſerua, ly, *Sed hoc contingit dupliciter*. Quoniam ad probandum, quòd ea quæ videntur in Deo, videntur, vel non videntur per aliquas ſimilitudines creatas, totum fundatur in hoc, vtrum, ſcilicet, vnumquodquè quod cognóſcitur, cognoſcatur ſecundùm quòd ſimilitudo eius vniplıciter, an dupliciter, ſeu, multipliciter ſit in cognoſcente. Quoniam ſi vniplıciter tantùm contingit, hoc vtiquè erit de ſimilitudine primo modo accepta, & conſequenter, vel aliqua à Deo diſtincta, non videntur in Deo; vel ſi videntur, videri neceſſe eſt per proprias ipſarum ſimilitudines. Si autem multipliciter, ſeu dupliciter contingit, modo à D. Thoma explicato, euidenter ſequitur, quòd ea quæ videntur in Deo, videntur per diuinam eſſentiam tanquàm per ſimilitudinem ſecundo modo acceptam.

Quòd autem ita ſit, litteram pondera, & veritas eluceſcet. Nam D. Thomas ad probandum quòd per ſimilitudines videantur, contra ſuę concluſiones intentum, primum argumentum fundat ſuper aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, ac ſi vniplıciter ſe haberet; In corpore verò, ex propria ſententia probare volens, quòd ea quæ videntur in Deo non per aliquas ſimilitudines alias à diuina eſſentia, videntur, prius ſtatuit hoc axioma commune, *Sic cognoſcitur vnumquodquè, ſecundùm quòd ſimilitudo eius eſt in cognoſcente*. Deinde ſtatim ſubdit, quòd *hoc contingit dupliciter*.

3 *Sed hoc contingit dupliciter. Cum enim quæcumquè uni, & eidem ſunt ſimilia, ſibi inuicem ſint ſimilia.* Non ſolùm ſtatuit, quòd *hoc contingit dupliciter*, verumetiam iam dictam propoſitionem probat. Et quia nulli dubium eſt, quòd vnumquodquè poſſit cognoſci ab intellectu per ſimilitudinem ſibi propriam, ideo hoc primo membro ſuppoſito, probat ſecundum.

4 Hinc habes quàm pueriliter locutum eſſe Machinum, ſuper hunc articulum, vbi ſic ait. *Quæ doctrina notanda eſt, ad oſtendendum Angelicum Doctorem non negaſſe art. 2.* Machin.

huius quæſtionis poſſe dari creatam ſimilitudinem, ſeu ſpeciem impreſſam Dei, ob illam ſolum rationem, quia inter Deum, & creaturam non poſſit eſſe illa conuenientia in eſſe naturæ, ſiuè intelligibili, quam inter ſpeciem, & obiectum, neceſſariam ponunt aliqui Thomiſtæ. Nam ſi uerum eſſet hoc fundamentum, etiam negaret Sanctus Thomas, Deum poſſe eſſe ſimilitudinem creaturarum, quia inter illum, & creaturam, non poteſt eſſe illa conuenientia naturæ, quam inter obiectum, & ſpeciem requirunt, &c. Nam D. Thomas aſſerẽs hic quòd diuina eſſentia ſe habet vt ſpecies creaturarum, debet intelligi ſecundũ continentiam virtualem, quò ad ſufficientiam repræſentandi, & non aliter. Aliàs eſſet D. Thomam ignorare.

5 Dices. In ſubiecta materia, quæ ſunt vni, & eidem ſimilia, & quod vnum tertium?

Dico quòd ſimilia ſunt res, & propria rei ſimilitudo; tertium verò, eſt id in quo conueniunt. V.G. homo, & eius ſpecies virtualiter continentur in Deo, tanquàm in cauſa, & conſequenter ſpecies, & homo ſunt duo ſimilia vni tertio, nempè Deo cui aſſimilantur, & Deus eſt id cui conueniunt. Ex quo rectè ſecũdus ſimilitudinis modus cognoſcibilis in cognoſcente infertur.

6 In argumento ſed contra. *Per unam ſpeciem uidetur ſpeculum; & ea quæ in ſpeculo apparent.* Circa quam D. Thomæ propoſitionem, multi à D. Thomæ doctrina vacillant, eò moti, quia ſpeculum, & omnia quæ videntur in ſpeculo, propriam ſui ſpeciem in potentiam viſiuam immittunt, & conſequenter, nõ per vnam ſpeciem videtur ſpeculum, & ea quæ in ſpeculo apparent. Et alij vt argumenta effugiant, mentem D. Thomæ non rectè declarant.

7 Sed eſt breuiter obſeruandum, quòd non ſemper ea quæ Diuus Thomas in argumento ſed contra affirmat, vel negat, ex propria ſententia dicit; ſed aliquando ex aliorum opinione loquitur, vel in ſenſu metaphorico ſermocinatur.

8 Attamen ſupradicta propoſitio non debet extendi, ſed iuxta concluſionis intentum applicari. Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum, quòd ſpeculum poteſt dupliciter conſiderari. Materialiter ſcilicet, ſeù pro re quæ eſt ſpeculum; & formaliter, id eſt pro ratione formali ſpeculi.

Inſuper eſt obſeruandum, quòd ſpeculum formaliter, dupliciter conſiderari poteſt. Prout diſtinguitur à re quæ relucet in ſpeculo, & prout illam includit.

9 Tandem eſt obſeruandum, quòd quando dicitur per vnam ſpeciem videtur ſpeculum, & ea quæ videntur in ſpeculo: dicitur vna ſpecies; quia ſpeculum, & ea quæ videntur in ſpeculo concurrunt ad cauſandam vnam adæquatam ſpeciem in oculo; D. Thomas in præſenti loquitur de ſpe-

Digitized by Google

ſpeculo formaliter ſumpto, ac de vna ſpecie adæquatè accepta: non poſſunt autem vniri diuina eſſentia vt ſpecies repræſentatiua Dei, & ſpecies rei creatę, per modum vnius adæquatę ſpeciei ſicut ſpeculum, & ea quæ apparent in ſpeculo, ad producendam viſionem rerum creatarum in Deo; eò quia ſpeculum, vt diſtinctum à re quæ relucet in ſpeculo, non continet virtualiter eam, vt ſe ſolo omnia quæ in illo relucent repræſentare poſſit: Diuina autem eſſentia virtualiter continet omnem creaturam, & propterea rectè locutus eſt, Sed de hac re plura dicemus, tom. 1. q. 14.

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam, ſimul videant omnia, quæ in ipſo vident.

FORMATIO ARTICVLI.

QVadripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit concluſionem, deinde aſſignat

4. topic. c. 4. in declarat loci. 35. 10. 3. cauſam, quare nos ſimul nō poſſumus multa intelligere. Tertiò ponit corrollarium, & quartò rationem pro concluſione format.

Quò ad primum concluſio eſt iſta. *Ea quæ uidentur in Verbo non ſucceſſiuè, ſed ſimul uidentur.*

Quò ad ſecundum, ſupponit nos ſimul

To. 3. cap. 22. & 23. non poſſe multa intelligere, & huius cauſam ſic aſſignat. *Ideo nos ſimul non poſſumus multa intelligere, quia multa per diuerſas ſpecies intelligimus: ſed diuerſis ſpeciebus non poteſt intellectus unius ſimul actu informari ad intelligendum per eas; ſicut nec unum corpus poteſt ſimul diuerſis figuris figurari.*

15. de Trinitate cap. 10. Quò ad tertium, corollarium eſt iſtud. Suppoſito hoc, *contingit quòd quando aliqua multa una ſpecie intelligi poſſunt, ſimul intelliguntur. Sicut diuerſæ partes alicuius totius, ſi ſingulæ proprijs ſpeciebus intelligantur, ſucceſſiuè intelliguntur, & non ſimul. Si autem omnes intelligantur, una ſpecie totius, ſimul intelligentur.*

Quò ad quartum, ſic rationem pro concluſione adducit. *Ea quæ uidentur in Deo, non uidentur ſingula per ſuas ſimilitudines, ſed omnia per unam eſſentiam Dei.* Ergo ſimul, & non ſucceſſiuè videntur. Antecedens patet ex doctrina præcedentis articuli. Conſequentiam verò probat. *Quia ideo nos ſimul non poſſumus multa intelligere, quia multa per diuerſas ſpecies intelligimus, & quia contingit, quòd quando aliqua multa una ſpecie intelligi poſſunt, ſimul intelliguntur.* D. 193. D. 19.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorem. *Contingit multa ſcire, intelligere uerò unum*, id eſt, per vnicam ſpeciem, concedit maiorem. *Intelligere uerò unum*, id eſt, vnum numerò obiectum tantùm contemplari, negat maiorem.

*AD Decimum ſic proceditur. Videtur, quòd uidentes Deum per eſſentiam, nō ſimul uideant omnia, quæ in ipſo uident. Quia * ſecundum Philoſ. contingit multa ſcire, intelligere uerò unum.*

Sed ea, quæ uidentur in Deo, intelliguntur.

Intellectu enim uidetur Deus: Ergo non contingit à uidentibus Deum, ſimul multa uideri in Deo.

*3 Præterea. Auguſtin. * dicit octauo ſuper Geneſim ad litteram, quòd Deus mouet creaturam ſpiritualem per tempus, hoc eſt per intelligentiam, & affectionem. Sed creatura ſpiritualis eſt Angelus, qui Deum uidet.*

Ergo uidentes Deum ſucceſſiuè intelligunt, & afficiuntur; tempus enim ſucceſſionem importat.

Sed contra eſt, quòd Auguſtinus dicit ultimo † de Trinitate.

Non erunt uolubiles noſtræ cogitationes ab alijs, in alia euntes, atquè redeuntes; ſed omnem ſcientiam noſtram uno ſimul conſpectu uidebimus.

Reſpondeo. Dicendum, quòd ea, quæ uidentur in uerbo, non ſucceſſiuè, ſed ſimul uidentur.

Ad cuius euidentiā, conſiderandum eſt, quòd ideò nos ſimul non poſſumus multa intelligere; quia multa per diuerſis ſpecies intelligimus; diuerſis autem ſpeciebus non poteſt intellectus unius ſimul actu informari ad intelligendum per eas; ſicut nec unum corpus poteſt ſimul diuerſis figuris figurari.

Vndè contingit, quòd quando aliqua multa una ſpecie intelligi poſſunt, ſimul intelliguntur. Sicut diuerſæ partes alicuius totius: ſi ſingulæ proprijs ſpeciebus intelligantur, ſucceſſiuè intelliguntur, & non ſimul. Si autem omnes intelligantur una ſpecie totius, ſimul intelligentur.

*Oſtenſum * eſt autem, quòd ea, quæ uidentur in Deo, non uidentur ſingula per ſuas ſimilitudines, ſed omnia per unā eſſentiam Dei.*

Vndè ſimul, & non ſucceſſiuè uidentur.

Ad primum ergo dicendum: quòd ſic unum tantum intelligimus, in quan-

Tunc,

Tunc, conceſſa minori, negat conſequentiam. Authoritas autem intelligenda eſt primo, non autem ſecundo modo.

Ad ſecundum argumentum, reſpondet explicando maiorem. Deus mouet creaturam ſpiritualem per tempus, quantùm ad cognitionem eius naturalem, concedit maiorem. Quantum ad cognitionem qua creaturas videt in Deo, negat: Tunc cõceſſa minori, neganda eſt conſequentia. D.129. D.142.

quantùm una ſpecie intelligimus. Sed multa una ſpecie intellecta, ſimul intelliguntur. Sicut in ſpecie hominis intelligimus animal, & rationale: & in ſpecie domus parietem, & tectum.

Ad ſecundum dicendum, quòd Angeli quãtùm ad cognitionem naturalem qua cognoſcunt res per ſpecies diuerſas eis inditas, non ſimul omnia cognoſcunt. Et ſic mouentur ſecundùm intelligentiam per tempus, ſed ſecundùm quòd uident res in Deo, ſimul eas uident.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN corpore. *Diuerſis autem ſpeciebus non poteſt intellectus unius, ſimul actu informari, ad intelligendum per eas.* Diuerſis, inquit, ſpeciebus, formaliter, & actu repræſentantibus acceptis; quoniam materialiter, & in eſſe rei, oppoſitum de facto contingit, & inſuper, de ſpeciebus adæquatè acceptis; quoniam multæ ſpecies inadæquatę, poſſunt vniri ad cauſandam vnam cognitionem, vt patet in ſpeciebus potentiæ viſiuæ; hæ tamen, conſtituunt vnam ſpeciem adæquatam.

2 *Vnde contingit, quòd quando aliqua multa una ſpecie intelligi poſſunt, ſimul intelliguntur.* Nota ly, *contingit*, quoniam non eſt ſemper neceſſarium, quòd, quæ per vnicam ſpeciẽ intelliguntur, omnia ſimul contemplẽtur. Habens enim ſpeciem repræſentantem omnes animalis ſpecies, poteſt contemplari hominem, non contemplando Leonem. Neque hoc, D. Thomæ rationem eneruat. Quia videntes Deum, vident omnia per diuinam eſſentiam, tanquàm per ſpeciem, quæ ob ſpecialem rationem, non ſolùm ea quæ Beati vident, ſimul repræſentare poteſt, verùm etiam, ſic congruit, vt diſputatione ſequenti dicemus.

DISPVTATIO XCV.

VTRVM CONCLVSIO ARTICVLI SIT VERA.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Scotus. 1 SCotus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. quamuis §. *Dico quòd Verbum*, dicat omnes beatos præter Chriſtum, in Verbo videre omnia ſimul, tamen, loquens de Anima Chriſti, tenet, quòd Anima Chriſti in Verbo non videt omnia ſimul, propter illorum infinitatem, ſic enim ait; *Dico quòd Verbum cuilibet beato, eſt ſpeculum repræſentans determinata, ultra quæ non poteſt uelle ordinatè uidere alia; ſed huic* (nempè Chriſto) *eſt ſpeculum repræſentans omnia, & ideo ipſa poteſt ordinatè uelle uidere omnia.* Per quæ verba reſpondet huic dubio. *Et ſi obyciatur. Quòd ita poteſt quilibet beatus uidere quodlibet in Verbo, non ſimul.*

2 Tribuitur Ferrarienſi in 3. cont. gent. c. 59. §. *ſed remanet dubium*, eò quòd dixerit ſucceſſionem in viſione beata reſpectu eorum, quæ videntur in Deo non intrinſecè, ſed extrinſecè reperiri. Si tamen attentè lega- Ferrar.

legatur non ſolùm hanc ſententiam non tenet, ſed reprobat, & negatiuam, tanquàm doctrinæ D. Thomæ conſonam amplectitur, ac defendit. Poſtquàm enim loco citato duplicem adhibuit cuidam dubio reſponſionem, & in prima aſſeruerit in viſione beata quædam ſingularia ſub ſpeciebus contenta ſucceſſiuè videri; & in ſecunda hoc negauerit; inter primam, & ſecundam, hoc diſcrimen ponit dicens. *Licet autem prima reſponſio*, Nota, *fortaſſis ſuſtentari poſſit*, *quòd*, Nota, *non aſſero, iuxta ea quæ lib. 1. cap. 15. dicta ſunt, videtur tamen mihi, quòd ſecunda ſit magis amplectenda in doctrina Sancti Thomæ*.

3 Communis tamen Theologorum opinio eſt, omnia quæ per viſionem beatificam videntur, ſimul, & non ſucceſſiuè videri. Ita Caietanus hìc, Iauellus in comment. ſup. hunc art. Syluester in conflato quæſt. 12. art. 10. Ferrarienſis 3. cont. gent. cap. 59. Bañes hìc ad 3. Zumel, Arrubal, Faſolus hìc, & alij.

Caiet. Iauellus. Syluestr. Ferraric. Bañes. Arrubal. Zumel. Faſolus.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Doctrina D. Thomæ in corpore articuli, aſſerens quòd videntes Deum per eſſentiam, ſimul vident omnia, eſt veriſſima, & amplectenda.

Probatur primò. Quia nulla neceſſitate poteſt oppoſitum dici. Ergo. Probatur antecedens. Quia non eſt neceſſaria ſucceſſio in viſione beata, ratione ſpeciei repræſentantis; quia ſpecies repræſentans eſt diuina eſſentia. Quæ non neceſſitatur ad ſucceſſiuè repræſentandum obiecta, cum ſit infinita. Non ex parte intelligentis; quia intellectus creatus eſt lumine gloriæ illuſtratus, vt poſſit cognoſcere Deum, & ea quæ per diuinam eſſentiam repræſentantur ei. Non ratione obiectorum, quia ſiuè obiecta exiſtant, ſiuè non, poſſunt per diuinam eſſentiam præſentari. Ergo nulla neceſſitate oppoſitum dicitur.

5 Probatur ſecundò. Quia quòd videntes Deum omnia quæ vident, ſimul, & non ſucceſſiuè videant, congruit beatorum ſtatui, dicit enim perfectionem. Ergo.

6 Probatur tertiò. Viſio beatifica menſuratur æternitate participata. Ergo ex ſua natura omni ſucceſſione caret. Antecedens patet; quia eſt immediata participatio viſionis increatæ Dei, quæ eſt ipſa æternitas. Probatur conſeq. Quia cognitio quæ menſuratur æternitate, fertur ſuper omnia cognoſcibilia ſimul. Vtru autē hæc participata æternitas ſit æternitas ipſa increata, quæ participata dicitur à viſione creata, quia ſcilicet participatur tanquàm menſura de nouo adueniens viſioni creatæ; an ſit aliqua menſura creata ab æuo, & tempore diſtincta, & altioris ordinis; parum refert; hoc vnum conceſſiſſe ſufficiat, quòd viſio beata gaudet priuilegijs, quæ æternitate tribuuntur, nempè quòd ſit tota ſimul.

7 Sed contra iſtam determinationem obijcies primò. Cognitio qua cognoſcerentur omnia, ſimul eſſet minus perfecta, quàm ſi ſucceſſiuè cognoſceret: ſed viſio beata eſt cognitio perfecta. Ergo. Probatur maior ex illo communi axiomate. Pluribus intentus deficit ad ſingula ſenſus.

8 Reſpondetur negando ſequelam, ſeù maiorem. Ad cuius probationem explico antecedens. Pluribus intentus, per plures ſpecies præſentatis, deficit, &c. concedo. Per vnicam ſpeciem præſentatis, nego antecedens.

9 Obijcies ſecundò. Si anima Chriſti videret omnia ſimul in verbo, eius cognitio eſſet infinita: ſed hoc non eſt admittendum. Ergo. Probatur ſequela; quia videret infinita. Ergo in infinitum excederet perfectionem alterius cognitionis. Probatur minor; quia cognitio animæ Chriſti in Verbo, eſt aliquid creatum.

10 Reſpondetur negando ſequelam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Videret infinita in aliquo genere, concedo antecedens. Videret infinities infinita, nego antecedens. Ergo &c. adhuc diſtinguo conſequens. Excederet in infinitum ſecundùm quid, concedo conſequentiam. Excederet in infinitum ſimpliciter, nego conſequentiam.

ARTI-

Digitized by Google

FORMATIO ARTICVLI.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Vtrum aliquis in hac vita poſſit videre Deum per eſſentiam.

DIſtributio corporis, conſiſtit in vnica concluſione, cum duplici probatione, à priori vna, & à ſigno altera.

Gen.32. Concluſio eſt iſta. *Ab homine puro Deus videri per eſſentiam non poteſt, niſi ab hac vita mortali ſeparetur.*

1.Cor.13. Probatio eſt iſta. *Modus cognitionis ſequitur modum naturæ rei cognoſcenti: ſed anima noſtra quam diù in hac vita viuimus habet eſſe in materia corporali. Ergo naturaliter non cognoſcit aliqua, niſi quæ habent formam in materia, vel quæ per huiuſmodi cognoſci poſſunt: ſed manifeſtum eſt, quòd per naturas rerum materialium diuina eſſentia cognoſci non poteſt. Oſtenſum eſt enim ſupra, quòd cognitio Dei per quamcunquè ſimilitudinem creatam non eſt viſio eſſentiæ ipſius. Ergo impoſſibile eſt animæ hominis, ſecundum hanc vitam viuentis, eſſentiam Dei videre.*

Probatio à ſigno eſt iſta. *Quia anima noſtra quantò magis à*
lib.12. cõfeſſ.c.25. *corporalibꝰ abſtrahitur, tantò intelligibiliũ abſtractorum, fit capacior. Vnde in ſomniis, & alienationibus à ſenſibus corporis, magis diuinæ reuelationes percipiũtur, & præuiſiones futurorum. Ergo quòd anima eleuetur vſquè ad ſupremum intelligibilium, quod eſt eſſentia diuina, eſſe non poteſt, quamdiù hac vita mortali vtitur.*

AD Vndecimum ſic proceditur. *Videtur, quòd aliquis in hac vita poſſit Deum per eſſentiam videre. Dicit enim Iacob Geneſ. 32. Vidi Deum facie ad faciem. Sed videre facie ad faciem, eſt videre per eſſentiam, vt patet per illud, quod dicitur 1. Corinth. 13. Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Ergo Deus in hac vita per eſſentiam videri poteſt.*

2 *Præterea. Numeri duodecimo dicit Dominus de Moyſe, Ore ad os loquor ei.*

Sed qui ore ad os loquitur Deo, palàm, & non per ænigmata, & figuras, videt Deum. Sed hoc modo videre, eſt Deum per eſſentiam videre. Ergo aliquis in ſtatu huius vitæ, poteſt Deum per eſſentiam videre.

3 *Præterea. Illud in quo alia omnia cognoſcimus, & per quod de aliis iudicamus, eſt nobis ſecundum ſe notum: Sed omnia etiam nunc in Deo cognoſcimus. Dicit enim Auguſt.* duodecimo confeſſ. Si ambo videmus verum eſſe, quod dicis; & ambo videmus verum eſſe, quod dico; vbi quæſo illud videmus? Nec ego in te, nec tu in me, ſed ambo in ipſa, quæ ſupra mentes noſtras eſt, incommutabili veritate. Idem etiam in libro de vera religione † dicit, quòd ſecundùm veritatem diuinam de omnibus iudicamus. Et duodecimo de Trin.* dicit, quòd rationis eſt iudicare de iſtis corporalibus ſecundum rationes incorporales, & ſempiternas. Quæ niſi ſupra mentem eſſent, incommutabiles profectò non eſſent. Ergo & in hac vita ipſum Deum videmus.*

4 *Præterea. Secundum Auguſt. 12. ſuper Geneſ. * ad litteram. Viſione intellectuali videntur ea, quæ ſunt in anima per ſuam eſſentiam. Sed viſio intellectualis eſt de rebus intelligibilibus, non per aliquas ſimilitudines, ſed per ſuas eſſentias, vt ipſe ibidem dicit. Ergo cùm Deus ſit per eſſentiam ſuam in anima noſtra, per eſſentiam ſuam videtur à nobis.*

Sed contra eſt, quod dicitur Exod. 32. Non uidebit me homo, & uiuet. Glo. Quamdiu hic mortaliter uiuitur, uideri per quaſdam imagines Deus poteſt; ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem, non poteſt.

Reſpondeo. Dicendũ, quòd ab homine puro Deus uideri per eſſentiam non poteſt, niſi ab hac uita mortali ſeparetur. Cuius ratio eſt, quia, ſicut ſupra dictum eſt, modus cognitionis ſequitur modum naturæ rei cognoſcentis. Anima autem noſtra quamdiù in hac uita uiuimus, habet eſſe in materia corporali; undè naturaliter non cognoſcit aliqua, niſi quæ habent formam in materia; uel quæ per huiuſmodi cognoſci poſſunt. Manifeſtum*

Ad primum argumentum reſpondet lib.12 de tri.c.2.
explicando adductas Sacræ Scripturæ authoritates: De viſione faciali, non diuinæ eſſentiæ abſolutè, ſed repræſentatiuè, in aliqua ænigmatica figura, cuius declaratio patet in textu.

Ad ſecundum argumentum li.12. ſup Gen.ad li.
reſpondet diſtinguẽdo conſequẽs. Ergo aliquis in ſtatu huius vitæ, poteſt Deum per eſſentiam videre, miraculosè, id eſt ſupernaturaliter, & præter communem ordinem, concedit conſequentiam. Non miraculosè, ſed ſecũdùm communem ordinem, negat cõſequentiam.

Ad tertium reſpondet, diſtinguendo maiorem. Illud in quo Exod 32.
alia omnia cognoſcimus, & per quod de aliis iudicamus, vt ab authore luminis intellectualis, concedit maiorem. Vt in obiecto cognito, negat maiorem. Similiter explicanda eſt minor, D.667.
& neganda eſt conſequentia.

Ad quartum argumentum reſpondet, explicando maiorem. Viſione intellectuali videntur ea, quæ ſunt in anima per ſuam eſſentiam, in ratione obiecti, concedit maiorem. In ratione cauſæ, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & D.354.
neganda eſt conſequentia. D.754.

ſtum eſt autem, quòd per naturas rerum materialium, diuina eſſentia cognoſci non poteſt.

ar.1. & 9. huius q. Oſtenſum eſt enim ſupra, * quòd cognitio Dei per quamcumquè ſimilitudinem creatam, non eſt viſio eſſentiæ ipſius.

D.482. Vndè d impoſſibile eſt animæ hominis ſecundùm hanc uitam uiuentis, eſſentiam Dei uidere. Et huius ſignum eſt, quòd anima noſtra quantò magis à corporalibus abſtrahitur, tantò intelligibiliũ abſtractorum fit capacior.

Vndè in ſomnijs, & alienationibus à ſenſibus corporis, magis diuinæ reuelationes percipiuntur, & præuiſiones futurorum. Quòd ergo anima eleuetur uſquè ad ſupremum intelligibilium, quod eſt eſſentia diuina, eſſe non poteſt, quamdiù hac mortali uita utitur.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſecundum c.4 cęleſ. hierarch. Dionyſ. 4. cap. cæleſt. Hierarch. ſic in ſcripturis dicitur aliquis Deum uidiſſe, inquantum formatæ ſunt aliquæ figuræ, uel ſenſibiles, uel imaginariæ, ſecundùm aliquam ſimilitudinem aliquod diuinum repræſentantes. Quod ergo dicit Iacob, Vidi Deum facie ad faciem; referendum eſt, non ad ipſam diuinam d eſſentiam, ſed ad figuram, in qua repræſen- D.712. tabatur Deus. Et hoc ipſum ad quamdam prophetiæ eminentiam pertinet, ut uideatur perſona Dei loquentis, uel loquens Deus, licet imaginaria uiſione, 2.2.q 174 ut infra patebit, * cum de gradibus prophetiæ loquemur. Vel hoc dicit Iacob, ad d. ſignandam quãdam eminentiam intelligibilem contemplationis ſupra communem ſtatum.

Ad ſecundum dicendum; quòd ſicut Deus miraculosè aliquid ſupernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam, & ſupernaturaliter, & præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne uiuentium, ſed non d ſenſibus carnis utentium, uſquè ad uiſionem ſuæ eſſentiæ eleuauit, li.12. ſup. ut dicit Auguſt. * duodecimo ſuper Geneſim ad Geneſ. ad litteram, & in libro de uidendo Deum, de d Moyſe, lit.ca. 26. qui fuit Magiſter Iudæorum; & Paulo, qui fuit li. de vid. magiſter gentium. Et de hoc plenius tractabitur, Deũ epiſ. cum de raptu eius agemus. 112.c. 2.

D.102. Ad tertium dicendum, quòd omnia dicimur in D.482. Deo uidere, & ſecundùm ipſum de omnibus iudi- D.484. care, inquantùm per participationem ſui luminis omnia cognoſcimus, & diiudicamus.

Nam, & ipſum lumen naturale rationis, participatio quædam eſt diuini luminis; ſicut etiam omnia ſenſibilia dicimur uidere, & iudicare in Sole, id eſt, per lumen Solis.

Vndè dicit Auguſtin. † primo Sollilоqui. Diſciplinarum ſpectamina uideri non poſſunt; niſi aliquo, uelut ſuo Sole illuſtrentur, uidelicet Deo. Sicut ergo ad uidendum aliquid ſenſibiliter non eſt neceſſe, quòd uideatur ſubſtantia Solis, ita ad uidendum aliquid intelligibiliter, non eſt neceſſarium, quòd uideatur eſſentia Dei.

Ad quartum dicendum, quòd uiſio intellectualis eſt eorum; quæ ſunt in anima per ſuam eſſentiam, ſicut intelligibilia in intellectu. D.191.

Sic autem Deus eſt in anima beatorum, non 192. 193. autem in anima noſtra, ſed per præſentiam, eſſentiam, & potentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 Titulus multiplicem poteſt habere ſenſum. Primus eſt, Vtrum aliquis in hac vita per ſua naturalia poſſit videre Deum. Secundus, Vtrum aliquis in hac vita per lumen gloriæ poſſit videre Deum. Tertius eſt, Vtrum aliquis in hac vita poſſit habere lumen gloriæ ad minus per miraculum, & conſequenter, per illud videre Deum. Et hoc adhuc dupliciter. Primò Vtrum aliquis in hac vita poſſit videre Deum vtendo etiam ſenſibus, ſeù ſenſuum operationes exercendo. Secundò, Vtrum aliquis in hac vita poſſit videre Deum per alienationem à ſenſibus.

2 In hoc articulo D. Thomas non quærit primo modo. Probatur. Quia actum ageret. Iam enim artic. 4. ex profeſſo diſputauit, Vtrum aliquis intellectus creatus per ſua naturalia poſſit videre Deum. Non ſecundo modo, quia poſito lumine gloriæ in intellectu, ſtatim atquè ſuccedit vnio diuinæ eſſentiæ, in ratione ſpeciei intelligibilis viſionem claram Dei infallibiliter comprincipiantis. Lumen enim gloriæ eſt vltima diſpoſitio ad eſſentiam diuinam ſuſcipiendam. Loquitur igitur tertio modo. Nam in hoc articulo ſupponit intellectum creatum poſſe videre Deum abſolutè, vt in 1. probauit art. Supponit quoquè, quòd per ſua naturalia intellectus creatus Deum videre non poteſt, & conſequenter indiget lumine gloriæ; & ſic ſupponens luminis gloriæ neceſſitatem, in præſenti quærit, Vtrum fieri poſſit, vt homo in hac vita mortali exiſtens valet videre Deum, ſeù habere lumẽ gloriæ per quod poſſit videre Deum.

3 Ly *poſſit*, non accipitur logicè, ſeù quatenus dicit potentiam abſolutam, vt quidam volunt, ſed quatenus dicit potentiam ordinariam, ſecundùm communem ſtatum huius viæ etiam ordinis gratiæ.

4 Dices. Titulus debet intelligi iuxta quæſiti determinationem: ſed D. Thomas per rationem qua concluſionem probat, hanc deducit determinationem, ſeù concluſionem. *Vnde naturaliter non cognoſcit aliqua, niſi quæ habent formam in materia, uel quæ per huiuſmodi cognoſci poſſunt.* Ergo

Digitized by Google

ſenſus tituli debet intelligi primo modo.

5 Si hoc ita eſſet, ſequeretur, quòd fruſtra D. Thomas concluſionem ad purum hominem reſtringeret, & ad vitam hanc mortalem limitaret; Nam nequè purus homo, nequè comprehenſor, nequè in corpore glorioſo exiſtens, nec per miraculum fieri poſſet, vt aliquis per ſua naturalia poſſit videre Deum.

6 Reſpondetur igitur, quòd ratio D. Thomæ rectè concludit intentum iuxta ſenſum explicatum; Et fundatur in hoc, quòd homini in hac vita mortali exiſtenti (niſi aliter diſpenſatum fuerit diuino miraculo) conuenit intelligere etiam myſteria gratiæ iuxta modum eſſendi, id eſt, per conuerſionem ad phantaſmata, & incorporea, per corporea ſpeculari. Et propterea, concludens quòd anima naturaliter non cognoſcit aliqua, niſi quæ habent formam in materia, vel quæ per huiuſmodi cognoſci poſſunt, concludit etiam, quòd quantùm ad ea, quæ per gratiam inchoatam ſunt ei reuelata, intelligat iuxta modum ſuæ naturę. Quod nequaquàm contingere poteſt, reſpectu intuitionis diuinæ eſſentiæ.

7 *Quantò magis à corporalibus anima noſtra abſtrahitur, tantò intelligibilium abſtractorum fit capacior.* Intellige quantùm ad apprehenſionem, non autem quantùm ad iudicium.

Vnde in ſomnijs, & alienationibus à ſenſibus corporis, magis diuinæ reuelationes percipiuntur, & præuiſiones futurorum, Intellige de dormientibus ſomno puro, non autem ex multo, grauiquè cibo cauſato, ſed de ſomno de

Ariſtot. quo Ariſtoteles ait, eſſe ſenſuum exteriorum impotentiam, quando ſcilicet phantaſia libera, & expedita manet. Intellige quoquè de maiori capacitate, quò ad apprehenſionem, non verò quò ad iudicium.

8 Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 2. §. *hìc tenetur* circa finem, contra id quod D. Thomas in hoc art. dicit, nempè, *& huius ſignum eſt*, ſic ait; *Iſtud fundamentum uidetur eſſe acceptum ex fictionibus Mahometi, qui dicitur fuiſſe Epilepticus, & ad cooperiendum mendaciter miſeriam ſuam, dixit, ſe oportere cadere, quando Angelus loquebatur ſibi.*

Mahom. 9 Ex Mahometi fictionibus eſt doctrina D. Thomæ deprompta? Oppoſitum Sancta teſtatur Eccleſia, dicens. *De excelſis fons ſapientiæ, Sancto Thomæ infudit copiam, Tanquàm flumen claræ ſcientiæ, Qui ſuſceptam refudit gratiam, Dum fluentis ſummæ peritiæ, Rigat totam Sanctam Eccleſiam.*

10 Ex Mahometi fictionibus D. Thomæ doctrina? Contraria ſunt Summorum Pontificum veridica teſtimonia. Etenim

Innoc. V. Innocentius V. de D. Thomæ doctrina, ſic ait. *Huius Doctoris ſapientia præ cæteris (excepta canonica) habet proprietatem uerborum, modum dicendorum, ueritatem ſententiarum, ita quòd, qui eam tenuit, nunquàm inuentus eſt à ueritatis tramite deuiaſſe, & qui eam impugnauit ſemper de ueritate ſuſpectus fuit.*

11 Et Ioannes XXII. qui Diuum Thomam canonizauit, ſic ait, *In doctrina Sancti Thomæ illud, Rigans mentes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum ſuorum ſatiabitur terra, in eo uerißimè impletur*, & deinde ſubdit, *quòd opera Theologica D. Thomas non abſquè ſpeciali Dei infuſione perfecit.* Et Idem Ioannes XXII. dixiſſe refertur *quot articulos compoſuit tot miracula fecit.* Ioann. 22.

12 Et Vrbanus V. in Bulla ad Archiepiſcopum, ac Doctores Vniuerſitatis Toloſanæ de ſcientia D. Thomæ hæc verba promit. Vrban. V. *Nos attendentes quanta à Deo ſcientia dotatus, Ordinem Fratum Prædicatorum, & Vniuerſalem Eccleſiam Sanctus Thomas illuſtrauerit; Volumus, & tenore præſentium uobis iniungimus, ut dictam Beati Thomæ doctrinam, tanquàm ueridicam, & catholicam ſectemini, eamquè ſtudeatis totis uiribus ampliare.*

13 Et Pius V. in Bulla ſub die 11. Aprilis 1576. ſic ait. *Factum eſt, ut Angelici Doctoris ui, & ueritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cæleſtibus ciuibus adſcriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ, & conuictæ diſſiparentur, quod & ante ſæpè, & liquido nuper in Sacri Concilij Tridentini decretis apparuit.* Pius. V.

14 Et Clemens VIII. in Breui ad Neapolitanos quando ſibi Sanctum Doctorem in Patronum elegerunt, ſic ait, *Proinde piè, prudenterquè cogitatis, de nouo Ciuitatis Patrono adſciſcendo, ciue ueſtro, diuinæ uoluntatis Angelico Interprete.* Cle. VIII.

15 Et idem Clemens VIII. in quodam alio Breui ad eoſdem, ſic ait. *Doctrinæ quidem teſtis, eſt ingens librorum numerus, quos breuiſſimo tempore in omni diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate, ſine ullo prorſus errore conſcripſit. In quibus conſcribendis interdum Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum alloquentes, locoſquè illi quoquè Dei iuſſu enarrantes habuit, & quos deinde conſcriptos, expreſſa Chriſti uoce comprobatos audiuit.*

16 Et Paulus V. in Breui ſub die 17. Decembris 1607. de D. Thoma hæc verba profert. *Splendidiſſimi Catholicæ fidei Athletæ Beati Thomæ Aquinatis, cuius Scriptorum Clypeo, militans Eccleſia Hæreticorum tela, feliciter eludit.* Paul. V.

17 Et in Concilio Tridentino, in quanto fuerit prætio eius doctrina habita, legantur orationes in eius laudem mandatæ. Et Didacus Payua in laudem D. Thomæ orãs, ſic fatus eſt. *Multoties Concilium Tridentinum ſuſpendiſſe ſententiam, cum controuerteretur, an quod ſtatuebat, eſſet contra Sancti Thomæ mentem, id quod ſignanter accidit in ſeſſ. 22 nunquam enim decretum fuit, in Cœna Chriſtum Dominum Sacerdotes conſecraſſe, quouſquè* Cô. Trid.

de

Digitized by Google

de Sancti Thomæ mente conſtitiſſe, quæ in controuerſiam uocabatur.

18 Omnes Religiones paucis fermè exceptis, taceo Sapientiſſimos Diſcalceatos Carmelitas, quoniam ſunt vndequaquè doctrinæ D. Thomæ acerrimi defenſores, tantummodo mentionem faciam de inſignibus Societatis Ieſu Theologis, quibus in ſuis conſtitutionibus p. 4. cap. 14. §. primo, vt doctrina D. Thomæ legatur, his verbis. *Legatur doctrina Scholaſtica D. Thomæ*, & in Congregatione Generali Can. 9. *ſequantur noſtri Patres in Theologia Scholaſtica, doctrinam Sancti Thomæ, nec deinceps ad Cathedram Theologiæ promoueantur, niſi qui D. Thomæ doctrinæ benè affecti fuerint, ab ea uerò alieni, docendi munere repellantur.* Et in Canonizatione pro Sancto Ignatio Societatis Ieſu Fundatore, refertur, quòd *hic Sãctus nouas opiniones haud unquam admiſit, & in Theologia ſcholaſtica doctrinam Doctoris Angelici ſequutus eſt.* Et ſi plura de hac re videre deſideras, vide Grauinam, tom. 3. catholic. præſcript. lib. 4. artic. 10. fol. 273. Ieſuitæ. Grauin.

Diuinitus igitur D. Thomæ doctrina, & non ex Mahometi fictionibus accepta eſt. Præcitatas authoritates exagera.

19 SEd, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius.* Occulta ſunt iudicia Dei, ſed iuſta. Ex iuſto igitur Dei iudicio factum eſt, vt qui gratis ſe veræ oppoſuere luci meritò in tenebris (in pœnam temporalem loquor) viui ſepulti perirent. Rom. 11.

20 Scotus multùm exceſſit, ſic contra Angelicum Doctorem loquens, quare non immeritò Eminentiſſimus Caietanus in huius articuli fine, dictum irreſpectuoſum ſermonem, his verbis caſtigat. *Taceat ergo præſumptuoſa hæc uox: Chriſtianiſſima doctrina hæc eſt, & Philoſophica ſimul.*

21 Solent diſputare Doctores, Vtrum Moyſes, & Paulus in hac vita, diuinam viderint eſſentiam, & longo ſermone diſcurrunt, in variaſquè ſententias diuiduntur. Standum tamen eſt, doctrinæ Sancti Thomæ, Auguſtini, aliorumquè grauiorum Patrum determinationi.

22 Vbi diligenter aduerte, quòd quamuis Paulus, & Moyſes diuinam viderint eſſentiam in hac vita mortali exiſtentes, non tamen dum eam videbant ſenſibus corporis vtebantur, vt rectè aduertit Diuus Thomas hic in reſp. ad 2. ſic dicens, *ſed non ſenſibus carnis utentium, uſquè ad uiſionem ſuæ eſſentiæ eleuauit.* D. Thom.

23 Solùm poteſt obijci teſtimonium Euariſti Papæ, qui in epiſtola prima ad Epiſcopos Aphricanos, vt habetur in libris Conciliorum explicans illud Pauli. 1. ad Tim. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem*, poſtquàm dixit, quod non de ſolo Patre dictum ſit, ſed etiam de Filio intelligendum eſſe, ſic ſubiungit; *Eam lucem inacceſſibilem (quam Pater, & Filius inhabitant) nullus in hoc mortali corpore conſtitutus, poteſt aliquatenus contueri; ſed dum apparuerit, tunc uerè eum uidebit; & non ſicut Moyſes cæteriquè prophetæ, per ænigmata, & figuram.* Vbi expreſsè tenet, nec Moyſem, nec vllum Prophetam in hoc mortali corpore vidiſſe Deum. Euariſt. P. 1. Tim. 6.

24 Reſpondetur primò, Summum Pontificẽ nõ tenuiſſe hoc determinãdo de fide, ſed vt Doctorem ſingularem opinãdo. Vtrum autẽ Sũmi Pontificis in ratione particularis Doctoris opinio, ſit opinioni D. Auguſtini, & D. Thomæ præferenda, an horum Doctorum ſit maior authoritas; clarum eſt, quòd eſt maior authoritas horum Doctorum, qui ſunt Eccleſiæ lumina; Secus autem eſt, ſi loquamur de Authoritate Summi Pontificis definientis in ratione definientis tanquàm Summi Pontificis; Eſt enim eius authoritas infallibilis, & diuina. Videatur Zumel hic. Zumel.

25 Reſpondetur ſecundò, Euariſti ſententiam eſſe veram, non tamen ſententiæ Diui Thomæ contrariam; Et quando ait, Viſionem Moyſis per ænigmata fuiſſe, & per figuram, interpretari debet, de apparitionibus ordinarijs, & quaſi continuis, non autem de illa ſpeciali, de qua eſt ſermo in hoc art. ad 2. Nam poſt verba illa numeri 12. *Ore ad os loquor ei*, ſtatim atquè idem Dominus explicans quod dixerat, nempè *Ore ad os loquor ei*. Sic immediatè ſubdit, *& palam, & non per ænigmata, & figuras, Dominum uidet.* Num. 12.

Digitized by Google

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Vtrum per rationẽ naturalem Deũ in hac vita cognoſcere poſsimus.

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Ponit concluſionem bimembrem, cum vtriuſquè partis probatione, ita ſanè, quòd ſecunda pars eſt principale quæſiti intentum; & deinde sm̃ cõcluſionis mẽbrum diſtinctius manifeſtat.

lib. 5. inter med. & finem proſæ 4.

Concluſio eſt iſta. *Ex ſenſibilibus non poteſt vſquè ad hoc intellectus noſter pertingere, quòd diuinam eſſentiam videat, ſed in hoc perduci poſſumus, vt cognoſcamus de Deo an eſt, & vt cognoſcamus de ipſo, ea quæ neceſſe eſt ei conuenire, ſecundùm quòd eſt prima omnium cauſa, excedens omnia ſua cauſata.*

Quæſt. 3. art. 7.

3. de anima te. 30.

Probatio eſt iſta. *Naturalis noſtra cognitio à ſenſu principium ſumit. Ergo tantùm ſe noſtra naturalis cognitio extendere poteſt, inquantùm manuduci poteſt per ſenſibilia:* Quibus poſitis.

lib. 1. de Trin. c. 2.

Probatur prima cõcluſionis pars. Quia *creaturæ ſenſibiles ſunt effectus Dei virtutem cauſæ non adæquantes. Ergo ſenſibilium cognitione non poteſt tota Dei virtus cognoſci; & per conſequens, nec eius eſſentia videri.*

Rom. 1.

Probatur ſecunda cõcluſionis pars, principaliter in præſenti intenta, *Quia creaturæ ſenſibiles ſunt eius effectus, à cauſa dependentes. Ergo ex eis in hoc perduci poſſumus, vt cognoſcamus de Deo an eſt, &c.*

Manifeſtat autem ſecundam concluſionis partem ſic. *Cognoſcimus de ipſo habitudinem ad creaturas, quòd ſcilicet, eſt omnium cauſa, &c.* prout iacent in textu.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorem. Ratio non capit ſimplicem formam, Quò ad quid eſt, concedit. Quò ad an eſt, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, ſimiliter diſtinguendum eſt cõſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, cõcedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: Sed Dei, phantaſma eſſe non poteſt, teſt, benè tamen effectus ſui, concedit minorem. Nec Dei, nequè effectus eius, negat minorem. Ergo, &c. negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, cõcedendo maiorem; & diſtinguendo minorem. Cognitio Dei per gratiam, conuenit tantùm bonis, concedit minorem. Cognitio Dei per rationem naturalem, conuenit tantùm bonis, negat minorem. Ergo &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. D. autem Aug. loquutus eſt de cognitione, quæ habetur per gratiam.

lib. 1. retr. c. 4. to. 1.

AD Duodecimum ſic proceditur. Videtur, quòd per naturalem rationem Deum in hac vita cognoſcere non poſſimus. Dicit .n. Boet. in li. de conſo. quòd ratio non capit ſimplicem formam; Deus autem maximè eſt ſimplex forma, vt ſupra oſtenſum eſt. * Ergo ad eius cognitionem ratio naturalis peruenire non poteſt.*

2 Præterea. Ratione naturali ſine phantaſmate nihil intelligit anima, vt dicitur in tertio de anima. †

Sed Dei cùm ſit incorporeus, phantaſma in nobis eſſe non poteſt. Ergo cognoſci non poteſt à nobis cognitione naturali,

3 Præterea. Cognitio quæ eſt per rationem naturalem, communis eſt bonis, & malis, ſicut natura eis cõmunis eſt: ſed cognitio Dei competit tantùm bonis.

*Dicit enim Aug. primo de Trinitat. * quòd mentis humanæ acies in tam excellenti luce non figitur; niſi per iuſtitiã fidei emundetur. Ergo Deus per rationem naturalem cognoſci non poteſt.*

Sed Contra eſt, quod dicitur Roman. primo. Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, id eſt, quod cognoſcibile eſt de Deo per rationem naturalem.

Reſpondeo Dicendũ, quòd naturalis noſtra cognitio à ſenſu principium ſumit. Vnde tantùm ſe noſtra naturalis cognitio extendere poteſt, inquantùm manuduci poteſt per ſenſibilia. Ex ſenſibilibus autem nõ poteſt vſquè ad hoc intellectus noſter pertingere, quòd diuinam eſſentiã videat, quia creaturæ ſenſibiles ſũt effectus Dei, virtutẽ cauſæ nõ adequãtes. Vnde ex ſenſibilium cognitione non poteſt tota Dei virtus cognoſci; & per conſequens, nec eius eſsẽtia videri. Sed quia ſunt eius effectus à cauſa dependentes, ex eis in hoc perduci poſſumus, vt cognoſcamus de Deo an eſt; & vt cognoſcamus de ipſo, ea quæ neceſſe eſt ei conuenire, ſecundùm quòd eſt prima omnium cauſa excedens omnia ſua cauſata. Vnde cognoſcimus de ipſo, habitudinem ipſius ad creaturas; quòd .ſ. omniũ eſt cauſa, & differẽtiã creaturarum ab ipſo, quòd .ſ. ipſe non eſt aliquid eorum, quæ ab eo cauſantur; & quòd hæc non remouentur ab eo propter eius defectũ, ſed quia ſuperexcedit.

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio ad formam ſimplicem pertingere non poteſt, vt ſciat de ea quid eſt; poteſt tamen de ea cognoſcere, vt ſciat an eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd Deus naturali cognitione cognoſcitur per phantaſmata effectus ſui.

Ad tertium dicendum, quòd cognitio Dei per eſſentiam, cum ſit per gratiam, non competit niſi bonis: ſed cognitio eius, quæ eſt per rationem naturalem, poteſt competere bonis, & malis.

Vnde dicit Auguſt. in lib. Retractionum: Non approbo, quod in oratione dixi, Deus, qui non niſi mundos verum ſcire voluiſti. Reſponderi enim poteſt, multos etiam non mundos multa ſcire vera, ſcilicet per rationem naturalem.*

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 NOta in titulo, ly, *cognoſcere*, non enim dixit, videre, vt totius præſentis diſputationis perficiat opus. Obiectum enim huius quæſtionis adæquatum, eſt Deus vt ab intellectu creato cognoſcibilis, in præcedentibus tractauit de Deo, vt intuitiuè cognoſcibili, & in præſenti, de Deo vt abſtractiuè intelligibili.

2 In corpore. *Naturalis noſtra cognitio à ſenſu principium ſumit. Naturalis*, ad differentiam ſupernaturalis, & infuſæ, quæ principium habet à Deo inuiſibiliter infundente.

3 *A ſenſu principium ſumit*. Quia per intellectum non ad ſola ſenſibilia terminatur; ſed ad omnia alia, ad quæ per ſenſibilia poteſt manuduci,

4 *Vnde tantum ſe noſtra naturalis cognitio extendere poteſt, in quantum manuduci poteſt per ſenſibilia*. Subaudi, per intellectum contemplata, non vt in ſe ipſis ſunt, ſed quatenus conſiderantur in ratione effectus, vt, paucis interiectis, rectè ſe declarat, dicens, *ſed quia ſunt effectus à cauſa dependentes, ex eis, &c.*

5 *Vnde cognoſcimus de ipſo habitudinem ad creaturas. Habitudinem*, non ait, relationem realem, aut tranſcendentalem, ſed *habitudinem*, non qualemcumquè, ſed connexionis, quam habet cum creaturis, in ratione primæ ipſarum cauſæ,

---

ARTICVLVS XIII.

Vtrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei, quàm ea quæ habetur per rationem naturalem.

FORMATIO ARTICVLI,

Corporis diſtributio conſiſtit in vna concluſione affirmatiua, vnicaquè eius probatione.

Concluſio eſt iſta. *Per gratiam, perfectior cognitio de Deo habetur à nobis, quàm per rationem naturalem.*

Probatio eſt iſta, *Cognitio quam per naturalem rationem habemus duo requirit, ſcilicet phantaſmata ex ſenſibilibus accepta, & lumen naturale intelligibile, cuius virtute intelligibiles conceptiones ab eis abſtrahimus*: ſed cognitio per gratiam quantùm ad vtrumquè eſt perfectior, quàm cognitio Dei, quæ habetur per rationem naturalem. Ergo. Probat minorem. Quia *quantum ad vtrumquè iuuatur humana cognitio per reuelationem gratiæ*. Ergo. Probat antecedens. Nam, *& lumen naturale intellectus confortatur per infuſionem luminis gratuiti; & interdum etiam phantaſmata in imaginatione hominis formantur diuinitus, magis exprimentia res diuinas, quàm ea, quæ naturaliter à ſenſibilibus accipimus; ſicut apparet in viſionibus propheticalibus, & interdum etiam aliquæ res ſenſibiles formantur diuinitus, aut etiam voces ad aliquid diuinum exprimendum, ſicut in baptiſmo, viſus eſt Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ; & vox patris audita eſt.*

Ad primum argumentum reſpondet, expli-

AD Tertiumdecimum ſic proceditur. Videtur, quòd per gratiam non habeatur altior cognitio Dei, quàm ea; quæ habetur per naturalem rationem. Dicit enim Dionyſ. †. primo libro de myſtica theologia, quòd ille qui melius vnitur Deo in hac vita, vnitur ei, ſicut omnino ignoto.

Quod etiam de Moyſe dicit: Qui tamen excellentiam quãdam obtinuit in gratiæ cognitione. Sed cõiungi Deo, ignorãdo de eo quid eſt, hoc contingit etiam per rationem naturalem. Ergo per gratiam non plenius cognoſcitur à nobis Deus, quàm per rationem naturalem.

2 Præterea. Per rationem naturalem in cognitionem diuinorum peruenire non poſſumus, niſi per phantaſmata, ſic etiam nec ſecundùm cognitionem gratiæ. Dicit enim Dionyſ. †. primo cap. cæleſt. Hierarch. quòd impoſſibile eſt, nobis, aliter lucere diuinum radium, niſi veritate ſacrorum velaminum circumuelatum. Ergo per gratiam non plenius cognoſcimus Deum, quã per rationem naturalem.

3 Præterea. Intellectus noſter per gratiam fidei Deo adhæret. Fides autem, non videtur eſſe cognitio. Dicit enim Gregor., in homil. quòd ea quæ non videntur, fidem habent, & non agnitionem. Ergo per gratiam non additur nobis aliqua excellentior cognitio de Deo.*

Sed Contra eſt, quod dicit

1.Cor.2. explicando authoritatem Diui Dionyſij. *Ille qui melius vnitur Deo in hac vita, vnitur ei ſicut omnino ignoto*, per eſſētiam, & quidditatiuè, concedit, & in hoc ſenſu locutus eſt Diuus Dionyſius. *Sicut omnino ignoto*, quantum ad effectus, negat; & in hoc ſenſu nō locutus eſt Dionyſius; quia *licet per reuelationem gratiæ in hac vita non cognoſcamus de Deo quid eſt, tamen plenius ipſum cognoſcimus, in quantum plures, & excellentiores effectus eius nobis demonſtrantur, & in quantum, &c.*

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo antecedens. *Per rationem naturalem in cognitionem diuinorum peruenire nō poſſumus, niſi per phantaſmata, ſic etiam nec ſecundùm cognitionem gratiæ*, ſed diuerſimodè, concedit antece-

dicit Apoſtol. primæ Corinth. ſecundo. Nobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum, illa ſcilicet, quæ nemo principū huius ſeculi nouit, id eſt, philoſophorum: vt exponit gloſ.

Reſpondeo. Dicendū, quòd per gratiam perfectior cognitio de Deo habetur à nobis, quàm per rationem naturalem.

Quod ſic patet. Cognitio enim, quam per naturalem rationem habemus, duo requirit; ſcilicet phantaſmata ex ſenſibilibus accepta, & lumen naturale intelligibile; cuius virtute intelligibiles conceptiones ab eis abſtrahimus.

Et quātùm ad vtrūquè iuuatur humana cognitio per reuelationem gratiæ. Nam & lumen naturale intellectus confortatur per infuſionem luminis gratuiti: & interdum etiam phantaſmata in imaginatione hominis formantur diuinitus, magis exprimentia res diuinas, quàm ea, quæ naturaliter à ſenſibilibus accipimus; ſicut apparet in viſionibus propheticis. Et interdum etiam aliquæ res ſenſibiles formantur diuinitus, aut etiam voces ad aliquid diuinum exprimendū; ſicut in baptiſmo, viſus eſt Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ; & vox Patris audita eſt. Hic eſt filius meus dilectus.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet per reuelationem gratiæ, in hac vita non cognoſcamus de Deo, quid eſt, & ſic ei quaſi ignoto coniūgamur; tamen plenius ipſum cognoſcimus, in quantùm plures, & excellentiores effectus eius nobis demonſtrantur; & in quantùm ei aliqua attribuimus ex reuelatione diuina, ad quæ ratio naturalis non pertingit, vt Deum eſſe Trinum, & Vnum.

Ad ſecundum, dicendum, quòd ex phantaſmatibus, vel à ſenſu acceptis ſecundùm naturalem ordinem, vel diuinitus in imaginatione formatis, tantò excellentior cognitio intellectualis habetur, quantò lumen intelligibile in homine fortius fuerit. Et ſic per reuelationem ex phantaſmatibus, plenior cognitio accipitur ex infuſione diuini luminis.

Ad tertium dicendum, quòd fides cognitio quædam eſt, inquantùm intellectus determinatur per fidem ad aliquod cognoſcibile. Sed hæc determinatio ad vnum, non procedit ex viſione credētis, ſed à viſione eius cui creditur. Et ſic inquantùm deeſt viſio, deficit à ratione cognitionis, quæ eſt in ſcientia. Nam ſcientia determinat intellectum ad vnum per viſionem, & intellectum primorum principiorum.

dens. Eodem modo negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam. *Eo quia ex phantaſmatibus, vel à ſenſu acceptis ſecundū naturalem ordinem, vel diuinitus in imaginatione formatis tantò excellentior cognitio intellectualis habetur, quantò lumen intelligibile in homine fortior fuerit, & ſic, &c.*

Ad tertium argumentū reſpondet cōcedendo maiorem, & & negādo minorem. Ad cuius probationem, explicatur authoritatem D. Gregorij. Ea quæ, &c. & non agnitionem claram, concedit minorem. Et nullo modo agnitionem, negat. *Fides enim cognitio quædam eſt, in quantum, &c.*

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRo tituli intelligentia obſerua, quòd nomine cognitiones per gratiam, intelligitur quæcumquè intellectualis ſupernaturalis illuſtratio, quæ per lumen naturale non habetur.

Obſerua quoquè, quòd per altiorem cognitionem, intelligitur cognitio perfectior, vt patet in concluſione reſponſiua quæſito, quam in reſponſione ad 2. excellentiorem, ac pleniorem vocat.

2 *Per gratiam perfectior cognitio de Deo habetur à nobis, quàm per rationem naturalem:* Intellige quò ad excellentiam luminis, & phantaſmatum, & quò ad certitudinem intellectus, non autem quò ad euidentiam cognitionis.

Et quantùm ad vtrumquè iuuatur humana cognitio per reuelationem gratiæ. Iuuatur, non qualitercumquè, ſed per reuelationem gratiæ, id eſt per lumen ſuperioris ordinis.

3 *Tamen plenius ipſum cognoſcimus, in quantùm plures, & excellentiores effectus eius nobis demonſtrantur.* Nam per reuelationem gratiæ, cognoſcimus prædeſtinationem homi-

Digitized by Google

hominum, & Angelorum, ſanctificantem gratiam, & gloriam ſempiternam, quæ ſunt effectus excellentiores, quatenus ſcilicet, ſunt excellentioris ordinis, cœteris effectibus, quos per rationem naturalem cognoſcere poſſumus.

4 *Et in quantùm ei aliqua attribuimus ex reuelatione diuina, ad quæ ratio naturalis non pertingit, Vt Deum eſſe Trinum, & Vnum.* Aduerte, quòd cognitio Dei Trini, & Vnius, eſt altior, non quia rei nobilioris, quam ſint alia eiuſdem prædicata, ſed quia difficilioris cognitionis eſt.

5 Omnia quæ in hoc primo Tomo ſcripſi, & in ſequentib' Deo duce dicam, humiliter Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ correctioni ſubmitto.

Et licet opus hoc cæptum ſit ſub Generalatu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Fratris Thomæ Turci; tamen ob nonnulla intermedia incommoda, completũ eſt tempore Generalatus Reuerendiſſimi Patris Fratris Ioannis Baptiſtę de Marinis Aſſumptionis ſuæ Anno ſecundo. Lytij, in Conuentu Sancti Ioannis de Ayme Die 20. Auguſti 1651.

Laus Patri ſit, ac Genito,
Simulquè ſancto flamini,
Qui Sancti Thomæ merito,
Nos Cœli iungat agmini.
Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICVS

EORVM QVÆ IN HOC OPERE

Continentur.

A

Accidens .

ACcidens non eſt ens abſolutè,ſed cum conditione diminuente . pag. 284. num.7.

Accidens non datur vt ſit,ſed vt inſit . Ibidem & pag.289. num.17. & 18.

Sunt quædam accidentia , quæ non ſolùm ſubiecto inhærent, ſed vltra hoc, reſpiciũt obiectum,vel terminum,&c. & huiuſmodi non inſunt , vt inſint , ſed vt ſubiectum cui inſunt, ad aliud referant . Ibidem num.8.

Accidens ſupernaturale dicit exceſſum, non quidem ſupra omnia accidentia , ſed ſupra cuiuſcũquè ſubſtãtiæ,vel potentiæ creatæ, naturalem exigentiam . Ibidem num.8.

Accidens ſupernaturale eſt duplex; quoddam eſt habitus; quoddam verò operatio . Ibidem num.9.

Accidens ſupernaturale vtroquè modo acceptum, quid ſit . Ibidem.

Accidens ſupernaturale, ideo ſupernaturale dicitur , quia eleuat ad obiectum ſupernaturale,ſubſtantiam , vel potentiam naturalem ; vel quia attingit obiectum ſupernaturale . pag.287.num.10.

Accidens naturale ideo dicitur naturale , quia diſponit ſubſtantiam, ſeù ſubiectum cui ineſt ad operationem,vel ad terminum, in proprio genere ; non autem ad Deum vt in ſe eſt . pag.288.num.13.

Accidens ſupernaturale non eſt neceſsè vt ſit ens à ſe, ſed ſufficit, vt eleuet ſubſtantiam , vel potentiam naturalem ad attingendam ſubſtantiam ſupernaturalem,&c. pag.229. num. 17.

Accidens ſupernaturale habituale optimè probat ſubſtantiæ ſupernaturalis impoſſibilitatem pag.290.num.18.

Accidens ſupernaturale, aliud ſubiectum non cognoſcit, quod ſit ei proprium,niſi ſubſtantiam naturalem , vel potentiam naturalem . pag.296. num.85.

Aliquod accidens ſupernaturale eleuat ſubſtantiam,vel potentiam, ab ordine naturali , ad ordinem ſupernaturalem ; & aliquod ſupponit illam eleuatam . pag.296. num.83. & 84.

Actiuitas, & Actibilitas .

Actiuitati naturali,debet correſpondere actibilitas naturalis . pag.379. num.32.

Actibilitati ſupernaturali,debet correſpondere actiuitas ſupernaturalis. Ibidem.

Actus , & Actio.

Actus purus, & ſumma immaterialitas , ſolo nomine differunt . pag. 5.

Actus ſecundus perfectior eſt, quàm habitus, quò ad modum attingendi obiectum . pag.15.num.13.

Actus amoris amicitiæ, non eſt actus poſſeſſiuus,& conſecutiuus,ſi propriè loquamur. pag.22.num.31.

Non datur aliquis actus vitioſus in intellectu , qui immediatè deſtruat viſionem beatificam, & lumen gloriæ auferat ; & hoc propter viſionis beatificæ perfectionem . pag.32.& 33. num.59. & 60.

Actio eſt duplex, immanens , & tranſiens . pag.206.num.7.

Actio de prædicamento actionis , quid , & qualis ſit . pag.207.num.10.

Actio de prædicamento actionis , ceſſat termino iam producto. pag.208.num.16.

Actiones immanentes vt ſunt per ſe primò terminus intellectus, nequè etiam actiones grammaticales eſſe dicuntur, ſed tantùm effectus . pag.208. num 20.

Actiones immanentes vt ſunt via ad ſua obiecta attingenda , vocantur actiones grammaticales . Ibidem .

Actio de prædicamento actionis , eſt termini productio,vel alicuius extrinſeci acquiſitio per ſe primò . pag.209.num.21.

Omnis actio debet habere terminum, iuxta actionis exigentiam . pag.226. num.40.

Actus eſt proportionatus ei, cuius eſt actus . pag.246.num.7.

Actus eſt ita proportionatus ei cuius eſt actus, vt implicet agens per ſua naturalia agere perfectiori modo,quàm conueniat ei ſecũdùm quòd actus talis rei eſt,niſi habeat aliquod, ratione cuius poſſit ad altiorem modum operandi eleuari. pag.246. num.7.

Actus purus , ex hoc quòd actus purus eſt , vnus eſt . pag.274.num.44.

Actus fidei ſupernaturalis, eſt ſimpliciter ſupernaturalis . pag.335. num.45.

Actus actiuorum recipiuntur in patiente benè diſpoſito . pag.321.num.17.

Adam.

Adam ſi permanſiſſet abſque peccato, intellexiſſet per conuerſionem ad phantaſmata, non impedientia intellectionem, ſed per phantaſmata expedita, & apta. pag.270. num.15.

Aer.

Aer dupliciter dicitur formam ignis poſſe accipere, in ſenſu compoſito ſcilicet, & in ſenſu diuiſo. pag.279. num.7.

Aluarez.

Aluarez vir ſanctitate, ac doctrina præditus. pag.335. num.42.

Amor, & Amare.

Amor Beatiſſimæ Virginis in via, quò ad intenſionem, non excedit amorem cuiuſcumque Beati, quantumuis minimi. pag.23.n.33.& deinceps.& 437.num.42.

Amor amicitiæ Dei eſt propter Deum, ſeù propter bonum Dei in ſe, quia diuinam bonitatem commendat, & affectat. 30.n.52.

Amor amicitiæ eſt præſtantius bonum amantis, vt laudabilis, non vt beatificabilis. pag.31.num.54.

Hoc quod eſt amare Deum, contradictoriè opponitur, hoc, quod eſt non amare Deũ; contrariè verò, opponitur hoc, quod eſt odio habere Deum. pag.32.n.59.

Per actum amoris pro ſucitur terminus, non fit obiectum ſimilitudo intimè præſens voluntati, ſed vt voluntas per repræſentationẽ obiecti ſibi ab intellectu factam, tẽdat ad obiectum per terminum, qui alio vocabulo vocatur impulſus. pag.229.n.62.

Quare per actum amoris beatifici producatur impulſus, non verò per actum viſionis Dei producatur verbum. pag.229.n.62.

Amor amicitiæ Dei, non eſt poſſeſſiuus Dei, pag.17. num.18.

Supponit Deum conſecutum per viſionem. Ibidem.

Amoris Dei actus, in via, & in Patria, ſpecificè diſtinguuntur. pag.24.num.34.

Angelus.

Angelus non dicitur ſpeculum purum, ita vt de ipſo dici poſſit, candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. pag.264.num.23.

Angelus dicitur ſpeculum purum priuatiuè, quia ſcilicet, nullum in ſe defectum habet; non autem dicitur purum, quaſi omnem habeat perfectionem. Ibidem.

Angeli conueniunt in modo eſſendi generico cum anima ſeparata. pag.272.num.27.

Angelus conuenit cum Deo in gradu generico analogico, non autem vniuoco. pag.272.num.29.

In Angelis datur compoſitio logica, & metaphyſica, fundata ſuper realem ipſorum potentialitatem. Ibidem num.31.

Angeli ſuperiores intelligunt per pauciores, ac vniuerſaliores ſpecies. pag.276.num.58

Dato quocumquè Angelo, poteſt dari alius perfectior, & ſic in infinitum, non tamen ſupra naturam Angelicam poteſt dari alius gradus perfectior. pag.285.num.28.

Anima intellectiua.

Anima ſeparata habet naturalem inclinationem, vt corpori reuniatur, ratione termini proportionati, ſibiquè connaturalis; non verò ratione fieri, ſeù medij vnionis. pag.69.num.58.

Anima ſeparata vt ſeparata eſt, non poteſt naturaliter corpori reuniri, poteſt tamen vt anima eſt. pag.69. num.59.

Anima intellectiua eſt actus corporis organici nõ tñ eſt actus corporalis organi. 246.n.6.

Anima intellectiua ex eo quòd eſt actus corporis, habet vt connaturaliter tantùm materialia cognoſcat; ex eò verò quòd ſpiritualis eſt, quò ad eius eſſe, habet vt corporalia, & materialia à ratione materiali indiuiduali abſtractè cõſideret. pag.263.n.20.

Animæ à corpore ſeparatæ, non aduenit nouiter peculiare lumen ſibi connaturale, ſed illud omninò idẽ, ꝙ habebat dum exiſtebat in corpore perſeuerat. pag.27[illegible].num.55.

Anima corpori vnita non poteſt ſubſtantias ſeparatas quidditatiuè cognoſcere, non quidem ob luminis deficientiam, ſed propter coniunctionem ad corpus, a quo tanquàm à connaturali inſtrumento in ſcientiarum acquiſitione depẽdet. Ibidem, n.55.

In anima noſtra eſt vnum lumen cõnaturale, duplex autẽ modus eſſendi. pag.276.n.56.

Anima intellectiua, & Angelus ſunt participationes naturæ diuinæ, materialiter, non formaliter, ſeù ſecundùm proportionalitatem, non verò ſecundùm proportionem, pag.289. num.22.& 24. 25. & 26.

Anima intellectiua à ſolo Deo producitur. pag.335.num.50.

Eſt ſubſtantia ſpiritualis. Ibidem.

Appetitus.

Appetitus eſt duplex, naturalis, qui dicitur pondus naturæ, & elicitus. pag.53.num.1.

Appetitus naturalis pro pondere naturæ ad claram Dei viſionem, determinatè, & in particulari, nõ datur. pag.55.num.7.

Appetitus pro pondere naturæ, eſt a Deo tãquam ab authore naturæ, nõ verò tãquàm ab authore gratiæ. pag.56.num.11.

Appetitus innatus non eſt ſola potentiæ capacitas. pag.60.num.24.& pag.67.num.50.

Non eſt appetibile aliquo efficaci appetitu, quod eſt impoſſibile, & tanquàm impoſſibile cognoſcitur. pag.69.num.55.

Appetitus elicitus, tribus modis nuncupari poteſt naturalis. Subiectiuè, Effectiuè, & Modaliter. pag.72.& 73.num.1.

Appetitus elicitus dupliciter dicitur neceſſarius, quò ad exercitium ſcilicet, & quò ad ſpecificationem. pag.73.num.1.

Appetitus elicitus eſt duplex, abſolutus ſcilicet, & conditionatus. pag.73. num.2.

Appetitus conditionatus poteſt ad impoſſibilia terminari. pag.80.num.38.

Aqua

Aqua.

Aqua baptiſmalis per ablutionem, ac debitam verborum prolationem, cauſat in anima ſanctificantem gratiam tanquàm inſtrumentum Dei. pag. 370. num. 16.

Aqua ideo cauſat gratiam, vt inſtrumentum Dei, quia eleuatur ad operationem non ſuam. Ibidem. num. 20.

Aqua calida denominatiuè calefacit.

Attributum.

Attributa diuina non diſtinguuntur ratione per viſionẽ claram Dei. pag. 234. num. 10.

Attributa diuina per viſionem claram Dei, cognoſcuntur, vt diſtinguibilia, per cognitionem extra viſionem. Ibidem.

Attributa diuina non poſſunt nõn videri viſa eſſentia diuina. pag. 465. num. 7.

Augmentum.

Augmentum virtutis intellectiuæ, vocatur illuminatio intellectus. pag. 279. num. 10.

Quid intelligat D. Thomas nomine virtutis intellectiuæ. Ibidem. num. 12.

B

Beatitudo.

VLtima hominis beatitudo, habitualiter, conſiſtit in habitu, & actualiter, in actu. pag. 15. num. 13. Et pag. 28. num. 45.

Beatitudo formaliter, & eſſentialiter accepta, conſiſtit in actu ſecundo, non verò in habitu niſi habitualiter, minus principaliter, & diſpoſitiuè. pag. 15. num. 13.

Beatitudo vltima rationalis creaturæ, formaliter, & eſſentialiter accepta, eſt ſummi boni actualis attingẽtia, ac perfecta poſſeſſio. pag. 15. num. 13.

Beatitudo vltima rationalis creaturæ, ſi phyſicè loquamur, plures includit actus, intellectus ſcilicet, & voluntatis; ſi verò metaphyſicè conſideretur, conſiſtit in vno actu dumtaxat, nempè in viſione clara Dei. pag. 16. num. 16. & pag. 28. num. 45. & 46. & pag. 29. num. 49. & deinceps.

Vltima hominis beatitudo non eſt delectatio, nec amor amicitiæ Dei, ſed viſio clara Dei dumtaxat. pag. 17. 18. & deinceps.

Quomodo intelligitur, quòd ſicut beatitudo eſt primum obiectum appetibile, ſic etiam primum obiectum intelligibile. Vbi plura contra Suarez. pag. 21. & 22. à num. 29. vſquè ad 30.

Beatitudo non eſt qualiſcumquè forma perfectiſſima, ſed illa quæ præſupponit animam Deo gratam, & intellectum lumine gloriæ illuſtratum, eſtquè operatio. pag. 26. num. 41.

Beatitudo vocatur gratia conſumata, quia gratia conſumatur, ſeù perficitur tanquàm per vltimam perfectionem, per beatitudinem, vt eſſe conſumatur per operationem. pag. 27. num. 42.

Beatitudo creaturæ rationalis conſiſtit in vnione perfectiſſima, in eſſe intelligibili, non autem in eſſe naturali. pag. 27. n. 43.

Beatitudo conſiſtit in perfectiſſimo bono, vt poſſeſſo. pag. 27. num. 44. & pag. 30. n. 51.

Beatitudo conſiſtit in illo actu quo reſpicitur obiectũ tanquàm amantis bonũ. p. 31. n. 54.

Beatitudo formaliter, & eſſentialiter accepta, conſiſtit in perfectiſſimo creaturę rationalis actu, qui ſimul eſt boni beatificantis perfecta poſſeſſio, & huiuſmodi eſt viſio clara Dei. pag. 31. num. 54.

Beatitudo conſiſtit in vltimo actu, non qualicumquè, ſed conſecutiuo. pag. 31. num. 55.

Quando dicitur, quòd beatitudo conſiſtit in vltimo actu, non eſt ſenſus, quòd conſiſtat in vltima operatione, ſed quòd non conſiſtit in actualitate eſſentiæ, vel exiſtentiæ, ſed in actualitate operationis, quæ eſt vltima actualitas, in ordine ad præcedentes actualitates. pag. 31. num. 55.

Beatitudo in illo actu conſiſtit formaliter, & eſſentialiter, in quo eſt vltima quies eſſentialis, nõ autem accidentalis. pag. 31. n. 56.

Beatitudo in communi quomodo naturaliter appetatur, & quid D. Thomas nomine beatitudinis in communi intelligat. pag. 63. à num. 37. vſquè ad 41.

Beatus.

Beatus non ponit diſtinctionem inter vnum attributum, & aliud. pag. 235. num. 21.

Beati non ideo de creaturis in Deo viſis verbum partiale per viſionem formare non poſſunt, quia ſcilicet, tale verbum ſecundùm quòd verbum creaturarum, eſſet infinitum; ſed quia non poteſt eſſe verbum creaturarum, quin ſit verbum eiuſdem eſſentiæ diuinæ, &c. pag. 235. num. 24.

Beati videntes Deum numquàm peccabunt. pag. 446. num. 3.

Beati redduntur ab intrinſeco impeccabiles, ex vi viſionis beatificæ, pag. 446. num. 6.

Quilibet beatus cognoſcit in Verbo, ea quæ pertinent ad ſuũ ſtatum. pag. 464. num. 19.

Begardi, & Beguinæ.

Begardi ſunt quidam homines in Alemania cœnobia habentes, & tria vota ſicut cœteri monachi emittentes. pag. 261. num. 5.

Beguinæ ſunt quædam mulieres in Germania inferiori, ſic nominatæ, in Societate, ac quadam apparenti honeſtate viuentes, ſine tamen alicuius voti expreſſi emiſſione. Ibidem.

Begardorum, & Beguinarum errores in Concilio Viennenſi damnãtur. pag. 302. & in Clementinarum libro à Clemente V. compoſito.

Bonum.

Bonum formaliter ſecundùm rationem, & quidditatem boni, eſt obiectum intellectus, ac formaliter beatificans. pag. 34. num. 64.

Bonum ſecundùm quòd exercet appetibilitatem eſt obiectum voluntatis, & non eſt obiectum formaliter beatificans. pag. 34. num. 64.

Sum-

Digitized by Google

Summum bonum obiectiuum creaturæ rationalis,eſt aliquod increatum,ſummum verò formale, eſt aliquod creatum. pag.352. num. 55.

C

Caietanus.

CAietani laudes. pag.4.num.1.& pag. 317. num.2.

Caietanus aliquando impugnatur, à quibus tamen non intelligitur.pag.204.num.47.

Capreolus.

Capreolus intellectionem à ſolo Deo poſſe produci, non affirmauit abſolutè, & ex propria ſententia.pag.344.num.1.

Carmelitæ Diſcalceati.

Carmelitarum Diſcalceatorum encomia. pag.12.n.3 & pag.294.n.64.

Catholicus.

Catholici inaduertenter, & incontumaciter incidentes in aliquam hæreſim, errant, abſquè ipſorum infallibilis fidei detrimẽto. pag.

Cauſa.

Cauſa inſtrumentalis dicitur per ordinem ad cauſam principalem. pag.358.num.2.

Cauſa principalis licet quantùm ad nominis impoſitionem dicta ſit principalis,quia dicit exceſſum ſupra inſtrumentalem, non tamen eam neceſſariò includit. Ibidem.

Dantur in rerum natura cauſæ ſecundæ principales. Ibidem.num.3.

Cauſa ſecunda reſpectu ſuæ propriæ operationis,eſt principalis; ſecundùm quòd verò ordinatur a cauſa prima p opter finem principaliter ab ea intentum,eſt inſtrumentalis. Ibidem.

Cauſa principalis differt ab inſtrumentali, & per quid. Ibidem.num.4.

Cauſa principalis eſt illa quæ per virtutem quam habet, aut habere poteſt,eſt ſui effectus, vel ſuæ operationis productiua. Ibidem. num.5.

Cauſa inſtrumentalis eſt illa, quæ eſt ad effectum principalis agentis ordinata. Ibidem. & pag.372.num.33.

Cauſa inſtrumentalis poſſiua, ſeù receptiua eſt impoſſibilis, quando non datur cauſa principalis in eodem ordine. pag.371. num.26.& deinceps. & explicandum eſt ſicut pag.374.num.52.

Cauſa principalis producit effectum virtute propria terminatiuè,& ſubiectiuè; Non autem ſemper virtute propria originatiuè. pag.373.num.39.

Cauſa duplex, Adæquata, & inadæquata. pag.375.num.1.

Cauſa inadæquata eſt etiam duplex. Partialis, & totalis in ſuo ordine. Ibidem.

Cauſa partialis adhuc duplex, Partialis partialitate effectus; & partialitate cauſæ. Ibidem.

Quantò aliqua cauſa perfectiùs videtur, tantò plures eius effectus in ipſa videri poſſunt.pag.462.num.7.

Character.

Character eſt ſpirituale ſignum, poteſtatiſquè Sacerdoti, Chriſti participatio, ratione euius,Chriſtiani,à non Chriſtianis ſegregantur,& ad cultum diuinum deputantur. pag.374.

Character ſubiectatur in intellectu, vt forma inſtrumentalis. Ibidem.num.54.

Charitas.

Charitatis actus non eſt à ſolo Deo effectiuè. pag.335.num.49.

Charitas eſt habitus ſupernaturalis.pag.331. num.19.

Ad amandum Deum, ipſoquè beatè fruendum, neceſſaria eſt charitas in voluntate. Ibidem.

Id quod facit charitas in voluntate reſpectu beatifici amoris,facit lumen gloriæ, reſpectu beatificæ viſionis. pag.333.num.35.

Charitas eſt finita,habet tamen effectum infinitum. pag.399. num.4.

Charitas non eſt habitus præſtantior habitu luminis gloriæ.pag.401.num.3.

Charitas eſt pręſtãtior habitus, omnibus alijs habitibus operatiuis viæ.pag.401. num.5.

Charitas patriæ menſuratur ſecundùm quantitatem luminis glorię,& viſionis.pagina 420. num.6.

Vbi eſt maior charitas,ibi eſt maius deſideriũ videndi Deum. pag.420.num.6.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus à Vaſqueſij cenſura defenditur, & Vaſquez reprehenditur. pag.89. num.1.

Cicatrices Chriſti.

Cicatrices Sacratiſſimæ Chriſti humanitatis, & præſertim vulnus lateris,cauſare lumen gloriæ intellectibus hominum Deum videntibus,valdè pium eſt aſſerere. pag.417. num. 7.

Non tamen eſt vera opinio,ſed deuota meditatio.pag.418.num.8.

Cogitatiua.

Cogitatiua in homine participat quemdam, ſed imperfectum diſcurſum.pag.392.n.91.

Cogitatiua non participat diſcurſum, ex ſola extrinſeca coniunctione cum homine; ſed quia in ſe eſt capax talis perfectionis,quam non habet, niſi dum eſt in ſolo homine. Ibidem.

Cognitio, & Cognitum.

Cognitio contingit ſecundùm quòd cognitũ eſt in cognoſcente.pag.263.num.17.

Cuiuslibet cognoſcentis cognitio, eſt ſecundùm modum ſuæ naturæ. pag.263. num. 17. & pag.264.num.1.

Cognitio naturalis eſt per lumen naturale, conueniens naturaliter intellectui, ſecundùm quòd intellectus naturaliter, eſt ab eſſentia animæ. pag.265.num.4.

Cognitio ſupernaturalis eſt ab intellectu mediante

diante lumine ſupernaturali. Ibidem.
Cognitum eſt in cognoſcente tribus modis. pag.275. num.53.
Cognitio intuitiua ſenſitiua,& intuitiua intellectiua differunt.pag.465.num.4.
Cognitione comprehēſiua ab intellectu creato Deus cognoſci non poteſt. pag.88.n.9. & pag.454.num.17.
Cognitio comprehenſiua quid ſit. pag.453. num.11.
Cognitio intuitiua,& abſtractiua. pag.1.n.1.

Commentator.

Commentatoris munus. pag.3. num.1.

Comprehendere.

Comprehendere Deum, eſt proprius modus cognoſcendi Deum,quò ad æqualitatem virtutis cognoſcentis cum cognito; non autem quò ad connexionem inter cognoſcentem,& cognitum. pag.297.num.95.
De fide certum eſt Deum ab intellectu creato comprehendi non poſſe.pag.454.num.17.
Comprehendere aliquid, eſt illud perfectè cognoſcere,ſeù quantùm cognoſcibile eſt. pag.453. num.11.
In aſsignanda ratione, quare intellectus creatus non poteſt comprehendere Deum,variant Theologi,non autem variat D. Thomas. pag.463.num.16.

Conceptio, ſeu Conceptus.

Conceptiones de Deo formatæ,nō ſunt propriæ,& proportionatæ Deo, ſed proportionales, & extra claram Dei viſionem formatæ.pag.234.num.8.
Conceptus proprius Dei, a nulla potentia formari poteſt; poteſt tamen alienus,loco Dei ſubſtitui.Ibidem.num.7.

Concilium Viennenſe.

Concilium Viennenſe determinat lumen gloriæ eſſe ad videndum Deum neceſſarium. pag.302. num.3.
Quid intelligat nomine luminis gloriæ. pag. 303.à num.1.vſquè ad vltimum.

Contingens.

Contingens dupliciter conſiderari poteſt, quantùm ad eſſentiam, & quātùm ad contingentiæ ſtatum.pag.394.num.103.

Contritio.

Contritionis actus non eſt à ſolo Deo effectiuè. pag.335. num.49.

Conuenientia.

Conuenientia in modo eſſendi generico inter Angelos, non eſt vna formaliter poſitiuè, ſed negatiuè. pag.272.num.27.

Corpus.

Corpus qua corpus eſt, non eſt ſufficienter viſibile, ſed vltra hoc, vt videatur, ſeù vt videri poſſit, debet habere id per quod viſibile redditur,nempè colorem,lucem,&c. pag.255. num.45.
Corpus,ſeù corporeum, ſi non eſt lucidum, vel coloratum non eſt viſibile. Ibidem.
Corpus quomodo poteſt agere in ſpiritum. pag.256.num.53. & 54.
Corpus viuum anima ſenſitiua informatum, poteſt merè paſſiuè ſe habere ad motum localem ab eius anima cauſatum. pag.332. num.18.

Creatura intellectualis.

Creatura intellectualis nullum habet innatum appetitum pro pondere naturæ, ad claram Dei viſionem. pag.55.num.7.
Si in creatura intellectuali daretur naturalis appetitus pro pondere naturæ, ad beatitudinem ſupernaturalem in particulari; in voluntate daretur innatus appetitus ad amorem amicitiæ Dei,& in intellectu, daretur innatus appetitus ad viſionem. pag. 61.num.31.
Si in creatura intellectuali daretur innatus appetitus ad claram Dei viſionem, huiuſmodi appetitus eſſet in intellectu,& in voluntate, etiam ſi beatitudo conſiſteret in actu voluntatis, non autem in actu intellectus. pag.61.num.32.
Si in creatura intellectuali daretur innatus appetitus ad beatitudinem ſupernaturalem, & beatitudo ſupernaturalis in viſione clara Dei conſiſteret, talis appetitus non ſolùm eſſet in intellectu, verumetiam in voluntate.pag.62.num.53.
In creatura intellectuali non datur naturalis appetitus ad beatitudinem in communi, ſi ly, in communi accipiatur,pro vt ſe extendit ad beatitudinem naturalem,& ſupernaturalem. pag.63.num.37.
In creatura intellectuali nullus datur naturalis appetitus ad beatitudinem in communi, ſi ly, in communi ſumatur vniuerſaliter. Ibidem.
In creatura intellectuali nullus datur naturalis appetitus ad videndum Deum clarè, & diſtinctè ſecundùm quòd eſt author naturę. pag.65.num.42.
In creatura intellectuali nullus datur appetitus elicitus naturalis effectiuè, abſolutus,& efficax, ad claram Dei viſionem. p.74.n.6.
In creatura intellectuali eleuata per fidem in intellectu, manente verò in puris naturalibus in voluntate, non datur naturaliter effectiuè appetitus abſolutus, & efficax ad claram Dei viſionem.pag.75.num.12.
In creatura intellectuali datur appetitus elicitus naturalis effectiuè, ad claram Dei viſionem, qui dicitur velleitas, non qualiſcumquè, ſed excitata.pag.81.num.44.
Impoſſibilis eſt creatura intellectualis naturalis ordinis, cui connaturale ſit videre Deū vt eſt in ſe. pag.283.num.14.
Creatura ſupernaturalis ſubſtantialis, eſt impoſſibilis. pag.288.num.14.
Quælibet creatura eſt naturaliter ſerua Dei, & non poteſt eſſe naturaliter amica illius. pag.293.num.59.
Nulla creatura poteſt tanquàm cauſa principalis producere lumen gloriæ. p.417.n.1.
Inſtrumentaliter verò poteſt. Ibidem. num.3

Digitized by Google

Omnes creaturæ tam exiſtentes, quàm poſſibiles, videntur in Deo tanquam in cauſa. & quomodo. pag. 462. num. 11. & 12.

Creatum.

Omne creatum per coparationem ad Deum, dicitur materiale impropriè, non autem poſitiuè, & propriè. pag. 257. num. 58.

Credibile.

Quod eſt euidenter credibile, eſt euidenter poſſibile, ſecundùm ſe, non quò ad nos. pag. 113. num. vltimo.

D

Damnati.

Damnati ſunt æquales in pœna damni eſſentialis, ratione rei qua priuat, non autem ratione modi ab illa recedendi. pag. 427. num. 54.

Delectatio.

Delectatio eſt de re iam poſſeſſa. pag. 17. num. 18.

Denarius.

Denarij, nomine in parabola Matthæi. 20. beatitudo obiectiua ſignificatur, & quare. pag. 414. à num. 29. vſque ad 34. & à num. 43. vſque ad 45.

Deſiderium.

Deſiderium naturale, inet homini videndi cauſam dum intuetur effectû. pag. 80. n. 39.

Deſiderium quodammodo facit deſiderantem, aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati. pag. 420. num. 8. 9.

Deus.

Deus non dicitur infinitus priuatiuè, ſed negatiuè. pag. 7. num. 11.

Deus eſt vnitus intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, propter viſionem eliciendam, non tamen tanquam formalis beatitudo. pag. 17. num. 44.

Deus eſt eſſentialiter realiter, Trinus, nõ autem eſſentialiter conceptibiliter. pag. 28. num. 47.

Deus clarè viſus continetur intra latitudinem obiecti formalis potẽtiæ intellectiuæ creatæ. pag. 44. num. 6.

Deus clarè viſus, abſolutè loquendo, continetur intra latitudinem obiecti intellectus creati. pag. 45. num. 9.

Deus clarè viſus eſt obiectum improportionatum reſpectu intellectus creati, ſolo naturali lumine vigorati. Ibidem.

Deus niſi eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, author naturæ eſſe non poſſet. pag. 112. num. 58.

Deus vt author naturæ, vocatur cauſa naturalis, eſt tamen ſubſtantia ſupernaturalis, pag. 112. num. 58.

Deus vt prima cauſa, poteſt ſupplere efficientias cauſarum ſecũdarum, quando concurſus eſt merè effectiuus; non verò quando concurſus præſupponitur formalis. pag. 192. num. 13.

Deus, implicat, vt fiat intelligibilis in actu ſecundo, per aliquid à ſe diſtinctũ. p. 231. n. 7.

Deus vt in ſe eſt, eſt eſſentialiter extra latitudinem obiecti adæquati, & extenſiui potentiæ viſiuæ corporeæ. pag. 255. num. 44.

Deus non eſt ſenſibilis. Ibidem num. 45.

Deus qua actus eſt, non eſt ſupra alias actualitates, ſed qua actus purus eſt. p. 286. n. 3.

Deus vt author naturæ, & vt author gratiæ, eſt in ſua entitate ſimpliciter ſupernaturalis. Ibidem. num. 6.

Deus clarè viſus continetur intra latitudinem obiecti intellectus creati, ſecundùm quòd intellectus eſt potentia ſupernaturalis, non verò ſecũdùm quòd eſt potentia naturalis. pag. 302. num. 123.

Deus poteſt gerere vicem perſonæ creatæ, terminatiuè tantùm, non informatiuè. pag. 354. num. 74. & pag. 398. num. 20.

Deus continet omne creatum lumen, virtualiter effectiuè, non autem virtualiter formaliter. pag. 398. num. 20.

Deus dum videtur, eſt ſicut Sol, mittens radios illuminans aerem, &c. pag. 399. num. 4.

Deus ideo ab intellectu comprehendi nõ poteſt, quia omnia poſſibilia in Deo ab intellectu cognoſci non poſſunt. pag. 63. num. 14.

Diligere.

Non poſſumus diligere Deum, niſi mouente Deo, nec poſſumus diligere Deum, niſi per charitatem, quam Deus in nobis ſine nobis cauſat. pag. 17. num. 44.

Quòd nos diligamus Deum, includit, & præſupponit hoc, id eſt diligimur à Deo. Ibidẽ.

Diſpoſitio.

Diſpoſitio non eſt aliud, niſi alicuius expedita ad agendum, vel patiendum præparatio. pag. 279. num. 5.

Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet quòd diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam. pag. 278. num. 2.

Diſpoſitio duplex, Viæ, & Patriæ. pag. 393. num. 100.

Diſtantia.

Diſtãntia inter oculum corporeum, & Angelum in ratione obiecti, eſt maior diſtantia inter intellectum creatum, & Deum. pag. 102. num. 3.

Diſtantia, & improportio in ratione obiecti eſt ipſiſſima diſtantia in ratione entis conſtituentis rationem formalem obiecti; non autem entis conſtituentis modum obiecti. pag. 202. num. 4. & 5.

Durandus.

Durandus quid ſenſerit de lumine gloriæ. pag. 306. num. 1.

Durandi laudes. pag. 318. num. 5.

Durandi humilis proteſtatio. Ibidem. num. 4.

Duratio.

Duratio denominat obiectum exiſtens, ſeù perſiſtens in ſuo eſſe, non autem operans. pag. 342. num. 49.

Effectus

Digitized by Google

E

Effectus.

Effectus eſt duplex. Naturalis ſcilicet, & ſupernaturalis. pag.77.num.20.

Ex effectuum cognitione, quomodo conſurgat naturalis appetitus ad cognoſcendum Deum. pag.77.num.21.& 22.

Effectus gratiæ, & gloriæ, qui ſunt? pag.78. num.23.

Effectus gratiæ, & gloriæ, quomodo ſint à Deo, vt Deus eſt. pag.85.num.11.

Effectus neceſſariò ceſſat, neceſſitatis cauſa ceſſante. pag.212.num.14.

Effectus cauſæ inſtrumentalis, tribuitur abſolutè, & principaliter cauſæ principali, per inſtrumentum agenti; Non verò cauſæ inſtrumentali tribuitur, & cauſæ principali negatur. pag.370.num.16.

Quantò plures effectus cognoſcuntur in cauſa, tantò perfectiùs cognoſcitur cauſa. pag.463.num.17. & num.12.

Ens.

Ens rationis non ſpectat ad rationem formalem obiecti ſpecificatiui intellectus creati. pag.37.num.7.

Ens ſub ratione entis, non autem ſub ratione veri, eſt obiectum intellectus creati, vt apprehendentis. pag.35.num.1.

Ens, & verum reale communiſſimè ſumptum, eſt obiectum formale, & adæquatum intellectus creati. pag.37.num.6.

Ens finitum, & infinitum, in aliqua intelligibilitatis, ſeù ſcibilitatis ratione intrinſeca, non poſſunt vniuocè conuenire. p.39.n.2.

Ens finitum, & infinitum, naturale, & ſupernaturale, in aliqua ratione extrinſeca intelligibilitatis, poſſunt vniuocè conuenire. pag.39.num.3.& pag.41.num.8. & 9.

Ens naturale, & ſupernaturale, diſtinguuntur ſpecificè, etiam in ratione obiecti, non tamen in ratione obiecti primò diſtinctiui potētiæ, ſed in ratione modi. pag.51.n.21.

Ens naturale dicitur participatio entitatis diuinæ, ea ratione qua ens eſt, non verò ea ratione qua ſupernaturalis eſt. pag. 287. num.12.

Eſſe ens naturaliter, non eſt modus proprius conſtituens entitatem Dei, ſed eſſe ens à ſe, vel per eſſentiam ſuam, eſt proprius modus entitatis illius. pag.300.num.14.

Entitas.

Entitas diuina ſecundùm aliquam rationem eſt improducta, & ſecundùm aliam eſt producta. pag.338.num.10.

Entitas diuina ratione infinitatis, poſtulat vnitatem, & identitatem, ratione eſſentiæ, & primæ perſonæ improducibilitatem; & ratione aliarum perſonarum, Filij ſcilicet, & Spiritus Sancti, petit producibilitatem. pag.338.num.11.

Eſſe.

Eſſe ſubſtantiale, diſtinguit modum eſſendi Dei, à modo eſſendi accidentis, vt analogicè cum ſubſtantia creata conuenientis. pag.298. num.99.& 100.

Eſſentia diuina.

Eſſentia diuina eſt propriè ſpecies intelligibilis, intellectibus ipſam videntibus vnita. pag.132.à num.1.vſquè ad vlt.

Eſſentia diuina quatenus ſpecies, quomodo concurrit liberè, & quomodo non. pag.136. num.25.& pag.161.num.21.

Eſſentia diuina eſt ſpecies intelligibilis, ſecundùm quòd eſſentia eſt, exercet tamen munus ſpeciei, ſecundùm quòd eſt cum perſonalitatibus identificata. pag.137. num.34. & pag.161. num.20. & pag.472. num.15.& 16.

Eſſentia diuina non congruè dicitur gerere vicem ſpeciei. pag.145.num.26. & pag. 398. num.18.

Eſſentia diuina vnitur intellectui creato, vt forma præbens ei eſſe, in eſſe intelligibili. pag.151.à num.12. vſquè ad vlt.

Eſſentia diuina vnita intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis, quomodo dicatur conſtituere intellectum in actu ſecundo, & explicatur, ac defenditur Caietanus. pag.156. num.39.& deinceps.

Eſſentia diuina vnita intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, concurrit effectiuè ad viſionem, efficientia ſe tenente ex parte obiecti. pag.158.à num.3.vſquè ad vlt.

Eſſentia diuina effectiuè concurrens ad viſionem, non ſubordinatur intellectui creato. pag.160.num.12.

Eſſentia diuina, implicat, vt vniatur alicui intellectui creato, vel ſenſui, per modum ſpeciei intelligibilis repræſentantis obiectum creatum immediatè. pag.194.num.2.

Eſſentia diuina continet ſpecies aliarum rerum, quantùm ad ſufficientiam, mediatè ipſarum obiecta repræſentandi; non autem quantùm ad immediatam illarum repræſentationem. pag.196.num.17.&deinceps.

Eſſentia diuina non poteſt clarè, immediatè, & quidditatiuè, per aliquam ſpeciem creatam videri. pag.200.num.16.

Eſſentia diuina non poteſt clarè, & immediatè cognoſci, nequè etiam abſtractiuè per aliquam ſpeciem creatā. pag.200.num.16.

Eſſentia diuina, & perſonæ diuinæ non ſe habent vt ratio generica, & vt ratio ſpecifica. pag.337.num.9.

Eſſentia diuina non vnitur intellectui in ratione ſpeciei expreſſæ, ſeù verbi, ita propriè, ſicut propriè in ratione ſpeciei intelligibilis vnitur. pag.353.num.69.

Eſſentia diuina dicitur propriè ſpecies intelligibilis in actu primo, & in actu ſecundo, non tamen dicitur propriè impreſſa, nec propriè expreſſa. Ibidem.

Eſſentia diuina effectiuè concurrit ad viſionem

Digitized by Google

nem tanquàm principium extrinſecum, ſe tenens ex parte obiecti, non tanquàm robur, & virtus fortificans intellectum. pag.367.num.43.
Eſſentia diuina poteſt ſupplere vicem luminis gloriæ, ſi admittatur opinio aſſerens lumen gloriæ illuſtrare intellectum coeffectiuè dumtaxat. pag.396.num.5.
Eſſentia diuina non poteſt gerere vicem luminis gloriæ, ſuppoſito quòd lumen gloriæ illuſtret intellectum intrinſecè, & formaliter, pro vt vera Thomiſtarum affirmat opinio. pag.396.num.6.
Eſſentia diuina non poteſt intuitiuè cognoſci, quin cognoſcantur omnia eius attributa, & perſonalitates. pag.465.num.7. & deinceps.

F

Fidelis.

Fidelis ingenioſus, & ſcientificus eadem fidei myſteria magis poſſidet, quàm ruſticus, ex explicãdo, nõ tamen magis intensè per ſciẽtiam ijs aſſentiendo. pag.438.n.52.

Fides.

Fidei ſupernaturalis habitus, actiuè concurrit ad actum credendi. pag.356.num.10.
Fides eſt diſpoſitio præparans hominem ad viſionem Dei, diſpoſitio, inquam, in genere moris, nõ in genere entis. Ibidem num.14.
Fides eſt diſpoſitio præcedens, non autem concomitans viſionem. Ibidem. num.15.
Fides ponitur in intellectu in ratione habitus ſupernaturalis, & in ratione virtutis, poſita gratia in anima. Ablata autem gratia, remanet in ratione habitus ſupernaturalis, non autem in ratione virtutis. pag.403. num.10. & 11.
Fides quò ad vſum, ſubordinatur voluntati, & quomodo. pag.439.num.61. & 62.

Forma.

Forma perfectiſſima, quæ eſt operatio, non debet immediatè ſubiectari in ſubiecto perfectiſſimo. pag.26.num.40.
Forma perfectiſſima, debet ſubiectari in ſubiecto perfectiſſimo, mediatè, vel immediatè. Ibidem.
Forma in ſubiecto capaci exiſtens, neceſſariò denominat illud. pag.338.num.12.
Forma naturalis, eſt magis proportionata materiæ cui vnitur, quàm forma ſupernaturalis. pag.321.num.19.
Forma poteſt introduci diuino miraculo ſine omni præuia diſpoſitione, ſed in tali caſu non introducetur in ſubiecto ex debito, & proportione connaturali. pag.324.n.41.

G

Gloria.

Gloria, ideſt beatitudo, eſt accidens ſupernaturale, & maximè Dei donum, eſtquè debitum, ſeù præmium, & corona, fundatur tamen ratio debiti ſuper gratiam. p.291.n. 38. & 39.
Gloria reſpicitur ab anima non tanquam à ſubiecto merè obedientiali, ſed tanquam à ſubiecto ordinis ſupernaturalis, conſtituto per gratiam. pag.320.num.15.
Gloria, & augmentum eius, ita ſunt ab homine per gratiam, vt non ſint ab homine, & non à gratia. pag.432. num.5.

Gratia.

Gratia ſanctificans eſt in eſſentia animæ, tanquàm in ſubiecto. pag.26.num.41.
Gratia Dei vocatur vita æterna cauſaliter, non formaliter, ideſt, vita æterna dicitur ad quam ſola Dei gratia ducimur, & dicimur peruenire. pag.27.num.42.
Gratia non poteſt eſſe alicui creaturæ connaturalis. pag.290.num.33.
De eſſentiali conceptu gratiæ eſt eſſe indebitam, & gratuitam cuicumquè ſubiecto. Ibidem.
Gratia ſecundùm quòd eſt accidens, & Dei donum, eſt immediata participatio naturæ diuinæ. pag.291.num.42.
Si daretur gratia ſubſiſtens, gratia non eſſet gratia, & talis creatura tranſiret in naturam Dei. pag.292.num.49. & 50.
Gratia Chriſto Domino collata conuenit ei titulo connaturalitatis, fundatæ ſuper gratiam vnionis hypoſtaticæ. pag.291.n.31.
Gratiam, & gloriam dat Dominus effectiuè, non qualicumquè electione, ſed tanquam abſolutè Dominus conferendi eam. pag.334.
Gratia eſt forma ſupernaturalis obedientialiter ab anima acquiſibilis. pag.329.num. 15. & pag.322.num.32.
Gratia gratum faciens in via, & in patria, eſt in eſſentia animæ. pag.356.num.17.
Gratia ſanctificans eſt præſtantior habitu luminis gloriæ, ſuppoſito quòd ſumma intellectualitas radicalis ſit conſtitutiua Dei, & non ipſum actualiter intelligere. pag.402.
Gratia ſe habet veluti eſſentia, Lumen gloriæ veluti paſſio. pag.503.num.7.
Gratia ſanctificans eſt perfectior quàm lumen gloriæ, quò ad modum participandi naturam diuinam; ſi teneamus conſtitutiuum Dei eſſe ipſum intelligere per eſſentiam. pag.406.num.26.

H

Habitus.

Habitus eſt præſtantior actu, quò ad rationem cauſandi, & ratione diuturnitatis; non autem quò ad modum poſſidendi obiectum. pag.17.num.45.
Habitus luminis gloriæ non habet habitum ſibi immediatè contrarium, & hoc propter eius excellentiam; quia videlicet, eſt proprius habitus patriæ. pag.33.num.60.

Si da-

Digitized by Google

Si daretur aliquis habitus lumini gloriæ proprie contrarius, diceretur Antilumen gloriæ. Ibidem.
Habitus naturalis non eſt diſpoſitio ad acquirendum actum, benè tamen habitus ſupernaturalis. pag. 327. num. 26.
Habitus naturalis concurrit vt cauſa principalis ad ſuam operationem. pag. 361. n. 28.

Henricus.

Henrici ſententia, nimirum quòd vltima hominis beatitudo conſiſtat in illapſu diuinæ eſſentiæ in eſſentiam animæ, declaratur, & impugnatur. pag. 11. 12. 13. 14. & 15.

Hereticus.

Hæreticorum prauitas, authoritatibus Summorum Pontificum, Sacrorumquè Conciliorum non acquieſcit. pag. 7. num. 2.
Aduerſus Hæreticos non licet arguere ex ijs, quæ fidei ſunt in Summorum Pontificum, Sacrorumquè Conciliorum authoritatibus, fundatis, licet tamen arguere ex ijs quæ fidei ſunt, ex authoritate Sacræ Scripturæ depromptis. pag. 9. num. 2.
Hæretici ſunt abſquè Fide, Spe, & Charitate. pag. 81. num. 45.
Hæretici appetunt claram Dei viſionem, appetitu ex conſcientia erronea, & ex mixtione multorum errorum proueniente. pag. 81. & 82. num. 45.

Homo.

Homo ex natura ſua eſt imago imperfecta Dei. pag. 70. num. 61.
Homo dicitur ad imaginem Dei factus, ad ſignificandum, quòd eſt imperfecta Dei imago.
Homo iuxta diſpoſitionem in qua de facto reperitur, non poteſt naturalem beatitudinem conſequi. pag. 72. num. 67.
Ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, dum intuetur eius effectus. pag. 80. num. 38. & 39.
Homo per fidem, ad beatitudinem ordinatus, non poteſt ex ſincero corde ad media recurrere, niſi eius voluntas charitate fuerit informata. pag. 82. num. 46.
Homo abſquè ſpeciali reuelatione, non poteſt cognoſcere, ſe eſſe in gratia. Ibidem.
Homo viator, ſed in gratia confirmatus, appetit appetitu elicito, & neceſſario, quò ad ſpecificationem, claram Dei viſionem. pag. 83. num. 3.
Homo viator, & in gratia conſtitutus, non tamen in gratia confirmatus, nulla neceſſitate appetit claram Dei viſionem, appetitu abſoluto, & efficaci. Ibidem.
Homo pro ſtatu innocentiæ potuit habere de Deo aliquomodo notitiam diſtinctam, id eſt ſecundùm rationem propriam conuenientem Deo, non autem claram ſicuti Deus eſt in ſe. pag. 203. num. 39.
Homo fidelis incidens in peccatum mortale, perdit fidem in ratione virtutis, non in ratione ſupernaturalis habitus. pag. 403. num. 10. & 11.
Homines prædeſtinati ſunt vt Sedes Angelorum, qui ceciderunt implerent, ſuperabundanter, non adæquatè. pag. 429. num. 11.
Homo iuſtificatus per bona opera, quæ ab ipſo per Dei gratiam fiunt, verè meretur augmentum gratiæ, vitæ æternæ conſecutionem, & eiuſdem gloriæ augmentum. pag. 432. num. 4.

Humanitas Chriſti.

Humanitas Chriſti Domini habet à verbo diuino ſubſiſtentiam, & exiſtentiam. pag. 323. num. 34.
In humanitate Chriſti Domini ante aſſumptionem, nulla præceſſit accidentalis diſpoſitio. Ibidem.
Humanitas Chriſti Domini eſt eleuata ad Hypoſtaticam vnionem diuini Verbi, tanquàm ſibi obedientialiter tantùm, & non connaturaliter conuenientem. pag. 323. num. 35.
Humanitas reſpiciens perſonam Verbi ſupponitur perfectè cõſtituta in ratione naturæ. Ibidem. num. 36.
Humanitatem Chriſti cauſare inſtrumentaliter lumen gloriæ in omnibus hominibus poſt Chriſtum, Deum videntibus, probabile eſt. pag. 417. num. 4.
Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum ſanctificantis gratiæ. Ibidem.
Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum coniunctum diuinitatis. Ibidem.

I

Ignis Inferni.

Ignis Inferni quomodo eſt eleuabilis ad cruciandum Dœmones, ac Damnatorum animas. pag. 256. num. 55. & 56.
Ignis Inferni non calefacit Dœmones, ſed cruciat. Ibidem.

Inæqualitas.

Inæqualitas viſionis, tota prouenit ex luminis gloriæ inęqualitate. pag. 432. à num. 6. vſquè ad vltimum.

Sanctus Ioſeph.

Sanctus Ioſeph Sanctiſſimæ Genitricis Sponſus, perfectiùs videt Deum, quàm omnes Angelorum ordines. pag. 428. num. 9.

Innocentes.

Innocentes pueri propter Chriſtum occiſi, ſunt in gratia, & viſione Dei æquales. pag. 428. num. 6.

Inſtrumentum.

Inſtrumentum naturale, duplex; Quoddam eſt inſtrumentum, & potentia agentis principalis; Quoddam verò inſtrumentum, & nõ potentia illius. pag. 391. num. 86. & 87.
Inſtrumentum habet in ſe virtutem cauſæ, ſi non immediatè, ad minus mediatè. pag. 391. num. 88.
Inſtrumentum duplex. Naturale, & artificiale. Ibidem. num. 90.

Digitized by Google

Intellectus.

Intellectus aliquando accipitur pro potentia intellectiua,& aliquando pro ipſa ſubſtantia intellectuali. pag.4.n.

Intellectus creatus in 1. art. titulo,accipitur amplè, nimirum,prout includit omnem intellectum, Angelicum,& humanum, de facto creatum,& creabilem.

Inter intellectum creatum, & Deum in ratione potentiæ, & obiecti,non eſt, nec poteſt eſſe, nec neceſſe eſt eſſe proportio propriè ſumpta,ſed largè,ſeù translatiuè . pag.8. num. 12.

Intellectus eſt nobilior potentia , quàm voluntas. pag.24.num.37.

Intellectus atringit bonum ſecundùm rationem magis principalem , ſeù nobiliorem quàm voluntas. pag.25.num.37.

Intellectus poſſidet beatitudinem per viſionem, & eſt prior natura, quàm voluntas . Ibidem.

Intellectus non ponitur vt inſeruiat voluntati, ſed vt ſit magiſter,& illius regula . pag. 26.num.39.

Intellectus eſt potentiarum Rex . Ibidem, & pag.34.num.63.

Intellectus, & voluntas, beatificantur iuxta ſuam proportionem , beatitudine tamen eſſentialiter accepta,ſolus intellectus beatificatur , voluntas autem,talis beatitudinis incapax eſt . pag.28.num.47.

Intellectus creatus no eſt vna potentia eſſentialiter naturalis.pag.46.num.4.

Intellectus creatus non eſt vna potentia ſpecificè , ex duplici inadæquata potentia , naturali , ſcilicet , & ſupernaturali,coaleſcens. pag.47.num.6.

Intellectus creatus quomodo ſit vna potentia.pag.47. & deinceps .

Intellectus creatus ſecundùm ſuam eſſentialem rationem , nequè eſt potentia naturalis , nequè ſupernaturalis , ſed permiſſiuè habet vtrumquè. pag.49. num.13.

Intellectus quomodo differat à potentijs ſenſitiuis.pag.49.num.14.

Intellectus creatus in ratione potentiæ elicitiuæ non conſtituitur per lumen , ſed per propriam eius formam , benè tamen quò ad efficacitatem , & virtutem agendi . pag.50.num. 17.

Intellectus creatus , nequè dicit vitalitatem naturalem,nequè ſupernaturalem,ſi ſecundùm ſe conſideretur.pag.50.num.18.

Intellectus humanus,& Angelicus,quomodo differant ſpecie,& quomodo non. pag.51. num. 20. & 21.

Intellectus creatus , & eius,lumen realiter diſtinguuntur. pag.51.num.19.

Intellectus creatus lumine naturali cognoſcit ſupernaturalitatem Dei, mediante eiuſdem Dei effectu naturali.pag.111.num.52.

Intellectus creatus adueniente lumine gloriæ de nouo mutatur. pag.135.num.18.

Dato caſu,quòd intellectui creato ſit vnitum lumen gloriæ,non dum verò vnita eſſentia in ratione ſpeciei, ſed poſt aliquod temporis ſpatium vniretur, intellectus creatus in tali caſu mutaretur ſecundùm purum eſſe intelligibile , & non ſecundùm eſſe entitatiuum.pag.135.num.20.

Intellectus creatus habens lumen gloriæ, ſtatim atquè habet Deum ſibi vnitum in ratione ſpeciei intelligibilis via ordinaria , nihilominus poteſt eſſe de potentia abſoluta Dei,quòd intellectus ſit lumine gloriæ illuſtratus abſquè eo quòd Deus in ratione ſpeciei intelligibilis eidem vniatur . pag.200. num.19.

Intellectus creatus lumine gloriæ illuſtratus, ſed non habens (poſſibiliter loquimur) eſſentiam diuinam tanquàm ſpeciem intelligibilem ſibi vnitam non cognoſcit Deum intuitiuè. pag.201. num.23.

Intellectus creati finis, eſt ipſamet intellectio obiecti,finis enim intellectus,eſt intelligere , non autem producere verbum . pag. 209. num.21.

Intellectus ſemper debet habere terminum cognitum,non verò ſemper debet habere terminum productum. pag.227.num.42.

Intellectus creatus quando videt Deum, tunc modus cognoſcendi excedit modum eſſendi animæ non eleuatæ per gratiam , in eſſentia,& per lumen gloriæ in intellectu,non verò excedit modum eſſendi animæ,vt eleuatæ. pag.266.num.12.

Intellectus humanus cognoſcit Deum abſtractiuè, & per effectus naturales, ipſi intellectui proportionatos,non autem intuitiuè , & quidditatiuè , niſi per lumen gloriæ . pag.267. num.15.

Intellectus creatus per ſua naturalia non poteſt videre Deum per eſſentiam, idquè efficaciter ratione D. Thomæ probatur . pag. 267.a num.1.vſquè ad vltimum.

Intellectus humanus corpori vnitus, intelligit per conuerſionem ad phantaſmata,non in pœnam peccati originalis , ſed ex naturali exigentia.pag.270.num.13.

Si daretur intellectus infinitus in cognoſcendo, cognoſceret Deum intuitiuè , & comprehenſiuè.pag.284.num.25.

Intellectus creatus ſupernaturalis,eſt impoſſibilis.pag.301.num.116.

Dato quocumquè intellectu creato , poteſt Deus alium in infinitum intra ordinem naturalem producere.pag. 30 .num.101.

Intellectus recipit lumen gloriæ, vt per illud vita ſupernaturali in actu primo viuat;non verò recipit lumen gloriæ vitaliter , niſi in ſenſu explicato pag.342.num.44.

Intellectus per intellectionem denominatur intelligens non intellectionatus , ſeù intellectiatus. pag.342. num.48.

Si per impoſſibile intellectus merè paſſiuè concurreret ad intellectionem , non diceretur

retur intelligens, ſed intellectionatus, ſeù intellectiatus. ibidem.
Intellectus non ſe habet merè paſſiuè reſpectu intellectionis naturalis. pag. 330. n. 13.
Intellectus creatus non concurrit merè paſſiuè ad actum ſupernaturalem fidei, ibidem.
Intellectus creatus eſt naturalis entitatiuè, eſt autem ſupernaturalis, quò ad virtutem agendi viſionem claram Dei. pag. 335. num. 46.
Intellectus aliter denominatur intelligens per intellectionem, quàm potentia actiua per actionem tranſeuntem denominatur agens. pag. 326. num. 21.
Intellectus dicitur intrinſecè intelligens per modum actiui, non verò per modum paſſiui. ibidem. num. 19.
Intellectus dicitur intelligens, per hoc quòd producit intellectionem, illamquè recipit; ſed primum habet de formali, ſecundùm verò de materiali. ibidem, num. 20. & pag. 370. num. 18.
Intellectus creatus non poteſt intelligere, ſeù videre Deum per intellectionem increatam, & oppoſitum aſſerere, eſt erroneum, temerarium, imo hæret cum. pag. 347. à num. 1. vſquè ad vltimum.
Intellectus creatus lumine gloriæ illuſtratus, non concurrit ad viſionem, vt cauſa merè inſtrumentalis, ſed principalis, pag. 368. num. 5.
Intellectus creatus non concurrit ad viſionem quam recipit, vt cauſa Dei inſtrumentalis ſubiectiua, ſed principalis. pag. 361. num. 26.
Intellectus creatus ſecundùm quòd viſionem beatificam producit, non eleuatur ad operationem non ſuam; ſed ad perfectiſſimam operationem ſibi in ordine ad ſuum obiectum ſpecificatiuum conuenientem. pag. 370. num. 19.
Intellectus creatus non agit viſionem per vim ſuam intrinſecã, & naturalẽ. p. 372. n. 32.
Intellectus creatus non dicit potentiam obedientialem immediatè ad videndum Deum, ſed mediatè. ibidem. num. 37.
Intellectus, & lumen gloriæ non concurrunt ad viſionem, vt duæ cauſæ partiales partialitate cauſæ, iuxta rigoroſam dictæ cauſæ partialis acceptionem. pag. 376.
Intellectus, & lumen non concurrunt ad viſionem, vt duæ cauſæ partiales, partialitate effectus. ibidem. num. 11.
Intellectus, & lumen concurrunt ad viſionem vt duæ cauſæ totales in ſuo ordine, quarum vna virtutem mendicat ab alia. ibidem num. 12.
Intellectus quomodo viuit vita naturali, & quomodo ſupernaturali. pag. 438. num. 56. & 57.

Intellectio.

Intellectio non eſt actio de prædicamento actionis. pag. 171. num. 68.
Intellectio per quam producitur verbum, non ordinatur eſſentialiter ad verbum, ſed potiùs è contra. pag. 171. num. 68. & pag. 207. num. 12.
Intellectio quando eſt verbi productio, prius conſideratur vt dictio, deinde vt contemplatio. ibidem. & pag. 207. num. 14.
Intellectio non eſt terminus intellectus, vt per ipſam fiat obiectum intellectui præſens, pag. 212. num. 14.
Intellectio Dei vt eſt in patre, eſt dictio, pro vt verò in filio, nõ eſt dictio. pag. 338. n. 15.
Non eſt de ratione intellectionis diuinæ, vt diuina eſt eſſe principium, vel actionem productiuam perſonæ. ibidem num. 16.
Intellectio vt intellectio eſt actus viuentis vt viuens eſt. pag. 339. num. 21.
Intellectio, & actio vitalis intellectus, non ſunt duo, ſed vnum, & idem. ibidem. n. 23.
Intellectio creata eſt participatio intellectionis increatæ. ibidem. num. 26.
Intellectio non ſolùm qua creata eſt habet vt ab alio procedat, ſed qua intellectio intellectus creati eſt. pag. 352. num. 59. & pag. 377. num. 17. & deinceps.
Intellectio habet ab intellectu, non ſolùm vt ſit intellectio, ſed etiã vt ſit talis intellectio. pag. 369. à num. 8. vſquè ad 11.

Intellefactio.

Intellefactio non eſt congrua vox ad ſignificandam intellectus actionem, ſed congruentior eſt hæc vox, intellectio. pag. 339. num. 24.

Iouinianus.

Iouiniani error in quo Concilio fuit damnatus. pag. 421. à num. 5. vſquè ad 9.

L

Logica.

Logica non ponitur in intellectu vt illum in ordine ad ſuum obiectum immediatè dirigat, & eleuet, ſed vt illum in ordine ad ſuas operationes dirigat. pag. 38. num. 10.
Logica vt ſcientia eſt, non eſt inſtrumentum, ſed principalis habitus. pag. 38. num. 10.
Logica non eſt abſolutè ſcientia, ſed ex ſuppoſitione. pag. 38. num. 10.

Lumen gloriæ.

Lumen gloriæ eſt ſimilitudo Dei ſe tenens ex parte videntis, & quomodo hoc intelligitur. pag. 116. num. 12.
Lumen gloriæ quomodo ſit ſpecies, ſeù vicem ſpeciei gerat. pag. 119. num. 14. & pag. 145. num. 29.
Lumen gloriæ quantùm ad rationem illuminandi, perficit totaliter intellectum. pag. 120. num. 15.
Lumen gloriæ determinat potentiam ad videndum Deum, non repræſentando Deum, ſed eleuando, & confortando intellectum ad viſionem Dei. pag. 120. num. 17. & 18. & pag. 145. num. 33.

Implicat vt detur aliquod gerens vicem luminis,& ſpeciei tam impreſſæ, quam expreſſæ.pag.121.à num.1.vſquè ad vltimū.

Poſito lumine gloriæ in intellectu, Deus regulariter loquendo, & via ordinaria, tenetur intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis vniri, licet de potentia abſoluta poſſit non vniri. pag.136. num.26.& 27.

Lumen gloriæ, viſio beata, lumen fidei ſupernaturalis, omneſquè actus,& habitus ſupernaturales, licet vt quod, non ſint ſuum eſſe, ſunt tamen ſuum eſſe vt quo. pag.263. num.12.

Quomodo intelligitur D.Thomas, dum ait, quòd intellectus fit potens ad intelligendum per modum quo potentia fit potentior per habitum. pag.280.num.15.

Lumen gloriæ ex hoc quòd lumen glorię eſt, non eſt ordinis naturalis, ſed ſupernaturalis. pag.284. num.19.

Lumen gloriæ non poteſt eſſe connaturale alicui creaturæ intellectuali. pag.288. num.14.

Lumen gloriæ facit nos Deiformes, & quomodo hoc intelligitur, pag.280.num.14.

De fide certum eſt, de facto dari lumen gloriæ, necnon, eſſe neceſſarium, vt eleuet intellectum ad videndum Deum, pag.302. num.3.

Lumen gloriæ requiritur, vt diſponat intellectum ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis. pag.319. num.5.& deinceps.

Lumen gloriæ eſt a ſolo Deo effectiuè. pag. 335. num.47.& pag.417, vbi explicatur quomodo hoc verum ſit.

Lumen gloriæ eſt forma ſupernaturalis diſpoſitiua; non autem quæ habet rationem puri termini.pag.322.num.26.

Lumen gloriæ eſt aliqua forma excedens, ſed non niſi obedientialiter tantùm ab intellectu creato acquiſibile.ibidem.num.27.

Lumen gloriæ eſt neceſſaria diſpoſitio ad recipiendam viſionem, idquè amplius explicatur pag. 326. à num.11. vſquè ad 17.

Lumen gloriæ actiuè concurrit ad viſionem. pag.355. à num.8.vſquè ad vltimum.

Lumen gloriæ producit viſionem, præbendo intellectui creato virtutem, vt viſionem producere poſſit. pag.357.num.23.

Lumen gloriæ eſt neceſſarium intellectui creato, vt viuat vita ſupernaturali, & producat ſupernaturalitatem viſionis, pro vt egreditur ab intellectu, per ipſum lumen ſufficienter vigorato.pag.357.num.23.

Lumen gloriæ non concurrit tanquàm merè Dei inſtrumentum ad viſionis beatificæ efficientiam.pag.359.num.10.

Lumen gloriæ eſt inſtrumentum Dei, quatenus efficit viſionem, propter intentum Dei. Ibidem num.15.

Lumen gloriæ eſt inſtrumentum Dei, ſi conſideretur vt diſpoſitio ad diuinam eſſentiam, in ratione formæ intelligibilis ordinata.ibidem.

Lumen gloriæ eſt in ſe, principium vitale eleuatiuum, non elicitiuum. 361.num.27.

Lumen gloriæ reſpectu viſionis eſt cauſa effectiua; viſio autem eſt luminis gloriæ, cauſa finalis.pag.361.num.32.

Lumen gloriæ eſt tota ratio proximè producendi viſionem. pag.362. à num.4. vſquè ad vltimum.

Lumen gloriæ eſt tota ratio proximè producendi viſionem, ſicut calor eſt tota ratio calefaciendi in aqua calida.pag.366.num.33

Quomodo hoc intelligatur à Thomiſtis, & indignè ab aduerſarijs impugnetur.ibidem. & pag.365.num.27.& 28.& deinceps.

Lumen gloriæ eſt adeò neceſſarium intellectui creato ad videndum Deum, vt ſi per impoſſibile Deus ſe ipſum intellectui faceret obiectiuè præſentem, intellectus Deum non videret, ſine lumine gloriæ. pag. 381.num.5.

Sine lumine gloriæ cum ſola potentia obedientiali, ac Dei concomitante influxu, eſt impoſſibile quòd intellectus creatus videat Deum. pag.383.num.21.

Lumen gloriæ eleuat, ſeu illuſtrat intellectum, intrinſecè, & formaliter, & non tantùm coeffectiuè. pag.385.num.38.& pag. 396. à num.7.vſquè ad 12.

Lumen gloriæ illuminat intellectum, illi inhærendo, & non tantùm extrinſecè aſſiſtendo.pag.386.num.45.

Lumen gloriæ ponitur in intellectu, vt per ipſum fiat potens producere viſionem. pag.386.num.47.

Implicat contradictionem, quòd intellectus creatus poſſit videre Deum abſquè lumine gloriæ.pag.386.à num.48.vſquè ad finem diſputat.

Lumen gloriæ collatum beatis, & raptis, eſt vnum idemquè eſſentialiter, ſolùm quò ad modum durationis differens, & hoc non ex natura ſua, ſed ex Dei beneplacito pendet.pag.393.num.99.

Lumen gloriæ eſt neceſſarium intellectui ad vtendum diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis.pag.398.num.1.

Lumen gloriæ quantùm ad eius eſſentiam, & exiſtentiam, eſt ſimpliciter finitum. pag. 399. num.1.

Lumen gloriæ quatenus diſponit intellectum ad ſuſcipiendam diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei intelligibilis eſt infinitum, non quò ad eſſentiam, ſed quò ad efficaciam. pag.399.num.3.

Lumen gloriæ eſt habitus ſolius viæ. pag. 401.num.3.

Lumen gloriæ ſubiectatur in intellectu poſſibili, & nullatenus in intellectu agente. pag.408.num.2.

Lumen gloriæ non eſt habitus totius ſcientię inditæ, ſeu infuſæ animæ Chriſti.pag.409. num. 4.

Digitized by Google

Lumen gloriæ illuſtrat intellectum ad cognoſcenda entia ſupernaturalia creata in ſe ipſis, quidditatiue. ibidem. num.6.
Idem numerò lumen gloriæ illuſtrat intellectum, vt poſſit omne aliud lumen gloriæ in ſe ipſo cognoſcere. pag.412. num.2.
An ex diuerſitate luminis gloriæ proueniat, vt in Deo hæ, & non aliæ videantur creaturæ. pag.412.
Lumen gloriæ tam rectè intellectum illuſtrat, vt intellectus in nullo poſſit errare. pag. 414. num. 1.
Lumen gloriȩ eſt virtus Theologica. pàg.415.
Lumen gloriæ eſt vnum ſpecie in omnibus. pag.416. num.1.

M

Materia prima.

Materia prima, nequè etiam per Dei potentiam abſolutam poteſt ſine forma exiſtere. pag.193. num.15.
Materia prima, ſuppoſito quòd habeat formam poteſt exiſtere ſine exiſtentia formæ.

Medium.

Medium in quo tanquàm in cauſa, vel tanquàm in effectu, cauſat cognitionem mediatam. Medium verò in quo, tanquàm in ſpeculari, non cauſat cognitionem mediatam. pag.241. num.26.

Meritum.

Meritum eſt actus voluntatis, tanquàm potentiæ ſuppoſiti merentis, non verò eſt actus voluntatis, tanquàm ſuppoſiti merentis. pag.33. num.61.
Meritum habetur per voluntatem, præmium verò acquiritur, & poſſidetur per intellectum. pag.33. num.62.
Meritum eſt à Deo tanquàm à conferente merendi virtutem. pag.334. num.41.
Meritum vitæ æternæ eſt mediante gratia, & donis ſupernaturalibus. ibidem.

Modus operandi, & modus eſſendi.

Modus operandi ſequitur modum eſſendi. pag.264. num.2.
Modus operandi ſequitur modum eſſendi, non per ſolam ſucceſſionem, ſed per accommodationem, & proportionem. pag. 265. num.4.
Modus operandi ordinis naturalis ſequitur modum eſſendi connaturaliter, modus verò operãdi ordinis ſupernaturalis, ſequitur modũ eſſendi, in ratione eleuabilis. p.265. n.5.
Modus operandi, pro vt etiam includit modum eſſendi, eſt præſtantior modo eſſendi, pro vt non includit modum operandi; modus verò eſſendi pro vt includit modum operandi, eſt præſtantior modo eſſendi præcisè accepto. pag.266. num.18.
Modus eſſendi ſubſtantiarum ſeparatarum, eſt excedens modum eſſendi animæ ſeparatæ, intra eumdem tamen gradum, cognoſcentium, & cognoſcibilium, non tamen in diuerſo gradu. pag.271. num.18. & 19.
Modus eſſendi rei cognitæ eſt duplex; vnus per ſe ſpectans ad rem quò ad modum phyſicè eſſendi, non verò ad rem vt cognitam: Alter verò vtroquè modo. pag.274. num.46. & 47.
Modus eſſendi naturæ cognoſcentis aliquod obiectum, naturaliter, & quidditatiuè, non debet excedi à modo eſſendi obiecti quidditatiuè, & naturaliter cogniti. pag.275. num. 51.
Si modus eſſendi obiecti cogniti excederet modum eſſendi naturȩ cognoſcentis, oportet quòd cognitio ſit ſupra naturam illius. pag.285. num.51.
Modus eſſendi quem habet intellectus noſter, dum anima corpori eſt vnita, non eſt proportionatus lumini intellectus noſtri adæquatè ſumpti. pag.276. num.54.
Modus ſubſtantialis ſupernaturalis impugnatur. pag.299. num.105.

Murmuratio.

Murmuratio operariorum vineæ fuit iniuſta. pag.426. num.47.
Murmuratio inter primos, & nouiſſimos, non habet locum in applicatione parabolæ niſi metaphoricè. pag.427. num. 50.

N

Natura, & Naturale.

Natura ſecundùm gradum genericum, non impellit, ſeù inclinat ad id, quod repugnat alicui ſecundùm gradum ſpecificum. pag.59. num.21.
Natura ſecundùm ſe, nequè eſt vniuerſalis, nequè particularis. pag.49. num.13.
Natura eſt primum principium motus, non quidem ad Deum vt eſt in ſe, ſed ad rem in proprio genere. pag.288. num.13.
Naturale explicatur per analogiam ad ſupernaturale. pag.287. num.12.
Naturale dicitur per defectum, & receſſum à ſupernaturali. ibidem.
Natura diuina in ratione eſſentiali Deitatis, non eſt participabilis ſubſtantialiter, ſed accidentaliter. pag.289. num.19.

Noctua.

Noctuæ deeſt vis, ſeù vigor ſufficiens ad videndum Solem. pag.389. num.69. & pag. 394. num. 106.

O

Obiectum.

Obiectum adæquatum quæſt.12. eſt Deus vt à nobis cognoſcibilis; Obiectum autem magis principale, eſt Deus, vt intuibilis. pag.1. num.1.
Obiectum prius, ac principalius voluntatis, non poteſt eſſe aliquis eiuſdem voluntatis actus. pag.21. à num.27. vſquè ad 30.
Obiectum formale intellectus vt apprehen-

dentis, eſt ens ſub ratione entis, non ſub ratione veri. pag. 35. num. 2.
Obiectum formale quod, intellectus creati vt iudicantis, ſeu vt componentis, ac diuidentis, vel diſcurrentis, eſt verum ſub ratione veri. pag. 36. num. 4.
Obiectum formale, & adæquatum intellectus creati, eſt ens, & verum reale, communiſſimè ſumptum, finitè tamen cognoſcibile. pag. 37. num. 6.
Obiectum finitum, & infinitum, reſpectu intellectus diuini, non vniuocantur. pag. 40. num. 5.
Obiectum finitum non eſt ſpecificatiuum intellectus increati & infiniti, licet obiectū infinitum ſit obiectum ſpecificatiuum intellectus creati, & finiti. pag. 40. num. 5.
Obiectum duplex, proportionatum, & improportionatum, & quid vtrumquè. pag. 42. num. 1. 2. & 3.
Obiectum quomodo dicitur per ſpeciem intellectui apparere. pag. 148. num. 13.
Suppoſita vnione obiecti cum potentia, poteſt Deus efficientiam obiecti impedire, & libera voluntate efficientiam obiecti per ſuam potentiam operatiuam ſupplere. pag. 192. num. 8. & pag. 193. num. 15.
Obiectum ſecundarium in ratione obiecti ſecundarij, non cognoſcitur niſi ex vi cognitionis primarij. pag. 195. num. 11. & 13.
Vnio obiecti cum potentia, eſt eſſentialiter requiſita, vt potentia operetur. pag. 193. n. 16.
Obiectum, & potentia ſe habent vt motiuum, & mobile, in eſſe intelligibili non autem in eſſe entitatiuo. pag. 273. num. 36. & 37.
Obiectum cognoſcibile quomodo dicatur lux. pag. 180. num. 13.
Quando obiectum primarium poteſt videri ſeu cognoſci non viſo, ſeù non cognito ſecundario. pag. 472. à num. 8. vſquè ad 13.
Obiectum intellectus noſtri quomodo eſt vniuocum, & quomodo analogum. pag. 40. & 41. num. 6. & 7.

Oculus.

Oculo corporeo Deus videri non poteſt, nec per viſionem corpoream, nec per viſionem ſpiritualem. pag. 255. num. 17. & 48.
Diuus Auguſtinus nec aſſeruit oculo corporeo poſſe videri Deum, nec dubitauit, ſed abſolutè affirmauit oculo corporeo non poſſe videri. pag. 250. à num. 8. vſquè ad 37.
Hoc nomen (oculus) dicitur de oculo mentis, & de oculo corporis; de oculo mentis, tàm creatæ, quàm increatæ. pag. 246. num. 1.
Oculus, ſi ſecundùm ſinceram videntis rationem accipiatur, magis propriè oculo mentis aptatur. pag. 246. num. 2.
De fide certum eſt, oculo corporeo Deum vt in ſe eſt, videri non poſſe. pag. 248. num. 2.
Aſſerere Deum eſſe viſibilem oculis corporalibus, & ſupponere quòd Deus ſit ſpiritus, eſt contra Sacræ Scripturæ intentum, & ſic aſſerens, eſt capitoſus, temerarius, & erroneus, non tamen expreſsè hæreticus. Ibidem num. 3.
Neque etiam per Dei potentiam abſolutam fieri poteſt, vt Deus in ſua maieſtate oculo corporeo videatur. pag. 250. num. 4.

Odium Dei.

Odium Dei non eſt peius, quam antiuiſio Dei. pag. 33. num. 61.

Operatio.

Operatio ſequitur eſſe. pag. 264. num. 3. & pag. 265. num. 5.
Vnumquodquè eſt propter ſuam operationem, quantùm ad perfectionem accidentalem; non verò quantùm ad perfectionem ſubſtantialem. pag. 266. num. 17.
Cuiuſcumquè eſſe, ſeu modi eſſendi perfectio, ex operatione cognoſcitur, non a priori, & ſecundùm ſe, ſed à poſteriori, & quò ad nos. ibidem. num. 16.

Opinio.

Opinionis authores, quam Diuus Thomas in corp. 1. art. recitat, & confutat, probabile eſt fuiſſe tantummodo hæreticos; probabile quoquè eſt, fuiſſe etiam quoſdam catholicos. pag. 9. num. 1.

Ordo.

Ordo ſupernaturalis præſtantior eſt, quàm ordo naturalis. pag. 300. num. 109. & 110.
Tam in ordine naturali, quam ſupernaturali, Deus ſubſtantiam reſpicit naturalem. Ibidem. num. 111.

P

Parabola.

PArabola vineæ Matthæi. 20. catholicè contra Iouinianum exponitur, & declaratur. pag. 423. à num. 23. vſquè ad 52.

Paruuli.

Paruuli æqualiter peccato originali obſtricti, poſt baptiſmum, ſunt in gratia çquales, & ſi ante vſum rationis mori contigerit, erunt quoquè æquales in viſione Dei. pag. 428. num. 6.

Pater Æternus.

Pater Æternus de facto dupliciter producit Spiritum Sanctum, mediatè ſcilicet per Filium, & immediatè per ſe ipſum. pag. 168. num. 47.
Pater Æternus non eſt prior origine Filio. pag. 472. num. 18.

Sancti Patres.

Sancti Patres à Vaſquez pro hæretica opinione adducti, explicantur, & à tam iniqua cenſura vindicantur. à pag. 89. & deinde per totam diſputationem.

Paulus.

Paulus in raptu vidit diuinam eſſentiam, ſed poſt raptum non recordabatur diuinæ eſſentiæ, ſed eorum quç vidit in diuina eſſentia. pag. 203. num. 44. & pag. 411. num. 21.
Paulus poſt raptum recordabatur in quodam con-

Digitized by Google

confuſo,ſe vidiſſe clarè diuinam eſſentiam, quam poſt raptum,non clarè,ſed per fidem cognouit.Ibidem.

Peccatum.

Peccatum originale non eſt cauſa, vt intellectus intelligat per conuerſionem ad phantaſmata ; in pœnam tamen peccati originalis, homo non habet phantaſmata ad intelligendum expedita. pag.270.à num.13. vſquè ad 15.

Perfectio.

Explicatur illa D.Thomæ propoſitio ; In ipſo eſt vltima perfectio rationalis creaturæ,quod eſt ei principium eſſendi. pag.6.

Explicatur illa propoſitio, vnumquodquè in tantùm eſt perfectum, in quantùm ſuum principium attingit. pag.6.num.8.

Perfectio naturaliter proportionata, appetitur naturaliter,non autem perfectio ſuper naturalis. pag.66. num.40.

Quomodo intelligitur, quòd id quod perfectionis eſt ſimpliciter in aliquo genere, ſi competit inferiori,competit & ſuperiori. pag.108.num.33.

Perſona diuina.

Non poteſt vna perſona diuina videri, alia non viſa, nec eſſentia non viſis perſonis. pag.471. à num.2. vſquè ad vltimum.

Phantaſma.

Phantaſmata non ſunt intellectui humano ad naturalia cognoſcenda impedimentum,ſed neceſſarium inſtrumentum. pag.270.n.13.

Phantaſmata quòd non ſint intellectui humano expedita ad intelligendum,prouenit ex peccato originali,& in hoc ſenſu intelligendus eſt D.Auguſtinus.pag.270.n.15.

Phantaſma producit ſpeciem intelligibilem, vt inſtrumentum intellectus agentis. pag. 391. num.82.

Phantaſma eſt inſtrumentum intellectus agẽtis, non ex ſola ſubordinatione ad illum. Ibidem.num.84.

Poſſibilitas.

Poſſibilitas viſionis beatificæ nullo modo poteſt ratione naturali demonſtrari.pag.103. num.7.& deinceps.

Poſſibilitas viſionis beatificæ Chriſtiano more loquendo,eſt euidenter credibilis,ſecluſa tamen fide,non eſt euidenter credibilis, euidentia methaphyſica.pag.113.n.vlt.

Potentia.

Potentia qua homo iuſtificatur, non eſt potentia qua immediatè glorificatur. pag.27. num. 43.

Potentia alia eſt naturalis, alia violenta, alia obedientialis,& alia ſupernaturalis. pag. 67. num. 47.

Potentiam appetere aliquam formam, non eſt aliud, quàm illam ex natura ſua ad formam ordinari. pag.68. num.51.

Quid ſit ſe tenere ex parte potentiæ. pag. 117.num.1.

Potentia creata determinatur à cauſa primâ per phyſicam prædeterminationem,determinatione effectiua,& quò ad actum ſecundum, non verò determinatione formali, & quò ad actum primum.pag.192.num.11.

Potentia Viſiua.

Potentia viſiua quidquid videt,immediatè videt, ex parte rei viſæ,excludens omne medium,etiam in quo.pag.242.num.28.

Hoc nomen potentiæ viſiuæ,non ſolùm conuenit potentiæ ab alijs externis ſenſibus diſtinctæ, ſed omnibus, impropriè tamen, ac methaphoricè.pag.246.num.3.

Potentia viſiua incapax eſt luminis gloriæ. pag.254.num.38.

Potentia viſiua non poteſt videre Angelum. pag.256.num.51.& pag.101.num.1.

Potentia viſiua adhoc vt videat aliquod obiectum viſibile, neceſſe eſt,quòd in ſe habeat intrinſecum vigorem proportionatum illi. pag.389.num.70.

Potentia ſenſitiua.

Nulla potentia ſenſitiua, ſiuè interna, ſiuè externa,poteſt eleuari ad videndum Deum vt eſt in ſe. pag.257.num.1.

Etiam contradictionem implicat, vt aliqua potentia ſenſitiua abſtractiuè cognoſcat Deum. pag.258.num.2.

Potentia ſenſitiua interna poteſt attingere Deum ſubſtitutiuè, non contemplatiuè. pag.258.num.6.

Potentia ſenſitiua ratione finitatis, habet vt cognoſcat finitè,ratione verò materialitatis,habet vt cognoſcat materialiter. Ratio quare non poſſit attingere Deum vt in ſe eſt,non eſt ratio finitatis,ſed ratio materialitatis. pag.259.num.9.

Potentia loco motiua.

Potentia loco motiua ſecundùm nonnullos non eſt potentia paſſiua, ſed actiua. pag.332. num.27.

Potentia loco motiua non eſt aliud niſi appetitus vt imperans, & executioni mandans motum. Et hoc modo eſt tantùm actiua. Ibidem,& num.18.

Potentia loco motiua, quatenus eſt corporis diſpoſitio, quæ vocatur virtus receptiua motus, eſtquè neruorum habilitas, ac promptitudo corporis ad moueri, eſt potentia paſſiua. Ibidem.

Potentia obedientialis.

Potentia obedientialis non tollit, quin intellectus ſit cauſa principalis viſionis. p.369. n.12.& num.14. &magis explicatur.pag. 374.num.49.& num.50.

Potentia obedientialis actiua,prout à quibuſdam Modernis ponitur, non eſt admittenda. pag.371. num.25. & pag.378.num. 23.& pag.395.num.109.& deinceps.

Potentia ad viſionem, immediatè loquendo, eſt ſupernaturalis, non verò obedientialis, niſi fundamentaliter,& mediatè. pag.372. num. 37.

Præ-

Prædicatum.

Sunt quædam Dei prædicata, quæ immediatè ſupernaturalitatem explicant, & huiuſmodi ſunt Sanctitas, Viſio Dei vt eſt in ſe, puritas actus, &c. & iſta ſunt communicabilia creaturis accidentaliter, non ſubſtantialiter; alia verò ſunt prædicata, quæ ratione modi, ſupernaturalitatem explicant, & horum ſupernaturalitas, eſt omnino incommunicabilis. pag. 286. num. 6.

Omnia Dei prædicata dummodo conſiderentur iuxta modum ſibi proprium, ſunt ſuper naturalia. pag. 286. num. 2.

Omne prædicatum Dei in ſe, eſt ſimpliciter ſupernaturale; non tamen omne prædicatum Dei explicat ſupernaturalitatem, & quomodo hoc intelligatur. pag. 293. à num. 53. vſquè ad 58.

Non omnis modus proprius vnius prædicati diuini, eſt proprius modus alterius. pag. 298. num. 98.

Omnia prædicata Dei ſunt vna eademquè ſimpliciſſima perfectio. pag. 17. num. 17.

Præmium.

Præmium eſt à ſolo præmiant, eauthoritatiuè, id eſt, tanquàm ab habente dominium præmium conferendi. pag. 334. num. 40.

Præmium, & meritum non differunt per hoc, quòd præmium eſt à merente effectiuè, & præmium à ſolo præmiante. pag. 334. num. 41.

Præmium dupliciter conſiderari poteſt, Quò ad rem oblatam, & quò ad rei oblatæ acquiſitionem. ibidem.

Præmium duplex, quod, & quo. pag. 351. num. 48.

Præmium operibus Chriſti Domini debitum, eſt infinitum, ſi ſermo ſit de præmio quod; non verò ſi ſermo ſit de præmio quo. pag. 351. num. 49.

Prius.

Prius generatione, eſt imperfectiùs quàm poſterius, quò ad modum eſſendi ſubſtantiæ productæ, in potentijs autem eiuſdem animæ, nō ſemper eſt verum. pag. 25. n. 38.

Prius generatione, eſt etiam prius dignitate, quando prius generatione dignius obiectum attingit. ibidem.

Prius quomodo poteſt ſaluari ſine poſteriori. pag. 447. num. 14.

Proportio.

Proportio duplex. pag. 8. num. 12.

Q

Qualitas.

QValitas quæ eſt tantùm terminus, & nullatenus operatio, producitur per aliquam actionem diſtinctam; qualitas verò quæ eſt ita producta, vt ſit ipſa agentis operatio, non producitur per aliquam aliam actionem. pag. 209. num. 23.

Ratio qualitatis, & intellectionis in intellectione, ſunt vna ſimplex entitas, & qualitas. pag. 337. num. 7.

Ratio qualitatis, & intellectionis, ſe habent vt ratio generica, & ratio ſpecifica. pag. 337. num. 9.

Qualitas præſtantior lumine gloriæ, quæ faciat perfectiori modo videri Deum, eſt impoſſibilis. pag. 406. num. 2.

Quando.

Quando, non datur in productione diuinarum perſonarum. pag. 473. num. 18.

Quando, eſt quod ex adiacentia temporis derelinquitur. Ibidem.

Quantitas, & Quantum.

Quantitas magna, finita poteſt repræſentari per quantitatem paruam, quæ ſit eius imago. pag. 244. num. 10.

Quantitas infinita ſi daretur, non poſſet repræſentari per aliquam quantitatem finitam, tanquàm per imaginem. pag. 244. num. 10.

Quantum diſtat Deus à creatura, tantùm creatura à Deo, ſed non qualiter. pag. 244. num. 12.

R

Ratio formalis.

RAtio formalis ſub qua, intellectus creatus omnia obiecta cognoſcit, eſt finitè intelligere. pag. 40. num. 5.

Ratio formalis ſub qua, intellectus diuinus omnia cognoſcit non eſt infinito modo cognoſcere. pag. 40. num. 5.

Ratio formalis, quę, & ratio formalis ſub qua conſtituunt vnum obiectum adæquatum. pag. 40. num. 6.

Ratio formalis quæ, eſt res, quæ per ſe cognoſcitur; Ratio formalis ſub qua, eſt modus, ratione cuius, res à potentia cognoſcitur. pag. 40. num. 6.

Raphael.

Raphael eſt ſpecies phyſicè, non autem logicè, niſi quò ad modum concipiendi. pag. 64. num. 38.

Relatio.

Relatio paternitatis in diuinis, tripliciter conſiderari poteſt. Vt forma hypoſtatica. Vt productiua verbi, & vt forma referens Patrem ad Filium. pag. 207. num. 15.

Relatio paternitatis vt forma hypoſtatica, conſideratur ſecundùm prius ſecundùm rationem, quàm ipſamet, vt forma refe. &c. pag. 208. num. 16.

Diuina reuelatio.

Diuina reuelatio eſt ratio formalis ſub qua, obiecti fidei. pag. 40. num. 4.

S

Scotus.

SCotus quid ſenſerit de ſpecie impreſſa repræſentatiua Dei. pag. 139. à num. 47. vſquè ad finem diſputationis.

Scotus

Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 8. affirmans, quòd poſſibilitas viſionis beatificæ poteſt ratione naturali demonſtrari, ſublata imperfectione ſtatus iſtius,& deinde in actu exercito probans, ſibimet ipſi contradicit. Ipſe enim manebat in imperfectione ſtatus iſtius.pag.269.num.11.
Scotus nomine luminis gloriæ non intellexit viſionem. pag.304.num.14.
Quid ſenſerit de lumine gloriæ. pag.312. à num.5. vſquè ad vltimum.
Scotus dicens,D.Thomæ doctrinam,nempè, quòd anima noſtra quantò magis à corporalibus abſtrahitur, tantò intelligibilium abſtractorum fit capacior, eſſe figmentum ex fictionibus Mahometi acceptum, exceſſit, & eſt reprehenſione dignius.pag.

Similitudo.

Similitudo duplex eſt, Ex parte videntis ſcilicet,& ex parte rei viſæ.pag.115.num.3.& pag.280.num.14.
Similitudo creata ex parte potentiæ,probatur eſſe neceſſaria,& ſimul ſimilitudo creata ex parte rei viſæ ad claram Dei viſionem, probatur eſſe impoſſibilis à D.Thoma.pag.115.num.7.
Quid ſit dicere,quòd requiritur ſimilitudo ex parte viſiuæ potentiæ ad videndum Deũ? pag.116.num.8.

Sonus.

Sonus nequè etiam per Dei potentiam abſolutam videri poteſt. pag.255. num.46.

Species impreſſa.

Species impreſſa ſe tenet ex parte obiecti, non verò ex parte potentiæ. pag. 118. num. 4.
Inhærentia ſpeciei ſecundùm quòd inhærentia eſt,non ſpectat ad intellectum,vt intelligentem formaliter, ſed materialiter. pag.119. num.14.
Species impreſſa eſt neceſſaria ad determinandam potentiam repræſentatiuè, non autem eleuatiuè,& confortatiuè.pag.120. num. 17.
Species impreſſa duo dicit, ſpeciem ſcilicet,& impreſſam.Explicatur vtrumquè.pag.123. num. 1.
Species propriè dicitur impreſſa, ſiuè ſit à Deo,ſiue ab obiecto. ibidem.num.2.
Non eſt de ratione ſpeciei impreſſæ ſenſibilis, ſiuè intelligibilis inhærere. pag.124.num. 5. & pag.144.num.14.
Species impreſſa eſt forma informans intellectum non in eſſe naturali,ſed in eſſe intelligibili. pag.125.num.15.
Quomodo ex ſpecie, & obiecto fiat vnum. pag.126. num.16. & pag.154. à num.32. vſquè ad vltimum.
Species impreſſa ex ſua ratione formali nequè eſt determinatè ſubſtantia,nequè accidens. ibidem.num.18.
Species impreſſa à D.Thoma omnino negatur. pag.128.num.4. & deinceps.
Species quantùm ad modum eſſendi diſtinctum à modo eſſendi obiecti, vocatur ſemen obiecti, quantùm verò ad rationem formalem ſpeciei, non eſt ſemen obiecti, ſed ipſum obiectum. pag.134.num.16.
Nulla ſpecies impreſſa creata datur diuinam eſſentiam intuitiuè repræſentans.pag.142. a num.8. vſquè ad vltimum.
Implicat contradictionem dari ſpeciem impreſſam intuitiuè diuinæ eſſentiæ repræſentatiuam. pag.163. num.11.& pag.174. à num.1. vſquè ad vltimum.
Species impreſſa poteſt repræſentare aliquod obiectum intuitiuè.pag.164.num.13.
Species impreſſa potentiæ viſiuæ niſi intuitiuè repræſentet obiectum non poteſt à Scotiſtis aſſignari,quem alium præuium effectum producere poſſit. pag.164.num.15. & deinceps.& pag.201.n.30. & deinceps.
Species impreſſa quando ponitur vt realiter ab obiecto in modo eſſendi diſtincta, non ponitur niſi propter obiecti imperfectionem.pag.169.num.54.
Species non eſt aliud, quàm obiectum vt potentiæ vnitum. pag.177.num.25. & pag. 179. à num.6. vſquè ad vltimum.
Eſt poſſibilis aliqua ſpecies creata repræſentans Deum Trinum,& Vnum, clarè, & diſtinctè, quò ad quæ[illegible]. an eſt,non quidem immediatè, ſed mediatè, non in ſtatu fidei, ſed ſuppoſito lumine gloriæ in intellectu creato. pag.200.num.16.
Non eſt poſſibilis aliqua ſpecies impreſſa Deum quò ad vnum,nõ verò quò ad aliud attributum clarè, & immediatè abſtractiuè repræſentans.pag.201.num.25.
Eſt omnino impoſſibilis ſpecies impreſſa Deum quò ad eius eſſentiam immediatè, clarè,& diſtinctè repræſentans abſtractiuè. pag.201.num.27.
Species creata obiectiua eſt omnino impoſſibilis, ex cuius cognitione,clarè,& intuitiuè Deus vt in ſe eſt,cognoſcatur.pag.243.
Species intelligibilis in ſuo eſſe vt inhæſiuo eſt imperfectior, quàm in ſuo operari, non autem vt in ſuo eſſe immateriali. pag.265. num. 7.
Species Angeli ſuperioris inhærens intellectui Angeli inferioris, non eſt maioris immaterialitatis immaterialitate, quæ eſt in Angelo ſuperiori, quò ad modum exiſtendi, quò verò ad modum intelligibiliter vniendi, è contra.pag.265.num.10.

Supernaturale, & ſupernaturalitas.

Supernaturalitas Dei maior eſt,quàm ſupernaturalitas creata,difficilioris tamen cognitionis eſt ſupernaturalitas creata, quàm ſupernaturalitas Dei.pag.111.num.55.
Supernaturale vt ſupernaturale ideo dicitur, quia vires ſuperat naturales. pag.112. num. 56.
Supernaturale propriè dicitur quod eſt ſupra quamcunquè ſubſtantiam creatam, vel crea-

Digitized by Google

creabilem. pag.286. num.4.
Supernaturalitas accidentis in quo conſiſtat. pag.287. à num.7. vſquè ad 10.
Supernaturalitas ſubſtantiæ creatæ,ſi dabilis eſſet, in quo conſiſteret. pag.287.num. 11.
Supernaturalitas non eſt vnum ex diuinis attributis ab alijs diſtinctum, ac ſpeciale, ſed eſt quoddam prædicatum omnia diuina prædicata traſcendens.pag.286.num.5.
Supernaturalitas accidentalis non arguit infinitatem,benè tamen ſupernaturalitas ſubſtantialis. pag.299.num.106.
Supernaturalitas ſemper arguit infinitatem ſimpliciter ,ſiuè ſit accidentalis, ſiuè ſubſtantialis , & quomodo hoc contingat . Ibidem.num.107.
Supernaturale, vt ſupernaturale,eſt ſimpliciter perfectiùs naturali.pag. 400.num.4.

Suarez .

Suarez nonnunquàm non refert Doctores fideliter. pag.181.num.20.
Imo ſe ipſum falsò refert.pag.376.num.7.

Speculum .

Quando dicitur, quòd homo videtur in ſpeculo non immediatè in ſe ipſo,ſed mediatè, debet intelligi de mediatione facta per imaginationem, vel per diſcurſum intellectus, non tamen per viſionem formatam , pag.242. num.26.

Subſiſtentia creata .

Subſiſtentia creata habet vt ab eſſentia procedat,& quòd eſſentiam informet non qua ſubſiſtentia eſt , neque qua ſubſiſtentia ab eſſentia diſtincta eſt, ſeù qua ſubſiſtentia eſſentiæ creatæ eſt , ſed qua ſubſiſtentia creata eſt. pag.352,num.59.& deinceps , & pag.397.num.16.

Subſtantia .

Subſtantia ſupernaturalis creata eſt omnino impoſſibilis.pag.288.num.14.& deinceps.
Subſtantia ſupernaturalis creata ſi poſſibilis eſſet,conſiſteret in hoc, vt ſit formalis participatio ſubſtantiæ diuinæ , ſecundùm quòd eſt ſupernaturalis. pag.287.num.11, & pag.289.num.18.
Subſtantia naturalis eſt participatio naturæ diuinæ, ea ratione qua ſubſtantia eſt, non autem ea ratione qua ſupernaturalis eſt , pag.287.num.12.
Subſtantia corporea dicitur ſubſtantia,quia participat rationem ſubſtantiæ diuinæ, dicitur autem corporea,per receſſum à ſpiritualitate. pag.288.num.12.
Nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe ſupernaturalis per eſſentiam. pag.288.num.14.
Si daretur ſubſtantia ſupernaturalis per participationem , deberet in ſe habere participatiuè illam rationem,per quam Deus dicitur ſubſtantia ſupernaturalis, ibidem , num. 15.
Subſtantia ſupernaturalis creata ſi eſſet poſſibilis, derogaret veræ Deitati verbi diuini, pag.291.num.37.
Subſtantia ſupernaturalis creata ducit originem ex Arriana hæreſi.pag.294.n.62.
Si daretur aliqua ſubſtantia,cui eſſet connaturalis viſio beatifica , eſſet finita ratione formæ finitæ, nempè ratione viſionis finitæ : eſſet autem infinita , ratione modi videndi . pag.297. à num.87. vſquè ad 93.
Subſtantia naturalis eſt præſtantior lumine gloriæ, gratia ſanctificante,& viſione beatifica,quantùm ad modum eſſendi,è contra verò, quantùm ad ordinem.pag.400.n.3.

Supremum .

Supremum infimi, attingit infimum ſupremi , deficienter , non autem æquiualenter . pag.302.num.125.

T

Talpa .

Talpa ſecundùm rationem genericam animalis , non habet naturalem appetitum ad videndum.pag.59.num.22.

Diuus Thomas.

Doctrinæ D.Thomæ laudes.pag.3.& 4.
D.Thomas in quæſt.8. tractat de intima Dei in rebus præſentia, non primaria intentione, ſed quatenus eius infinitati conuenit . pag. 1.
D. Thomæ expoſitores,quales debeant eſſe. pag. 4.n.1.
D. Thomæ doctrina eſt clara intenſiuè , breuis ſcilicet, firma, celſa, grauis, & profunda . pag.4.n.1.
D.Thomas aliquam hæreticam impugnans ſententiam,ex ijs quæ fidei ſunt,conuertitur ad Theologos , ſeù Catholicos,vt illos inſtruat , non autem ad conuincendos hæreticos.pag.9.num.3.& pag.110.num.48.
Rectè infert,quòd ſi intellectus creatus nunquàm eſſentiam Dei videre poteſt,vel nunquàm beatitudinem obtinebit , vel in aliquo alio,quam in Deo,eius beatitudo conſiſtet. pag.10.
Qui ſincero corde de mente D. Thomæ diſquirit, eiuſquè mentem percipere cupit , quid tenetur facere. pag.385.num.41.
D.Thomas, & D.Auguſtinus,in viſione clara Dei,ſunt æquales .

V

Vaſquez.

Vaſquez acriter contendit,magnam Sanctorum Patrum Cateruam , hæreticam ſuſtinuiſſe ſententiam. pag.7.num.11.
Vaſquez conatus eſt Henricum de Beatitudine piè interpretari. pag.12.num.2.& pag. 89.num.1.
Vaſquez quid ſenſit de lumine gloriæ. pag. 308. à num.1. vſquè ad vltimum.
Loquitur contra Concilium Viennenſe . pag.309.num.9.& 10.

Velleitas .

Velleitas eſt duplex, excitata, & impedita . pag.

Digitized by Google

pag.81.num.42.
Velleitas ex effectuum cognitione excitata, non tranſit in velle abſolutum. pag.81. num. 43.
Velleitas videndi Deum, ſuppoſita effectuum cognitione, & poſſibilitate, non quieſcit donec homo per vires ſupernaturales ad claram Dei viſionem de facto peruenerit. pag.81. num.43.

Verbum.

Verbum non eſt ipſa intellectio. pag.171. num.68.
Verbum diuinum eſt ſuppoſitum infinitum, & virtualiter continet cuiuſcumquè ſuppoſiti finiti immediatam terminationem. pag.195. num.9.
Verbum eſt vltimus terminus productus per intellectionem, non tamen eſt propter ſe ipſum principaliter intentum, ſed potius è contra. pag.207. num.12. & pag.216. num. 43.
Verbi productio in nobis prouenit ex fœcunditate intellectus creati, propter eius indigentiam; Verbum verò diuinum producitur ex cognitionis fœcunditate excludente omnem intelligentis indigentiam. pag.207.num.11. & pag.228.num.52.
Quomodo omne intelligẽs ex hoc ipſo quòd intelligit, producat verbum.pag.209.num. 21.& pag.225.à num.28.vſq; ad num.38.
Verbum mentis, & intellectio ſunt duæ entitates realiter inter ſe diſtinctæ. pag.210. num. 3.
Verbum vocatur conceptio.pag.210.num.3.
Verbum ſe tenet ex parte obiecti. pag.211. num.7.
Verbum dupliciter accipi poteſt. Effectiuè,& obiectiuè ſimul: & effectiuè tantùm; & quid ſit vtrumquè. pag.214.num.35.
D.Auguſtinus aliquando nomine notitiæ intelligit verbum effectiuè,& aliquando vtroquè modo. pag.215. à num.36.vſquè ad num.43. & pag.224.num.23.
Si verbum eſt intellectio producta, Beati videndo Deum,verbum formant, ſed in tali caſu, verbum non eſſet formalis ſimilitudo obiecti. pag.222.num.13.
Suppoſito quòd verbum ab intellectione diſtinguatur, Beati Deum videntes non formant verbum.pag.223.num.17.
Verbum ideo ponitur in nobis, vt per ipſum intellectui repræſentetur obiectum. pag. 223. num.19.
Quomodo intelligitur,quòd Beati vident res in verbo.pag.224.num.24.& 25.
Verbum perſonaliter ſumptum eſt ſufficienter diuinæ eſſentiæ repræſentatiuum. pag. 225. num.26.
Verbum non eſt per ſe terminus cognitionis, ſed tantùm permiſſiuè. pag.227.num.42.
Verbi productio, cum intuitiua cognitione non pugnat. pag.228.num.54.& 55.
Verbum per ſolam cognitionem claram Dei non producitur propter eiuſdem cognitionis perfectionem;per cœteras verò cognitiones producitur. pag.229. num.56.
Contradictionem implicat, quòd Beati per viſionem beatificam producant verbum. pag.230. num.4.
Verbum ſe tenet ex parte potentiæ proceſſiuè, non autem repræſentatiuè. pag.231. num. 9.
Verbum,& ſpecies impreſſa ſe tenent ex parte obiecti, ſed differenter, quia ſpecies impreſſa in nobis cauſatur ab obiecto mediante intellectu agente, ſeù infunditur à Deo,vel abſtrahitur,ſeù producitur ab eodem intellectu poſſibili; at verò ſpecies expreſſa producitur, non ab obiecto,non ab intellectu agente,ſed ab intellectu poſſibili mediante obiecto illi vnito. pag.331. num. 10.
Verbum nõ poteſt produci ab intellectu creato media ſpecie infinita, nempè diuina eſſentia,quia eſſet eiuſdem quidditatis cum obiecto. pag.232.num.11.
Si per impoſſibile intellectui creato infunderetur lumen infinitum,nequè etiam intellectus poſſet formare verbum de Deo viſo. pag.232.num.13.
Si verbum produceretur à Beatis,eſſet,& non eſſet, cum diuina eſſentia adæquatum. pag.232.num.51.
Eſt impoſſibile vt Beatus per viſionem qua Deum videt formet verbum partiale reſpectu vnius attributi, & non alterius, creaturarum in Deo viſarum, & non Dei. pag. 234. num.15.
Verbum mentale eſt id quod directè cognoſcitur,& id in quo res ad extra intelligitur. pag.237.num.4. & deinceps.
Verbum eſt terminus extrinſecus cognitionis. pag.241.num.22.
Verbum eſt ipſa res ad extra, vt intra intellectum concepta. Ibidem.
Non poteſt firmari verbum de creaturis in Deo viſis per viſionem claram Dei. pag. 235.num.19.
Si nomine verbi intellectio ſignificetur,dicendum eſt,quòd nequè etiam per Dei potentiam abſolutam à ſolo Deo cauſari poteſt, intellectu merè paſſiuè ſe habente. pag. 242. num.1.
Si nomine verbi intelligatur qualitas ab intellectione diſtincta,quomodo poſſit cauſari à Deo,& quomodo non. pag.242.num.1.

Viennenſe.

Concilium Viennenſe quid intellexit nomine luminis gloriæ.

Beata Virgo.

Beatæ Virginis prima gratia ſanctificans fuit maior,quacumquè gratia,cuicumquè Sancto collata,& conferenda, non ſolùm diuiſiuè,ſed etiam collectiuè, loquendo de S. viatoribus etiam Angelis.pag.404.num.15.

Vide

Digitized by Google

Vide Verbo Amor. & pag.428.num.9.

Virtus viſiua.

Quid virtutis viſiuæ nomine intelligat Diuus Thomas art.2. pag.116.num.9.

Viſio, & Videre.

Viſio clara Dei nō ſolùm eſt propter bonum hominis, ſed etiam propter bonum Dei, non affectiuè, ſed manifeſtatiuè. pag.30. num. 52.

Præſtantius eſt videre Deum, quàm diligere illum. pag.30.num.52.

Huic quod eſt videre Deum, contradictoriè opponitur, hoc quod eſt non videre Deum. pag.32.num.59.

Licet detur oppoſitum contradictorium viſioni Dei, non tamen datur oppoſitum cōtrarium, quod ſit claræ viſionis Dei propria corruptio. Ibidem.

Actui viſionis beatificæ non opponitur fides, quoniam fides eſt vera diſpoſitio ad viſionem. Ibidem.

Viſioni beatificæ non contrariatur propriè infidelitas. Ibidem.num.60.

Peius eſt non videre Deum, quàm non amare Deum, ſi ly non amare accipiatur contradictoriè. pag.33.num.61.

Præſtantius eſt videre Deum, quàm amare Deum; quia videre Deum, non habet oppoſitum contrariè; amare autem Deum, habet oppoſitum contrariè. pag.33.n.61.

Peior eſt antiuiſio Dei, quā odium Dei, ſi præciſè loquamur; ſecus verò ſi odium Dei conſideretur ſecundùm quòd includit carentiam viſionis Dei. pag.33.num.61.

Viſio clara Dei non habet oppoſitum contrariè, licet habeat oppoſitum contradictoriè, pag.32.& 33.num.60.& 61.

Viſioni claræ Dei ſi daretur oppoſitum contrariè, illud oppoſitum diceretur antiuiſio, pag.33.num.60.& 61.

Videre aliquando accipitur pro cognitione obumbrata. pag.80.num.39.

Videri Deum à Beatis de fide certum eſt. pag. 86. num.3.

Viſio clara Dei non poteſt dici ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ. pag.146.à num.1. vſquè ad vltimum.

Nequè etiam per Dei potentiam abſolutam, Deus videri poteſt abſquè omni ſpecie, pag.191.num.3.

Eſt poſſibilis ſpecies creata impreſſa immediatè repræſentatiua viſionis beatificæ, ea tamen non poteſt vti homo mediante lumine naturali, vel lumine fidei, ſed mediante lumine gloriæ. pag.200.num. 7.

Viſio clara Dei non eſt actio de prædicamento actionis, ſed de prædicamento qualitatis, pag.206.num.6.

Viſio beatifica eſt manifeſtatio obiecti, id eſt contemplatio; non autem eſt manifeſtatio, id eſt repræſentatio, ſeù imago obiecti, pag.229.num.59.

Aliud eſt dicere Deus videtur in carne; & aliud eſt dicere, Deus videtur per carnem. pag.247. num.8.

Viſio beatifica eſt præſtantior gratia, & lumine gloriæ, quò ad modum attingendi Deum, non verò quò ad rationem gradus. pag.266.num.14.

Viſionis beatificæ poſſibilitas non poteſt ratione naturali demonſtrari. pag.203.à n.7. vſquè ad vltimum. & pag.269. num.11.

Viſio beatifica non ſignificatur nomine luminis gloriæ. pag.304. à num.7. vſquè ad 16.

Contradictionem implicat viſionem beatificam, & quamcunque actionem vitalem à ſolo Deo produci, intellectu merè paſſiuè ſe habente. pag.337.num.4.

Contradictionem implicat viſionem beatificam, & quamcunquè actionem vitalem produci extra intellectum, etiam in ratione qualitatis. ibidem.

Viſio beatifica eſt effectiuè ab intellectu creato; & oppoſitum aſſerens vix ab errore manifeſto in fide ſaluari poteſt, & eſt errori proximus, & temerarius. pag.331. à num. 17. vſquè ad 35.

Viſio communicata Paulo, cœteriſquè viatoribus, & ea quam beati habent in patria, nō differunt eſſentialiter. pag.392.num.97.

Viſio clara Dei eſt ſimpliciter perfectior lumine gloriæ. pag.407.num.1.

Non omnes viſiones beatificæ in Patria ſunt æquales. pag.421. num.5.

Non omnes viſiones beatificæ ſunt inæquales. pag.427.num.2.

Viſio clara Dei præſertim in adultis datur per modum coronæ. pag.432.num.4.

Omnes viſiones beatificæ creatæ ſunt eiuſdem ſpeciei. pag.439. num.3.

Viſio clara Dei eſt cognitio incomplexa, pag.440. à num.1. vſquè ad finem diſput.

Viſio clara Dei non eſt formaliter ſimplex apprehenſio, nequè iudicium, quatenus ſimplex apprehenſio, & iudicium ſunt duæ operationes intellectus humani. pag.441. num. 4.

Eſt tamen apprehenſiua, & iudicatiua, apprehenſione, & iudicio perfectè acceptis. pag. 442. num.5.

Viſio clara Dei non eſt reflexa ſubiectiuè, ſed terminatiuè. pag.442.num.1.

Viſio clara Dei eſt certior quacumquè alia cognitione, etiam actu fidei infuſæ. pag. 443. num.1.& 3.

Viſio clara Dei eſt neceſſaria quò ad ſpecificationem, & quò ad exercitium, in fieri, & in conſeruari.

Viſio clara Dei non poteſt communicari exiſtenti in peccato mortali. pag.447.num.7.

Viſio clara Dei quomodo opponitur peccato. Ibidem. num.11.& 12.

Viſio beatifica menſuratur æternitate participata. pag.

Digitized by Google

Vita, Vitalitas, Vitale, & Viuens, ſeù Viuum.

Vita per viſum corporis, nec per ſe, nec per accidens videri poteſt, quaſi per eumdem viſum percipiatur vita. pag. 247. num. 12.
Vita mediantibus ſenſibilibus communibus à ſolo intellectu percipitur. Ibidem.
Non ſaluatur ratio principij vitalis, ex ſola exigentia, abſquè actuali dependentia actus vitalis. pag. 340. num. 32.
Viuentia non agunt vt viuentia, ſi de facto ad aliquam operationem ab alio, & non à ſe mouentur. Ibidem. & pag. 337. num. 4.
Vitalitas eſt de intrinſeca ratione actuum vitæ intellectiuę, & ſenſitiuæ. pag. 340. n. 29.
Vita ſupernaturalis intellectus non eſt illi identificata, & recipitur à lumine gloriæ, vel ab aliquo alio habitu ſupernaturali. pag. 342. num. 43.
Viuum vt viuum, ex ſpeciali ratione viui, non poteſt ad aliquam operationem vitaliter concurrere, & tantùm paſſiuè ſe habere. pag. 331. num. 24.
Viuum quādo ad aliquam actionem cōcurrit vt viuum, omnino neceſſarium eſt, vt concurſum prębeat actiuum. pag. 331. num. 24.
Viuum in quo differat à non viuo. pag. 332. num. 24.
Vita eſt duplex, ſubſtantialis, & Accidentalis, & quid vtraquè. pag. 364. num. 19.
Vita ſubſtantialis dicitur verè, & propriè vita.
Vita verò accidentalis, minus propriè. Ibidē.
Vita accidentalis eſt duplex. Naturalis, & ſupernaturalis. Ibidem. num. 20.
Vita ſubſtantialis creata ſupernaturalis eſt impoſſibilis. Ibidem.
Vita accidētalis ſupernaturalis adhuc eſt duplex. Ibidem. num. 21.
Viuens debet in ſe habere principium vitæ; per extenſum explicatur. Ibidem. num. 23.
Nomine vitæ eternæ ſignificatur beatitudo æterna. pag. 18. à num. 21. vſquè ad 24.

Voluntas, & Velle.

Voluntas magis vult hominem videre Deum, quàm amare Deum, ſi videre, & amare, accipiantur vt ſunt quoddam bonum hominis videntis, ſeù amantis. pag. 33. num. 61.
Voluntas magis vult amare Deum, quàm quod intellectus videat Deum; Si videre, & amare accipiantur ſecundùm quòd amare, eſt propria perfectio voluntatis, & videre, ſecundùm quòd eſt propria perfectio intellectus. pag. 33. num. 61.
Voluntas eſt Regina potentiarum etiam in ordine ad intellectum, ſed intellectus eſt voluntatis Rex. pag. 26. num. 39. & pag. 34. num. 63.
Voluntas beati actiuè concurrit ad beatifici amoris actum. pag. 331. num. 19. & pag. 330. num. 14.
Voluntas ex Tridentino cooperatur gratiæ, vt mota per gratiam; Non autem vt immota. pag. 365. num. 25.
Voluntas creata non concurrit partialiter; ſed vt cauſa totalis in ſuo ordine ad actum vitæ æternæ meritorium, recipiendo totam virtutem agendi à gratia. pag. 378. num. 28. & pag. 379. num. 36.

Vulpes.

Vulpes reprehenditur, & caſtigatur ob continuam calumniantem, ac irrationabilem locutionem. pag. ~~…~~ num. ~~33.~~ 151 n. 37.
Vulpes aliquando Thomiſtarum dogmata non intelligit. pag. 271. num. 25. & pag. 272. num. 30. & 32.

Digitized by Google

Errata	& Correcta.
pag.1.num.1.col.1. ſecundam.	Lege; ſecundum .
pag.1.num.1.verſu vltimo.intuitibilis.	Lege . intuibilis
pag.1.num.2.col.2. antecedeus.	Lege . antecedens
pag.3.col.1.§. Ad primum. intuitiua.	Lege,comprehenſiua.
pag.6.num.8.col.2. inquantnm	Lege,inquantùm .
pag.22.col.1.verſu 9. ante finem, poſt ly, eſt primum amabile	Adde . à creatura amore amicitiæ ; ſecundùm quòd verò eſt amantis beatitudo, eſt etiam primum amabile .
pag.27.num.42.§.ad cuius.ad quem	Lege . ad quam .
pag.32.num.59. clarè viſionis.	Lege,claræ viſionis
pag.33.num.61.col.2.§.ſed eſt.volitu	Lege, volitum
ibidem.coparatio.	Lege, comparatio
pag.34.num.63. concedendo antecedens & negando conſequentiam.	Lege ſic . negando antecedens
pag.142.num.5.verſu.13.concurre.	Lege, concurrere .
pag.163.num.8. ſuſtinent diuinam eſſentiam intellectui creato in actu primo vniri per voluntatem	Lege ſic . ſuſtinent non diuinam eſſentiam intellectui creato in actu primo vniri , ſed voluntatem
pag.191.num.9.§.Reſpondetur . quò id intrinſecum.	Lege quò ad intrinſecam
pag.204.num.50.Ieiunius.	Lege . Ieiunus .
Ibidem.trunam ſententiam.	Lege, truncam .
pag.231.num.11.Dicat aliquis .	Lege . Dicet aliquis
pag.412.diſ.77.num.1.col.2.Faſolus artic.8. dubit.22. ad eamdem ſententiam videtur inclinare .	dele totum
pag.418. in titulo articuli vnus perfectius videat	Lege.vnus alio perfectius videat
pag.438.num.54. concedendo antecedens & negando conſequentiam	Lege,ſic,negando antecedens
pag.450.num.2.Antecedens patet. Quia non cognoſceret eam omnibus modis quibus cognoſcibilis eſt .	Lege ſic . Antecedens patet. Quia non cognoſceret eam probabiliter.
pag.483.num.18.§.primò	Adde . præcipitur
ibidem num.23.expiicans	Lege, explicans
ibidem num.19. ſed iuxta	Lege,ſed iuſta .
pag.486.col.4.§.ad 3. explicatur authoritatē	Lege , explicat authoritatem

LYCII · M. DC. LI.

Ex Typographia Petri Michaelis Burgundi .

Superiorum Permiſſu .

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google